HISTORIA PROVINCIAE ANTERIORIS AUSTRIAE FRATRUM...

Romualdus Stockacensis

Digitized by Google

Staatl. Bibliothek
Regensburg

Digitized by Google

Heft vol 133

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA
PROVINCIÆ
ANTERIORIS AUSTRIÆ
FRATRUM MINORUM
CAPUCINORUM.

Per

DECEM CATEGORIAS

COMMENTANTE

P. F. ROMUALDO STOCKACENSE,
præfati Ordinis, & Provinc. Alumno, Prædicat.
& Chronologo.

Cum Licentia Superiorum.

EX DUCALI CAMPIDONENSI TYPOGRAPHEO

PER ANDREAM STADLER.

ANNO DOMINI M. D. CC. XLVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Glorioſiſſimo

S. Congregationis de Propaganda Fide

PROTO-MARTYRI

SANCTO FIDELI,

ex Dolorosâ, & Miraculosâ

Rojorum Sigmaringorum Geneſi

Splendori;

Purpurato

Capucino-Seraphici Ordinis

Candori;

Prævalido

Heterodoxorum Prætigovienſium

Oppugnatori;

Magnanimo

Avitæ Catholicæ Religionis in multo zelo Apoſtolico

Defenſori;

Pellucido

Omnium Heroicarum Virtutum

Fulgori;

Digitized by Google

Aureolato
Poſt tot fiſſuras & puncturas, tunſiones, plagas & vulnera in ſuo proprio ſanguine
Victori;

Singulari demum
Provinciæ Capucinorum Anterioris Auſtriæ
Decori;

Atque Totius
Alemannico-Suevicæ Gentis
Honori, & Gloriæ.

Suo olim Religioſo Filio in Terris
Nunc Patri, & Patrono in Cœlis
Miraculîs famoſo

Atque ſuâ apud DEUM interceſſione
Potentiſſimo &c. &c.

Digitized by Google

Glorioſiſſime Proto-Martyr neo-Sancte FIDELIS!

Potheóſis omnî Solemnitatis numerô ſuperba, quâ TE Romano-Catholica ſancta Mater Eccleſia hôc in anni curriculô Sanctorum Faſtis inſcribens per totum, quà latè patet, Chriſtianum Orbem plurimâ magnificentiâ famoſum, & per TE Auſtriacam Matrem tuam, Capucino-Seraphicã Provinciam in **Filio ſuo** glorioſam reddidit, Ejusdem Religioſæ Matris tuæ piam excitat & impellit ſolicitudinem, ſuæ nunquam oblitterandæ gratitudinis exhibendi teſſeram illis, per quos in ſuggeſtis ſumptibus tanta magnificentia **Sancto**, & per **Sanctum** tanta gloria accidit Provinciæ; Hæc verò, cùm apprimè ſciat, quòd nec unum pro mille, nec verba pro farina (ut cum Platone loquar) in ſuis humiliata viribus, Hecalê pauperior, dare queat, quapropter **amicum Fidelem** in ſuo neo-**Sancto Fidele** ſtudioſo conamine quæſitat, ſe ſéque **Illi** in his Paginis Chronographicè conſcriptam ardentiſſimâ Devotione Donat, Dicat, & Dedicat.

Hunc igitur tene ſis **Sancte!** librum, in hoc porta ſis **Fili!** Matrem, ſicut olim Æneas Patrem, igne pudoris tot inter obligationum titulos undique rubicundam, Hâc multâ fiduciâ accede Sereniſſimos, accede Celſiſſi-

Celſiſſimos, Reverendiſſimos, Illuſtriſſimos, Perilluſtres, Nobiles, &c. accede quòsquos **Ipſemet** in DEO clarè vidiſti ad promovenda Canonizationis tuæ ſolemnia auricomô ſublevamine beneficos, & adhucdum vides in tuam Anterior-Auſtriacam Matrem munificâ manu gratioſos, His me TIBI datam, & Dedicatam emphaticè commenda, meásque in recompenſando admodùm debiles tuô pro Fide conſtanter effuſô ſanguine & vires perfice, & vices in remunerandô ſuſcipe, Eorúmque tuô præpotentî ad DEUM patrociniô futurus eſto **Amicus Fidelis, Protectio Fortis;** Clamet, nec clamare ceſſet Purpura ſangùinis Tui: non vindictam; ſed Retribuam; Eſto tuis adhuc in Via ſympatriotis Patriota in Patria Fidelis; eſto Pater in auxiliis, eſto cunctis in omnibus Patronus efficax indigentiis.

Eja igitur ſoſpitator **ſancte, Proto-Martyr Fidelis!** hoccine ponito dignum regratiaminis hoſtimentum, hoccine ſanctum mei locô reddito Chariſticon, ſimúlque tuam, quam olim habuiſti Genitricem Provinciam non deſpice; ſed reſpice, ínque tuo indeſinenter ſerva & conſerva protegmine, quæ nullô non tempore ſub demiſsiſſimo Duliæ cultu, quamdiu ſtabit, tamdiu perſeverabit **Fidelis** pariter **ad Mortem usque**

Suo Neo-Sancto Proto-Martyri

Devotiſſima, Obligatiſſima Provincia
Capucinorum Anterioris Auſtriæ.

ANTI-

Digitized by Google

ANTI-PRÆDICAMENTA,

Seu

PRÆFATIO, ET RATIO OPERIS.

ARistotoles Librum Perihermenias ſcripturus calamum in mente tinxiſſe fertur à Caſſiodoro Lib. de Dialect. Et nos hiſtoriam Provinciæ Anterior-Auſtriacæ Fratr. Min. S. Franc. Capucinorum ſcripturi calamum extra mentem, & rationem duxiſſe videbimur, quòd ejus ſcribendæ rationem à Categoriis mutuemus. Quid dialectico cum hiſtorico, quorum ſtudia uti è diametro diſtant, ita qui conjungere velit, aquilæ noctuam ſociaverit? ſi Divum Auguſtinum aliquando puduit, quòd viginti annorum juvenis Ariſtotelicis, quæ decem Prædicamenta appellant, perſcrutandis animum, ingeniúmque applicuerit: quid hoc mihi proderat, cùm ſatìs mihi viderentur loquentes de ſubſtantiis, ſicuti eſt homo; & quæ in illis eſſent; ſicuti eſt figura hominis; qualis ſit & ſtatura, & quot pedum eſſet; & cognatio, cujus frater ſit; aut ubi ſit conſtitutus; aut

quando natus; aut ſtet, aut ſedeat, aut aliquid faciat, aut patiatur; quid hoc mihi proderat? Confeſſ. lib. 4. cap. 16.

Voluerat S. Doctor innuere, hæc omnia per ſe conſtare, quin homo eis advertendis multum ſtudii otiosè impendat.

Quantò magìs nobis erit erubeſcendum, quòd, qui nuces dialecticas compluribus retrò annis reliqueramus, ad eas ætate jam jam graves redeamus, & Lesbiam regulam ſecuti Categoriis juvenum ſcholarium occupationibus, nos immiſceamus.

At ſcire volumus benignum Lectorem, haud nobis animum eſſe hiſtoriam methodô philoſophicâ pertractandi; cùm miſſis ſcholaſticis jurgiis, & obſcuritatibus à Stagyrite nonniſi veſtem mutuò acceperimus, qua induſtriam noſtram, pro ævi hujus novitatum amantis conſuetudine, involveremus, & præter aliorum ſcriptorum rationem pro capitulis, titulis &c. illi prædicamentorum diſtinctionem adaptaremus. Varietas enim delectat, & non idem unicuique ſecundùm naturam delectabile, ſed altera alterius, utì ex Ariſtot. lib. 12. Politic. accepimus.

Ne verò quispiam opinetur, prædicamenta logicalia rerum noſtrarum narrationibus præfigenda tantumdem his quadrare, ac tibia aſino congruit, Analogiam, unum ex anti-prædicamentis, & ſolum (cùm cætera non tangamus) in auxilium advocavimus: quatenùs hæc proportionem quamdam, & ſimilitudinem unius ad alterum indicat.

Hujus Analogiæ operâ benignus Lector è dialecticæ tenebris ad hiſtoriæ meridiem perducetur, & per ſubſequas Ecphraſes prorsùs inducetur.

Cæterùm, quod benè notandum, hiſtoriam Capucinorum

norum Capucinis ſcribimus ; quibus cùm aſſumptam ſcribendi methodum , & ordinem ad decem Categorias attemperatum probari intellexerimus , non habemus , quòd adverſis exterorum criſibus moremur.

Capucinis, inquam , ſcribimus , jejunio aſſuetis , adeóque hanc Dialectices , & hiſtoriæ mixturam , ut ut aliis jejunam , minimè nauſeaturis. Capucinis ſcribimus , & eo quidem fine , quò omnis hiſtoria reſpicit : quatenùs nimirùm hæc rerum geſtarum , cum laude , aut vituperatione , narratio , quæ magnarum rerum conſilia , actiones , exitus , præſtantium virorum actus , cum temporum , ac locorum ordine , & deſcriptione , tanquam vera quædam pictura ante oculos exponit ; ideóque hanc veluti vitæ magiſtram , & ad ejus inſtitutionem utiliſſimam cenſent ferè omnes ; eò quòd multarum rerum exemplis cùm optimos quosque ob laudis, nominísque immortalem gloriam ; magìs autem ob æternæ retributionis ſpem ad præclara quoque facinora accendat ; tum quòd impios quosque , ac pravos perpetuæ infamiæ metu à vitiis deterreat, ut meritò Polybius aſſerat : nulla hominibus facilior ad vitæ inſtitutionem via eſt , quàm rerum ante geſtarum cognitio : nec tantùm aliqui , neque aliquatenùs ; ſed omnes, ut ita dicam , hôc principiô utuntur , & fine , ut veram diſciplinam hiſtoriæ cognitionem eſſe dicant , eámque ſolam ob exempla alienorum incommodorum effectricem , & magiſtram , ut quis poſſit fortunæ varietatem æquô animô ferre.

Sed , dicet aliquis poſt ſiparium ridens , hæc de hiſtoria publica, & univerſali, quæ res maximas , regnorum revolutiones , & Principum ſucceſſiones complectuntur ; non de particulari , quæ ad ſolos cujusdam Provinciæ Capucinos , horúmque res geſtas , atque domeſticas terminatur , intelligenda ſunt. At nos Analogiam clamamus ,

& proportionem à magnis ad parva ducimus. Atqui ſufficit Capucinum ex Provinciæ ſuæ hiſtoria ad ea accendi, ex quibus Capucinus conſtare debet. Omnes namque actiones illuſtres, & in virtutem redundantes hominis cujuscunque vitam agentis, aut vitam egreſſi litteris mandari dignæ ſunt, quibus uſus hujus vitæ in omnem eventum inſtrui, & conformari poſſit; utì quidem optimè docet multæ eruditionis vir, & patriæ noſtræ decus Joan. Jacobus Beürer Seckinganus, olim in Academia Friburgenſi litterarum Græcarum, & Hiſtoriarum Profeſſor Ordinarius, in ſua ſynopſi, & methodo nova Hiſtor. lib. 1. aphorismo 4.

Verùm enimverò plurimæ plurimorum Capucinorum hujus provinciæ erectæ, unitæ, ſeparatæ, incrementatæ, inter varios, triſtes, lætósque caſus hucúsque propagatæ actiones ſunt tales; igitur & hiſtoriam conſtituere poſſunt, ſatìs utilem, ſi Capucinis profuturam; & verò eam his profuturam haud ambigimus; cùm præter virtutum exempla, & ſempiternæ in Evergetas noſtros gratitudinis argumenta, illis quoque ampliorem locorum, quæ habitant, notitiam ab antiquitate petitam ſimus ſubminiſtraturi, indecorum eſſe arbitrati, ſolum ſuum, in quo degunt, ignorare: & hoc ſcire, hiſtoricum facit.

Hæc ipſa ratio calami noſtri prolixitatem excuſabit, quâ fortè aliquorum ſententia in deſcribendis Monaſteriis noſtris inutiliter peccavimus; cùm A. R. D. Franciſcus Petrus Canonicus Regularis Wettenhuſanus in ſua Suevia Eccleſiaſtica quum omnium aliorum Religioſorum, tum & Capucinorum hujus, & vicinarum provinciarum Monaſteria, horúmque fundationes ſatìs enucleatè, & integrè publicis litteris in lucem protruſerit.

Re-

Regratiamur præfato, & insigni scriptori de benevolâ industriâ sua, ad quam se studio A. R. P. Luciani nostri Montifontani multùm adjutum fuisse cum encomiorum liberalitate testatur : interim is, si adhuc in vivis ageret, laborem nostrum haud dedignari, nec plagii cnjusdam postulare posset, cùm non sua scribamus ; sed ea, quæ ipse ex eodem fonte, nos liberaliùs hausérimus, ut in gratiam tum Capucinorum, tum Benefactorùm qúandam exhiberemús patriæ historiam, non futuram eis ingratam, nec injucandam, quia domesticam, & tamen plurimis peregrinam ; cùm aliàs patriæ fumus igne alieno luculentior, chariórque esse consueverit.

Si quis autem tempus, studiúmque suum utiliùs, ac jucundiùs antiquitatum, quàm harum respectivè novitatum, quæ nec quidquam salis, nec doctrinæ continent, lectioni consecrandum putet, haud invidemus quidem ; dolemus tamen, quòd, cùm Alexandri Magni, aut Julii Cæsaris, aut Populi Romani, aut quòd deteriùs, Luciani Historiam, Amadîsi Libros, Heliodori Oethiopica, vel Aretalogi cujusdam colloquentium in regno mortuorum prosopopæjas, aliáque hujus generis nugamenta legerint, magìs hæc delectent, quàm virorum sub sole nostro natorum, conterraneorum, à nomine, sanguine, prosapia, & patria familiarium ; sed habitu, & professione exilium ; Capucinorum nempè hoc, aut priori sæculo demortuorum præclara, sanctáque opera ; cùm tamen hæc judiciô nostro tanta sint, ut eos etiam in ætatem, in patriam, in nomen, & prosapiam suam quodammodò ingratos, atque iniquos putemus, qui hæc veluti vilia, & commentariô parùm digna negligere videntur : cùm ipsi ea potiùs extollere, & aut aliorum ingeniis illustrata perlegere, atque in honore habere, aut

eloquentiam hominum, ut res ſui ſæculi ab interitu vindicare vellent, excitare deberent. Quaſi verò nihil ſanctum, nihil præclarum, nihílque faſtis dignum, quàm quod antiquitas, aut quod Italia, Gallia, Hiſpania, & aliæ Regiones exteræ genuerunt. Quaſi verò Germania, noſtraque Suevia adeò virorum ſanctitate, doctrina, & religioſiori ſpiritu celebrium infœcunda, ſterilísque ſit, ut non habeat, quos admiretur, aut imitandos aſſumat? verùm ut omnes aliæ Religioſæ Familiæ nationis Germano-Suevicæ viris apotheoſin meritis gloriantur; ſic & noſtra hæc minima Fratrum Minorum Capucinorum Provincia aliqua eorum ſpecimina oſtentare operæ pretium duxit.

Videbimur autem dubio procul aliquibus liberaliores in propriam virorum, rerum, & geſtorum noſtrorum laudem præcones, quàm humilitas, & veritas ſuſtineat; ut non id, quod eſt, ſed quod volumus, nobis ſanctum ſit; cùm in armis acciſſantes tragicè nimis loquamur, & atraphaxin hyperbolibus refertam imitantes ultra verum fimbriam domeſticam magnificemus. At humilitate integrâ, & veritate illæsâ feciſſe nos arbitrati ſumus, quod debuimus. Laus virtuti, tanquam tributum, citra oſtentationem, penditur. Non enim facta Fratrum noſtrorum in jactantiæ argumentum; ſed in imitationis illicium encomiis celebranda ſuſcepimus. Juſtè profectò Religioſiſſimus ille Eckehardus Decanus S. Galli apud Melchiorem Goldaſtum in rerum Allemannic. Scriptorib. tom. 1. part. 2. in præfat. ad Vitam B. Notkeri Balbuli conqueritur, quòd anteceſſores ſui *in Cœnobio S. Galli degentes multorum Patrum, ac Fratrum inibi commorantium laudabilia geſta non ſcripſerint; cùm conſtet, eos multa digna relatu feciſſe, ac dixiſſe.* Et paucîs interjectîs teſtatur, *grave ſibi, ac tædioſum eſſe, nihil de eorum Virtutibus*

bus ſcriptum reperiſſe. Perſuaſum namque ſibi habuerat vir ſapientiſſimus, quòd talium geſtorum commemoratio Religioni, Monaſterio, & Poſteris quaſi de juſtitia deberetur : illi quidem, ad conciliandam ei immortalem famæ, nominis, & exiſtimationis celebritatem ; cujus utpote ipſi plurimum intereſſe noſcitur : his verò ad eos talium virtutum, & virorum objectatione ad ſimilium imitationem accendendos, permovendósque. Cùm igitur eædem rationes nos ad procurandam, atque propagandam Religionis, & Provinciæ noſtræ euphemiam, & habendà viva, perpetuáque ſanctioris vitæ incitamenta impellant, nemo prudens ſtudium noſtrum philautiæ, aut vanæ oſtentationis vitio tribuerit : cùm potiùs cum Eckehardo querulandi cauſam habeamus, quòd plurima Anteceſſorum noſtrorum an humilitate, an verò magìs incuriâ interciderint, & notitiæ noſtræ ſubtracta fuerint, quæ relatu, & publicis fabulis utì forent digniſſima ; ſic reipublicæ religioſæ utiliſſima.

Quod veritatem concernit, ſanè Polybii præcepto obtemperantes ſoli veritati ſacra façere, & hanc unicè tanquam Deam colere ſtuduimus, memorésque, quòd perinde, ac ſi quis oculos animanti effoderit, quidquid ſupereſt corporis, inutile ſit : ita demptâ ex hiſtoria veritate narratio omnis inutilis fiat, fidéque deſtituatur, eò mentem, & calamum noſtrum intendimus, ut, quæ à majorum noſtrorum monimentis, documentis, & manuſcriptis accepimus, citra fumoſam exaggerationem, aut quod graviùs conſcientiam noſtram offenderet, gratuitam confictionem publici juris faceremus. Quanta autem talibus monimentis, & ſcripturis ex Cartophylaciis Monaſteriorum jus Archivii non habentium prolatis fides habenda ſit, tradit Zypæus Conſultat. lib. 2. Conſultat. unica de fide inſtrum. nempè talis, qualis habetur Cleri-

co, Monacho, vel Sacerdoti pro ſua Eccleſia, vel Monaſterio teſtimonium dicenti in materia, ubi agitur de jure, vel damno alterius.

Quantò magìs credendum eſt viris Religioſis à Provincia cum ſacræ obedientiæ merito ad conſcribendas Religionis ſuæ ephemerides conſtitutis, nullóque lucri reſpectu animatis, & alioquin ex religioſæ converſationis, geſtorum officiorum prærogativâ, libris in vulgus protruſis, ac ſenili gravitate conſpicuis, fidémque publicam meritis, res Ordinis fideliſſimo ſtylo proſecutis, quorum ſcripta in Archivio provinciali aſſervantur? diximus de induſtria: in *Archivio*, quod, ut prævertamus Ariſtarchi cujusdam cenſuræ, intelligimus per Analogiam, & proportionem quandam, benè non ignorantes, quòd ea Cartophylacia Religioſorum, quibus non præeſt aliquis Archiota, ſeu Cancellarius, non ſint propriè Archivia, conſequenter ſcripturæ inde productæ, non pro publicis, plenámque fidem facientibus habendæ ſint. Econtra pariter nobis conſtat, quod aſſerit Burckardus Gotthelfius Struvius; Manuſcripta Monaſteriorum, & Bibliothecarum magnam fidem facere. Sed quidquid ſit, Capucinis ſcribimus, nil ſolliciti, an externi, ad quorum manus lucubratio noſtra fortè perventura eſt, nobis credituri ſint, ſive non.

Præter veritatis ſtudium parrheſiâ quoque uſi ſumus ſcriptori non minùs neceſſariâ, quàm licitâ; qua nimirùm non veriti ſumus ea ſcribere, quæ ad aliquorum verecundiam faciunt; nempè contumelias, injurias, afflictiones, & damna; quibus Capucinos affecerunt, diſſimulato tamen eorum nomine, ne vindicem eorum memoriam ad Poſteros transmittere velle cenſeamur: cùm potiùs hæc talia eo fine commemoraturi ſimus, ut Capucini in tolerandis adverſis caſibus patientiam, aut ne in hos incidant,

cau-

cautelam doceantur ; aut denique, ut arma habeant, quibus ea, quæ citra infamiæ labem, & graviora rerum ſuarum præjudicia impunè tolerari, atque ſorberi nec debent, nec poſſunt, retundantur, atque refringantur. Erit igitur hoc qualecunque opus noſtrum Capucino tranquillè pugnaci, & religiosè pro aris & focis dimicaturo in Panopliam expeditiſſimam : erítque è regione in Pædiam patientiæ.

Quod ſcriptionis noſtræ ſtylum attinet, nonnullis viſus eſt exoticis, obſoletis, è græco mutuatis, à communi ſenſu peregrinis, durioribúsque ad aures ſententiis, ac phraſibus non eleganter calamiſtratus, quo hiſtoricæ narrationes plurimùm vitiarentur, & quæ plana eſſe deberent, legentiúmque intellectui obvia, obſcurarentur ; præterquam quòd talium uſurpatio ſcriptorem de vanitate ſuſpectum reddere valeant : quod cùm in adoleſcentibus, aut Græcum probè callentibus fortaſsè veniam mereatur, in viris, ſolúmque latinum profeſſis parùm decora fuerit hæc peregrinorum verborum, ac phraſium oſtentatio ; út & Eraſmus Roterd. lib. 1. de copia cenſuit : prodidítque Adrianus Barlandus, Tiberium Cæſarem, cùm ſcriberet, verbis exquirendis ſtylum obſcurâſſe. lib. de litterat. Romæ Principib. Plurésque alii à terſæ latinitatis cultoribus ob ſimilem affectatæ locutionis Phæbum vapulare promeruerunt.

Hîc nobis aqua hæret, & quibus nos in arena juſtificaremus, haud facilè ſuppetit, niſi fortè quòd ab aliis defæcatæ dictionis præceptoribus, quaſi paradigmatis, in hunc nos errorem abripi permiſerimus, atque acceperimus, quòd aliena, græca, & minùs obvia vocabula, opportunè, & captata occaſione latinis intermixta non mediocrem orationi gratiam, & authoritatem conciliaret ; qualibus graviſſimos hiſtoricos in Commenta-

riis ſuis uſos fuiſſe frequenti lectione comperimus. Igitur non deberet horum imitatio, & illorum inſtructio oſtentationis cujusdam ſuſpicionem de nobis commovere : id etiam tantò minùs, quòd, ſi ejusmodi inuſitatæ locutiones ex antecedentibus, & ſubſequentibus facilè divinari nequeant, juvenibus noſtris ex propoſito neceſſitatem ſtruxerimus illorum ſignificationem in antiquis, & recentioribus ; præſertim recentiſſimo Jo. Adami Frid. Kirſchii Lexico indagandi ; quò inde facilitas generabitur ſimilia in aliis Authoribus, ut Julio Cæſare, Suetonio, Paterculo, Plinio, Tacito &c. &c. quin & his junioribus Hiſtoriarum compilatoribus interpretandi.

Eidem cenſuræ obnoxius eſt frequens paræmiarum uſus ; ut quo Lectori haud leve generatur faſtidium, & difficultas, cui nempè utilioribus, & gravioribus negotiis occupato non ſuppetit otium hujusmodi adagiorum è plauti, aliorúmque vetuſtiſſimorum obſcuris latebris conquiſitorum ſcholiaſtes adeundi, & illorum intelligentiam operosâ curioſitate venandi. Ut ut verò hìc peccâſſe fateamur, facilem tamen nobis veniam ſpondemus, quòd in proverbiorum intercurrentium uſurpatione Fabium ſecuti fuerimus ; qui in adhibendis adagiis, ac verbis novatis, aut duriùs translatis præcaſtigare, & velut paræmiæ occurrere jubet, ſi quando obſcurior, vel abſtruſior videbitur ; utì nimirùm præmitteremus, vel ſubnecteremus : *ut ajunt, quod dicunt, quod verbo veteri dicitur, ut adagio fertur.* &c. Ad hæc Ariſtotoli apud Eraſmum conſulenti obſecundandum putavimus ; ut adagiis utamur, non tanquam cibis quotidianis, ſed condimentis : id eſt, non ad ſatietatem, ſed ad elegantiam, & ſubinde ad innuendam emphaſin quandam ; ponè quam hanc quoque utilitatem, commodúmque habent, quòd ad intelligendos non ſolùm profanos, ſed ſacros etiam,

&

& Eccleſiaſticos Authores, ut Hieronymum, Tertullianum, Ambroſium &c. plurimùm conferant; quibus ſimilium paræmiarum interjectio quàm familiariſſima fuit, ut Aloyſius Novarinus harum millia plura collegerit, & in duos vaſtiſſimos Tomos congeſſerit. Sed & Martinus Del Rio ex ſacro utriusque teſtamenti codice quàm plurimas ejusmodi dictiones proverbiales comportavit, & ſcholiis illuſtravit.

Porrò talium paræmiarum originem, occaſionem, & interpretationem Eraſmus Roterdamus, & ex hoc Eberhardus Tappius exhibet, quos in occurrentibus ſcrupulis curioſitate non pœnitenda adiri, & conſuli optamus.

Plures alias, & fortè majoris momenti contradictiones hiſtoria noſtra ſubire debebit; quibus tamen macto animo, utpote ſcuto veritatis, optimæ intentionis, ac obedientiæ circumdata obviàm procedet.

Tu Capucine Lector, cui ſoli, prout ſæpè proteſtati ſuimus, ſcribimus, fruere, & periclitare, fallamur, ſi ſecùs deprehenderis, quàm quòd hæc hiſtoria noſtra ad te intra ſphæram profeſſionis tuæ inſtituendum, continendum, perficiendúmque conducat. Hæc enim optima, & in omnem eventum ſervitura ſeniorum exempla, & conſilia, quos longior ætas prudentiores, & diuturnus gratiarum uſus ſanctiores effecit, ſubminiſtrat. Hæc natu majoribus rerum experimenta præbet, privatos viros imperio dignos efficit, & imperantes fæcundat, quò ſpiritu pios, ſobrios, obedientes, pauperes, caſtos, fortes, Miſſionarios, Apoſtolicos pullos Religioni, Eccleſiæ, Provinciæ, cælóque generent, atque educent. Hæc juvenibus ad fervorem novitium ſeu perennandum, ſeu reaccendendum proderit, & ut in ſumma dicamus, omnium rerum ſeries, quibus Capucini perfe-

 ctio,

ctio, & felicitas comparatur, ex historiæ nostræ lectione proficisci, atque hauriri potest: est enim custos eorum, quæ cum virtute acta sunt, testem se malefactis præbens. Vale, lege, & ipsus commendabile historiæ hujus sive augendæ, sive prosequendæ argumentum fieri totis viribus connitere.



LICEN-

LICENTIA.

Celsissimi, & Reverendissimi in Christo Patris, ac Domini Domini Casimiri Antonii, Dei & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopi Constant. S. R. I. Principis Domini Augiæ Majoris, & Oeningæ &c. &c. Vicarius in Spiritualibus Generalis &c.

Librum, cui Titulus: *Historia Topographica*, à R. Religioso P. Romualdo Stockacensi Ord. S. Franc. Capucin. p. m. olim compilatum, typis imprimendi per præsentes licentiam impertimur, & facultatem, quas in finem subscripsimus, sigillo Officii nostri Vicariatûs communitas. Constantiæ die 10. Mensis Martii 1747. Indictione X.

L.S.

Franc. Ignat. Dominicus Liber Baro de Deuring Vicarius Generalis m. p.

APPROBATIO.

Cùm Historia Provinciæ Anterioris Austriæ Topographicè compilata non modò ab omni fidei Romano Catholicæ nævo alieniſsima, sed insuper eruditione, ac styli præstantia summè commendabilis, Ordinisque Fratrum Minorum Capucinorum fautoribus & amatoribus valdè amæna, & exoptabilis sit, illam pro mumeris mei ratione publicis typis dignissimam censeo, & per præsentes absque omni exceptione approbo. Campidonæ die 15. Augusti 1747.

Adelricus L. B. de Welden Ducal. Eccles. Cámpid. Capit. Consil. Ecclesiast. & Libror. Censor. Ord. m. p.

LICENTIA, & APPROBATIO ORDINIS.

Nos F. Josephus Maria ab Interamna Ord. Min. S. Francisci Capucinorum Minister Generalis. L. J.

Cùm Historiam Provinciæ Anter. Austriæ ab A. R. P. Romualdo Stockacensi Ordinis nostri ejusdem Provinciæ Concionatore & Lectore compositam, duo Theologi de Commissione nostra reviderint, & approbaverint, eam imprimi posse, licentiam concedimus, servatis aliàs servandis. Datum Romæ 11. Martii 1747.

F. Josephus Maria qui suprà.

FACULTAS

Admodùm Reverendi Patris Provincialis.

Fr. Salomon Villinganus Ord. Min. S. Franc. Capucin. per Ant. Auſtr. Miniſter Provincialis. L. I.

CUm Liber, cui Titulus : *Hiſtoria Typographica*, per A. V. P. Romualdum Stockacenſem olim SS. Theologiæ Lectorem compilatus memoratu digna Provinciæ noſtræ in ſe contineat, & à duobus Theologis typo dignißimus cenſeatur, facultatem facimus, ut (ſervatîs de jure ſervandîs) typis mandari poſſit. Datum Conſtantiæ 22. Febr. 1747.

F. Salomon Villinganus Miniſter Provincialis, qui ſuprà.

CENSURA THEOLOGICA I.

EX Commiſſione Reverendiſſimi in Chriſto Patris Joſephi Mariæ ab Interamna Ordinis noſtri Miniſtri Generalis Hiſtoriam Provinciæ noſtræ ab A. V. P. Romualdo Stockacenſe olim SS. Theologiæ Lectore, Guardiano, & Chronologo compilatam eâ, quâ par eſt, perlegi diligentia : in qua nec fidei dogmatibus, nec bonis moribus quidquam repugnans deprehendi : totam verò Hiſtoriam à methodo, eruditione, ac ſtyli elegantiâ multùm commendabilem, & Religioſis noſtris (ut fundatores, ſeu Benefactores Conventuum perpetuò gratâ mente recolant, & majorum ſuorum ſanctioris vitæ exempla æmula virtute ſtrenuè proſequantur) utiliſſimam reperi ; hinc eandem, ut ex Archivorum tenebris in lucem publicam per typum prodeat, dignißimam cenſeo. Dedi Conſtantiæ 12. Febr. 1747.

F. Reinhardus Rottvvil. Capuc. antehac SS. Theol. Lect. Def. Cuſt. & Guard. indig. m. p.

CENSURA THEOLOGICA II.

DE Mandato Reverendiſſimi P. Joſephi Mariæ ab Interamna totius Ordinis Fratrum Minor. Capucinorum Miniſtri Generalis multâ animi voluptate, & attentione perlegi Opus Poſthumum, cui titulus : *Hiſtoria Topographica* &c. à M. V. P. Romualdo Stockacenſi ejusdem Ord. SS. Theologiæ Lectore emerito, & Provinciæ Ant. Auſtriæ Chronologo ad datam ſibi fœcundiſſimi ingenii ſagacitatem, & eximiæ doctrinæ nobilitatem ſummo labore, & induſtriâ lucubratum ; quod cùm non modo ab omni fidei & morum nævo defœcatiſſimum ; ſed & inſuper pro capienda antiquitatum noſtrarum notitiâ, & inveſtiganda Patrum noſtrorum gloriâ utiliſſimum, atque in ſtyli gravitate, ſententiarum delectu, Chronologiæ diligentiſſima compilatione laudatiſſimum invenerim, illud dignißimum cenſeo, non ſolum ut typis committatur, quàm ut ab iis, quibus competit, attentiùs, & frequentiùs legatur, ad interrogandum de ſemitis antiquis, quæ ſit bona, ut ambulemus in ea. Datum Uberlingæ in Conventu noſtro die 10. Febr. 1747.

F. Salomon Bibrac. SS. Theol. Ex-Lector, Definitor, Guard. & Capucinus.

Liber

Liber ad Zoilum.

Si Laudator eris, mihi, Zoile, diſplicet: at ſi
Me Cynico laceras, Zoile, dente, placet.
Nam laudis genus eſt culpans cenſura malorum:
Nolo, bonus mihi ſis; malo ſed, eſto malus.

Proteſtatio Authoris.

IN publicum teſtimonium obſervantiæ, filialísque reſpectûs, quem debeo decreto à SS. D. N. Urbano VIII. ſanct. mem. die 13. Martii 1625. in ſacra Congregatione S. Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis edito, & die 5. Julii 1634. confirmato, ejusdémque decreti explicationi ab eodem ſanctiſſimo die 5. Junii emanatæ; ne ſcilicet admittantur, ſeu uſurpentur Elogia ſancti, vel beati, quæ cadunt ſuper perſonam; benè tamen ea, quæ cadunt ſuper mores, & opinionem; proteſtor, quòd iis Elogiis nolim aliquem decoratum, niſi in ſenſu à S. Rom. Eccleſia permiſſo, & tenori præfati decreti concordante. Pariter profiteor, me revelationes, illuſtrationes, præſagia futurorum, prodigia, Thavmaturgas curationes, aliáque viribus humanis ſuperiora non eſſe producturum, eo fine, ut illis major, quàm fides humana habeatur; neutiquam ve-

rò ea, qūæ S. Sedis Apoſtolicæ authoritati tribuitúr, atque debetur ; cui omnia hujus operis ſcripta , & contenta ſubiicio , pro non ſcriptis, ſed annullatis haberi volens, quæcunque vel minimùm ejusdem Sac. Sedis menti adverſa reperientur. Ita teſtatur, & proteſtatur fidelisſimus, & obſequentiſſimus S. R. Eccleſiæ filius

F. Romualdus Sroczacenſis
Ordin. Min. Capuc.

SUBSTANTIA
Provinciæ Anterioris Auſtriæ Fratrum Min. S. P. Franciſci Capucinorum.
ANALOGIA.

SUbſtantiam, non illam, quæ in Regno Arboris Porphyrianæ, velut Regina eminens, propriæque, ac completæ hypoſtaſis majeſtate ſuperba ſupremo generis throno inſidet, & per ſpecies tanquam tot ſcalas ad plura individua ſe ſe inclinare dignatur: accidentibus verò utpote tributariis ſuis ſubſtans pleno principatur dominio, horúmque obſequiis in magnificentiæ ſuæ argumentum utitur, usque adeò ſublimata, ut nec major fieri; tantúmque in ſublimitate hac ſolidata, ut minorari non queat, ipſo Stagirite ſophorum Principe ei adgeniculato hanc prærogativam applaudente: *Illud ſubſtantiæ convenit, ut nec elationem, nec ſubmiſſionem ſuſcipere poſſit.* in Categor. l. 5. de ſubſtant. qui inſuper in hujus commen-

dationem addit, nullum ſupremo ejus Dicaſterio contrarium appropinquare præ reverentia audere: non, inquam, hanc ſubſtantiam de Provincia pauperum, humiliúmque Fratrum Capucinorum prædicare nobis animis eſt; ut quorum centones nil cum purpura regia ſocietatis habent. Subſtantiam tamen aliquam, quæ ſoli opinioni, & exiſtimationi opponitur. Leg. 2. §. ſi ſub condit. ff. pro Empt. talémque aſſumimus Provinciæ noſtræ tribuendam, quæ proportionem aliquam, ſimilitudinem, & convenientiam ſaltem in dicendo, non in eſſendo, cum illa peripatetica præſeferat, Hiſtoriam ſcripturi genio, & argumento idonea; qui de cætero exemptus eſſe cupit à ſtudio ſubtilitatum Logicalium, utpote nil ad Andromacham ſuam ſpectantium; atque adeò anginæ fertur æquilibrio, quænam res; utrùm Deus; utrùm Provincia materiâ, formáque carens, omníque propriâ carens naturâ in Prædicamento ſubſtantiæ ſuſtineri, & locari queant, aut debeant. Pœnituit olim Auguſtinum velut peccati, Deum in hac Categoria conſiderâſſe. Nos nulla inceſſabit pœnitudo, Provinciam in eam redegiſſe: ſi enim peccatum eſt; non niſi philoſophici qualitatem adæquat, reatu carentem. Senſum verò noſtrum explicabit

ECPHRASIS.

CUm ſubſtantia communi loquendi Uſu idem cum eſſentia, & quidditate rei eſſe ſoleat; hæc verò per rei definitionem innoteſcat: ideò, ſi Provinciam definierimus, hujus quoque ſubſtantiam noſtro modo uſurpandam manifeſtavimus. Adhuc minus abſurditatis habebit uſurpatatio hæc, ſi ſecundô locô ſpectabitur; quatenùs nimirùm pro materia, ſynopſi, totiúsque rei ſcribendæ Summa intelligitur. Sic enim Plinius Novoco-

vocomienſis in Epiſt. ait: *Subſtantia omnis Orationis ejus fuit cohortatio ad pacem.* Tertiò demum minimè inficiabitur Provinciam ſub hac Categoria comprehendi, qui recogitat, ſub Nomine ſubſtantiæ importari tam juxta ſacras, quàm Litteras profanas bona temporalia, fortunas, & opes.

§. I.

Nomen, & Definitio Provinciæ Anter. Auſtriæ.

PRovincia ethymologicè dicitur *quaſi procul poſita, & devicta.* I. Ab Hegeſippo enim accepimus, Romanos procul à ſe poſitas, & in jus ſuum redactas Regiones Provincias appellaviſſe. Sic primò omnium Sicilia Provinciæ nomen adepta eſt. Cicero 9. in Verr. Et Provinciæ taliter ſubjugatæ, ſive ultrò ſe dedentes in Victoris poteſtatem Ornamentum Imperii conſtituebant; atque adeò Imperatores ab harum acquirendarum conatu, & aquiſitarum gloria Auguſti dicebantur. Ita Corroſius Miſcellaneor. Lib. 3. cap. 33. teſtatur, vocem Auguſti ab augendo Provincias derivatam eſſe; cui applaudere videtur Ovidius lib. 1. Faſt.

Augeat Imperium noſtri Ducis, augeat annos.

Sed mittamus hæc ab Inſtituto noſtro peregrina, cui proximiùs ali- II.
quantum vicinatur Provinciæ nomen in acceptione Eccleſiaſtica uſurpatum. Secundùm hanc enim ſumitur pro Diœceſi, ut liquet ex Diſt. c. 50. ſtudeat. v. C. 16. q. 3. Can. Quicunque. Pariter etiam Pelagius II. ſtatuit: *Scitote Provinciam eſſe quæ habet decem, aut duodecim Civitates, & unum Regem, & totidem minores Poteſtates ſub ſe, & unum Metropolitanum, aliósque Suffraganeos, aut undecim Epiſcopos Judices.* Pelagius PP. Epiſt. 1. Omnibus Epiſcopis. diſt. 66. ex Cap. Quamvis pleniſſima. De Præbend. in 6. Antiquiſſimam hanc nomendaturam etiamnùm ſervari argumento eſt Curiæ Romanæ ſtylus, juxta quem in Reſcriptis, Brevibus, Bullis, & Gratiis Pontificiis ad Diœceſes directis ſignanter poni ſolet: E. G. *Diœceſis Conſtantienſis, Curienſis, Argentinenſis Provinciæ Moguntinæ.*

Quamquam autem & hæc Provinciæ uſurpatio Mendicantium Religio- III.
ſorum nec territorialis, nec Epiſcopalis, multò minùs Metropolitanæ Jurisdictionis capacium conditioni convenire nequeat; facilior tamen, & planior inde ad formandam Definitionem rei noſtræ congruentem deſcenſus fieri poteſt; cùm Provinciarum nomine eæ regiones veniant, in quibus Religioſi ad Regulæ ſuæ inſtituta vivunt; & quidem non ſibi ſoli; ſed, peculiariter loquendo de mente Archi-Patris Seraphici, ut aliis quoque proficiant, ſicque verbo, & exemplo Regnum Chriſti, & animarum lucra ampliare ſtudeant. Sic enimvero SS. Apoſtolis variæ Regiones ad ſalutem lucrandæ obtigerunt, quæ ideò à R. P. Junio Balduino p. 1. ad ann.

Chriſti 44. Chronic. Moral. folio mihi 338. appellantur v. g. *Provincia S. Petri. Provincia S. Joannis. Provincia S. Bartholomæi.* Licèt perſpicuum ſit, hos viros Apoſtolicos omnibus mundi bonis tam exutos, quàm eorum incurios illas occupâſſe regiones, non ut illis ſæculariter dominentur, aut ad cenſus multiplicandos fruantur; ſed ut Evangelio tributarias reddant; & tamen iisdem terris ſignificationem Provinciarum attulerunt: pari propè formiter de Diſtrictibus, intra quos ſe Capucini ex ſimili reſpectu, & fine Apoſtolico infuderunt, ratiocinari; atque adeò Provinciam noſtram rectè & poſitivè ſic definiri poſſe arbitramur: *Eſt ambitus Regionis variis Dominatibus intextus, principaliter tamen in ſinu terræ Anterior-Auſtriacæ circumſcriptus; intrà quem Religioſi quoque Capucini diſperſim in Conventibus, & Domibus ad conſtituendam Provinciam ex Majorum ſuorum præſcripto ſufficientibus de Apoſtolicæ ſedis, & Reverendiſſimorum DD. Epiſcoporum licentia, Dominorumque Territorialium conſenſu admiſſi ad normam Regulæ ſuæ cohabitant, & cuidam ſuperiori Provinciali ſubſunt.*

In hac Deſcriptione cætera omnia vicem generis ſuſtinent, quæ omnibus Provinciis noſtris aptari poſſunt, quales completas Religio noſtra per Europam quinquaginta novem, cum quatuor incompletis, ſeu Cuſtodiis ſubordinatis numerat. Tò: *in ſinu terræ Anter. Auſtriacæ.* Differentiam conſtituit: qua nimirum ab aliis: v. g. Helvetica, Mediolanenſi, Alſatica, Rhenana &c. quoad Limites, Jurisdictionem Regularem, & Notionem; haud verò quoad profeſſionem, vivendique rationem diſtinguitur; & Provincia Anterior-Auſtriaca denominatur; quam denominationem extrinſecam ſortita eſt tum à potioribus Conventibus in Territorio Anterior-Auſtriaco comprehenſis; tum à ſumma dignitate, ſcilicet Auguſtiſſimi Romanorum Imperatoris Leopoldi I. Glorioſ. recordat. eam ſic denominantis, aut ita denominari non ſolùm gratioſiſſimè complacentis; ſed illam ut ſic denominatam in clementiſſimam ſuam, ac totius Sereniſſimæ Domûs Auſtriacæ Protectionem ſumentis, de quo alibi nonnihil plura. Ut adeóque in baptizanda hac Provincia L. quidquid §. cùm partes. ff. de antiq. rer. Domin. obſervata fuerit, quæ habet. *Denominatio à digniori fieri debet.*

§. II.

Subſtantia Provinciæ ſecundo modo accepta.

I. QUoniam tota noſtra tractatio hiſtoriam Provinciæ ſapit, operæ pretium, & Lectori gratiam eſſe duximus, ſi rerum tractandarum ſubſtantiam, periocham, ſeu, ut veteri verbo dicitur, proram & puppim prælibandam hoc §. exhibuerimus. Præſuppoſitâ igitur ſubſtantiâ modo noſtro intellectâ, ut hæc in reliquis Prædicamentis, tanquam in ſuis accidentibus clarè videri poſſit, deinceps ſequenti modô ad ea enumeranda deſcendemus, ut

Quan-

Quantitas numerum Conventuum, & Domiciliorum noſtrorum per- II.
ſtrictura ſit. Quia tamen Provinciæ quantitas numerica perſpici non poteſt, niſi priùs pateſcat, quotnam Conventus poſt illius ab Helvetica ſeparationem remanſerint, neglectâ Porphyrii ſerie quantitati *ad alterum* ſeu Relationem præferri viſum eſt: Relationem quidem grammaticaliter ſumptam, quatenùs hiſtoricam diviſionis narrationem ſubminiſtrabit, incidenter quoque Relationem philoſophicam ſapitura, quâ nempe Provinciæ diviſæ mutuò ſe ſe reſpiciunt. Tunc primùm, uti præfertur, Quantitas; & poſt hanc tertiò Qualitas Provinciæ primò ùt Sanctæ. 2. ùt Litteratæ. 3. ùt Commiſſariæ. 4. ùt Miſſionariæ; complexæ nimirùm Religioſos eximiâ Virtute, Litteraturâ, Commiſſariis functionibus, Zelóque Apoſtolico illuſtres, aut certè Privilegiis Miſſionariorum munitos, ſequetur.

Hanc Miſſionariæ qualitatem explicabit adhuc magis Prædicamentum III.
actionis, ſub quo venient pleræque functiones PP. Capucinorum; primò Excurſiones Miſſionariæ. 2. Conciones. 3. Confeſſionale. 4. Aſſiſtentia moribundorum. 5. Exorciſtica. & cùm huic Categoriæ proximè vicina ſit *Paſſio*; in ſubſequo hujus Prædicamento recenſebuntur, quibus Provincia primò in locis ſibi aut ſurreptis, aut à ſe, exigentibus ſic rationibus, ægrè dimiſſis, aut recuſatis. 2. in Perſonis. 3. in fama. 4. in tranquillitate afflicta, & lacceſſita fuit.

Prædicamentum *Ubi* parvam exhibebit hiſtoriam primò Auſtriæ univerſim. 2. hujus Diviſionem. 3. Provinciæ noſtræ inde derivationem, ejúsque Choro- & Geographicum Syſtema.

Prædicamentum *Quando* ejusdem Provinciæ ætatem, ſeu durationem remiſſiſſimè inſinuabit.

Prædicamentum *Habere*, ſeu Tunicatus ero, Capucinos in hac, ſi- IV.
cut & in aliis Provinciis degentes geſtare habitum ſecundùm veriorem habitûs formam, quâ S. P. Franciſcus, S. Antonius Paduanus, & alii primævi Ordinis fratres uſi ſunt; eósque Capucinos quoad rem, non quoad hanc denominationem eſſe legitimos Seraphici Patris Filios, & Deſcendentes, palam, & evidenter docebit, quidquid alii aliter ſentiant, ſpargant, ſcommatizent, litigent, & litigando cum habitu barbam, & famam noſtram lacerare, nósque fugillare (quo Spiritu, & lucro, ipſi viderint) in primis labris habent: dabitque rationem, cur contra hos Categoria Habitus categoricè, & apologeticè diſputatura ſit.

In Prædicamento *Sitûs* totius ſcriptionis noſtræ chorum claudat ſuc- V.
cincta quædam Chronlogia omnium Capitulorum, Congregationum, aliorúmque contingentium ab anno 1668. uſque ad hanc ætatem noſtram protracta. Matricula quoque omnium Fratrum noſtrorum quolibet anno profeſſorum, & necrologium eorumdem intereà piè in Domino defunctorum, & aliquorum ex his elogia, quæ nullis præcedentium titulorum inſeri potuerunt.

Annotatio etiam omnium Capitulorum Generalium, Summorum Pontificum, Romanorum Imperatorum, Ordinis Protectorum, Epiſcoporum Conſtantienſium, PP. Generalium, Provincialium, Definitorum de anno in annum exiſtentium. Item variarum gratiarum, & beneficio-

rum ad interceſſionem B. V. Mariæ, S. P. Franciſci, S. Antonii de Padua, S. Fidelis Mart. &c. &c. hos invocantibus impenſorum narratio, ac inſerta, mantiſſæ locò, quorumdam, pace, bellóque foris geſtorum memoria. Hujus prædicamenti is ſcopus eſt, ut palam ſit, quòd Provincia per omnes alternantis fortunæ caſus, & adverſitates in præcedentibus commemoratas ſemper integra, & erecta ſteterit, ac etiamnum ſtet, Cælo, Sanctis, Magnatibus, Patronis, Benefactoribus, & Superioribus Ordinis eam ſemper, & fortiter ſuccollantibus.

§. III.

Subſtantia Provinciæ tertio ſenſu intellecta.

I. ET verò uſitatiſſimam eſſe nominis *Subſtantiæ* ad terrenas facultates, opes, atque bona ſive mobilia, ſive immobilia; ſeu, ut Juris Conſulti loquuntur, fungibilia, & non fungibilia, translationem, nemini vel rudiori latinitate tincto peregrinum eſt. Ut omittamus ſexcenta S. Scripturæ loca, unum primò obvium ſufficiat; ubi Sapiens Proverb. cap. 3. ait. *honora Dominum de tua Subſtantia.* quod apud Chaldæum: *de tuo Mammona.* apud Syrum: *de tua poſſeſſione.* apud Vatablum: *de tuis opibus.* apud Paginum: *de tuis divitiis.* audit. Sic etiam non ſolùm apud Lucam cap. 16. ſed etiam Leg. fin. Cod. de Verb. Significat. & L. 58. §. penult. ff. de adminiſtrand. Tut. Subſtantia pro patrimonio, pro hæreditate, & portione hæreditaria &c. &c. accipitur.

Hæc ut plana ſunt; ita majus dubium enaſcitur, quomodo huic noſtræ, aliisque Capucinorum Provinciis, quæ terram conſtituunt *ſuper nihilum appenſam.* Job. 26. cap. Subſtantia, ut divitiæ, opes, & Mammona congruere queat. Cùm enim hujus alumni notoriè ad altiſſimam paupertatem, & Telenici quodammodo egeſtatem adſtricti, & tam in communi, quàm in particulari omnem poſſeſſionem, & proprietatem exeuſſerint, ac aliquam in Concilio Tridentino ipſis permittendam velis remisque recuſaverint; adeóque ullius ex ſpontanea ceſſione incapaces, eorúmque fortunæ intra centrum, & ſpatium circumſcriptæ ſint, ita ut eis ne quidem trium, quod ajunt, dierum commeatus competat, paradoxum planè videtur illorum Provinciæ Subſtantiam terrenam, opes adeóque, & divitias, Mammonámque adſtruere velle.

II. Elucidatio hujusce dubii à profundiſſima S. P. Franciſci Theologia, & impenſo ejusdem Filium Dei quoad omnia æmulandi ſtudio exſpectanda eſt. Fides, & Theologia nos inſtruit, quòd Chriſtus quâ homo hypoſtaticè Deo agglutinatus non habeat propriam ſubſtantiam; ſed alienâ, nempe qua Verbum divinum ſubſiſtit, utatur, atque innitatur. Quodſi jam S. Joannes 1. Jo. c. 3. divitias hujus Mundi ſubſtantiam, ſeu ſubſiſtentiam vocitat, eò quòd hæ ſint, quæ in ſenſu œconomico totum ſuſtentant, & ſubſiſtere faciunt Mundum: & Seraphicus Pater omni hac, & propriâ ſubſtantiâ ſeu ſubſiſtentiâ ſemet ad atomos uſque exſpoliavit, ſuósque Sectato-

ctatores eâdem exſpoliatos voluit, quod aliud propoſitum habuiſſe credendus eſt, quàm ut proximiorem Chriſti ſequelam æmularetur, adeóque Ordinem Religioſum inſtitueret non propriâ, ſed alienâ, Mundi nimirùm ſubſtantiâ, & precariò ſubſtiturum, atque ſuſtendandum? O ſublimiſſimum Viri alioquin ſimpliciſſimi ingenium!

III. Tantum verò abeſt, ut ex tot mille millenis Divi Franciſci Sectatoribus per totum terrarum Orbem diſperſis vel ullus ſubtili hoc Genearchæ ſui ingenio deceptum ſe queratur, quin potiùs uno ore omnes, & ſinguli, quotquot eorum fuerunt, ſunt, & erunt, deprædicaverint, deprædicent, atque deprædicaturi ſint, nihil eorum ſibi unquam defuiſſe, quæ ad frugalem vitæ ſuſtentationem deſiderantur; ſéque perenni miraculo propriâ deſtitutos, alienâ ſecurè victitare ſubſiſtentiâ; Benefactorum nempe charitativâ munificentiâ, & liberalitate.

IV. Qui cùm Provinciæ noſtræ, hujúsque Inquilinis ſubſtantiam ſuam largiter commodantes illud quoque ſpeciale beneficium conferant, ut ad mentem Inſtitutoris ſui omni proprietate exuti, conquirendæ propriæ ſubſiſtentiæ incommodis exempti, omníque temporálium curâ vacui ad ſectandam, aſſequendámque Chriſti aſſimilationem expeditiores forent, ex gratitudinis lege eosdem hoc ſubſtantiæ titulo ad nunquam interituram illorum memoriam generaliter, ac ſpecialiter recenſendos duximus, mallentes tantas beneficentias marmori, quàm papyro inſculpere.

V. Et primò quidem omnium Benefactorum noſtrorum Choro ut dignitate, ſic & munificentiâ præſidere jubemus Auguſtiſſimam Domum Auſtriacam; ut quæ non ſolùm clementiſſimo in Provinciam noſtram affectu à primævo ad hoc propenduit, ut in terris ſuis hæreditariis Domicilia figere, & multiplicare poſſemus; verùm & notabilia vitæ ſervandæ, reíque ædilis ſartæ tectæ propagandæ ſubſidia Conventibus Anterior. Auſtriacis; puta Bludentino, Veldkirchenſi, Brigantino, Waldishuttano, Lauffenburgenſi, Rhenofeldenſi, Briſacenſi, Friburgenſi, Villingano, Rottenburgenſi, Riedlingano, Stockacenſi, Cellenſi, Conſtantienſi quotannis præbenda aſſignaverit; inſuper & ad reſtituendos, reſtaurandósque Conventus iniquitate temporum exigente belli, ſeu potiùs hæreſis ratione, ſolo æquatos, & antiquatos, ut Biberaci, & Ravenſpurgii, Wangæ verò novum fabricandum: Lindavii, Studgardiæ, & Pforzhemii ad perpetuandam ibi Capucinorum manſionem velis remísque, omni conſiliorum, & remediorum impendio, opportunâ, & importunâ ſupremæ authoritatis interpoſitione, Commiſſionúmque deputatione partim felici, partim fruſtrato ſucceſſu laboravit. Notiſſima Monumentis noſtris, & venerabiliſſima nobis ſunt nomina Auguſtiſſimorum Imperatorum Rudolphi II. Matthiæ I. Ferdinandi II. Ferdinandi III. Leopoldi I. Joſephi I. Caroli VI. & Sereniſſimorum Archi-Ducum Maximiliani, Sigiſmundi, Ferdinandi Caroli Claudiæ Felicitatis &c. &c. quos omnes ceu Provinciæ noſtræ Authores, Tutores, Soſpitatores, Nutritios, atque gratioſiſſimos Evergetas ſuſpicimus.

VI. Poſt hos nunquam ſatis deprædicandos ſempiternam quoque gratitudinem noſtram promeriti ſunt Celſiſſimi ac Reverendiſſimi DD. Epiſcopi Conſtantienſes, Curienſes, Baſileenſes, Argentinenſes, Spirenſes &c. quo-

rum propenſiſſimo in Capucinos animo ſatis non fuerat eis in ſuas Diœceſes immigrandi facultatem feciſſe: ſed aliquorum ſtudia uſque eò progreſſa fuerant, ut prædictos Religioſos invitaverint, allexerint, commendaverint, promoverint, Fabricas eorum adjuverint; Eccleſias aut per ſe, aut per ſuos Suffraganeos conſecraverint; SS. Ordinibus initiaverint condonato initiandis publico examine; Approbationes Confeſſariis, & Concionatoribus gratiam evangelizandi, atque in ſubſidium Parochorum apoſtolandi contulêrint; contra adverſarios tutari, operâ illorum in variis occurrentiis uti; & innumeris aliis favoribus Provinciam noſtram proſequi dignati ſint.

VII. Sic enim Eminentiſſimus, & Sereniſſimus Andreas S. R. E. Cardinalis Archi-Dux Auſtriæ, & Epiſcopus Conſtantienſis per clementiſſimas litteras ſub dato Mariſpurgi 26. Decembr. 1599. Patres ad Conventum propè ſedem ſuam Epiſcopalem in ipſo oppido Mariſpurgenſi erigendum invitavit, omnem inſuper opem huic propoſito exequendo opportunam pollicitus: quamquam interveniente tanti Principis morte res tota ſit ſublapſa. Sic etiam Celſiſſimus, & Reverendiſſimus DD. Georgius Equeſtri Sanguine de Hallvveil ſatus; ſe vitæ ſanctitate uſque ad miraculum Illuſtris contradictionem, qua Coloniæ Capucinorum Conſtantiam introducendæ ſiniſtro nonnullorum ſuaſu tota Epiſcopali Authoritate primò reſtitit, eámque aliquamdiu remoratus eſt, ſubſequâ, & ſupererogatoriâ beneficentiâ, & munificâ familiaritate non adæquavit modò; ſed ad nunquam expungenda Capucinorum debita ſuperavit, compenſavitque.

VIII. Reverendiſſimus autem, & Illuſtriſſimus DD. Jacobus Fugger S. R. I. Comes de Weiſſenhorn, & Kirchberg &c. adhuc Eccleſiæ Cathedr. Conſtant. Præpoſitus, & poſteà ibidem Epiſcopus Capucinos primò Conſtantiam Incolas exoptat; poſteà allicit; dein in deſideria ſua pronos, implorato adversùs repugnantes auxilio Vaticano, inducit; comparatâ proprio ære ſuo areâ Monaſterium ædificat, illúdque præter immenſa alia liberalitatis ſuæ argumenta magnificâ ſuppellectili librariâ inſtruit, adjectis inſuper eleemoſynariis in Fratrum ſuſtentationem largitionibus. Is ipſe author quoque, ſuaſor, Zelosúsque hortator fuit per litteras de dato 7. Sept. 1616. emanatas, ut Capucini oblatum ſibi locum Engenſem regulariter habitandum acceptarent, atque occuparent.

Cùm vivens hic Clementiſſimus Princeps totus quantus Capucinorum fuerit; etiam mortuus eorum eſſe voluit, habitu noſtro veſtitus, & tumulum inter fratres nactus.

Ejusdem veſtigiis in dignitate Epiſcopali æquè ac beneficâ in puſillum Capucinorum gregem clementia preſſim inhæſit Celſiſſimus ac Reverendiſſimus DD. Joannes S. R. I. Dapifer de Waldpurg, & Comes de Wolfegg; qui in affectuoſæ ad Provinciam, & Religionem noſtram prothymiæ ſignificationem illius emolumenta, & incrementa extraordinario ſtudio Zelatus, Apoſtolico Capucinorum labore delectatus, & gloriari ſolitus erat: ſe horum Virorum indefeſſo, & ſincero fervori Religionis in plurimis Epiſcopatûs ſui locis tempore tricennalis belli Suecici, & peſtis ob inopiam Paſtorum morte, ſeu fugâ abreptorum quaquaversùm peſſumituræ conſervationem magna ex parte in acceptis referre. Horum intuitu nullum

fuit

fuit beneficentiæ genus, quo Capucinos non tenerrimè complexus fuit.

Hos beneficentiæ diuturnitate aſſecutus eſt Celſiſſimus ac Reverendiſ- IX.
ſimus D. Franciſcus Joannes ex Lib. Baron. de Prasberg; qui ipſos, quadraginta quatuor annos Epiſcopatum moderatus, infinita propemodùm inclinatiſſimæ in ordinem noſtrum gratiæ monimenta poſuit; plerasque Eccleſias noſtras tempore Regiminis ſui ſtructas perſonaliter conſecravit, efficacem in variis difficillimis caſibus aſſiſtentiam ſemper præbuit; utilitatem Provinciæ quocunque poſſibili modo ſollicitæ curæ habuit; ſéque nunquam non Amantiſſimum Capucinis Patrem, Anchoram, & Aſylum præbuit.

Poſt hunc Celſiſſimus ac Reverendiſſimus D. Rudolphus Marquardus ex Lib. Baron. de Roth Epiſcopus Conſtantienſis tam aheneum ſe pro Capucinis acerrimè hinc inde afflictis murum, quàm gratioſiſſimum ils Benefactorem geſſit, cui neceſſitates noſtras expoſuiſſe, & remedium inde, opémque tuliſſe paria propè fuerunt; cùm non potentior ad eum eſſet acceſſus, quàm favore, patrocinio, & gratiâ plenior ab eo receſſus.

Succeſſorem Is habuit Celſiſſimum ac Reverendiſſimum D. Joannem Franciſcum ex Lib. Baronib. Schenck de Stauffenberg tam in Infula Conſtantienſi, quàm in Epiſcopali ad pauperes Capucinos beneficentia. Hic enim ut divum Seraphicum Franciſcum nomine, ita ejus Sectatores in pectore geſſit; quos nulla æmulorum maledicentia, nullus negotiorum cumulus, nullâque incommodorum frequentia inde avellere potuit.

Horum univerſim Epiſcoporum munificentiam ſpecialiter viciniores, ſcilicet Conſtantienſis, Marchdorffenſis, & Cellenſis Conventus in ordinaria vini, frumenti, & aliorum eleemoſyna ab antiquis usque ad noſtra, præſertim jejunii tempore experiri conſueverunt, officiisque ſacris, & ſpiritualibus deſerviendam habuerunt.

In partem alimentationis gratuitæ Conventûs Conſtantienſis largiſſimè etiam veniunt, & Epiſcopum ſuum æmulantur Reverendiſſimi, & Illuſtriſſimi DD. Eccleſiæ Cathedralis ibidem Canonici; Reverendiſſimi & Ampliſſimi DD. Curiæ Epiſcopalis Officiales; nec non & Reverendiſſ. & Plur. Rever. DD. Præpoſiti, & Canonici Eccleſiarum Collegiatarum S. Stephani, & S. Joannis, totúsque adeò venerab. Clerus Conſtantienſis; à quibus præter alia gratiarum, favorum, patrocinii, & aſſiſtentiæ genera, ipſis eleemoſynis uſu conſumptibilibus nonnunquam præſtantiora, quotidiano quaſi pane fruuntur Capucini; quos adeò cùm debitiſſimæ gratitudinis teſtimonio Panarium ſuum nunquam deficiens appellare ſolent.

In ſummorum Benefactorum anagraphem adamantino celte inſculpi X.
longæva, & perenni eleemoſynarum largitione, hoſpitalitate benevolentiſſima, omníque alia generoſitate beneficia promeritæ ſunt, & perpetuò promerentur Abbatiæ, Archiſteria, Collegia, Monaſteria, & Conventus Religioſorum, & Canonicorum Regularium S. Auguſtini, & S. Norberti: Ordin. SS. Benedicti, Bernardi, S. Pauli Eremitæ &c. utriusque ſexûs; quos ſecundùm tractum locorum noſtrorum, prout quisque horum cuique illorum conterminus eſt, ſalvâ cujusque præeminentiâ, & prærogativâ, recenſebimus.

Sæ Constantia utitur, fruiturque beneficâ Collegii Creuzlingani Canon. Regul. S. Augustini, Monasterii Petershusani, & Minsterlingani Ord. S. Bened. illius Ascetarum, hujus Monialium vicinitate.

Arga Prioratûs Hofensis Ord. S. Bened. & Langenovicnsis Ord. S. Pauli Archi-Eremitæ. *Brigantium* Major-Augiensis Ord. S. Bened. & sororum nostrarum ad S. Annam. *Veld-Kirchium* Prioratûs Ottoburani ad S. Joann. Bapt. ibidem Ord. S. Bened. & Monasterii Vestalium Ord. S. Dominici in Altenstadt. *Bludentum* Prioratûs S. Geroldi Ord. S. Bened. *Immenstadium* Principal. Archisterii Campidunensis Ord. S. Bened. *Wanga* Abbatiæ Isnensis. *Ravenspurgum* Abbatiarum Weingartensis Ord. S. Bened. Alb-Augiensis Ord. Præmonstr. & Paintensis Ord. Cisterc. Monial. *Biberacum* Abbatiarum Oxenhusanæ, & Wiblingensis Ord. S. Bened. Sorethanæ, & Rothensis Ord. Præmonstr. Ulmensis Canonic. Regular. S. August. Guetencellensis, & Heggbacensis Ord. Cisterc. Monial. *Riedlinga* Abbatiarum Zwifaldens. Ord. S. Bened. Marchthalensis Ord. Præmonstr. in Valle S. Crucis Ord. Cist. Monial. & Mariæ-Bergæ Ord. S. Bened. Monial. *Mossskirchium.* Collegii Canon. Regul. S. August. Beuræ, & Abbatiæ Waldensis Ord. Cist. Monial. *Rottenburgum* Prioratûs Rohrhaldensis S. Pauli I. Eremit. *Marchio Bada* Abbat. Schwarzacensis Ord. S. Bened. Frauen-Albensis Ord. S. Bened. Monial. & Liechtenthalens. Ord. Cist. Monial. *Oppenva* Abbatiæ ad OO. SS. Ord. Præmonstr. quæ & *Ober-Kirchio* benefica. *Offenburgum* Abbat. Gengenbacensis Ord. S. Bened. *Mahlberga* Abbatiarum Eshonensis, & Schutterensis Ord. S. Bened. *Friburgum* Abbatiarum S. Petri *in sylva* nigra Ord. S. Bened. Thennenbacensis Ord. Cisterc. & Güntersthalensis ejusdem Ord. Monial. Item Collegiorum S. Margarithæ in sylva nigra, & OO. SS. Friburgi Canon. Regular. *Stauffa* Abbatiæ S. Trudperti Ord. S. Bened. Adhæc ipse locus Stauffensis totus jam Abbatiæ S. Blasianæ ejusdem Ordin. Subditus est. *Rhenofelda* Abbatiæ Olspurgensis, Ord. Cisterc. Monial. *Waldisbuttum* Abbatiæ S. Blasianæ, & dependentium ab ea præpositurâ in Guetvveil, Clingnau, & Prioratûs in Sion. Ord. S. Bened. Præpositurâ in Riederen Canonic. Regular. & Conventûs ejusdem Ord. Monialium, item Monasterii Berathensis Ord. S. Bened. Monial. *Villinga* Abbatiæ S. Georgii in sylva nigra; sed inde exulantis, & Villingam translatæ Ord. S. Bened. & Prioratûs Thannensis Ord. S. Pauli I. Eremitæ. *Neostadium* Abbatiæ Fridenvvileranæ Ord. Cist. Monial. & Prioratûs Gruenvvaldensis Ord. S. Pauli, &c. *Rottvvila* Abbatiæ Rotenmonalteriens. Ord. Cist. Monial. *Enga* Abbatiarum Renovicnsis Ord. S. Bened. Ambtenhusanæ ejusdem Ord. Monial. & Neidingensis Ord. Cist. Monial. *Cella* Prioratûs Diviti-Augiensis Ord. S. Bened. & Decanatûs Ochningani Canon. Reg. S. August. & Abbatiæ Feldbacensis Ord. Cist. Monialium. *Uberlinga* demùm Abbatiæ Salemitanæ Ord. Cist.

Ab his omnibus maximo emolumento nostro quotidie experimur, quòd sicut in Ecclesia Triumphante est glorificata SS. Benedicti, Augustini, Bernardi, Norberti, Pauli Eremitæ &c. cum S. Francisco communio; Ita in Militante sit in eorumdem Sanctorum Sectatoribus charitativa,

ritativa, & profusissima erga pauperes S. Francisci Filios Capucinos bonorum temporalium communicatio, sempérque fluens scaturigo. Ubi præsertim jucunda admiratione dignum est, quod vix non ubique, paucisque locis exceptis S. Benedictus & S. Franciscus sibi vicinentur; fortè in primi beneficii ab hoc Sanctissimo ordine Familiæ nostræ Seraphicæ Authori Francisco collati perrennitatem: dum nimirùm Reverendissimus ejus tempestatis D. Abbas Benedictinus ad montem Subusum pauperrimo Genearchæ nostro Ædiculam Portiunculæ in suo fundo jacentem præter alia charitatis monimenta in usum precariò cesserat; Pisan. conformit. fruct. 28. Benedictinæ hujus Evergesiæ inde ad nos usque propagatæ innumera propemodum Argumenta, qualium & R. P. Bucelinus in suo Benedicto Redivivo Anno 1531. nonnulla commemorat, Provincia nostra indies numerat.

His meritò ob paria beneficentiæ studia accensendi sunt Reve- XI.
rendissimi & Illustrissimi Ordines Equitum Teutonicorum, & Melitensium: quorum prior à priscis jam temporibus Provinciam nostram non solùm in Familiam; sed tutelam quoque suam suscepisse visus est. luculentum hujus argumentum præbuit vel solus Reverendissimus & Illustrissimus D. Philippus Albertus à Bernstein Archi-Commendator Altshusanus, qui, cùm Conventus Ravensburgensis, retusis adversantium contradictionibus, denuò restaurandus esset, primúsque lapis Solenniter poneretur, coram innumera hominum frequentia, altero brachio Crucem nuper erectam amplexatus, altera manu vibrans gladium pathetica voce, & oratione testatus est, se pro indemnitate hujusce Crucis, & Conventûs Capucinorum contra quosvis Adversarios vitam, & sanguinem daturum, atque depugnaturum esse; quo actu heroico plurium animi commoti, & ipsis liberalissimæ obortæ sunt lacrymæ.

Nec verò in jactata hac Capucinorum defensione affectus stetit; sed extraprogressus cumulatissima in erigendi Cœnobii auxilium, tum in Incolarum nutrimentum beneficia multiplicavit; à quo tempore omnes Reverendissimi & Illustrissimi DD. Archi-Commendatores Altshusani eidem beneficentiæ tramiti erga Conventum Ravensburgensem insistiterunt, quotquot post Eum ex Equitibus verè Teutonicis in illam Archi-Commendariam evecti sunt. Commendaria quoque Meinaugiensis Conventui Constantiensi; Beüggensis Rhenofeldensi; Friburgensis Friburgensi nunquam non & hilariter, & largè eleemosynari consueverunt.

Sic quoque posterior, seu Melitensis Ordo de ordine, & Provincia nostra optimè mereri jam olim sategit.

Reverendissimus, & Illustrissimus D. Jo. Fridericus ab Hund ejusdem Ordinis Eques Prior, Principalis Prioratûs Heitersheimensis tanto amore in Capucinos exæstuavit, ut ex voto, oréque suo Monasterium Heitersheimii Anno 1616. ædificaverit, & Capucinis, quò horum familiaritate, & spiritualibus obsequiis frequentius uti posset, habitandum obtulerit; utque hi illud acceptarent, per litteras Reverendissimi P. Generalis arbitrium, & imperium sollicitavit, & obtinuit. Verùm ex

relevantibus cauſis Patres Provinciæ illud recuſandum omninò cenſuerunt. Et quamvis devotiſſimus Princeps vel Eminentiſſimos Cardinales Burgheſium, & Verallum adhibuerit Oratores, qui ſummo Pontifici Paulo V. ſuo Nomine ſupplicarent, & Hic receptionem dicti Monaſterii imperaverit; tamen PP. rationibus ſuis inſiſtentes potiùs RR. PP. Conventuales illuc loci ſuſcipiendos Principi recommendaverunt, atque ſuaſerunt: Prout hi actu ibidem morantur, perpetui teſtes, quòd Capucini ad commoda ſua, & Domorum ſuarum multiplicationem minimè propendeant. Hic ergò Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps pertinaci hac repulſâ uſque adeò offenſus non fuit, ut magis exinde beneficentiam ſuam in Capucinos intenderit; haud dubiè cœleſtem pro hac remunerationem adeptus.

Alii Ejus in hoc magno Prioratu Succeſſores in noſtrum ibidem, & eâ tempeſtate adhuc exiſtentem Conventum Neoburgenſem munificos ſe exhibere ſacroſanctum habuerunt. Idipſum aliæ Melitenſes Commendariæ, ùt Rhenofeldenſis, Liggerana, Villingana, Rottvvilana, Uberlingana, Hemmendorffenſis Conventibus noſtris præſtiterunt, & pro majori vel minori Reverendiſſimorum DD. Commendatorum in Capucinos affectu, ac proventuum quantitate magis minúsve præſtare ſolent.

XII. Tria quoque Illuſtriſſimarum Virginum Principalia Collegia, ùt Buechavienſe, Lindavienſe, & Seggingenſe Provincia noſtra complectitur; Quorum primum è Comitum Sanguine prognatas hoſpitatur Canoniſſas; quod in gratam memoriam ſui à Suecicâ devaſtatione indemnitate per virtutem benedictionis per duos Capucinos nec ante, nec poſt unquam viſos impertitæ procuratâ uſque hodie Monaſterio noſtro Riedlingano paratam ſemper evergeſiam exhibet, & ſtatis per annum Feſtivitatibus Concionatore, & Confeſſario ex eodem Conventu utitur. Lindavienſe olim Capucinos tanquam Tutores Præſidiarios contra invaleſcentem inter muros Lindavii hæreſin ſuſcepit; ut alibi dicetur: Et continuata hactenùs obſequia ſpiritualia è Conventu Brigantino ibidem frequenter per annum præſtari ſolita largiſſimè remunerari conſuevit; profuſiùs id facturum, niſi res domeſticæ per varios caſus funeſtos, præſertim triſtiſſimam Parthenonis exuſtionem admodùm decreviſſent.

Seggingenſe, ex quo Conventus Lauffenburgenſis fuit exſtructus, ſemper Huic inſigniter benevolum exſtitit; Ejusque Principiſſa & Canoniſſæ ordinarium inde conſcientiæ Arbitrum uſurpant, & frequentiorem per Annum Præconem habent. In gratam officiorum noſtrorum memoriam, quibus Capucini Anno 1678. Parthenonem ab interitu à prædonibus Gallis Eidem jam jam intentato, atque inferendo ſervaverunt, & Reliquias S. Fridolini, principem loci theſaurum, in curam ſuam ſuſceperunt, Illuſtriſſimum hoc Collegium ſuum erga præfatum Conventum adauxiſſe viſum eſt, & Capucini experiuntur eleemoſynationem.

Nec

Nec minor proventus nobis eſt â Reverendiſſimis, Plur. Reverendis, & admodùm Reverendis DD. Præpoſitis, & Canonicis Eccleſiarum Collegiatarum ; Decanis, & Camerariis Ruralibus, locorúmque Plebanis; qui non ſolùm de ſubſtantiis ſuis erga Conventus noſtros in eorum Viciniis, Parochiis, Diſtrictibus, Capitulísque conſtitutos omnigena eleemoſynarum largitione perliberales exiſtunt : ſed &, quod his æquiparatur, operâ noſtrâ in animarum cura uti, Apoſtolandi copiam facere, nobísque ceu in alia navi remigantibus ſociis in partem ſubſidii annuere, collecturas permittere, & promovere ; imò & plebis ſuæ charitati inopiam noſtram commendare, itinerantes hoſpitiô ſuſcipere, atque perhumanè habere dignantur; quorum inſuper complures præter efficacem ſuffragationem, quâ ad Capucinorum in loca ſuſceptionem, Cœnobiorum ſtructuras, ſtabilimenta, & incolarum alimenta impigrè collaborârunt, ingentes quoque ſummas pecuniarias, legata pinguia, & magnificas Bibliothecas contulerunt ; quorum nomina venerabiliſſima Conventuum monumentis illata ſunt, in decurſu hujus tractationis ſparſim deprædicanda ; imò &, utì quidem ſperamus, & meritiſſimò rogamus, libro vitæ inſcripta. XIII.

Inter ſæculares Benefactores eminent Sereniſſimi Marchiones de Baden-Baden, qui nos clementiſſimè in urbem ſuam admiſerunt, Synagogum nobis ædificârunt; à Gallis exuſtam reſtaurârunt ; Mahlbergenſe Archiſterium unâ, & ab iisdem incendiariis abolitum ſecunda vice erigi curârunt. Poſt hos Sereniſſimi Principes, & Landgravii de Fürſtenberg-Möſkirch ; & Fürſtenberg Stühlingen, quorum utrique à Sereniſſimis, & Illuſtriſſimis Progenitoribus cum dominatu ſæculari impenſiſſimum quoque in Ordinem, & Provinciam noſtram affectum hæreditâſſe videntur. Priores quidem Conventum Möſkirchenſem fundârunt, plurésque olim fundâſſent, ſi Patres noſtri eorum benevolentiæ detuliſſent : Poſteriores verò Monaſterium Engenſe, Neoſtadienſe, & Haslacenſe ; atque nuper Hoſpitium Stüehlinganum partim in beneficentiſſimum ditionis ſuæ gremium ſuſceperunt ; partim eorum ſtructuras potenter adjuvârunt, partímque perennem beneficiorum, & protectionis ſcaturiginem in Domos, & Fratres noſtros ſe ſe conſtituerunt. XIV.

Illuſtriſſimi quoque, & Excellentiſſimi DD. S. R. J. Comites plurimi, ut de Montfort, Königs-Egg, Wolfegg, Wurzach, Dirmatingen, Embs, Fugger, Sulz, nunc Principes de Schvvarzenberg, Stadion, Schauenburg. &c. &c. Caſtell, & Welsperg. &c. &c.

Nil minùs & Perilluſtres ac Generoſi DD. Lib. Barones familiarum partim extinctarum, partim ſuperſtitum : nempè ab Altmanshauſen, Baden, Berolding, Bodeck, Bodmann, Ebingen, Freyberg, Enzberg, Hallvveil, Hochberg, Hornſtein, Gemming, Landsè, Liebenfels, Liechtenſtein, Nevé, Neuſtein, Ovv, Pappus, Prasberg, Pfirt, Raſsler, Roth, Schellenberg, Reiſchach, Roſt, Reinach, Roll, Schleitheimb, Schröckenſtein, Speth, Stauffenberg, Stuben, Schaden, Schvvende, Schönau, Siggingen, Welden, Weſternach

nach, Ulm, Wittenbach &c. Prætereà Patritii Ordinis præſtantes Viri & Fœminæ de Deüring, Dirrheimb, Balbach, Furtenbach, Pflaumeren, Guldinaſt, Schvvarzach, Schultheiſs, Reitlingen, Settelin &c. &c. Hi omnes, plurésque, & utique alii tam à primævo, quàm ſucceſſu temporis in florente exiſtentes fortuna in omne beneficentiæ genus excurrentes pauperem noſtram S. Franciſci familiam, hujúsque quotidianas indigentias ſummo ſemper cordi habuerunt, & habent, & ad eas ſublevandas ſæpiſſimè non rogati, ſed ſuâpte miſerendi promptitudine, & exercendæ liberalitatis ſtudio bonorumvis ad vitæ, & locorum conſervationem deſideratorum participatione de Ordine, & Provincia noſtra quàm optimè mereri nunquam non libentiſſimè ſategerunt, & ſatagunt, indelebili in albo Benefactorum noſtrorum albâ notâ ſignati, atque ſignandi; quorum etiam ſpecifica, & individua Benefactorum commemoratio ſæpiùs in futuro Commentario noſtro recurret.

Poſt hos ordine, non meritîs poſtremos pariter in ſummorum Evergetarum cenſum veniunt Urbium, Hoſpitalium, & Locorum, quæ, vel propè quæ conſiſtunt Conventus noſtri, prænobiles, ſtrenui, inclyti, ſpectatiſſimi, providi, & honeſti Magiſtratus, Conſules, Prætores, Stattammani, Senatores, Cives, Opifices, Civitates, Communitates ruſticanæ, Curatores, Adminiſtratores; præprimis etiam Toparchiarum, & Dynaſtiarum Præfecti, Magnatum, Principum, Comitum, & Baronum Cancellarii, Conſiliarii, Syndici, aliíque Officiales ubivis locorum exiſtentes tam de mente, ordine, & juſſu Principalium ſuorum, quàm proprio miſerationis motu non tantùm Conventus noſtros omnes olim ardente zelo affectârunt; ſed eorum ædificationem conſilio, ſuffragio, manúque tam operosâ, quàm liberali adjuvârunt; in Fratrum alimoniam quæſtuationem permiſerunt, atque permittunt; quin & has ſudore, largitate, & impendiis ſuis fœcundas reddunt, ut nullus Conventuum noſtrorum non gloriari poſſit, ſe luctuoſiſſimîs etiam belli, & aliarum calamitatum temporibûs in prædictorum omnium charitate, & beneficentia indeficiente, taliíque gaudere fundo, qui nutriendis cujusque domicilii Fratribus abundè ſufficiat.

XV. His omnibus, Fratres, debitores ſumus, vitam, ſubſtantiam, & ut vetus habet verbum, animam noſtram debentes, iísque ad æviternam obſtricti gratitudinem. Verùm quodnam his à noſtra debiti, & gratitudinis profeſſione emolumentum? Non enim debita ſui agnitione; ſed redditione expunguntur. Quî verò reddent, quo expungant Religioſi *fruges conſumere nati, metentes, ubi non ſparſerunt, & colligentes, quæ non ſeminârunt*, utì nonnemini in Capucinos jocari allibuit? Sed meliora verba, bone Vir! cujus quidem aculeos pridem dedolitos non ducimus retundendos, perſuaſi, ſaniorem, atque clementiorem ineſſe Benefactoribus mentem, quàm ut ſiniſtro aliorum in Capucinos affectu ſuum averti patiantur; qui & chriſtianoribus imbuti axiomatis credunt, ſe tunc maximè in rem ſuam intentos eſſe, dum maximè hanc in egenos prodigunt. Nôrunt enim verò, ad quid pauperes Religioſi, quibus egeſtatem arcano Deus conſilio ſive perſuaſit, ſive permiſit: ut

divi-

divitibus nempè utili opes negotio implicandi occaſionem præberet. Cur famem immiſit Deus ſuper terram, quæ Iſaacum cogeret in Gerraris peregrinari : *orta fame ſuper terram abiit Iſaac* ? Genes. 26. Reſpondet ad hoc doctiſſimus de la Huge : *Ut habeat dives occaſionem miſerendi. Hanc occaſionem ut haberent pii Benefactores, Mendicantes Franciſcani Ordinis immiſit Deus in mundum*; rem proſequitur Haymon in Levit. cap. 25. v. 23. Concord. 30. n. 8. Id olim curioſiùs inveſtigaverat Cæſar. homil. 1. dum ore divino durum planè in homines conceptam ſententiam accipit Matth. c. 26. v. 11. *Semper pauperes habebitis vobiſcum.* Ergonè munificus, & prodigè in homines liberalis Deus, idémque omnipotenter locuples ad turpem egeſtatem aliis & aliis damnandis perpetuò incumbat, ut nulla ſint temporum ſpatia, vel momenta, quibus mendico, & paupere orbis ſterileſcere nequeat univerſus ? Ad hæc ita ſibi Cæſarius : *Ego autem puto, quia Deus noſter pauperes in hoc mundo eſſe permiſerit, ut in pauperibus divitum fidem probaret ; vel in pauperum miſericordia divitibus miſereretur : ut benevolum locupletem inopiâ alienâ ditaret : & opulentior quisque indigentia de egente lucra reciperet, & mirificô ſummóque commerciô, dum inopi miſericordia temporali largitate confertur, inde æternus theſaurus compenſetur.*

Nôrunt, inquam, hoc Benefactores, perſuasíque, quòd in bonorum ſuorum gratificâ elargitione quæſtuoſiſſima in Deum diteſcendi, & arcana per foramen acûs in anguſtam cœli januam intrandi ars conſiſtat, in hujusmodi erogationis propoſito, & lucroſa æternorum fœnorum nundinatione ſtrenuè perſeverant, eorum exemplis animati, qui (parcimus nomini, parcimus familiæ ipſorum) ſeverâ æterni Judicis ſententiâ in hac ipſa Provincia noſtra ad infelicis æternitatis barathrum detrudendi fuerant, niſi intercedente eleemoſyna Fratribus noſtris impensâ, ritè adhuc pœnitendi, integrè confitendi, piéque obeundi gratiam obtinuiſſent.

Non poſſumus non vel unico argumento commonſtrare, quòd *fœneretur Domino qui miſeretur pauperis.* Proverb. 19. v. 17. XVI.

Vixerat Waldishutti Illuſtris Domina Margaritha de Homburg, nata de Breiten-Landenberg, quæ non ſolùm omnem curam ; ſed & in hac cura omnem felicitatem ſuam collocaverat, ut Capucinis frequenter illac divertentibus, & tranſeuntibus omnem hoſpitalitatis gratiam exhiberet. Capitulum Provinciale Anno 1625. Suitii agendum copioſam ipſi exercendæ charitatis ſuæ, ſibique deſuper gratulandi occaſionem præbuerat. Qua propter ſperans plures Capitulares Waldishutti tranſituros particulare dolium vino nobiliori oppletum gratiſſimis ſibi hoſpitibus deſtinavit. Res ad computum ſucceſſit, plurésque adeò Patres eò divertentes doliolum propè evacuârunt. Sollicita Martha juſſit in refocillationem reducum Capitularium idem dolium eodem vino reſtaurari. Sed ecce ! juſſa facturi cum ſuo, & imperantis ſtupore doliolum vinô adhuc magis uſque ad operculum exundanter plenum repererunt. Quo illa in tam fœnebri charitatis negotio ad dies vitæ lætior permanſit. Tandem & alio non minùs extraordinario eventu Deus hujus benefactricis obitum illuſtravit : ſemper illa dum viveret, hæc tria optare ſolebat.

Primò : ne ſubitanea morte præoccupata occumberet. Secundò : ut plurium Capucinorum, quos unicè venerabatur, præſentiam in exequiis ſuis nanciſceretur. Tertiò : quatenùs in ipſis quoque exequiis, vel ſeptimo ſaltem, vel trigeſimo die nonnemo Capucinus ſacras primitias ſuas pro anima ſua Numini offerret. Hæc, ut ipſa optaverat, ita ſanè ad nutum omnia ſibi evenerunt ; nam eo, quo poſt diutinum lanquorem optimè parata, & intimè conſolata deceſſit die, caſu mirabili plures Waldishuttum convenerant Capucini rei prorſus ignari, nec moniti. Idipſum in ſeptimo commemorationis & denique die trigeſimo contigit, ut plures ſempérque alii & alii duce obedientia illuc ventitarent Patres noſtri ; inter quos ultimos cùm eſſet P. Lucius Bruntrutanus noviſſimè ſacro Presbyteratus ordine initiatus, is de licentia R. P. Provincialis in gratiam aliorum quorumdam ibi amicorum impertita Primitias eodem die ibidem inſtituit ; ut videat orbis, quàm Cœlum faveat illis, quos pauperi Capucinorum Ordini faventes conſpicit.

XVII. Quæ gratia ut præter alias proſperitates temporales Benefactoribus noſtris obtingat, id potiſſimùm quotidiano ſacrificiorum, & inſtantiarum negotio agere conſuevimus ; dum in ſola hac Provincia quotannis undecim millia ſeptingenta octoginta ſeptem Deo pro Benefactoribus vivis, & defunctis offerantur Sacrificia, & ſpeciale adhuc Anniverſarium pro mortuis Benefactorum animabus quolibet anno in ſingulis Conventibus à ſingulis Sacerdotibus cum integro officio Defunctorum, aliísque laicorum precibus frequentari ſoleat. Quanta porrò emolumenta pii Benefactores à B. V. M. S. P. Franciſco, S. Antonio de Padua, & B. Fidele Mart. mediantibus Capucinorum deprecationibus colligere aſſueverint, de anno in annum in Prædicam. *Sitûs* pateſcet.

Quid quòd vel ipſi ſæculares benefici homines redhoſtimenti locò agnoſcant bonum Capucinorum exemplum, ad quod nempè S. Religio noſtra nos filios ſuos quàm arctiſſimè, & quaſi de juſtitia adſtrictos vult, edocta à S. Patre Franciſco ita ſtatuente : *Commercium eſt inter mundum, & Fratres minores : debent enim ipſi mundo bonum exemplum : debet eis mundus proviſionem neceſſitatum. Quando autem ipſi retraxerint bonum exemplum fide mentita,* (quod utique à nonnullis fieri Religio acerbiſſimè dolet, & damnat) *retrahet mundus manum juſtâ cenſurâ.* Et tales horrendæ S. Patris execrationi ſe obnoxios reddent. To. 3. Opuſcul. collat. 5.

XVIII. Sed & aliorum bonorum operum, jejuniorum, vigiliarum, pſalmodiæ diurnæ, & nocturnæ, comprecationum quotidianarum, & flagellationum noſtrarum participationem Benefactores plurimi æſtimant ; quâ non tantùm ſua in nos merita cum uſura quoque compenſata credunt ; ſed ad proſequendam, duplicandámque beneficentiam ſuam inſuper exſtimulantur. Hinc Auguſtiſſimus Romanorum Imperator Leopoldus I. glorios. mem. compertô, quòd Capucini in uſitatis ſuis flagellationibus ſpecialem pro eo Collectam orarent, adeò exinde lætatus fuit, ut ad Auguſtam converſus, & vix non præ gaudio lacrymans dixerit : *Audin Dilecta ! iſti Viri Religioſi ſe pro nobis verberibus cadunt ?* Exin majori in

Provin-

Provinciam Anterior-Auſtriacam, ceu multis nominibus ſuam, propenſione exarſit, non minor bonorum, quàm regnorum Auguſtus; atque omnium Chriſtianorum, piiſſimorúmque Cæſarum imitator; qui felicitatem regiminis ſui magna ex parte in Virorum, & Cætuum Religioſorum precibus, ac piis exercitationibus collocârunt.

Prætereà Benefactoribus validus nobis ſubſtantias ſuas elargiendi impulſus, & ratio accedit, quòd plurimorum filii, & fratres Ordini ſe noſtro mancipantes tenuiſſima portione, ſeu dotatione expediti, omníque deinceps hæreditatis adeundæ jure exuti totum, quod ipſis competiviſſet, ſuum ſeu familiarum maſſæ, ſeu reipublicæ Calendario penitùs cedant; quod abſque dubio ingentis tam privati, quàm publici commodi ferax eſſe dignoſcitur. Iſtorum igitur memores tam Communitates, quàm particulares pro ratione perennis utilitatis magìs ad nos eleemoſynîs ſuîs juvandos adducuntur.

Denique quotidiana celebratione dicimus cum Regio Pſalte: *Subſtantia mea apud Te.* Pſal. 38. v. 8. quod idem eſt, ac: Tu, O Deus! es ſubſtantia mea, quam per Sacrificium, ùt eſt Latreuticum, quotidie adoramus, ùt eſt Euchariſticum, ei perennes pro perenni gratiarum ſcaturigine gratias agimus, ùt eſt impetratorium, Deum quotidie indigentes, afflicti, miſeri, & fragiles pro quotidiana Ejusdem benedictione, conſolatione, miſericordia, aſſiſtentia, & auxilio tam nobis quàm benefactoribus noſtris deprecamur. Fallar, niſi S. P. Franciſcus Deum altiſſimum in prædicamento *Subſtantiæ* collocaverit, quando non quidem philoſophicè; ſed ſummè theologicè, aſceticè, imò œconomicè ſuſpiravit: XIX.

DEUS meus, & omnia!

RELATIO
Provinciæ Anterioris Auſtriæ.
ANALOGIA.

RElatio, quatenùs *eſt ordo unius ad alterum*, ùt ait Div. Thom. ſeu ùt ex Ariſtotele Conimbricenſes eliciunt: *eſt ens, cuius totum eſſe eſt ad aliud reſpicere*, multùm fatigat novitios Dialecticæ ſcholares, dum ſuperatis ſubtilitatum ſpinis plenam ejus intelligentiam imbiberint. Nobis autem ſcholaſtico pulvere jam pridem eluctatis, & quibus ſuffragatur L. Sed & ſi pupill. §. proſcribere. ff. de inſt. act. *præſumitur ſciens, quæ ſcire debet, licèt ſit ignorans.* Longè alia via incedenda eſt, quin arreptum in ea progreſſum intricata Relationis prædicamentalis inveſtigatio morari debeat. Licèt verò longè inferiùs, quàm ſit Philoſophia, ſcilicet ad Grammaticam, ſive in grammaticalem ſenſum nos demittamus; quatenùs relatio rei alicujus recitationem, & hiſtoricam narrationem ſignificat: ideò tamen exſibilari minimè patimur; tum quia maximi latinitatis principes ea dictione hoc modo uſi ſunt. Sic enim Cicero in Piſon.

ſon. ait: *Relatio illa* (recenſitio) *ſalutaris, & diligens fuerat.* & Tacitus lib. 17. Annal. *Neque enim relatu* (narratu) *opus eſt.* Tum quòd hæc acceptio ab eo, cui hiſtoria inſcribitur, admodùm nobilitetur: *Relatio ſiquidem eſt, cùm ad Principem refertur,* Symmachus inquit lib. 1. Epiſt. 41. Tum quia ex l. 14. Cod. de Accuſat. Relationes cum Elogiis ſinonyma ſunt, quæ ab Irenarchis officialibúsque ad Præſides referebantur; in quam rem hoc verbo utitur Marcianus l. 6. ad fin. ff. de Cuſt. reor. Atqui variorum varia in hoc Commentario occurrent elogia. Tum denique quòd Philoſophicam uſurpationem non penitùs dedignaturi ſimus; utî quidem mentem noſtram ſequens illuſtrabit

ECPHRASIS.

MUtuatâ igitur à Dialecticis, & in uſum noſtrum tractâ voce Relationis, hâc totam dividundæ Provinciæ Anterior-Auſtriacæ ab Helvetica hiſtoriam, quàm poterimus, breviſſimè, nec minùs genuinè recenſebimus, & quatuor omninò paragraphis abſolvemus, ita, ut §. I. Neceſſitas. §. II. Difficultates. §. III. Impetratio, & ſucceſſus. §. IV. Bonitas diviſionis, ſeu mutuus inter Provincias diviſas reſpectus; adeóque Relatio in rigore philoſophico ſit commemoranda.

§. I.

Neceſſitas Diviſionis.

OPportuniſſimè non nemo Etymologus Tò *neceſſitas* idem ſignificare voluit, ac *ne ceſſet entitas.* Quo ſenſu dividundæ Provinciæ ideò neceſſitas fuit, ne ceſſet rei, ac diſciplinæ Religioſæ entitas. Cùm enim variorum Principum, Statuum, Urbium, & Communitatum ea in Religionem noſtram veneratio, eorúmque Capucinos ſecum habendi deſideria invaluerint, ut Provincia quà domiciliis, quà Fratribus ſupra modum incrementaretur. Siquidem ab Anno 1581. usque ad Annum 1632. triginta ac ſeptem Conventibus, duabúsque I.

que Miſſionibus, ſeu Reſidentiis creviſſe comperta fuit; & undecim inſuper aliis non tam benevolè oblatis, quàm pia importunitate obtruſis creſcere debuiſſet, niſi Superiores à tanta Provinciæ extenſione, Fratrúmque, & Monaſteriorum plurificatione nonnullam regularis obſervantiæ relaxationem prævidentes, & inferentes eos humili quadam inurbanitate recusâſſent. Ideò ex ipſa regularis obſervantiæ ſartæ tectæ aſſerendæ ſollicitudine à reverenda definitione Solodori capitulariter congreſſa de unanimi omnium Capitularium voto concluſum fuit diviſionem quocunque poſſibili modo negotiari; quem in finem de dato 4. Septembris 1632. ad Capitulum Generale ſequenti anno celebrandum ſupplices dederunt litteras Spiritu Seraphico plenas, ac motiva, rationes, ſtringentémque diviſionis neceſſitatem complexas; quæ tantùm valuêre apud Ordinis Majores, ut jam tum ad eam proceſſum fuiſſet, niſi publica belli ſuecici calamitas, infamis plurimorum malorum Germaniam inundantium ſcaturigo, remoram injeciſſet. Impoſſibilitati igitur cedendum, & meliora tempora fuerant exſpectanda, manente penès Provinciæ Moderatores propoſito diviſionis, hujúsque neceſſitate annis, & monaſteriis creſcentibus concreſcente. Pace Germaniæ utcunque redditâ RR. PP. Provincialis, & Diffinitores in Capitulo Solodorum coacto Anno 1655. denuò in eam concordem ſententiam abierunt, ut in Comitiis Generalibus futuro anno Romam cogendis collatîs viribûs, & inſtantîs ſeparationem urgere vellent; résque per habiles rerum Geſtores cum optatum habuit ſucceſſum, ut ipſe Reverendiſſimus P. Simplicianus Mediolanenſis Miniſter Generalis æquitatem, & neceſſitatem cauſæ agnoverit, ſéque facultatem Pontificiam, & omnia ad diviſionem actu inſtituendam requiſita in Provinciam à ſe viſitandam allaturum, aut ipſummet ſeparationem executurum fore promiſerit. Verùm cum viro hoc morte abrepto omnia in auram abierunt.

II. Circa idem tempus tragædiam ſat funeſtam caſus dederat, quæ & neceſſitatem diviſionis, & ſpem hujus impetrandæ adauxit. Exarſerat inter Helvetiæ Cantones Catholicos, & Acatholicos acerrima colliſio, ut ad arma, manúsque conſerendas ventum fuerit. Bernatum exercitus contra Lucernates educitur; & licèt hi illô & viribûs, & numerô longè eſſent inferiores, cauſæ tamen juſtitiâ, & auxilio deſuper à B. V. M. in Eremo per conductos Deprecatores implorato freti eò majori animoſitate in hoſtes moverunt, quòd res Religionis ageretur. Neque defuit ſpei, armísque Catholicis felix eventus; collatis namque ſub imperio ſtrenuiſſimi Herois Alphonſi de Sonnenberg ſignis miles Catholicus hoſtilem exercitum inſigni clade affecit, deſideratis aliquot millibus, caſtris exuit, & in fugam conjecit. Verùm ùt res belli varios, & cæcos habet eventus, Marsque communis & victum ſæpè erigit, & affligit victorem; ſic non ea felix belli alea penès Tuginates, & Suitenſes ſtetit; quorum copias adverſùs Tigurinos Prænobilis Vir Peregrinus à Zvveyer, alioquin bellicâ virtute illuſtris educebat. Hic cùm rem juxta artem, & tutiora belli principia adminiſtrandam, cautéque in omnibus agendum cenſeret; ne ſi vel unico conflictu evaderet inferior, ſtatus Helveto-Catholicus in extremum periculum conjiceretur; per hanc ipſam cautelam, quòd nihil

hil in hoſtem egiſſet, malè, atque perfidè egiſſe paſſim dicebatur, eique imponebatur ſe hîc & ibi hoſtes aggredi, & atterere potuiſſe, ſi occaſioni imminere, & militis ardori deferre voluiſſet. Verbo: proditionis, & ſacrilegæ cum hoſte colluſionis poſtulabatur Zvveyerus; quæ cauſa ad altius Tribunal deducta hujus Viri Nomen haud parum offuſcaverat.

Quamvis enim inclytus Canton Uranienſis Prænobilem D. de Zvveyer, tanquam Civem ſuum acerrimè tuendum ſuſceperit: impedire tamen haud potuit, quin reliqui Cantones Orthodoxi eum perduellionis reum, Patriæ, & Reipublicæ proditorem, de hæreſi ſuſpectum, aut certè ab hæreticis corruptum judicaverint, terris ſuis proſcripſerint, ſummámque pecuniariam in caput ejus conſtituerint.

Aderant autem huic bello plures tum Capucini, tum alii Sacerdotes, qui militem animarent in prælium, & in neceſſitate ſacris juvarent. Illi ergò, qui contra Dominum Colonellum de Zvveyer arſerunt, in prætenſæ proditionis evidentiam teſtes oculatos eosdem Capucinos, & alios Operarios Campeſtres allegabant; transmiſſis verò iis, quæ in hac cauſa à Perſonis etiam Eccleſiaſticis circa præfatos teſtes examini ſubjectos minùs legitimè minúsque regulariter geſta ſunt, ad ea convertimur, quæ ad rem noſtram pertinent.

III. Patres natione Anterior-Auſtriaci in Conventibus Helvetiæ morati, eò quòd vel in diſcurſibus privatis partes Zvveyéri, tanquam eximii fautoris noſtri, tuerentur, ejus agendi prudentiam collaudarent; vel inter ferventes contra illum rumores cauto ſilentio neutrales ſe exhiberent, magnam ſibi occultæ cum Zvveyéro intelligentiæ ſuſpicionem, & populare Cantonibus, Helvetiſque Catholicis odium conciliârunt; ut adeóque palam exoſi indigna planè devorare debuerint; ipſique Cantones Suitenſis, & Tugienſis Oratores Romam deſtinaverint, qui evincendæ Provinciarum, & Nationum ſeparationi operam ſuam navarent. his Patres noſtri ea occaſione læti, prorſus tamen diverſo agendi titulo, pro viribus coagere incæperunt: interveniebus tamen aliis atque aliis obſtaculis omnis tum noſtrûm, tum illorum negotiatio fruſtrà fuit.

Licèt Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus D. Fridericus Borromæus Patriarcha Alexandrinus, & ea tempeſtate Nuncius Lucernenſis ex cauſis futuro §. referendis totali Provinciarum ſeparationi totus quantus reſtiterit; tamen contemplatione incommodorum, quæ ex Nationum mixturâ iis præſertim temporibus orta ſunt, & deinceps oritura certè timebantur, modificatam quandam, & limitatam diviſionem, manente Provinciarum unitate, ſummè neceſſariam eſſe judicavit; qualem & Patribus ad Conventum Melſenſem conſcriptis ipſemet projectavit; quam decem Articulis comprehenſam examinârunt, & potiùs Illuſtriſſimo D. Nuncio ad complacentiam, quàm quòd eam practicabilem judicaverint, acceptârunt in tantum, in quantum &c. eique ſubſcripſerunt Melſii die 18. Maji. Anno 1664.

Enim verò cùm Anno 1666. toti Capitulo Surlaci die 3. Septembris modificata hæc Provinciæ diviſio, meliùs confuſio, promulgata eſſet,

& omnium Capitularium rogaretur arbitrium, omnes uno ore conclamârunt : ſollicitandam Romæ eſſe integram ſeparationem; quæ ſi non impetrabilis, agendum ſaltem de approbatione modificatæ. Sed Patres Provinciæ toto Romæ conatu ſuo nihil egerunt, & nec illam, neque hanc impetrare potuerunt.

IV. Alexandro VII. Pont. Max. è vivis ſublato ſuffectus eſt Cardinalis Roſpiglioſus ſub nomine Clementis IX. Hunc Patres Provinciæ allegatione extremæ dividundæ Provinciæ neceſſitatis, & motivorum eam ſuadentium non minùs validè, quàm ſuppliciſſimè arietandum, atque in ſententiam hanc flectendum duxerunt. Litteris igitur ſupplicibus ad Eum exaratis contenta fuerunt motiva : *primum*, Quòd Patres Anteceſſores, & ſuperſtites jam à triginta annis ex perſpecta inevitabili neceſſitate hanc diviſionem ſollicitaverint : & cùm interim Provincia jam in ſexaginta loca excreverit, manifeſtum ſit, quòd etiam ea neceſſitas jam à fortiori ſtringat. *Secundum* : Vel ideò quoque, cùm maxima ſit difficultas viſitandi Provinciam adeò vaſtam ; ex cujus omiſſione, *Tertium* : Regularem Diſciplinam peſſumire conſectarium eſt. *Quartum:* Quòd anguſtia Monaſteriorum non patiatur Capitula Provincialia frequentari ; cùm tantum Capitularium numerum minimè capiat. *Quintum*: Neceſſitas mutandi fratres plurima poſt ſe abſurda trahat : nempè nimis òdioſas, & prolixas itinerationes, frequentes Religioſorum diſcurſus ſæcularibus oneroſos, in laxitatem ſpiritûs, & vilipendium hujusmodi itinerantium degenerantes, & innumera alia. &c. *Sextum:* Quòd Miniſtri Regis Chriſtianiſſimi maximam erga Fratres Auſtriacos gerant diffidentiam ; eósque quaſi exploratores averſentur : quod idem vice versâ ex altera Rheni parte, de Alſatis, imò & Helvetis Patribus ſuſpicari incipiunt Miniſtri Auſtriaci ; ob quas reciprocas ſuſpiciones haud exiguæ verborum turbæ inter utramque partem ſuſcitatæ fuerunt, & deteriores prævidentur, quamprimùm ſupremi Principes adversùm ſe mutuò vel minimùm collidantur.

Hæc momentorum capita pro eorum gravitate magis exaggerata ſedem Apoſtolicam pro tunc ſublimioribus occupatam necdum flectere potuerunt, utcunque ea aliis, ſummisque Principibus, & ſtatibus aliquod inibi intereſſe habentibus, aut habere opinantibus ſat relevantia viſa fuerint ; ut adeóque admirarentur, quòd in hoc negotio ſumma ſedes, cui Regularium tranquillitas, pax, diſciplina, & Monaſticæ vitæ entitas ſollicito cordi eſſe deberet, tam prementi neceſſitatum cumulo remediare diſtulerit. Sed enim hujus cauſam in occurrentes difficultates rejicere debemus.

§. II.

§. II.

Difficultates Diviſionis.

SI maxima minimis comparare licet ; quemadmodùm Æneas, Romulus, Remus, aliíque Statûs Romani Architecti extremum per funem ire, Azanæa ſuperare mala, centum plauſtri trabes ſupergredi, plurimósque disrumpere laqueos priùs debuerant, priusquam Romana & Urbs, & Respublica ordinaretur, & ſtabiliretur, ut Vates Mantuanus poſt plurimorum incommodorum commemorationem colophonis locò adderet : I.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Ita ſanè unica Provinciæ mendicantis diviſio, & Suevo-Auſtriacæ conſtitutio tantæ molis, támque diuturni laboris fuerat opus, quod non ſolùm Provinciæ, & totius Ordinis Primates ; ſed ipſos etiam, eósque plurimos ſtatus, Respublicas, Urbes, Principes, Cardinales, Patriarchas, Reges, Imperatores, & ſummos Pontifices defatigaverat ; cùm quisque horum pro ſuo affectu in favorem, vel in contrarium extremâ contentione niteretur ; & ex hoc ipſo infinita propè diviſionis obſtacula generarentur ; quod in aliis hujusmodi Provinciarum catalyſibus nunquam contigiſſe obſervatum fuit ; utpote quæ facili negotio à ſumma ſede impetrari ; faciliori in opus deduci ; facillimo, & absque omni externo ſtrepitu, aut ullius contradictione ſtabiliri, atque exerceri potuerunt.

Inter ea autem obſtacula non poſtremum fuit publicus quispiam rumor latiſſimè propagatus, & aliquorum, etiam Magnatum, animis validiſſimè inſidens opinio ; quaſi verò Fratres utriusque partis ex titulo gliſcentis inter eos diſcordiæ ; ex mutua Nationum incompatibilitate, & exorta inde animorum ſimultate diviſionem localem affectarent : quo quid de Religioſis unius moris, arctiſſimo charitatis nexu colligatis, ac omnium temporalium, & maximè politicorum reſpectuum curam exutis probroſiùs dici queat, haud divinaverim. Ea autem opinio non ſolùm Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum D. Fridericum Borromæum, Nuncium Lucernenſem, cæterà Patrum Auſtriacorum amantiſſimum, propoſitis noſtris adverſarium conſtituit ; ſed illâ quoque imbuti Eminentiſſimus Cardinalis Farneſius, Ordinis noſtri Protector ; & Sanctiſſimus D. N. Alexander VII. Papa, nec ſubmiſſiſſimis Fratrum ſupplicationibus ; nec convincentibus demonſtrationibus ; nec etiam Cæſareis recommendationibus ab illa dimoveri, aut ad præbendam diviſionis facultatem perſuaderi potuerunt. Quin ipſe ſummus Pontifex Alexander, poſtquam neceſſitatem diviſionis in Capitulo Generali 1662. celebrato Eidem exhibitam recognoviſſet, & ſententiam à Definitorio Generali in favorem ſeparationis proprio Decreto corroborâſſet, ab hac ſua mente II.

reſiſtit, diviſioni obſtitit, & hanc, quoad vixit, adhibita in contrarium Authoritatis ſuæ plenitudine, impoſſibilem fecit.

Abolendi tam ſiniſtri rumoris ſtudio PP. Provinciæ vela contrahenda, & ab omni ulteriori ſollicitatione abſtinendum rati maluerunt nullam, quàm eam diviſionem, quæ ex jurgiis, contentionibus, & inordinatis Partium affectibus (indecoris ſanè Natalibus!) orta publicâ, & ignominiosâ famâ circumferatur. Igitur negotium precibus Deo commendaverant, ac in ſilentio, & ſpe meliora exſpectare tempora in animum induxerant, prohibitis univerſis Fratribus quidquam eorum gerere, ex quibus ſupradictus iniquus rumor comprobari poſſet, juſsísque alter alterius onera portare, & ab omni nationalitatis vitio faceſſentes Deum potiùs ardentiſſimis precibus in utilitatem provinciali-publicam deprecari.

III. Inſigniter autem in gratitudinem, & juſtitiam peccaremus, ſi interpoſitam Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D. Nuncii Borromæi reſiſtentiam præfatæ duntaxat de Fratribus diſcordantibus opinioni tribueremus: equidem is ad hanc ex longe amiciſſimo, & benevolentiſſimo in PP. Capucinos Suevo-Auſtriacos inductus fuerat affectu. Conſtanter nimirùm judicaverat, minimè expedire, ut prædicti Patres ê terris Helvetiæ penitùs exeſſent, cùm, uti ex ipſius ad Celſiſſimum ac Reverendiſſimum D. Franciſcum Egonem de Fürſtenberg, Epiſcopum Argentinenſem de dato Lucernæ 12. Novemb. Anno 1663. litteris colligitur, plurimi æſtimaverit, mirúmque deprædicaverit eorumdem Patrum religioſam, & prudentem converſationem tam Helvetiæ ſtatui, quàm Religionis Catholicæ negotio perutilem; quo reſpectu, & ſanctâ, qua præſtabat, politiâ captus Patrum memoratorum emigrationi totis nervis obnitebatur; animúmque in hoc ita obfirmâſſe viſus eſt, ut & R. P. Benedictum Leodienſem è Provincia Leodienſi in Helveticam quà Commiſſarium Generalem, deſtinatum in partes ſuas traxerit. Etſi enim hic Authoritate Apoſtolica præditus fuerit, non ſolùm Helveticam Provinciam viſitandi; ſed &, quatenùs Poteſtates ſæculares conſenſum, & arbitrium ſuum contulerint, dividendi; mentem tamen, manúmque ſuam minimè diviſioni promovendæ, ſed potiùs impediendæ, & rebus in ſtatu ſuo relinquendis applicuit, iisdem, quibus Illuſtriſſimus D. Nuncius, rationibus præoccupatus.

Mirabile ſanè fuerat, quòd hic clementiſſimus Capucinorum Benefactor, beneficentiſſimus Cultor, Pater, atque Divi Caroli Borromæi ſanguine, familia, & impenſo in Ordinem Seraphicum ſtudio genuinus hæres; horum tamen enixis, & frequentatis inſtantiis ſe tam auſterum, & inexorabilem præbuerit, ut quidquid hi validiſſimorum argumentorum, & rationabilium precum adhibuerant marpeſiæ cauti ſcriptitâſſe ſe triſtiſſimè experti ſint. Compertum verò fuit illam Illuſtriſſimi D. Nuncii cauſæ noſtræ inimicandi obſtinationem ex flagranti in Capucinos amore ortum habuiſſe; utpote quos à ſe elongari noluit, quia amavit.

IV. Ad hanc difficultatum claſſem referri poteſt Celſiſſimi ac Reverendiſſimi

diſſimi Domini Ordinarii Conſtantien. itidem clementiſſimè concepta, nec obſcurè manifeſtata ſuper hujus Provinciæ diviſione diſplicentia; cujus motivum fuerat ipſa Epiſcopalis emolumenti ſui ſollicitudo, qua cavere ſtuduerat, ne Patres Suevo-Auſtriaci ab Helvetis ſegregarentur, perſuaſus, quòd per hos in Helvetia, in quam longè latéque porrigitur ejusdem Epiſcopatus, rebus, quæ ad eum quomodocunque pertinuerant, meliùs proſpectum eſſet; ipſiúsque dignitas, honor, & reſpectus conſervaretur. Quapropter collatis cum altè fato Illuſtriſſimo D. Nuncio viribus, & conſiliis hujusmodi ſeparationi mordicùs adverſabatur; in eam quoque ſententiam comparatus, ùt inconvenientiis ex mixtura utriusque gentis hominum naſci creditis, aut jam natis per alia opportuna remedia obviaretur, & factâ quadam Fratrum ſegregatione Superioribus in eadem unita Provincia promiſcuè exiſtentibus, & exſtituris pro pacis, & tranquillitatis religioſæ manutenentia benevisâ ipſi PP. Auſtriaci pedem ex Helvetia nunquam penitùs efferrent. Et cùm comperiſſet, quòd ipſa Sereniſſima Domus Auſtriaca in diviſionem propenderet, háncque graviſſimis recommendatitiis Romæ urgeret, precibus Capucinorum tandem condeſcendens & ipſus ſuas ad ſacram Congregationem de propaganda Fide promotoriales de dato Conſtantiæ 3. Martij 1667. emanavit; ſed tales, quæ clauſulas quasdam potiùs cauſæ derogatorias, quàm promotorias comprehendebant: quas tamen Capucini deprecabantur, & ut pro iis propoſito ſuo directiùs opportuna ſubſtitueret, humillimè rogabant, atque etiam impetrabant.

V. Sed ipſi quoque Inclyti Helveto-Catholici Ordines velis remisque contra hanc Provinciæ partitionem obnitebantur, ac ne hujus negotiatio ullos caperet proceſſus, eorum in hanc diſſenſus efficax remora fuit omnes eludens conatus, quæ tranſilienda, aut rumpenda fuerat Actoribus, ſecùs nihil utiliter operaturis. Equidem vehementiores, & frequentiores Capucinorum Romæ oblatas preces hoc unum excipiebat, & retundebat repagulum: Non proceſſuram diviſionem Provinciæ, niſi Inclyti Cantones Orthodoxi in hanc conſenſerint. Huic fundamento nixus Reverendiſſimus, & Illuſtriſſimus D. Nuncius Lucernenſis; hoc fretus Eminentiſſimus D. Cardinalis Protector Ordinis; ad iſtud reſpiciens Sanctiſſimus D. N. Alexander VII. & animum & manum huic operi ſe admoturos perpetuò negabant, omnémque vel hujus mentionem nauſeabant. Unde verò ea Ordinum Helvetorum reſiſtentia originem duxerit, non vacat hîc indagare. Nos benigni interpretes eam ceu eximii favoris argumentum agnoſcentes perhumano illorum in Patres Suevo-Auſtriacos ſtudio tribuimus; quo nempè perenni horum converſatione frui affectabant; ideóque ne hâc deſtituerentur, Provinciarum partitionem impedire conabantur. Etſi enim aliquando Tugienſis, & Suitenſis Cantones in illa animorum exulceratione, occaſione proceſſûs Zvveyerani ſubortâ hoſce Patres, tanquam præſumptos Helvetiæ turbatores, quàm longiſſimè à finibus ſuis eliminatos cuperent, atque in hunc finem duos Romam Oratores deputarent, qui in Curia Pontificia hujusmodi diviſionem negotiarentur: huic tamen eorum propoſito, & conatibus in-

fermenti acredine conceptis celebriores Cantones nec cooperari, nec annuere, nec dictam legationem unquam approbare voluerunt; quin & diviſioni tunc, vel quandocunque ab aliis ſollicitandæ conſtanter ſe reclamaturos aſſeruerunt.

VI. Validiſſimum præ aliis cauſæ Antagoniſtam egerat Eminentiſſimus D. Cardinalis Farneſius Ordinis Protector, quo Achille reſiſtente impoſſibile fuerat, ut Pars oratrix conſilia ſua ad optatos effectus deducere valeret; qualitate Protectoris machinationibus ejus adverſariis authoritatem conferente; ut qui præſumitur velle & poſſe omni meliori modo conſulere Religionis bono, econtra malum quodcunque ab ea arcere. Cùm igitur judicio ejus ſeu per alios præoccupato, ſeu privatis rationibus imprægnato Provinciarum Germanicarum diviſiones tanquam enorme aliquod malum contemplatus fuerit: ita has anque pejùs averſari ſtatuit. Sic enim hic ad Eminentiſſimum D. Electorem Colonienſem ſub dato 18. Julij 1665. mentem ſuam explicavit: *Religio Capucinorum in Germania, tametſi intra certum locorum numerum contineri debuiſſet; nihilominùs creſcente indies Benefactorum in ſe propenſione, ac munificentia, inſtituit pro mero uſu Religioſorum, nulloque juvandi proximi reſpectu novos itendidem Conventus amplecti: jámque usque eò ſe ſe dilatavit, ut amiſſâ corporis proportione, & multis jam membris, iisque externis exanimata eo vigore careat, qui à Superioris Provincialis viſitatione derivari ſolet. De quo quidem malo reſecando actum eſt in Capitulo Generali Superioribus annis Romæ coacto: ubi multi ex Fratribus cenſuerunt, Religionem plùs juſtò diffuſam, ac diſtractam eſſe, nec Capucinorum Inſtituto, quod ſummæ perfectionis eſt, reſpondere; adeóque Provinciam ad juſtam Conventuum proportionem revocandam, repudiatis, dimiſsísque reliquis, utpote etiam inutilibus, et ſuperfluis. &c.* Igitur hic Eminentiſſimus diviſionem veluti inviſum, tantúmque Religionis malum ſibi præfiguravit, vel verosimiliùs ab aliis livido oculo propagationem Ordinis in Germania (non item in Italia) aſpicientibus præfigurari paſſus eſt, ut pro eo avertendo oportuiſſet potiùs illos Conventus deſerere, quorum acceſſu Provincia incrementabatur, & neceſſitas diviſionis naſcebatur.

Quin & hic Ordinis Protector in ſenſum ſuum pellexit Cæſareum ad Curiam Romanam Agentem, & Rotæ Auditorem Dominum Joannem Emerix; qui contrà, quàm à ſummis Principalibus ſuis, tum Excelſo Regimine Ænipontano; tum ab ipſo Auguſtiſſimo Imperatore Leopoldo I. fuerat inſtructus, potiùs ſupprimendæ, quàm promovendæ diviſioni operam navâſſe deprehenſus eſt in litteris Romæ 11. Decemb. 1666. ad Auguſtiſſimum emanatis; quarum tenorem præter argumentorum inibi contentorum futilitatem vel ideò etiam dedignamur attexere, quòd in eo tantum inclytos Helveticæ nationis Patres deprimat, & annihilet; quàm Anterior-Auſtriacos (odioſum his lenocinij Genus?) elogijs celebrat, atque commendat; inſuper & quòd minoris fuerint ponderis adducta rationum momenta, utpote nec micam ſalis habentia, quàm ut negotij diviſionis curſum ſiſterent.

VII. Saltem econtra longè major difficultas emerſit ex modo diviſionis.

Ta-

Tametſi enim ipſi Patres Helveti non ſolùm manifeſtam dividundæ Provinciæ neceſſitatem agnoverint; ſed & ad hanc evincendam Patribus Anterior-Auſtriacis ſtrenuè collaboraverint: quia tamen menſuram, & modum dividendi dictârunt, qui iniri nullatenùs poterat, ipſi diviſioni obſtitiſſe dicendi ſunt. Ex quodam nimirùm in Auguſtiſſimam Domum Auſtriacam, tanquam è terra ſua primitùs ortam ſubmiſſiſſimæ devotionis reſpectu grave ſibi ajebant accidere, ut ab omni cum hac impoſterùm connexione avellerentur! hinc affectabant quodammodò in jactatæ devotionis rememorativam occaſionem quosdam Conventus ditionis Auſtriacæ; nempè Conſtantienſem, & quatuor alios verſùs Tyrolim ſpectantes: Brigantinum, Bezavienſem, Veldkirchenſem, & Bludentinum: vel cum Conſtantienſi quatuor alios deorsùm juxta Rhenum versùs Brisgoiam tendentes, Waldishuttanum, Lauffenburgenſem, Rhenofeldenſem, & Neoburgenſem ſibi remanere: quorum vice aliquos in Turgoja, & Alſatia finibus Auſtriacis propinquiores ſe ſe ceſſuros offerebant. Verùm præter rationes, quas Patres Auſtriaci ad demonſtrandam hujus dictaminis impractibilitatem congeſſerant, eo rumore Ænipontum uſque ad ipſum Sereniſſimum Archi-Ducem Auſtriæ Sigismundum Franciſcum perlatô ipſe quoque huic ſe fortiter oppoſuit, & per decretum publicavit: non admiſſurum ſe, ut quædam loca, & Conventus Capucinorum in terris Anterior-Auſtriacis exiſtentes Provinciæ Helveticæ aggregentur. Imò etiam ipſæ Civitates Lauffenberga, & Rhenofelda ſub die 27. & 28. Aprilis 1664. ſolennibus contra hanc Conventuum ſuorum ad Helvetiæ Provinciam aggregationem litteris fuerunt proteſtatæ, utpote nec ſibi, neque etiam Sereniſſimæ Domui Auſtriacæ ex multis capitibus convenientem.

Hoc ipſum ſyſtema Auguſtiſſimus Rom. Imp. Leopoldus, qui extinctâ in Sigismundo Franciſco Archi-Ducali linea Tyrolensi in omnes ditiones Anterior-Auſtriacas pleno jure ſucceſſerat, penitùs antiquatum, nulliúsque executionis eſſe voluit. Inde alij alias diviſionis idæas formârunt, quas ipſo ſui non uſu annullatas non attinet hîc enumerari, manentibus PP. Suevo-Auſtriacis in propoſito habendi diviſionem integram, & talem, quæ ſit rationi, & æquitati naturali conformior, ab incommodis ex qualibet alia timendis ſecurior, mentíque Auguſtiſſimi Imperatoris, & ſummis hujus Dicaſteriis Ænipontano, & Friburgenſi optabilior, Principibus, & Statibus tam Auſtriacis, quàm Imperialibus; Urbibus, & Communitatibus acceptabilior; quæque etiam Cantonibus Helvetiæ, imò ipſi Chriſtianiſſimo Galliarum Regi probaretur; qualis nempè eſt ſequenti §. ſtatuenda.

VIII. Hanc tamen ſolus remorari, & ſubvertere nitebatur Eminentiſſimus D. Cardinalis Protector, qui contra omnia allegata diviſionis motiva, & Principum eam urgentium inſtantias duo adinvenit remedia, quibus Provinciæ gravaminibus ſuccurri poſſe arbitrabatur, absque ut dividatur in duas: quorum primum eſt deſertio Conventuum in exceſſivo numero ſuſceptorum. Vel ſi hoc fieri nequeat, ſit ſecundum: ut ſcilicet Conventus nimij aliis Provinciis confinibus, & pauciores Conventus habentibus

tibus relinquantur. Verùm nihil eſſe poterat, quod æquè jugulum Provinciis Germanicis peteret, quam ſuggeſtum hoc diviſionis ſimulacrum. Non ſolùm equidem iſtud graviſſimum ſcandalum, ingentem tumultum, & palmarem hominibus, præſertim Benefactoribus, & Conventuum Fundatoribus offenſionem generaret; ſed ipſis etiam Capucinis maximum bonæ exiſtimationis diſpendium, aliáque nocumenta irrogaret. Quapropter nonnulli Patrum acerbiori non nihil tono cum Eminentiſſimo D. Protectore agendum, illíque ad mentem revocandum arbitrati ſunt, quòd iſthæc ejus adverſus diviſionem repugnantia, & exotica dividendi idæa plurimum abluderet ab ea Religionis tutela, quâ olim ejus honorem in Alma Urbe iniquis maleferiatorum linguis fædè laceſſitum publicô ſcriptô defendendum ſuſceperat, & rumorem adverſus Capucinos vulgatum ceu falſum, & temerarium confuderat. Protectionis ſuæ gratiam deberi Capucinis non ſolùm Italis, ſed Germanis quoque. Mente recoleret, quid, cùm Prælati, Magnates, Status, Urbes, Communitates præteritorum bellorum, & calamitatum recordatione, in quibus Capucini ipſis, & eorum Anteceſſoribus ſpiritualia ſua detulerunt obſequia, Capucinos introduxerint, Monaſteria eis erexerint, illósque ſumma beneficentia complexi fuerint, memores, quòd in defectu Operariorum partim bello fugatorum, partim peſte ſublatorum ſine Apoſtolica Capucinorum aſſiſtentia multa animarum millia absque Sacramentis obiiſſent; plures Parochiæ, & beneficia Eccleſiaſtica peſſumiviſſent, nonnullorúmque Communitates hæreſum torrente abreptæ fuiſſent, quid, inquam, hi Benefactores &c. ad hujusmodi diviſionem dicerent? quo animo Capucinorum emigrationem laturi; quibus oculis Conventuum deſertiones intuituri; qui rumores, quæ adverſa judicia, quæ ſiniſtræ oblocutiones contra Religioſos ſtationum ſuarum deſertores eſſent ſuſcitandæ? Nuspiam enim coloniæ regularis abolitio, & Religioſorum à quodam loco eliminatio graviſſimi delicti ſuſpicione caret; & Monaſterium ſuâ culpâ præſumitur extinctum, quod vacare jubetur. Quòd ſi autem ab hac mali cujuspiam perpetrati ſuſpicione immunes proprio motu emigrationem facere crederentur, tunc enim verò in apertum mali perpetrandi præjudicium ſemet conjicient: damnabuntur maximæ erga Benefactores ſuos ingratitudinis; frigeſcentis in Dei honore, & animarum ſalute charitatis, & præpoſteri ad ſectandam commodiorem vitam ſtudii; in cujus deteſtationem, & ad lamentandam Conventuum remanentium devaſtationem advocabunt alios Religioſos, & in præfatis Conventibus exiſtentes averſabuntur, déque illis pariter eliminandis conſilia miſcebunt: quæ, & plurima alia Provinciæ mala certiſſimi forent Farneſiani Syſtematis partus, ùt norunt, quibus Germanicarum Provinciarum ſitus, hominum indoles, genius, & Mendicantium ergà ſe mutuò altercans æmulatio explorata eſt.

His accedit enorme damnum ipſi Eccleſiæ Catholicæ emerſurum, ut nil de ceſſaturo animarum lucro dicamus. Tollantur ſtationes noſtræ olim ex arbitrio ſummi Paſtoris, Gregorij XIII. & Zelo ſanctiſſimi Præſulis Caroli Borromæi contra Phyliſthym poſitæ; atque in agrum

hunc

hunc Suevo-Helvetum ſpinis & tribulis hæreſum undequaque obſitum repurgandum, excolendúmque deſtinatæ: Curia, & Sarganſium contra Rhætos Zvvinglianos: adverſus Calvinianos Artha, Oltha, Entlibuech, Frauen- & Rhenofelda; contra Lutheranos Biberacum, Ravenſpurgum, Wilerſtadium, & Delemontum (his enim, & pluribus aliis, tanquam ſupernumerariis, *inutilibus, atque ad ſolum uſum, & voluptatem Religioſorum, ſine ullo reſpectu proximi juvandi*, uti habet conſilium Eminentiſſimi D. Protectoris, *ſuſceptis*, jugulum petebatur, & ſecuris ad radicem ponenda fuerat) fiat, inquam, huic propoſito ſatis; fallar, niſi tantum exinde ſibi gratulatura ſit hæreſis, quantum Religio Catholica de periculo ſuo in illis partibus lamentatura.

Quod alterum remedium Farneſianum attinet, facilis fuit in arena ipſius ſuffocatio; cùm ob notam linguarum, geniorum, affectuum, & dominatuum diverſitatem nullatenùs conveniens; ſed prorsùs impoſſibilis cenſeretur aliquorum Conventuum Germanorum ad Provincias Lotharingicam, Burgundicam, Sabaudam, Mediolanenſem &c. quibus Provincia Suevo-Helveta circumcingitur, aggregatio, ac ceſſio; cùm harum Provinciarum Moderatores & Alumni contra hanc alienigeram Religioſorum ſibi inutilium, & in multis diſſimilium obtruſionem proteſtaturi: Magnates autem territoriales hominum, quos inimicæ poteſtatis ſubditos noſcerent, & ideò de fide ſuſpectos haberent, in terras ſuas ingreſſui obſtituri: aliqui Conventus viſitationis beneficio, Viſitatoribus alienæ nationis in eos non admittendis, carituri: Multi verò Status ægerrimè ſuorum Conterraneorum, ac reſpectivè ſubditorum in exteras Provincias quaſi relegationem laturi eſſent. Tyrolenſis autem, & Colonienſis Provinciæ, quæ ab oriente, & occidente Suevo-Helveticam attingunt, auctarios Conventus vel ideò admittere haud poſſent, quòd ipſæmet ob ſui vaſtitatem diviſionem moliantur.

Superatis hisce ſaltibus rationum momenta, quæ diviſionem ceu ſummè neceſſariam ſuadebant, & frequentatæ Auguſtiſſimi Imperatoris inſtantiæ tandem eò usque prævaluerunt, ut Definitio Generalis iis convicta poſt nonnullam rerum alterationem plenum dederit conſenſum; & ipſe Summus Pontifex Clemens IX. de die 7. Septemb. 1667. Breve Apoſtolicum impertitus ſit, cujus virtute ad actualem diviſionem mox procedi debuiſſet. Sed Reverendiſſimo P. Generale ad ultimos Italiæ fines negotiis abrepto moram res nacta ad Calendas græcas rejicienda timebatur. Abruptâ tamen per induſtriam Eminentiſſimi D. Cardinalis de Haſſia, Protectoris Germaniæ, & Fautoris noſtri clementiſſimi morâ ſapientiſſimo conſilio Summum Pontificem induxit, ut Reverendiſſimum P. Stephanum de Cæſéna conſtituerit Generalem Commiſſarium, ac neceſſariâ authoritate inſtructum ad exequendam, maturandámque diviſionem in Helvetiam deſtinaverit. IX.

Ne verò P. Commiſſarius negotium præter intentionem Eminentiſſimi Domini Protectoris acceleraret, Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus D. Nuncius Lucernenſis Federicus Ubaldus, qui Borromæo ad gubernium Almæ Urbis vocato ſucceſſerat, ex ingenio Eminentiſſimi Card. Far-

neſii ſcrupulum movebat Reverendiſſimo P. Commiſſario, ex clauſula Brevis, *peracta viſitatione*, inferens, omnia utriusque Provinciæ loca perſonaliter eſſe viſitanda; quo nil intendebatur aliud, quàm negotii protelatio, ſub qua nova obſtacula cuderentur. Licèt verò RR. PP. id neque de mente Sanctiſſimi, neque de tenore Reſcriptorum, neque de praxi, nec etiam de neceſſitate eſſe P. Commiſſarium edocuerint, ſcrupulóque exemerint; ut adeóque hic viſitatis nonnullis Cuſtodiis, & facta cuilibet Fratrum ſe accedendi copia in menſe Januario 1668. citatorias ad Capitulum Provinciale conciperet: ut tamen & Illuſtriſſimi Domini Nuncii intento aliquem morem gereret, ob prætenſas quasdam cauſationes præfatum Capitulum uſque ad 17. Aprilis dilatum voluit; inſpergente præſertim Illuſtriſſimo D. Nuncio, res nondum eſſe adæquatè planas; ſed contradicere adhuc quosdam Status; & præſertim Potentiſſimum Hiſpaniæ Regem &c. Prout revera Hiſpani aliquorum inſtinctu excitati, cùm Regi Catholico pernicioſum fore arbitrarentur, ſi Anterior-Auſtriaci Patres, utpote nationi Hiſpanicæ ex reſpectu dependentiæ à Domo Auſtriaca affecti, ex Helvetia migrarent; ut per quos factio Hiſpanica ibidem & conſervari, & augeri poſſet, ac deberet; Principis ſui intereſſe ſe manutenturos credentes, ſi diviſionis negotium diſſiparent, nullum non movebant lapidem, quò hoc ſubrueretur: hinc & per canalem aliorum Hiſpaniæ Oratorum tum Romæ, tum Viennæ acerbiſſimè in contrarium agebant; ut ſic poſt Imperatorem, Regem Galliæ, aliósque tot Principes, & Status nunc etiam Potentiſſimus Hiſpaniarum Rex partem ſibi in hoc diviſionis opere vendicare contenderet. Quemadmodùm autem frivolæ hujusmodi adinventiones, quarum fines omnibus ſe cornibus prodiderunt, ad inſignem Capucinorum Inſtituti ruborem vergebant; quaſi verò hi ad politica Magnatum commoda quidquam conferre poſſent, & deberent, aut ad ea curanda ſe auderent impendere, quòd ſanè cum *ſummæ perfectionis ſtatu* haud conveniret: hinc ignominioſam hanc ſui exiſtimationem omni modo propulſandam, & ceu chymericam, ac cerebri alia & alia parturientis embryonem ſubvertendam aſſumpſerunt Capucini, ut quibus, & quorum centonibus nil cum Regum Purpura negotii eſſet. Interim hæ ipſæ diſceptationes in, & extra Ordinem agitatæ intentum ab earum fabris, ſed odioſum Capucinis ſcopum, dilationem nempè Capituli, ac proinde & diviſionis aſſecutæ ſunt. His verò à vento natis in natalem auram ſufflatis, & tempore, ac patientia ſuperatis tandem appropinquavit terminus Capituli, & diviſionis actu celebrandæ; quam cùm Eminentiſſimus Dominus Protector non ampliùs poſſet reddere nullam; ſtuduit tamen reddere maximè oneroſam, ac talem, ut Provinciæ non minùs pudoris, quàm præjudicii attuliſſet. Duabus ſiquidem conditionibus ſine quibus diviſionis beneficium conferri non deberet, eam arctatam voluit, quarum prima: ut Provinciæ diviſæ in Capitulis Generalibus vota plura habere non audeant, niſi quanta, & quota hucusque unitæ habuerint. Secunda: ne diviſæ Provinciæ impoſterùm loca reciperent, & Conventus erigerent, absque expreſſa Sedis Apoſtolicæ licentia. Illi priori

priori quidem Patres pro hic & nunc aquieſcendum duxerunt, reſervato ſibi jure eam ſuo tempore excutiendi. Alteram verò utpote ex plurimis titulis ſibi probroſam, atque damnoſam apud Eminentiſſimum D. Cardinalem Protectorem ſupplici libello deprecari inſtituerunt.

Non conſtat, an harum remonſtrationum aliquam habuerit attentionem, licèt conſtet eas optatiſſimos habuiſſe effectus. Cùm enim Eminentiſſimus hic Protector die 18. Februarii 1668. ad immortalia abreptus eſſet, ejus in Protectoratu ſucceſſor Eminentiſſimus D. Cardinalis Bonellius in cauſam noſtram docilior mox opportuna maturandæ, atque tandem exequendæ diviſionis mandata expedivit, & ſepoſito ſupradictarum conditionum lapide, remotísque aliis per Eminentiſſimum & Sereniſſimum D. Cardinalem de Haſſia in Alma Urbe contradictionibus ad projectatam à PP. Suevo-Auſtriacis, & exhibitam diviſionis idæam, ne deinceps à flamma ad fumum tranſire contingat, litésque ex litibus ſerantur, aut poſt bellum tumultus audirentur, à Reverendiſſimo P. Commiſſario fieri juſſit. Hic ergò talibus mandatis obtemperans Capitulum in diem 17. Aprilis congregandum promulgavit, citavítque Capitulares ad diem 15. ejusdem menſis ad locum, & Conventum Wilanum in Turgoja, quatenùs circa agenda, atque ut omnia legitimè, & ordinatè procedant, cum Primoribus, & Senioribus Provinciæ utriusque prævias, ac neceſſarias conſultationes inſtituere queat.

§. III.

Succeſſus & ſeries Diviſionis.

POſtquam omnes, & ſinguli in præfato Capitulari loco ſe præſentes ſtitiſſent, P. Commiſſarius cum Primoribus, & ſenioribus Provinciarum in ſequentia puncta præliminaria condixit. Primò: Diviſionem ante Capitulares Electiones faciendas eſſe. 2. Ante electiones interrogandos eſſe Fratres Capitulo adfuturos, quam intendant partem facta diviſione eligere: & ut illi, qui ex nativa ad aliam Provinciam tranſire cuperent, Patribus ejus Provinciæ tranſitûs ſui cauſas exponerent; ac poſtmodùm migrandi licentiam à Reverendiſſimo P. Commiſſario Generali poſtularent; quam ipſe vel negare, vel concedere poſſet, prout in Domino eſſet judicaturus. 3. Juxta id, quod in ultimo Capitulo Generali declaratum fuerat, in reali Provinciæ unius in duas formales ſeparatione Miniſtrum Provincialem, qui immediatè ante Provinciæ diviſionem per completum triennium jam hoc defungebatur officio, absque eo, quòd aliquod interſtitium à prævie adminiſtrato munere feciſſet, rursùs paſſivè ad Provincialatum concurrere poſſe: eò quòd haud amplius una, ſed duæ diſtinctæ, & differentes ſint Provinciæ; & quælibet conſiderato præcedentis unionis ſtatu, reſpectu Provincialis creandi ſit altera, & nova: ut adeóque ſalvâ Conſtitutio- L.

num noſtrarum litterâ hodie unitæ Provinciæ Miniſter, cras in ſeparatæ Miniſter aſſumi queat.

II. Sequente die 16. Aprilis poſt ſolenne de ſpiritu ſancto ſacrificium, ipſum diviſionis Decretum à Reverendiſſimo P. Commiſſario confectum in corona omnium Capitularium à R. P. Zacharia de Bononia prælectum, ac poſt trinam interrogationem ab omnibus, nemine prorſus contradicente, acceptatum; & exinde ſolenniter à Reverendiſſimo P. Stephano à Cæſéna Viſitatore, & Commiſſario Apoſtolico confirmatum, & perpetuo robore ſtabilitum fuit; quod hîc adnectimus.

Decretum Diviſionis

Totius Provinciæ Capucinorum Helvetiæ in duas; Helveticam nempè, & Rhenanam ſuperiorem, ſeu ſuevicam nuncupandam, ſejunctæ, & ſeggregatæ vigore Brevis Pontificii, ac SS. D. N. Clementis IX. authoritate factum, publicatum, atque executioni mandatum ab A.R.P. F. Stephano à Cæſéna Viſitatore, & Commiſſario Apoſtolico, in Capitulo, Comitiiſque Provincialibus habitis in loco noſtro vvilæ Turgojæ, almi Principatûs S. Galli die 16. Aprilis Anni 1668.

In Nomine Sanctiſſimæ & Individuæ Trinitatis, & Humanitatis JEſu Chriſti Domini noſtri Beatiſſimæque ſemper Virginis Mariæ, ac Seraphici Patris noſtri Franciſci. Amen.

» Quia (magiſtrâ experientiâ) evidenter patuit, frequentem Mi-
» niſtri Provincialis in anno per ſingulos Provinciæ ſuæ Conventus diſ-
» curſum, & viſitationem adeò Regulari obſervantiæ eſſe neceſſariam,
» ut vix ſemel poſſit intermitti, quin vitæ auſteritas, ſeveritas morum,
» & totius diſciplinæ Religioſæ ædificium ruinæ fiat proximum. Hinc
» eſt quod cùm in pluribus noſtris Generalibus Comitiis in Alma Urbe
» celebratis, & potiſſimùm in præterito anni elapſi Capitulo 1667.
» coram tota definitione; nec non & in viſitationibus plurium Patrum
» Generalium multoties expoſitum fuerit, atque ab ipſismet beneviſum,

&

& compertum, Provinciam Helveticam ita finibus, & ambitu vastam, „
numerositate Conventuum adeò dilatatam esse, ut minimè possibile „
sit Ministro Provinciali singulis ejusdem Provinciæ Conventibus bi- „
nas (imò nec ferè unam integram) visitationes exhibere; atque adeò „
sancitum, dividendam fore; quippè quæ pro situs opportunitate, & „
Monasteriorum multitudine de facili in duas excrescere valeat; & „
resecari Provincias. Pro cujus divisionis executione exoratus mo- „
dernus summus Pontifex Clemens IX. libentissimè votis annuit (in- „
stantibus, & petentibus, imò urgentibus variis Magnatibus, & præ- „
sertim Sac. Cæs. Majestate Leopoldi I. Imperatoris feliciter regnantis „
per Serenissimum & Eminentissimum DD. Cardinalem de Hassia, at- „
que Illustrissimis Dominis de Cantonibus Catholicis) & sic Breve „
super hoc specialiter concessum, Admodúmque Reverendo Patri „
nostro Generali Fortunato à Cadoro porrectum, & exhibitum emi- „
sit, tenoris sequentis, videlicet. „

Dilecto Filio Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum

CLEMENS PAPA IX.

Dilecte Fili, salutem & Apostolicam Benedictionem. „

Nobis nuper exponi fecerunt dilecti Filii, Fratres Provinciæ Hel- „
veticæ Ordinis tui Minorum Capucinorum nuncupatorum, quòd „
in Capitulo generali dicti Ordinis novissimè in hac Alma Urbe celebra- „
to Definitio generalis benè perspectum habens Provinciæ præfatæ ni- „
miam vastitatem, ob quam uni soli Ministro Provinciali penitus est „
impossibilis visitatio consueta, vigore Regulæ, & Constitutionum „
generalium omnino requisita ad conservandam disciplinam Regula- „
rem; aliisque causis gravissimis consideratis, censuit eidem Provinciæ „
subveniendum esse per convenientem divisionem de S. Sedis Apostoli- „
cæ licentia faciendam. Quare ipsi Exponentes nobis humiliter sup- „
plicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportunè providere, &, ut „
infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. „

Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati; ac de tua fide, „
prudentia, charitate, vigilantia, pietate, integritate, & Religionis „
zelo plurimùm in Domino confisi Tibi, ut in actu visitationis me- „
moratæ Provinciæ à Te, benedicente Domino, faciendæ, eamdem „
Provinciam in duas: unam quidem Helveticam; alteram verò Rhe- „
nanam superiorem, seu Suevicam respectivè nuncupandas, authori- „
tate nostra Apostolicâ dividere, ac utrique Provinciæ hujusmodi „
Conventus, Domus, & Hospitia Provinciæ sic dividendæ respectivè „
assignare, cæteráque in præmissis, & circa ea quomodolibet neces- „

„ ſaria, & opportuna facere, & exequi liberè, & licitè poſſis, ac va-
„ leas; facultatem & licentiam authoritate præfata, tenore præſentium,
„ tribuimus, & impertimur. Eâ tamen lege, ut per ejusmodi divi-
„ ſionem ſuffragia in Capitulis generalibus Ordinis præfati augeri non
„ poſſint; ſed cujusque Provinciæ ſic diviſæ Miniſtri Provinciales unà
„ cum Cuſtode alternatim eligendo in dicto Capitulo intervenire de-
„ beant; ita ut tria tantùm vota, nempè duorum Miniſtrorum Pro-
„ vincialium, & unius Cuſtodis conſtituant: útque in præfatis Provin-
„ ciis diviſis novi Conventus erigi impoſterùm nullatenùs poſſint ſine
„ expreſſa licentia Sanctæ dictæ Sedis, per litteras in ſimili forma Bre-
„ vis expedienda, quæ deroget hujusmodi prohibitioni, non obſtan-
„ te, felicis recordationis Urbani VIII. Prædeceſſoris noſtri litteris 18.
„ Junii emanatis, per quas inter alia Provinciarum dicti Ordinis diviſio
„ prohibita reperitur; aliisque Conſtitutionibus, & ordinationibus
„ Apoſtolicis, nec non Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, etiam ju-
„ ramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate robo-
„ ratis, ſtatutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque indultis, &
„ litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet con-
„ ceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illo-
„ rum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, &
„ inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum
„ effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæ-
„ terisque contrariis quibuscunque &c. Datum Romæ apud S. Ma-
„ riam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 17. Septembris 1667. Pon-
„ tificatûs noſtri primo.

J. G. Sluſius.

„ Poſteà verò cùm idem A.R.P. Generalis, utì aliis præpeditus ne-
„ gotiis, ac urgente ipſius viſitatione in extremis Italiæ Plagis haud
„ potuerit intereſſe diviſioni, & ita ſupradictum Breve nullatenùs ef-
„ fectum ſuum ſortiri: idem D. Papa de hoc certioratus, & denuò
„ ſupplicatus aliud expedivit Breve, nobis immediatè tanquam Viſitatori,
„ atque Commiſſario Apoſtolico ſuper iſtam diviſionem directum, &
„ emanatum; ex cujus tenore (utì de Verbo ad Verbum ſic fideli-
„ ter deſcriptum) quidquid in eo mandat, & præcipit Sanctitas Sua,
„ rimari cuilibet licebit.

Dilecto Filio Stephano à Cæſena, Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum Profeſſori

CLEMENS PAPA IX.

„ Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

„ Alias pro parte dilectorum Filiorum Fratrum Provinciæ Helveti-

cæ

tæ Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum nobis „
expoſito, quòd in Capitulo generali dicti Ordinis noviſſimè in hac „
Alma Urbe celebrato Definitio generalis benè perſpectum habens „
Provinciæ præfatæ nimiam vaſtitatem, ob quam uni ſoli Miniſtro Pro- „
vinciali penitùs eſt impoſſibilis viſitatio conſueta, vigore Regulæ, & „
Conſtitutionum generalium omninò requiſita ad conſervandam dis- „
ciplinam Regularem; aliisque graviſſimis cauſis conſideratis, cenſue- „
rat eidem ſubveniendum eſſe per convenientem diviſionem, de hujus Sac. „
Sedis Apoſtolicæ licentia faciendam. Nos ſupplicationibus dictorum „
Exponentium nomine nobis ſupra hoc humiliter porrectis inclinati „
dilecto Filio Miniſtro Generali Ordinis præfati; ut in actu viſitationis „
memoratæ Provinciæ ab eo faciendæ, eamdem Provinciam in duas: „
unam quidem Helveticam, alteram verò Rhenanam ſuperiorem, ſeu „
Suevicam reſpectivè nuncupandas, Authoritate noſtra Apoſtolicâ di- „
videre, ac utrique Provinciæ hujusmodi Conventus, Domos, & „
Hoſpitia Provinciæ ſic dividundæ reſpectivè aſſignare, cæteráque in „
præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria, & opportuna facere, „
& exequi liberè, & licitè poſſet, ac valeret, facultatem, & licen- „
tiam eadem Authoritate tribuimus, & impertiti ſumus; ea ta- „
men lege, ut per hujusmodi diviſionem ſuffragia in Capitulis gene- „
ralibus Ordinis præfati augeri non poſſent; ſed cujusque Provinciæ „
ſic diviſæ Miniſtri Provinciales unà cum Cuſtode alternatim eligendo „
in dicto Capitulo intervenire deberent; ita ut tria tantùm vota; „
nempè duorum Miniſtrorum Provincialium, & unius Cuſtodis con- „
ſtituerent; útque in præfatis Provinciis diviſis novi Conventus im- „
poſterùm nullatenùs poſſent ſine expreſſa licentia dictæ Sedis per lit- „
teras in ſimili forma Brevis expedienda, quæ derogaret hujusmodi „
prohibitioni, & aliàs prout noſtris deſuper, & in forma Brevis die „
7. Septembris proximè præteriti expeditis litteris (quarum teno- „
rem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſo, ac de verbo „
ad verbum inſerto haberi volumus) uberiùs continetur. Cùm au- „
tem, ſicut Fratres præfati nobis denuò nuper exponi fecerunt, me- „
moratus Miniſter viſitatione Provinciarum dicti Ordinis in Regno „
Neapolis, & Siciliæ conſiſtentium facienda præpeditus in Helveriam „
tam citò ſe conferre nequeat; intereà verò periculum ſit, ne incom- „
moda, quibus Provincia ſupradicta per nimiam ejus vaſtitatem pre- „
mitur, magis ingraveſcant; nobis propterea iidem Fratres humili- „
ter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportunè providere de be- „
nignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſos Fratres ſpeciali „
favore gratiæ proſequi volentes, & eorum ſingulares Perſonas à qui- „
busvis Excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque Ec- „
cleſiaſticis ſententiis, Cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine qua- „
vis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ „
exiſtant, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum „
ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujusmodi ſuppli- „
cationibus inclinati, ac de tua fide, prudentia, Ordinis uſu, integri- „

„ tate, & Religionis Zelo plurimùm in Domino confiſi, te ſupradictæ „ Provinciæ Helveticæ Commiſſarium, & Viſitatorem Authoritate Apo„ ſtolica tenore præſentium conſtituimus, & deputamus; Tibique com„ mittimus, & mandamus, ut peractâ hujusmodi viſitatione incommo„ dis ex nimia illa vaſtitate provenientibus ſecundùm datam tibi à Do„ mino prudentiam conſulere ſatagas. Et quatenùs opus ſit, ad divi„ ſionem ejusmodi Provinciæ modô, & formâ præmiſſis, ac ſalvâ re„ manente in reliquis omnibus, & ſingulis ſupradictarum noſtrarum „ litterarum diſpoſitione, procedas. Nos enim quamcunque neceſ„ ſariam, & opportunam ad id facultatem tibi harum ſerie eadem Au„ thoritate tribuimus, & impertimur: non obſtantibus præmiſſis, ac „ omnibus, & ſingulis illis, quæ in eisdem litteris conceſſimus non „ obſtare; cæteriſque contrariis quibuscunque. &c. Datum Romæ „ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 11. Octobris 1667. „ Pontificatûs noſtri Anno primo.

J. G. Sluſius.

„ Quamobrem eâ, quâ decuit, reverentia ſupradicto Brevi A„ poſtolico nobis transmiſſo, etiam per nos acceptato, at„ que in majus ſignum filialis præcipuæ, ac ſubditalis Obedien„ tiæ erga S. Sedem, & eumdum ſummum Pontificem arrepto ſtatim „ itinere (licèt importuna tempeſtate) ex Provincia noſtra Bononienſi „ ad hanc Helveticam convolavimus, ut cuncta nobis in præfato Bre„ vi impoſita, & contenta ſine retardatione demandare executioni poſ„ ſemus, uti, Deo proſperante, & quantùm moraliter poſſibile fuit, „ feliciter abſolvimus. Intereà præmonitis Patribus iſtis de adventu „ noſtro in hanc Provinciam, intimatáque cunctis Fratribus viſitatio„ ne facienda ad mentem Sanctiſſimi, illa majori, qua potuimus, ſo„ lertia ad plura Monaſteria, & loca noſtra inviſenda (ultrà etiam „ quod tempus permiſerit) perſonaliter nos contulimus. Auditis poſt„ modùm ſuperinde Fratribus oretenùs, habitisque litteris ex remotio„ ribus, & abſentibus, auſcultatisque multis Dominis in dignitate ſpi„ rituali, & temporali conſtitutis; aliisve ſæcularibus in voce, & in „ ſcriptis; ſuperatisque omnibus difficultatibus, impedimentis, & ob„ ſtaculis; viſum tandem, repertúmque fuit, & exploratum, neceſſa„ riam omnimodè (nemine ferè diſſentiente) fore, & eſſe ipſammet di„ viſionem: nec non periculum non aſpernandum in mora diutiùs pro„ trahenda imminere, variis undequaque confluentibus, & concurren„ tibus rationibus, & cauſis. Subinde quoque dimiſſis, ac relaxatis à „ nobis epiſtolis circulatoriis ad creandos Diſcretos in ſingulis Conven„ tibus, & pro Capitulo congregando in loco noſtro Wilæ Turgojæ „ Principatûs S. Galli pro die, qui eſt hodie, 16. Menſis Aprilis hujus„ ce Anni 1668. congregatisque omnibus congregandis Patribus, Pro„ vinciale, Definitoribus, Cuſtodibus, & Guardianis, atque Diſcretis; „ quibúsque ſic unitis, & in unum Corpus in Nomine Domini redactis „ ad numerum 104. fuit per nos expoſitum, & repetitum Sanctitatis Suæ

Breve

Breve cum facultate Apoſtolicâ nobis ſuper hoc diviſionis negotium „
tradita, & ad noſtrum arbitrium commiſſa. Inſuper exploratis iterum „
atque iterùm prædictorum omnium Patrum, & Vocalium mentibus, „
non ſolùm ad juſſa Pontificia ſe paratos obtulerunt; quin imò omnes „
in ſimul gratias quàm maximas ſuæ Beatitudini egerunt, & diviſio- „
nem eorum Provinciæ perneceſſariam eſſe aſſeveranter annuerunt, & „
perſeveranter conclamârunt. „

Quapropter & nos idem quoque adjudicamus, ſentimus, & con- „
ſulimus ſecundùm datam nobis (uti in Brevi noſtro legimus) à Do- „
mino prudentiam, & intelligentiam; opus nempè eſſe, ut ad hujus- „
modi Provinciæ diviſionem procedatur, ac omninò ſine dilatione de- „
veniatur. His igitur ſtantibus concurrentibus rationibus, ſicut ſupra, „
allatis, aliisque de cauſis à nobis maturè, & ſerioſè diſcuſſis, perpen- „
ſis, & conſideratis, Nos Fr. Stephanus à Cæſéna Viſitator, & Com- „
miſſarius Apoſtolicus, tanquam vice Pontificiâ fungentes in iſto divi- „
ſionis articulo, vigore præſentis Decreti, memoratis Brevibus innixi, „
dicimus, & decernimus, quòd hæc ipſa Provincia, quæ à principio „
usque modò, & ſic integra, indiviſa, atque unita (quoad nos Capu- „
cinos) Helvetica: quippe quæ continebat, & amplexabatur ipſam „
Helvetiam, Sueviam, Brisgojam, & Alſatiam, aliásque fortè Re- „
giones quoquo nomine nuncupatas, ex nunc diviſa, & partita in „
duas exiſtat Capucinorum Provincias; & pro duabus Provinciis hinc „
indè cenſeantur, & in facto ſint duæ diſtinctæ, & ſeparatæ eadem „
Apoſtolica, qua fungimur, Authoritate ſentimus, definimus, & de- „
claramus; non ſolùm iſto, ſed & omni alio meliori modo: ſingu- „
la Monaſteria utrique aſſignando, & dividendo loca, Regiones, & „
Confines ſequenti ſerie & ordine. „

Helveticæ Provinciæ Monaſteria.

1. Altorffium.
2. Stantium.
3. Suitium.
4. Lucerna.
5. Appencella.
6. Badena.
7. Solodorum.
8. Tugium.
9. Frauenfelda.
10. Enſishemium.
11. Rappensvvila.
12. Surlacum.
13. Kienzishemium.
14. Friburgum Noithonum.
15. Bremgarta.
16. Thanna.
17. Briſacum.
18. Hagenoa.
19. Delemontum.
20. Obernehemium.
21. Sulzium.
22. Sarna.
23. Oltha.
24. Melſium.
25. Wila.
26. Seleſtadium.
27. Lanſera.
28. Schupfhemium.
29. Bruntrutum.
30. Curia. Miſſio.
31. Artha. Miſſio.
32. Bullum. Miſſio.
33. Molshemium.

* * *

Suevicæ, ſeu Rhenanæ ſuperioris Provinciæ Monaſteria.

1. Rhenofelda.	10. Cella.	19. Riedlinga.
2. Friburgum Brisgojæ.	11. Ravenſpurgum.	20. Bludentum.
3. Conſtantia.	12. Rottvvila.	21. Immenſtadium.
4. Veldkirchium.	13. Marchiobada.	22. Waldishuttum.
5. Biberacum.	14. Haslachium.	23. Lauffenburgum.
6. Neoburgum.	15. Offenburgum.	24. Marchdorffium.
7. Uberlinga.	16. Brigantium.	25. Villinga.
8. Enga.	17. Wanga.	26. Bezavium.
9. Rottenburgum.	18. Wilerſtadium.	27. Mõſskirchium.

„ Confinia duarum Provinciarum, ſicut ſupra, diviſarum, ſive li-
„ mites ab utraque parte in futurum exactè ſerventur, ampliùs non
„ transgrediendi; cenſeantúrque ſecundùm Rhenum fluvium, ejúsque
„ decurſum, citrà quem una: altera verò terminetur Provincia, à
„ Curia Marchiobadam usque, cum ſuis territoriis extraneas Provin-
„ cias excludentibus; exceptis Curia, & Briſaco, quæ ad Helveticam:
„ & Conſtantia, Lauffenburgo, & Rhenofelda cum ſuis utriusque Pro-
„ vinciæ reſpectivè territoriis, quæ ad Suevo-Rhenanam ſpectabunt.
„ Ita tamen, ut cùm loca quædam unius Provinciæ alterius Conventi-
„ bus adeò propè adjaceant, quòd religioſa ſervitia à propria extraneis
„ præſtari commodè nequeant; vicinioribus Conventibus ea præſtare, atque
„ convenientes inde laborum fructus, & eleemoſynas percipere liceat,
„ prout ex fraterna charitate pro rerum, & temporum ſtatu inter utri-
„ usque Provinciæ Patres Superiores conventum fuerit.

„ Ideircò unaquæque ex dictis duabus Provinciis, ut ſupra, vo-
„ catis, & nuncupatis, impoſterùm intra ſuos terminos degere, mo-
„ rari, & permanere ſatagat; neque illos unquam, niſi de Superio-
„ rum Majorum licentia ulli Fratrum liceat, aut conceſſum ſit trans-
„ gredi.

„ Quam diviſionem, ſive Provinciæ Helveticæ partitionem, &
„ Conventuum ipſius, ac locorum, ſuorúmque Confinium deſignatio-
„ nem, in duas factam, explicitam, taxatámque, ac publicatam, at-
„ que à cunctis Patribus, & Vocalibus in hoc Capitulo degentibus,
„ etiàm nomine Provinciæ diviſæ, ſeu Provinciarum diviſarum acceptа-
„ tam, ſubſcriptámque, ac ſigillis utriusque confirmatam, aſſignamus,
„ ſtabilimus, ac perpetuò permanentem, durabilem, atque immutabi-
„ lem eadem Authoritate Apoſtolicâ eſſe volumus, & ſtatuimus: non
„ obſtantibus quibuscunque in contrarium facientibus, & opponenti-
„ bus, ſuos Provinciales Miniſtros cum quatuor PP. Definitoribus eligere
„ cuique ſuo tempore licebit: Cuſtodes quoque, Magiſtros Novitiorum,
„ Lectores cum Novitiatibus, ac ſtudiis, Guardianis, & Fabriceriis in-
„ ſtituere, aliósque Officiales deputare curabit. Et hæc omnia juxta

præ-

præſcriptum noſtrarum Conſtitutionum, & Capitulorum Generalium ordinationes; ita ut deinceps unaquæque ex his duabus, ſic, „ ùt ſupra, diviſis cæteris noſtræ Religionis Provinciis ſe conformet, „ in factóque ſit, & inter illas adnumerari valeat, & poſſit, & debeat; „ ſalvô tamen quoad Vocales concurrentes ad futura Comitia Generalia, „ quòd parére, & ſe conformare teneantur diſpoſitioni ſupra memoratorum Brevium, & omnibus in eis contentis. „

Quæ omnia & ſingula concluſa, adſtipulata, ac publicata fuerunt in loco, tempore, modo, & forma ſupraſcriptis ad majorem „ Dei gloriam, & noſtræ Seraphicæ Religionis augmentum, atque „ profectum. „

Ita ego Fr. Stephanus à Cæſena Viſitator, & Commiſſarius Apoſtolicus decrevi, & definivi.

Ego Fr. Perfectus Conſtantienſis, pro tempore Helveticæ Provinciæ Provincialis immeritus, nomine meo, & totius Provinciæ acceptavi, & approbavi.

Ego Fr. Pelagius Stauffenſis Brisgojus Capucinorum Definitor indignus ſupradicta omnia, & ſingula approbavi, & acceptavi.

Sic & ego Fr. Bonagratia Habſenſis Alſata Capucinus Definitor indignus omnia, & ſingula approbo, & accepto.

Ego Fr. Placidus Friburgenſis Brisgojæ Definitor indignus omnia & ſingula approbo, & accepto.

Ego Fr. Januarius VVorblingenſis Capucinus Definitor indignus omnia & ſingula approbo, & accepto.

Ex parte Helvetiæ.

Ego Fr. Benjamin Rappersvvilanus Capucinus Ex-Definitor indignus ſupra facta amplexor.

Sic & ego Fr. Apollinaris Suitenſis Capucinus Cuſtos indignus.

Sic & ego Fr. Jo. Baptiſta Tugienſis Guardianus Capucinus indignus.

Sic & ego Fr. Bonaventura Tugienſis Capucinus Guardianus hujus loci VVilenſis.

Sic & ego Fr. Creſcentius Lucernenſis Vicarius ejusdem Loci VVilenſis Capucinus.

Hoc autem Inſtrumento diviſionis die 16. Aprilis ita promulgato poſtero die proinde electiones ab utraque Provincia ſeparatim quidem, uno tamen tempore, & eodem loco ſunt inſtitutæ, ùt ſequitur. Quòd Refectorium tantæ multitudinis capax non eſſet, omnes in Templum con- III.

convenerunt ; in quo clauſis januis , & præmiſſis præmittendis , habitóque per Reverendiſſimum P. Commiſſarium Generalem ſermone rebus gerendis aptato ſucceſſerunt Vocales Helvetii ad partem dexteram : ſiniſtram tenuerunt Anterior - Auſtriaci. Menſæ duæ utrinque colligendis ſcrutiniis idoneæ propè altaria lateralia poſitæ , ad eas conſidentibus ſcrutatoribus. Quòd una pars priùs alterâ abſolveret ſuas electiones ; exſpectatus fuit etiam finis aliarum ; ac tum reſeratis Eccleſiæ valvis promulgatio electionum primò Helveticarum ; tunc & Anterior-Auſtriacarum facta fuit ; ubi notandum , quòd R. P. Perfectus Conſtantienſis , unitæ Provinciæ per triennium Miniſter , timens ne juxta permiſſionem Decreti denuò eligeretur , pro nota ſua humilitate non ſolùm concurſum paſſivum reſignaverit ; ſed & eloquentiſſima , ac ſupplici inhabilitatis ſuæ exaggeratione dimiſſionem ab omni officio exoraverit , ac pro ſua reverentia tandem vix ægrè exauditus impetraverit. Prædictis ergò electionibus pro Anterior - Auſtriaca Provincia primâ vice prodierunt :

Miniſter Provincialis.

R. P. Placidus Friburgenſis.

Definitores.

R. P. Marcus Jacobus Gellenſis.
R. P. Pelagius Stauffenſis.
R. P. Pancratius Engenſis.
R. P. Bonagratia Habſenſis Alſata.

His ita finitis in unum coëuntes iterùm promiſcuæ nationis Vocales Proceſſionem adornârunt per clauſtrum Monaſterii bini , & bini , dexteram tenentibus Helvetis , ſiniſtram Auſtriacis , agmen claudentibus noviter electis PP. Definitoribus ; & Provincialibus ; poſt omnes verò Reverendiſſimo P. Commiſſario ; qui ſimiliter ad altare genuflexis Provincialibus , Helveto primùm , poſt patheticam , pro antiqua Religionis conſuetudine , adhortationem de munere ſuo debitè perfungendo , ſigillum Provinciæ conſignavit : exinde ad Anterior - Auſtriacum , qui cum ſuis ſiniſtrum latus occupabat , converſus eidem præmiſſa ſimili emphaticâ cohortatiuncula , ſigillum tradidit , quo uſque hodie utitur Provincia ; utrique dehinc Helvetico ad cornu Epiſtolæ , Auſtriaco autem Evangelii ſedenti ſui cuique ſubditi ſolitam præſtiterunt reverentiam , & obedientiam.

Atque hic præ - & procedendi modus toto reliquo Capituli tempore ſervatus fuit.

Capitulares omnes poſtmodùm auditi ex ordine , ut mos fert , ſinguli , præſente tum utraque Definitione ; P. Commiſſario ut plurimùm abſente ; atque tum judicium ferebat Provincialis in ſuum quisque ſubditum. Abſoluto examine poſt aliquot conſultationes confecta ſunt duo de-

decreta ; quorum unum ſalutares quasdam ordinationes, utramque Provinciam obligantes à Reverendiſſimo P. Commiſſario factas : alterum verò inſtrumentum conventionis circa limites ab utriusque Provinciæ incolis ad amuſſim ſervandos ; & loca cujuslibet diſtrictui , ac Conventui tum ad exercendam quæſtuationem ; tum ad præſtanda ſpiritualia obſequia de mutuo utriusque partis arbitrio , & conſenſu aſſignata complectitur.

His ita communi conſilio per Dei gratiam concorditer , & absque ulla altercatione peractis , tum primùm ad diverſa , ac ſeparata progreſſi conclavia PP. Provinciales , & Definitores Provinciæ ſuæ Superiores, Guardianos, Cuſtodes, Vicarios, Novitiatus, horum Moderatores, ſtudia, Lectores &c. &c. inſtituerunt, & quique Provinciæ ſuæ Conventibus, & Conventuum , Fratrúmque neceſſitatibus proſpicere ſategerunt , omniáque alia in Capitulis fieri ſolita geſſerunt.

Viſum quoque fuit Majoribus æquè , ac Minoribus ſolennem inſtituere gratiarum actionem Benefactoribus ex omni gratitudinis lege debitam , qui tantæ Capitularium, aliorúmque Fratrum multitudini tanto , ac toto Capituli tempore non tantùm frugaliter , ſed opiparè ſuſtentandæ planè omnem beneficentiam ſuam impenderunt ; quos inter Celſiſſimus ac Reverendiſſimus S. R. I. Princeps, & Abbas Sanct - Gallenſis principe loco merebatur celebrari. Res ita ſucceſſit.

In Feſto S. Georgii Martyris inſtruebatur Proceſſio , cui præferebatur Crux duplicata ex aſſerculis noſtro modo rudibus ; ſed ita affabrè compacta , ut cum appareret una , facillimè tamen in duas integras, & omninò ſibi ſimiles diſſolvi poſſet. Sequebantur ponè Vocales promiſcuè bini , & bini ordine priùs jam inſinuato , è Monaſterio ad oppidum ; quibus ita procedentibus in urbis introitu obviàm venit frequentiſſima proceſſio Parochialis , quæ illam Capucinorum humaniſſimè exceptam ſub decantatione Hymni Ambroſiani ad templum Parochiale abduxit ; ubi quidam ex Patribus Helvetis conſcenſo ambone eruditum ſermonem Euchariſticum habuit, omniúmque nomine Benefactoribus devotiſſimas grates egit ; quem Miſſa ſolenniùs muſicata excepit. Sacris ita in Eccleſia peractis priori ordine proceſſionem è templo ad forum oppidi repetierunt, in cujus capite ad palatium Celſiſſimi ac Reverendiſſimi D. Principis Sanct - Gallenſis, conſtructum erat altare ; quod aſcendens P. Commiſſarius ſuper circumfuſos utrinque ordine ſuo Fratres ſequentem Collectam oravit.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui ineffabili tua providentia, & ſuprema pietate hujus Provinciæ Monaſteria dividere permiſiſti ; corda tamen in vinculo charitatis , & pacis unione inſeparabiliter conjunxiſti : omnes iſtos tuo obſequio addictos ſervos benedicere digneris ; ut eos non ſolùm numero augeas ; ſed etiam in ſanctitatis perfectione , ad majorem tui Nominis gloriam , & Eccleſiæ ſanctæ incrementum , atque animarum ſalutem. Per Dominum noſtrum &c.

Prolatis hiſce, & aliis precibus P. Commiſſarius Fratribus benedixit; deinde crucem illam duplicatam diviſit; & cuique Provinciæ unam tradidit; mox per medium Fratrum incedens omnes aquâ benedictâ aſperſit. Quo facto Fratres omnes ad Monaſterium, quique jam diviſi ſub cruce ſua redierunt.

Triduò poſt, nempè die 26. Aprilis, peractis omnibus peragendis, Guardianorum, atque Cuſtodum, aliorúmque Officialium inſtitutio utriusque Provinciæ; nec non decreta &c. & alia publicata fuerunt. Actum denique concluſerunt utriusque Provinciæ Miniſtri, qui in præſentia omnium Fratrum, ſuo, & horum nomine gratias ſibi mutuas viciſſim, & publicè retulerunt, tandémque reciprocè valedixerunt; quod æquè fratres, ad mundo conteſtandum, quòd, ſicut hæc diviſio non ex odio proceſſit, ita eâ poſitâ fraternus amor etiamnum perennaret, ſibi invicem ſub teneræ charitatis expreſſionibus præſtiterunt, populóque inſigniter ædificato, Deum laudante, & collacrymante, ad diviſiones ſuas abierunt, qualibet Provinciâ, velut olim fratres ad Rebeccam abiturientem, cum lacrymis, & ſingultibus ad alteram clamante: *Soror noſtra es; creſcas in mille millia*, Geneſ. cap. 24.

§. IV.

Bonitas Diviſionis.

1. INgens, evidénsque paradoxum: Bonitas Diviſionis! Nam Boëtio de conſol. Philoſoph. Lib. 4. tamdiu res bona dicitur, quamdiu una. Ergò rem odioſam, & malam diviſio ſapit. Hinc illud ſapientis axioma: *ſine unitate nihil ſubſiſtit*; ideò Pythagoras ab unitate omnium rerum vitam, & perpetuitatem; à dualitate verò earumdem deſtructionem, & interitum proficiſci arbitratus eſt. Sed Oſeæ quoque vatis ſententiâ ad reſtim properant, quorum cor diviſum eſt. Oſ. cap. 10. Mirati ſunt nonnulli, quòd, cùm Deus in molitione univerſi omnibus reliquorum dierum operibus elogium boni tribuerit: *& vidit Deus, quia bonum eſt.* Geneſ. 1. id in ſecundi diei operatione reticuerit? à S. Hieronymô lib. 1. adverſùs Jovinian. ea hujus cauſa redditur: Ideò, *ut nobis intelligentiam derelinqueret, non eſſe bonum duplicem numerum, qui ab unione dividat.* Conſentit Rabanus in Commentar. Geneſi dicens, quòd *numerus binarius infamis eſſet, & immundus propter corruptionis cauſam.*

At verò quamvis hæc ita ſe habeant, omnisque diviſio, quatenùs ſciſſuram animorum innuit, exoſa, infamis, & mala ſit; ita ut inimica cordium divortia certæ propinquent ruinæ; tamque parùm familia quædam Religioſa contra ſe ipſam diviſa fortunam ſuam, ſuúmque decorem perennatura ſit, ac domus quælibet contra ſeipſam diviſa. Matth. cap. 12. Id tamen metuendum haud eſt in diviſione locali; quæ quandoque optima non ſolùm approbationem Dei habet; ſed ab hoc quoque præcipitur: prout de dividunda terra promiſſionis & mandatum dederat, & regulas diviſionis dictaverat: equidem hæc non tantùm integrâ mentium unitate, morúmque æqualitate fieri queat; ſed ipſa

potiùs

potius ad eam restabiliendam, firmandamque conducat. Circulo enim maximè virtuoso divisio ad ordinem; ordo ad unitatem tendit, finique unionis occasio ipsa divisionis executio. Magnus ille Abraham cum Loth nepote suo amicitiam perpetuaturus separationis medio usus est; ac obventuris inter utrumque, & utriusque Familiam jurgiis domiciliorum divisione præverténdum censuit. Cùm enim utriusque greges, & prædia in immensum grandescerent (solenne litis seminarium) ne colliderentur inter se domestici, dissensione ad ipsa familiarum capita nonnunquam propagari cæpta, provinciæ divisionem adhibuit: Lotho, tanquam juniore ad regiones circa Jordanem migrante; Abrahamo verò plagam Orientalem occupante. Genes. 13. Et nunquam minùs divisi fuerant animis, quàm ubi locorum intervalla eos corporibus diviserant.

Duodecim Tribus Israël commune, & æquale ad terram promissam jus adeptæ, simul tamen morari non permissæ, sed jussu Numinis per Josuë eis, & ultrà Jordanem à se invicem fuerunt sejunctæ, Jos. c. 13. In qua quidem divisione eleganter Provinciarum nostrarum separationem ideatam contemplamur. Nam sicut una pars ad montes Seir habitandos destinabatur: sic Patres Helveti patriam suam montosam: Anteriores Austriaci verò planiora Sueviæ, & Brisgojæ incolenda elegerunt; & quemadmodùm Israëlitas Jordanis; sic nos & PP. Helvetos celeberrimus Europæ fluvius, Rhenus intersecat. Denique ut Patriarchæ illi ob gregum, & censuum incrementa; ita nostri ob Fratrum, & Cœnobiorum augmenta ab invicem dividi debuerunt, ac jus olim in communi; nunc in partem sibi utrinque contingentem derivaverunt, ac etiamnum usurpant: subsistente inter utrosque, magisque firmata fraternæ consensionis unitate, quæ à pluralitate Fratrum, & domiciliorum in distans exporrectorum multitudine aucta fuit; turbanda forsan ob variorum hominum, geniorum, affectuum, & studiorum mixturam, nisi hæc dissociata fuisset; cùm præsertim belli tempore, & in dominatuum diversitate unus huic, alii alius Principi devotus jam sui defendere, alterius causam impugnare in animum induxisset; ex quo non aspernanda animorum simultas, aliáque absurda enascitura timebantur. Relictis igitur Patribus Helvetis in sensu, & libertate sua studendi cuicunque velint Principi; Patres Austriaci ad æqualitatem nationis aspirantes simul in unitatem pacis, & Spiritûs collimârunt; quia *ubi major æqualitas, ibi minor discordia.* Ait Augustin. Lib. 4. de Musica. cap. 14. III.

Nec obstat, quòd in ipso divisionis negotio quædam mutuarum altercationum vehementia interceserit: nam & hæc integrâ inter utramque litigantium partem unitate nullam animorum acerbitatem, minùs divortium in se complectitur. Subtilissimus ille Theologus inter alia & hoc arcanissimi mysterii oraculum edidit: *Qui concordiam facit in sublimibus.* Job. cap. 25. Quo super S. Gregor. more suo didactice ita ratiocinatur: *Multa sibimet inferiùs differre conspicimus; sed ad concordem superiorum planitudinem currere, & ex interna pacis causa agi experimur, ut sæpè ea, quæ sunt exteriùs, sine pace disponantur.* Certè alia II.

intentione quæſita non fuit diviſio, quàm internæ pacis, & concordiæ intuitu. Quòd autem exteriùs quaſi ſine pace, id eſt, cum aliqua decertatione, & actionibus contrariis diviſio obtineri debuerit: deſinet mirari, qui meminerit, inter ipſos Angelicos Spiritus præliandi certamen agi, qui tamen ſemper conſpectui Veritatis aſſiſtunt. In exemplum hujus S. Gregor. adducit Principes, ſeu Angelos Tutelares tum Perſiæ, & Græciæ; tum Iſraëlis, & ejusdem Tutorem S. Michaëlem; qui contrariis adeò votis, & rationibus inter ſe pro ſeparatione Perſarum, & Iſraëlitarum decertabant; quorum tamen una eſt victoria, ſui ſuper ſe Opificis voluntas ſumma; quam dum ſemper aſpiciunt, quod obtinere non valent, nunquam volunt.

Etſi ergò inter Provinciæ unitæ Superiores, quos in Apocalypſi Angelis comparari didicimus, quædam præliandi certamina viſa fuerint; eorum tamen utrorúmque una victoria fuit: ſumma nempè Omnipotentis Dei voluntas; quam utraque pars irretorto oculo ſemper aſpexit, & inde obtinuit, quod Deo placuit; animorum nempè ex ipſa corporum diviſione amiciſſimam coadunationem; ut non ſecùs ac ex chalybis, & ſilicis acriori colliſione ignis proſilit: ſic ex rationum concertatione, & nonnihil litigioſa verborum colliſione ſinceræ charitatis, & fraterni amoris flamma copioſior fuerit generata, quæ uſque modò diviſos corpore animo tantò magis conglutinatos habet ad delectabile Deo, Angelis, & hominibus ſpectaculum.

Igitur, quantumcunque aliàs, uti præfati ſumus, dualitas, ſeu diviſio unitati, ac bonitati inimicetur; hîc tamen ingentis boni, ſcilicet Relationis preſſiùs, & philoſophicè conſideratæ occaſio eſt: Relatio, inquam, perfectæ ſimilitudinis inter utramque Provinciam, tanquam terminum, ex iſta dualitate, ſeu diviſione, tanquam fundamento, originata eſt, quæ in unitate indiviſa, ob alterius correlativi penuriam abeſſet. Similitudo autem eſt Mater Amoris &c.

III. Sed hæc Relatio quondam Almæ Provinciæ Helveticæ minor viſa fuit, quàm fundato juri ſuo competeret. Hinc majorem; illam nempè, quæ inter Matrem, & filiam intercedit, exigere poſſe credidit, perſuaſa, Anterior-Auſtriacam ex ſe quaſi Matrice genitam fuiſſe; illam igitur ad hanc geneſis, ac cujusdam ſubjectionis titulo referri.

Verùm cum bona illius venia hanc theſin tractu temporis, ſilentio, & non uſu centies oblitteratam ſuſcitare, eámque argumentis contrariis penitiùs abolire viſum eſt, ut diſſimulata relatione maternitatis, & filiationis longè amænior exurgat, & ſtabiliatur: nimirùm Relatio ſororeitatis; in qua & major ſimilitudo, & intenſior amor ſitus eſt; cùm omnis poteſtas etiam materna; à fortiori autem omnis ſubjectio, ùt ùt filialis, odioſum quid ſapiat. Res tota erit peracta, ſi oſtenderimus, quòd diviſio nullo modo, nec analogicè partus dici queat; quod quidem argumento ab analogia inter generationem carnalem, & ſpiritualem petito demonſtratum ibimus.

Quemadmodùm tam in generatione carnali, quàm ſpirituali tria requiruntur, ut quis alterius filius, aut filia dici queat: ita ſi horum ali-

aliquod abeſt, ratio filii filiæque ceſſat. Primum ergò, à quo quis alterius pater matérve nominari meretur, diſtinctio realis duorum ſuppoſitorum eſt, ſeu duo ſuppoſita realiter à ſe invicem diſcreta: tum, quia nihil ſe ipſum generare poteſt: tum quia actus ſunt ſuppoſitorum, non naturæ; utpote quæ natura etiam eadem numero in utroque, genitore ſcilicet, & genito ſubſiſtere valet, ut patet in divinis, ubi Pater, & Filius ejusdem ſunt naturæ; Perſonæ autem duæ, ſuppoſito duntaxat diſtincto. Secundum, quod patrem, aut matrem efficit, eſt identitas, ſeu ſimilitudo generantis, ac geniti; generatio ſiquidem eſt proceſſio viventis à vivente per principium conjunctum in ſimilitudinem, & convenientiam naturæ. Tertium denique patris aut matris proprium eſt, ut genitum hanc naturam accipiat à generante per viam generationis, quæ eſt ratio fundandi relationem patris, matrísve ad filium, & vice verſa. Pariter in ſpirituali generatione requiritur primò diſtinctio realis inter producens, & productum: quæ ſunt aliquando Perſonæ ſingulares verè, ac propriè dictæ: ut cùm divus Paulus per Evangelium S. Timotheum genuit. Aliquando perſonæ plures ſunt, quæ, quoniam in unam aliquam congregationem coalescunt, juris fictione velut una Perſona tenentur; uti ſunt Eccleſia tum univerſalis, tum particularis hujus vel illius Epiſcopatûs. Item Religioſorum Ordinum Congregationes, Provinciæ, atque Conventus. Secundò exigitur in generatione ſpirituali identitas ejusdem fidei, profeſſionis, vel inſtituti Regularis. Tertiò oportet, ut ſpiritualiter generatus à generante fidem, ſeu regularem inſtitutionem accipiat per prædicationem, ſive inſtructionem in rebus fidei, vel vitæ regularis, uti eleganter S. Gregor. hom. 3. in Evang. affirmat, inquiens: *Sciendum nobis eſt, quia qui Chriſti ſoror, & frater eſt credendo, mater efficitur prædicando: quaſi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit: & mater ejus prædicando efficitur, ſi per ejus vocem amor Domini in corde proximi generatur.*

Quia verò nec primum, nec tertium in noſtro caſu reperitur, ſtatui nequit vel analogica Maternitatis, & Filiationis relatio: non primum; cùm Provincia Anterior-Auſtriaca ab Helvetica haud prodierit, tanquam ſuppoſito à ſe diſtincto; ſed potiùs utraque ſimul à Mediolanenſi concepta concreverit, & ſola externa denominatione una alterâ antiquior, geneſi ſimultaneâ extiterit, prout conſideranti promiſcua Provinciæ ſubjecta, & Conventuum antiquitatem, erectionem, ac multiplicationem ad oculum patet. Sed neque ipſa actualis diviſio generatio dici poſſet; cùm Helvetica Anterior-Auſtriacam non erexerit; nec ei ſuum eſſe dederit; nec corpus, nec caput illi aptaverit: equidem ipſi Anterior-Auſtriaci ſibi caput elegerint, & quidem quatenus in electione expeditiores fuerant, ante PP. Helvetos; quibus etiam nullum jus, neque authoritas, neque præeminentia, niſi ea, quæ ex humanitate ei tanquam ſeniori in compellatione deferebatur, reſpectu actûs diviſionis in Anterior-Auſtriacos competebat.

Tertium verò generationis requiſitum quod attinet, perſpicuum omninò eſt, quòd Patres Helveti Anterior-Auſtriacis Regularem inſtitu-

tionem; atque adeò vitam Religioſo-Seraphicam haud contulerit. Conſtat enim quòd jam ab incunabulis erectæ, & plantatæ in Helvetiam Provinciæ ſubjecta, ſeu nativi Patres Anterior-Auſtriaci ei gubernandæ præfecti fuerint, atque adeò plures in rebus Religionis viſitando, adhortando, ac inſtruendo filios ſpirituales genuerint; ita quidem, ut ſoli duo illi æternâ memoriâ digni PP. Mathias Augienſis, & Columbanus Rottenburgenſis integris viginti ſeptem annis rexerint, pluráque ipſi ſoli loca, Conventus, & Novitios acceptârint, quàm alii; ſicque Religionem magis populaverint, ampliaverint, & lactaverint, quàm ipſimet PP. Helveti.

IV. His accedit continua praxis, communisque totius Religionis Seraphicæ uſus, quo Provinciæ diviſæ non pro novogenitis; neque alterutra ùt nova ab altera generata; ſed pro coætaneis, & quadatenùs uterinis ſororibus habitæ, ac numeratæ ſint, & etiamnùm habeantur, ac numerentur. Ita etſi Anterior-Auſtriaca primùm Anno 1668. ſui juris effecta, & hoc nomine fundata ſit; in tabulis tamen generalibus à Capitulo Generali diſponi ſolitis non pro tunc primùm nata computatur; ſed immediatè poſt Helveticam, tanquam hujus coæva ſoror, & ſolo nomine illa poſterior collocatur, ac Provinciis Tyrolenſi, Bavaricæ, Colonienſi, Flandricæ, Wallonicæ, & aliis ætate præfertur, quæ tamen non primùm poſt diviſionem Helveticæ; ſed dudùm anteà fundatæ extiterunt. Recentiſſimum hujus exemplum præbet diviſio Provinciæ Alſaticæ pariter ab Helvetica nuper Anno 1729. primùm facta, poſt quam noviter, & ſolitariè erectam eadem praxis Religionis ſervata eſt; ut nimirùm Alſatica in generali tabula omnibus aliis Provinciis poſt Anterior-Auſtriacam locari ſolitis præferretur, ad innuendum, quòd non primùm nata; ſed cum Helvetica, & Anterior-Auſtriaca connata ſit, hisque ætate, ac nativitate æquivaleat.

V. Quapropter, ſi tamen maternitas, & filiatio inter Ordinis noſtri Provincias ſtatui vellet (quod poſſe non admiſerim, cùm Seraphicum Franciſcum, ceu communem omnium noſtrûm Patrem; & plantatam à ſe Religionem, velut almam matrem noſtram Fratres omnes, ſorores, Provinciæ, Conventus &c. tanquam tot eorum Filii, & Filiæ; unjus Paradyſi Seraphici Plantulæ, ac novellæ olivarum in circuitu menſæ Franciſcanæ, ſuſpicere, & revereri debeamus) is honor Provinciæ Mediolanenſi potiori titulo dandus eſt, ut quæ gemino utriuſque; ſeu modò trigemino trium Provinciarum fætu prægnans omnium uno partu mater evaſit; cùm illius Provinciæ Patres (inter quos jam tum quoque fuerat P. Joannes Ulmenſis, & ipſe ſuevus, ſeu Anterior-Auſtriacus) tanquam lapides primarii, & angulares, pleni virtute, & ſapientia; viva Regularis Capucinorum inſtituti Prototypa; agminum Seraphicorum in partibus Germaniæ Primipili; Olivæ fructiferæ in Domo Dei; Lucernæ ſanctitate Fulgentes, & Zelo animarum ardentes; poſterorum omnium in hiſce Regionibus ad normam vitæ Seraphicæ redactorum Anteſignani, Illuſtratores, & Authores, matresque extiterint, vitam iis ſpiritualem inſtillando, & lac Aſceticæ doctrinæ propinando; diviſione porrò nihil aliud operatâ, quàm quòd harum ſororum geminarum quælibet ſingulari ſponſo (Provinciali, Cruci, & Sigillo) Paranymphum, & Executorem agente Reverendiſſimo P. Commiſſa-

rio

rio Generali, deſponſæ, elocatæ, atque ab invicem ſeparatæ fuerint, manente penitiſſima utriuſque ad ſe invicem ſororeitatis, ſimilitudinis, atque amoris relatione.

Equidem ſicut teſte Alberto Magno. Lib. de animal. Auguſtin. L. 5. de Civit. Dei. c. 2. Fulgoſo. lib. 1. &c. Geminos tantæ conformitatis, vultuum, morum, geſtuum, & paſſionem æqualitatis repertos fuiſſe conſtat, ut uno gaudente, ridente, flente, patiente, imò moriente alter quoque gauderet, rideret, fleret, pateretur, ac etiam moreretur, inque iis diſtinguendis vel ipſi nonnunquam Parentes deciperentur: ita ex ſimultaneo partu duæ Provinciæ noſtræ editæ, ex ejusdem lactis, ſeu inſtitutionis Terapeuticæ uſu; diuturnâ earundem particularium legum, obſervantiarum, conſuetudinum, rituum, ac cæremoniarum tenacitate tanta in ambabus uniformitas, concordia, & amicitia enata eſt, ut una alteri lætanti collætetur, dolenti condoleat, proſperanti gratuletur, morienti miſereatur; utì quidem participatio ſuffragiorum pro mortuis (quæ tamen præteritis annis ex utriuſque conſenſu nonnihil reſtricta eſt) conſiliorum, obſequiorum, & auxiliorum id ad oculum demonſtrat.

Conſtabilitâ ſic fraternitatis, ſive ſororeitatis Relatione alia quoque ex memorata diviſione enata eſt: Cùm nimirùm, in gratâ conſideratione quàm proficuam diviſionis negotio operam tum apud Excelſum Regimen Oenipontanum; tum apud Sac. Cæſar. Majeſtatem contulerint Almæ Provinciæ Tyrolenſis, & Auſtriaca, ad eam futuris caſibus utiliter periclitandam, & liberiùs implorandam noſtra hæc Provincia arctius quoddam confœderationis vinculum cum præfatis Provinciis, utique conſentientibus, approbantibus, & illâ quidem ſub dato Bolsani 4. Novemb. 1669. poſteriori verò Viennæ 17. Novemb. 1669. ſubſcribentibus contractum, & erectum fuerit. VI.

Sed hâc longè major eſt illa noſtra ad Auguſtiſſimam Domum Auſtriacam ex eo, quòd Provincia plerumque in ditione Anterior-Auſtriaca locata ſit, & Auguſtiſſimus Imperator tantum pro evincenda diviſione laboraverit, reſultans relatio; qualis nempe inter Protectorem, & Clientem aliquem dari fingitur. Simul atque enim Patres noſtri altiſſimè fato Cæſari ſubmiſsiſſimas gratias pro impenſo clementiſſimo patrocinio egiſſent, eidem hanc Provinciam, ceu clientem in potentiſſimam ſuæ Cæſareæ Majeſtatis Protectionem recommendare auſi ſunt; quod ea tam boni, & æqui conſuluit, ut præter clementiſſimæ complacentiæ ſignificationem, quòd Provincia ex præfatis titulis (abolitâ nomen claturâ in decreto, & diviſionis actu uſurpatâ) Anterior-Auſtriaca fuerit baptizata, mox Regimini ſuo Oenipontano, ad quod cura gerendorum in tetris Anterior-Auſtriacis pertinet, demandaverit Protectorium Provinciæ noſtræ impertiri. Quod R. P. Placido Friburgenſi Miniſtro Provinciali directum ſequentem ex germanico ſenſum habuit.

Reverende dilecte Amice.

REctè accepimus veſtram, & veſtrorum conſortium Patrum epiſtolam ſub dato 10. hujus Bludenti exaratam; & eam ità accep- „ „ tavimus,

„ tavimus, ut dato quocunque inſperato caſu, veſtram à Gallia mo-
„ dò ſeparatam Provinciam contingente, ad Nos pro tutela & auxi-,
„ lio recurrere poſſitis. Prout autem confidimus, ejusmodi inſperatos
„ caſus vobis non obventuros; ita etiam dato quocunque contrario
„ vos hiſce omninò certificamus, quòd pro paritione clementiſſimæ
„ à Sacra Cæſarea Majeſtate impertitæ reſolutionis debita vobis omnis
„ poſſibilis aſſiſtentia à Nobis ſit impendenda. Datum Oeniponti die
„ 29. Octobris 1668.

Verùm utì prolixior eſt, ita & efficacior illa clementiſſimi Protectorii ab Auguſtiſſimo Imperatore Leopoldo ad inſtantias Reverendiſſimi P. Angelici Wolfacenſis, ceu Vicarii Generalis Anno 1701. Viennæ in Austria viſitantis impertiti formula, quæ latinè reddita ſic habet:

Leopoldus.

„ NOs Leopoldus Dei Gratia Romanorum Imperator ſemper Augu-
„ ſtus &c. &c. &c. Notum ſit omnibus, quibus noſſe fuerit oppor-
„ tunum, Venerabilis, Religioſus, ac Devotus P. Angelicus Wolfa-
„ cenſis Vicarius Generalis Capucinorum humillimè Nobis expoſuit,
„ & inſtantiſſimè ſupplicavit, quatenùs Nos tanquam Imperator Ro-
„ manorum, nec non Princeps, & Dominus Anterior-Auſtriæ ditio-
„ num ipſum, & omnia ſibi ſubjecta Monaſteria Provinciæ Anter. Au-
„ ſtriæ in Cæſaream, & Archi-Ducalem Protectionem recipere cle-
„ mentiſſimè dignaremur. Votis igitur dicti P. Angelici Wolfacenſis
„ inclinati, & ſacro ejusdem Ordini aliàs benè affecti animo delibera-
„ to, maturo conſilio, & ex certa ſcientia eundem P. Angelicum
„ Wolfacenſem Vicarium Generalem Capucinorum, unà cum com-
„ miſſa ſibi Provincia Anter. Auſtriæ in Archi-Ducalem protectionem,
„ ac tutelam noſtram clementiſſimè recepimus; ſicut eum in Cæſare-
„ am Regiam, & Archi-Ducalem protectionem noſtram ſcienter, &
„ plenè virtute præſentium actu recipimus; ita quidem ut pluriès nomi-
„ nata PP. Capucinorum Anter. Auſtriæ Provincia, in quantum ea ſe
„ extendit, hac protectione, & præſidio noſtro perpetuò gaudere ab
„ omnibus fideliter, & imperturbatè permittatur.

„ Mandamus proinde omnibus noſtris quà Eccleſiaſticis, quà Ci-
„ vilibus Judicibus, Officialibus, Urbibus, Oppidis, Pagis, Civitati-
„ bus, & Civibus, ut ſæpè nominatum P. Angelicum Wolfacenſem
„ Vicarium Generalem Capucinorum cum Provincia ſua Anterioris
„ Auſtriæ ſecundùm dicta in hac protectione noſtra manutenere, &
„ conſervare ſatagant; nec ipſi unquam gratiæ huic noſtræ con-
„ traire præſumant; nec permittant, ut à quoquam temerario auſu
„ contra eam quidquam attentetur, niſi gravem indignationem noſtram
„ incurrere deliberatè velint: hæc enim eſt mens noſtra, & voluntas
„ ſeria. In quorum omnium robur has noſtras ſigillo Cæſareo muni-

tas

„ tas dedimus Laxenburgi 4. Maji. Anno 1701. Regnorum noſtrorum „ Romani 43. Hungarici 46. Bohemici 45.

Leopoldus.

Julius Fridericus Comes Bucellini.

Ad Mandatum S. Cæſ. Majeſtatis proprium.

Jo. Georgius Buol.

Felix igitur, & bona, imò optima diviſio, quæ tantas Provinciæ relationes attulit; non eas quidem, quæ otioſè ſpeculantem occupant intellectum; ſed quæ in publicam, temporalem æquè, ac ſpiritualem utilitatem vergunt! Felix Provincia, quæ diviſa ſub umbra aquilæ alarum magnarum congregata; cuique datum eſt ſub Cæſarea Archi-Ducali tutela & quieſcere, & eatenus gloriari, ut, quemadmodùm relativa eo ipſo, quòd ſint, aliorum eſſe dicuntur: nam ſervus, Domini ſervus; Filius, Patris Filius eſt &c. ita nos Clientes, potentiſſimi, clementiſſimique Protectoris: Sereniſſimæ Domûs Auſtriacæ Clientes ſimus; cujus equidem protectorii Provincia in variis graviſſimis afflictionum caſibus tam ab ipſo Auguſtiſſimo Imperatore Leopoldo I. quàm Auguſtiſſimis ejusdem ſucceſſoribus, & Hæredibus Joſepho I. Carolo VI. Imperatoribus glor. mem. ac etiam Maria Thereſia Regina Hungariæ, & Bohemiæ magnificos jam collegit fructus ſempiterno precum, & Sacrificiorum ſtudio redhoſtiendos: quod redhoſtimenti genus cùm ſolum Sereniſſima Auſtriadûm Domus ſpectet, & eidem ſufficiat; nobis quoque ſufficit, quod de Provinciæ relatione diſſeruimus.

QUANTITAS

Provinciæ Anterioris Auſtriæ.

ANALOGIA.

QUantitas in eo poſita, quòd ſit ens per ſe extenſum, cujus effectus formalis eſt reddere ſubſtantiam extenſam, ùt verior ſententia vult, planam nobis viam, tranſitúmque ad hiſtoricæ ſcriptionis noſtræ tramitem facit. Cùm enim ea quantitas, quam molis, diſcretam, in numero, & menſurabilitate ſitam, & extenſivè magìs, & minùs ſuſceptivam dicunt, nobis non analogicè tantùm, ſed propriiſſimè deſervire debeat, ut patefacere poſſimus, quanta ſit Provincia Anterior-Auſtriaca, nullo alio opus eſt, quàm ut numeremus ejusdem loca, domicilia, & Conventus; utì olim Principes Moab, & Duces Ammon in mandatis habuerant explorare: *quis eſt populus iſte, qui montana obſidet? & quantæ ſunt Civitates eorum?* Judith. cap. 5. Progredientes igitur ad hujusmodi Conventuum numerationem, ſeu deſcriptionem, ſi quis obvius percontetur, quò vaditis? illicò ei reſpondebimus, quòd ille olim apud Zachariam cap. 2. *Metiar Jeruſalem, & videbo, quanta ſit latitudo eius, & longitudo eius.* Clariùs verò reſpondebit EC-

ECPHRASIS.

QUa nimirùm ſynopſin in hoc prædicamento hiſtorico ſcribendorum damus ; ut præter loca juxta Decretum diviſionis ſupra num. 2. relatum remanentia , & aſſignata illa quoque recenſituri ſimus , quibus intereà Provincia crevit ; quibus creſcere potuiſſet , ſi aut voluiſſet , aut ſiniſtra rerum fata non obſtitiſſent. Neglecto autem antiquitatis ordine, ad commodiorem lectoris uſum ordinem tenebimus Abecedarium , illatis quoque , & quandoque iis , quæ ad locorum , & familiarum , intra quarum reſidemus gremium , commendationem faciunt , & hinc inde in aliis prædicamentis : ut *ſubſtantiæ* 3tio modo intellectæ ; *paſſionis , actionis , ubi , & quando* omiſſa compenſant. Quisque Conventus , & Domicilium ſub una paragraphi ſphæra ; ſed pluribus numeris , plenam ſui notitiam exhibebit ; ut tot eſſe conſtiturum ſit , quot paragraphi deſignabuntur.

§. 1.

Monaſterium Argenſe.

UT territorium , cui hoc Monaſterium inſidet , ad Excellentiſſimos & Illuſtriſſimos S. R. I. Comites ſpectat ; ſic horum antiquiſſimæ Familiæ excellentia , & inſignia in præfatum Monaſterium , totúmque Ordinem Seraphicum merita exigunt , ut nonnihil latiùs in ejusce ſtemmatis elogia calamum laxemus. I.

Quod ejus antiquitatem attinet , ipſum Hugonis Nomen anſam ſcriptoribus haud contemnendis præbuit opinandi , quòd hæc ſtirps Francorum Regibus coæva unà cum his ex uno , eodémque Saxonum Germanorum ſanguine originem traxerit ; illíſque præſertim , qui ab Hugone Capeto deſcenderunt , convixerit. Hujus argumentum inde trahunt , quòd , ſicut Hugonis nomen Gallis Hugonidis , & Capetis admodùm uſitatum : ita idem noſtris Montfortiis familiariſſimum fuerit. Nam Lazius lib. 8. de Migrat. Gent. in Genealog. deduct. Comit. de Montfort. pag. 555. & 556. undecim Hugonum de Montfort meminit ; quod idem ex Annal. & documentis Monaſterii Langnovienſ. Ordinis S. Pauli I. Eremit. aliíſque Diplomatibus , Litteris , & Epitaphiis confirmatur : inter quos ſpecialiter Hugo antiquiſſimus circa Annum Chriſti 935. ſub Bertholdo Duce Bavariæ in caſtris Henrici aucupis contra Hunnos pugnans in libro de Ludis Martialibus celebratur. Magnificas autem horum Comitum functiones in foro tum Eccleſiaſtico , tum Politico , Militari , & Imperiali gloriosè exercitas , geſtatas Inſulas , adminiſtratas

Provincias, & virgas prætorias belli, pacísque temporibus verſatas; heroicas porrò actiones pro aris, & focis editas ſi recenſere vellem, extra conſtitutos brevitatis limites evagari me oporteret. Pluribus pro merito hoc negotium proſecuti ſunt ab antiquitate, & fide publicâ maximè commendabiles ſcriptores, præter monumenta Major-Augienſia, ſive Brigantina, Diviti-Augienſia, S. Gallenſia, Campidunenſia; ubi Carolus Magnus Anno 773. Abbati, & Principi Comitem Montfortium Dapiferum, & Advocatum conſtituerat; & Langenovienſia.

II. Sed inter hæc laudum argumenta principe loco commemorari dignum eſt, quòd avitæ huic generationi indita quaſi fuiſſe videtur eximia in Deum, Cælitésque pietas, continua ad poſteros ſerie propagata; quæ & duos huic Illuſtriſſimo Generi cognominos Sanctorum Faſtis adſcriptos produxit: Joannem unum de Montfort; qui in ſacra adversùs Turcas, & Saracenos expeditione pro redimendo Chriſti Redemptoris ſepulchro fortiter pugnans pro Religione Chriſtiana ſanguinem, ac vitam profudit in Inſula Cypro, miraculîs ibidem clarus; cujus armîs ornati, & ſiniſtra manu gladium, dexterâ verò Inſignia Montfortiorum in Clypeo geſtantis imaginem argenteis, & aureis nummis incudi fecit Udalricus IV. Comes de Montfort, circa quam hæc leguntur verba: SP. DI. IOHA. D. MONT. CYP. id eſt: *Species Divi Joannis Comitis de Montfort Cyprii.*

Simonem alterum Comitem de Montfort, qui bello contra Albigenſes hæreticos, aliàs Ruptarios, ſive Coterellos dictos, conſenſu totius Italiæ, Galliæ, & Germaniæ Dux datus eſt Anno 1210. cui Leopoldus Sextus Dux Auſtriæ, nomine Imperatoris repudiato, ſe, & omnes adductas ex Germania copias injunxit, ac ſubditit. Unde Belli Dux Simon tot viribûs auctus profligatîs Albigenſibûs contra Saracenos à Maſſanuto Rege Marroth Hiſpaniæ infuſos viriliter movit, & prælio commiſsô hoſtes internecione delevit; innumerâ eorum multitudine trucidatâ, reliquîs in mari ſubmersîs. ſed poſteà Anno 1224. in oppugnatione urbis Toloſæ ſaxo ab hæreticis ejecto oppreſſus generoſum ſpiritum gloria militari ſimul, & martyrii laureâ illuſtrem ad cæleſtia transmiſit.

III. Prætereà quàm inſignis fuerit Illuſtriſſimorum Comitum Montfortiorum in fundandis, & ſtruendis, dotandísque Monaſteriis, Eccleſiis, & Hoſpitalibus religio paulò ante citata Monumenta, & Tabulæ loquuntur. Recentiſſimum hujus argumentum, quo de agemus, eſt Monaſterium noſtrum Capucino-Argenſe. Eſt autem hic locus, ſeu oppidum à longitudine Langenargen; ab Althaméro pag. 22. Longonargum, dictum; à duobus fluviis, Argis, ſuperiore, & inferiore, cui modò nomen Schuſſa, Arga compellatum; qui fluvii ideò ſic dicti creduntur, quòd Tò *Arg*, germanicè: latinè *mali*, *ſeu nequam*, hominibus, pecoribus, ſylvis, & agris plurimum incommodi, malíque inferre ſoleant, piſcationi cæteroquin nil opportuni, qui ſupra, & infra Langenargam in lacum Acronium ſe ſe exonerant. Joan. Engerd. in Epenæſ. de illuſtr. Famil. Com. de Montfort. part. 1. pag. 19.

Lan-

Langenarga antehac ad Dominium Comitum de Altorff, & Ravenſpurg pertinuit ; ſed à Willhelmo I. Comite de Montfort , qui olim guberniô Ducatûs Mediolanenſis , aliisque honoribus geſtis, & meritis ſub Carolo IV. Rom. Imp. clarus Anno 1345. obiit , ſeu emptione , ſeu hæreditate , ſeu alia Juris uſucapione poſſideri cæpta , & ad poſteros transmiſſa eſt. Hic Willhelmus ex illa pecuniæ vi , quam Mediolano adduxerat , juxta hunc pagum Argen arcem pulcherrimam aggeribus, & vallis in morem propugnaculi communitam extruxit ; ex qua in ſubjectum , quà latè porrigitur , lacum Acronium amæniſſimus patet proſpectus, eo præſertim tempore , quo aquæ auctiores in elegantis coronæ ſimilitudinem ambire Caſtellum ſolent ; quod tunc Inſulæ præfert ſpeciem, intrantes per prolixum pontem aquis ſuperſtructum admittens. Præter hoc Caſtrum, quod in Genealogica Comitum de Montfort arbore elogiô notatur : *Magnum lacus ornamentum*, eximium quoque huic Oppido decorem confert ipſum Monaſterium Capucinorum , quod ipsa ſua ſpectabili elegantia , templi ſpecioſitate , ædificii , intra terminos tamen Architectonices regularis , præſtantiâ , & horti ſylvula conſiti amplitudine tam incolas , quàm circùm circa exteros ad ſe, & pietatis exercendæ functiones allicit.

IV. Hoc igitur Monaſterium non antiquitatis , ſed litteræ initialis ſuffragio primum in narratione noſtra locum obtinet ; ut quod aliàs non inter Conventus primævos ; ſed horum auctarios computari debet ; quamvis interim certum ſit , illum prioritate intentionis multos alios præcedere , cui tamen rerum , animorum, & circumſtantiarum viciſſitudo in ordine executionis ortum iſtis poſteriorem deſtinavit. Equidem jam Anno 1650. Illuſtriſſimus D. Comes Hugo de Montfort poſt deſtructum à Sueco milite Monaſterium Capucino-Ravenspurgenſe pro ſua in ordinem noſtrum benevolentia à Capitulo Provinciali Capucinos ad ſuum, ſuorúmque ſubditorum ſpirituale ſolatium , ac confirmationem in fide Romano-Catholica , non quidem in locum Argen , ſed Tettnangam unâ leucâ Ravenspurgo propinquiorem , hetterodoxâ vicinitate quaquaversùm cinctam pro figendo ibidem ſtabili domicilio inſtantiſſimè ſollicitavit, & reſpectivè exoravit. Sed quòd eadem tempeſtate Celſiſſimus ac Reverendiſſimus DD. Franciſcus Joannes Epiſcopus Conſtantienſis ſimilem Capucinorum Coloniam in Oppido ſuo Marchdorff introducendam meditaretur ; & inſuper prævideretur , Conventum Ravenspurgenſem certò aliquando iterùm reſtaurandum fore. Econtrà verò Conſtitutiones , & Decreta Pontificum nimiæ Communitatum Religioſarum multiplicationi in eodem quaſi diſtrictu diſtrictim adverſarentur ; ideò RR. Patres Provinciæ nolentes volentes pias , ac dignativas Illuſtriſſimi D. Comitis preces recuſare debuerunt ; qui hanc repulſam tantò tulit indigniùs , quòd ea ad iteratam petitionem ſemper quoque , licèt ſub excuſatrice deprecatione , & allegatâ deferendi impoſſibilitate , iteraretur. Quapropter animum à Capucinis averſum ad alios Religioſos in Comitatum ſuum vocandis tranſtulit ; quorum & obſequiis ſpiritualibus aliquoties per annum deinceps uſus eſt ,

eſt, illis conduci promptis ſpem ædificandi penès ſe domicilii faciens. Résque inter eos uſque eò jam proceſſerat, ut hi Religioſi ſola Illuſtriſſimi D. Comitis authoritate, ac permiſſu in loco Tettnang ſtabilis cujusdam Hoſpitii poſſeſſionem ſumpſerint. Intereà Illuſtriſſimus D. Comes Celſiſſimum, ac Reverendiſſimum D. Ordinarium litteris pro facultate ædificandi hujusmodi regulare domicilium convenit; quam cùm hic ſtante Canonum prohibitione dare non poſſe cauſaretur, cauſa per viam appellationis ad Sacram Congregationem Romam translata eſt; ubi diſcuſſis omnibus ſententia lata eſt, vi cujus non ſolùm nova Conventûs erectio in Tettnang pro ſemel & ſemper prohibita; ſed & illi Religioſi è Comitatu Montfortenſi, domóque illegitimè poſſideri cæptâ migrare juſſi fuerunt. Licèt autem Illuſtriſſimus D. Comes Hugo votô, & vitâ ſuâ ſimul exciderit; propoſitum tamen (quod illi Religioſi in qualitatem, & dignitatem voti ſtrictiſſimè conſcientias intereſſatorum obligantis evexerant) & ſpem hiſce Religioſis factam in Illuſtriſſimis Deſcendentibus Filio Joanne; & Antonio Nepote hæredibus propagaverit; ita quidem, ut hic poſterior, utique non proprio, equidem gratis excogitati hujusce voti, & liberaliùs exaggeratæ ejus obligationis prorsùs ignarus; ſed aliorum motu, ac perſuaſione inductus omninò ſtatuerit piiſſimam Avi ſui mentem adimplere, animúmque, & manum fundando Regulari Conventui admovere. Cúmque hic mentem ſuam captandi conſilii gratiâ nonnullis Familiarium ſuorum detexiſſet, hi rerum antiquarum, Proceſſuum, & Canonum gnari eum de variis obſtaculis, & moleſtiis ex eo orituris edocuerunt, quòd Tettnanga non niſi leucâ Ravenſpurgo, ubi interim Conventus Capucinorum reſtitutus erat, diſtaret; atque illi id conſilii dederunt, ut ſimul ad immunitatem ab omni proceſſu, & ad ſatisfactionem conſcientiæ ſuæ locò dictorum Religioſorum potiùs eâ gratiâ, & domicilio non Tettnangæ; ſed Langenargæ, quæ in Canonica diſtantia Ravenſpurgô abeſſet, ſtruendô Capucinos dignaretur. Et quia conſilio, rationibus, & pluribus in commendationem Capucinorum adductis preces adjecerant, tantum hæ authoritate precantium munitæ, acceſſúque arbitrii Illuſtriſſimæ Dominæ Conjugis pariter pro Capucinis perorantis quodammodò armatæ in animo Illuſtriſſimi D. Comitis valuerunt, ut his victus Capucinis locum Argenſem in habitaculum deſtinaverit, ſéque id ædificaturum promiſerit. Ad cujus celerem executionem conſenſum Celſiſſimi ac Reverendiſſimi D. Ordinarii Marquardi Rudolphi &c. efflagitavit; faciléque obtinuit. Ideò & Capucini die 4. Maji 1694. loco feliciter, & legitimè immigrârunt, & captatâ poſſeſſione, poſitisque omnibus de jure ponendis, ùt Edictalibus &c. ac nemine intra terminum canonicæ diſtantiæ, ac temporis contradicente immiſſi fuerunt in diverſorium Capellæ S. Fridolini contiguum. Dum ibi functionibus ſpiritualibus incumberent, in ſimul etiam præparatoria, & materialia erigendo Cænobio comportârunt, atque inſtruxerunt. Quibus omnibus diſpoſitis die 8. Martii 1696. pro parte Celſiſſimi ac Reverendiſſimi DD. Marquardi Rudolphi S. R. I. Principis, & Epiſcopi Conſtantien. Reverendiſſimus, & Illuſtris D. Franc. Carolus Pappus de Trazberg Eccleſiæ Cathedral. Conſtant. Canonicus fundamentalem ſtructuræ lapidem cum debita ſolennitate poſuit.

Bene-

Benedicente Domino laboribus ædificium proſperos habuit ſucceſſus, ut tum Eccleſia, tum Monaſterium die 27. Auguſti Anno 1699. perfectionem ſuam attigerit, & frequentari, atque inhabitari cæperit; templúmque & ejus Altaria die 8. Octobris ejuſdem Anni à Reverendiſſimo, & Prænobili D. Conrado Ferdinando Geiſt à Wildegg, Eccleſiæ Cathed. Conſtant. Canon. & Suffraganeo ſolenni ritu conſecrata fuerint.

Deum ipſiſſimum hoc domicilium Capucinis deſtinâſſe, hujúſque ſtructuræ ſingulari benedictionis ſuæ auxilio faviſſe, ex iis liquidò conſtat, quæ Plurimùm R. D. Joannes Baptiſta Endres loci Argenſis Parochus, vir ſive ejus conſummatam Theologiæ, & Juris utriusque peritiam; ſive Apoſtolicam Converſationem, judicii maturitatem, & ſingularem in Capucinos beneficentiam, aliorúmque donorum præſtantiam conſideres, totô ſæculô dignus, monumentis Eccleſiæ ſuæ Parochialis inſerenda, ac poſteritati transmittenda duxit.

1*mò*. Quòd torrens Arga, nemini alioquin, ùt præfati ſumus, amicus, cum omnium, qui ejus praxin habuêre, admiratione, lapides calcarios ſtructuræ opportunos affluenter adduxerit; cùm tamen ante, & poſt vel nullos, vel raros.

2. Quòd tempore prementis Cariſtiæ ſingulis diebus ſexaginta laboratores ad ſatietatem cibari debuerint, ac potuerint; quin tamen alimenta deficerent.

3. Quòd altero ſurgentis ædificii anno ex peculii rarefactione æris alieni 400. floreni impendendi fuerint; quæ debita cùm augenda crederentur, ſucceſſivè, & inadvertenter diminuta, & ad obolum uſque ad cujuslibet ſatisfactionem expuncta fuerunt; nemine capiente, unde, & quomodo.

4. Quòd D. Syndicus Apoſtolicus huic negotio adhibitus 200. florenorum ſummâ quæ ipſi ſupererat, 400. florenorum in operarios expendendorum debitionem diluerit, nemine quidquam condonante, cunctis ſatisfactis, omnibúsque rei miraculo proximæ conſciis ſtupore attonitis.

5. Quòd impoſito operi faſtigio præfatus D. Syndicus accepti, & expenſi codicem examinans, rationémque reddens invenerit ſibi 38. crucigeros exigendos reſtare; at verò præter omnem ſuam, & aliorum ſpem, ac notitiam in ærario depoſitario centum florenos ſupernumerarios repererit: quos igitur ut ſibi indebitos, &, utì ratiocinabatur, cælitùs ſubminiſtratos cultui Dei, & ſacriſtiæ applicandos cenſuit fideliſſimus rerum geſtor.

6. Quòd durante hac fabricâ nullum in lapicidinis; nullum in ſaxis pulvere nitrato diſcindendis, cædendis, & turbulento ſæpè Acronio lacu navî advehendis infortunium; nulláque adverſitas, aut funeſtior caſus ùlli acciderit.

7. Denique quòd toto quinquennio, quo huic operi inſudabatur, nulla in tot variarum nationum, opinionum, geniorum, & capitum Fanauſis, Opificibus, & Operariis controverſia; nulla animorum exulceratio, aut diſcordantium altercatio; nullúmque adeò fribolum fuerit

excitatum, quod negotio provehendo vel minimam afferre potuiſſet moram; replicante haud dubiè clementiſſimo Numine ſtupendum illud prodigium, quo in templi Salomonici ſtructura, *malleus, & ſecuris, & omne ferramentum* (quæ in ſenſu translato Expoſitoribus, diſcordiarum, rixarúmque nomine ſunt) *non ſunt audita in domo, cùm ædificaretur.* 3. Reg. cap. 6. pro quo ſempiterna Deo laus, honor, gloria, & gratiarum actio.

§. II.

Monaſterium Badenſe.

1. BAda, ſeu Badena à Thermis ibidem ebullientibus, quæ Germanicè dicuntur Bad/ nomen ſortita ad Oelbachii amnis ripas acclivis accubans jam à priſcis temporibus Urbs nec inelegans, nec incelebris fuit; ad cujus Occidentalem plagam duabus inde horis præterlabitur Rhenus: ad Orientem Wirthenbergiæ ducatus adjacet: versùs Aquilonem Principatus Durlacenſis, atque inferior Palatinatus occurrunt: ad Meridiem tandem Comitatus Hannovienſis, Ortenavia, & Brisgoja ditionem Badenſem claudunt. Vallis circa Urbem lætiſſima; in cujus medio collis leniter aſſurgens in latere Meridionali Urbem; in cujus medio Caſtrum, in latere Orientali hortos natura, & arte conſpicuos exhibet. Præterquam quòd colles, & agri vinetis, & ſegetibus rideant, vix alibi natura tantas effudit divitias: fontes namque calidiſſimi in ipſa Urbe à ſubterraneo igne excuſſati in ſcaturigine adeò fervent, ut carnes crudæ, imò ſues, & gallinæ injectæ oppidò elixentur; qui tubis ad communes privatásque thermas deducti ſanis delicias; ægris verò diverſis optatam largiuntur ſanitatem. Unde quotannis longè latéque omnis ſtatûs, & conditionis afflicti homines eas, tanquam alteram Bethſaidam frequentant. Nec recens quidem earum uſus eſt: quippe quas Marc. Aurel. Antonin. Caracalla Imper. adiiſſe; & pro commodiore earumdem uſurpatione Anno Chriſti 226. Urbem Badenſem inchoâſſe à Valaterrano, & Beroaldo ſcribitur. Hinc eſt, quòd in templi Parochialis pariete, propè Portam majorem hæc lapidi inciſa vetuſtiſſima legatur ſcriptura: *Marco Aurelio Antonino Cæſari, Imperatori deſtinato, Imperatoris Lucii ſeptimii Severi Pertinacis Auguſti Filio, Reſpublica Aquenſis.* Hæc Urbs Principibus, ſeu Marchionibus ſuis & nomen attulit, & Reſidentiam in memorato præbuit Caſtro uſque ad Annum 1689. quo Galli Germaniæ infeſti erumpentes Badam Urbem adeò flammis devaſtârunt, ut in deplorabile buſtum deſederit, & ea nunquam ampliùs priſtino decori reſtituta, aut redintegrata fuerit; à quo tempore Sereniſſimi Marchiones Raſtadium inſtructam ibi Baſilicam principalem, & magnificam tranſtulerunt. Nomen verò, cùm antea tota hæc regio ad duces Zäringenſes, & Comites Hochbergenſes pertinuiſſe ſcribatur ab iis, qui originem hujuſce Sereniſſimi ſtemmatis hanc fuiſſe tradunt. Fridericus I. Barbaroſſa cognominatus Rom. Imp. poſt-

poſtquam diu, acritérque cum Italis altercatus eſſet, modò victor, modo victus, ſubactis, qui Pontifici ſtudebant, Veronenſibus, inde obſides quosdam, & inter hos Hermannum Comitem Veronenſem, ſibi conſanguinitate vicinum, ſecum in Germaniam duxit. Porrò cùm idem cruentis olim bellis cum Conrado Duce-Zäringenſi decertâſſet, victóque tandem Comitatum Badenſem, & Hochbergenſem extorſiſſet, eos in Marchionatum erectos præfato Hermanno Veronenſi, dignitate, & Prærogativa Principis Imperii à ſe ornato tradidit. Verùm alii nominis iſtius natalia longè antiquiora eſſe volunt, eáque ad aurea Henricorum Cæſarum ſæcula, & ad finem Familiæ Caroli Magni referunt, aſſerentes ante nongentos, imò mille annos Marchiones iſtos inter Sueviæ Principes geſtis heroicis jam inclaruiſſe, clariſſimis hiſtoriarum teſtimoniis, & Archivorum indiciis id demonſtrantes. Ulteriùs retrò progreditur Felix Faber, qui in ſua Suevorum Hiſtoria lib. 1. cap. 10. affert; quòd cùm Titus, & Veſpaſianus in Syriam expeditionem apparâſſent, contra Judæos in Jeruſalem ad ſecum transfretandum, Suevorum nobiles advocaverint; de quo hodie Marchiones de Baden patentes litteras ſuæ vocationis oſtendunt.

II. Quidquid horum ſit; transmiſsâ quoque Genealogica ſerie, quâ Imperatores Romanos, Reges, Duces, ſummósque Europæ Principes attingunt, ad rem noſtram pergimus. Sereniſſimum hoc ſtemma in duas Principales Lineas partitum, Badenſem, & Durlacenſem cernitur. Hæc poſterior illâ eò infelicior eſt, quòd ruente in hæreſin Germania hi quoque Principes ſequiorem, novámque credendi methodum ſecuti ſunt. Equidem anno 1552. Principe Erneſto fatis erepto Carolus ei Filius ſucceſſit; qui cùm duas ſucceſſivè Conjuges à fide vera alienas habuiſſet, ab his etiam depravatus Lutheri dogma amplexus eſt, ac Ditionibus ſuis amplectendum obtruſit; cujus tres filii ſectæ quoque hæreditatem adierunt; quorum unus, Jacobus, ad gremium Eccleſiæ rediit, & in fama ſanctitatis obiit, quæ gloria ſereniſſimo Marchionum nomini infrequens non fuit. Nam Anno 1081. Hermannus Marchio-Badenſis contempto Principatu peregrini pauperisque habitu ad Monaſterium Burgundo-Cluniacenſe divertens ſub regimine B. Hugonis Abbatis ad ordinem ſuſceptus, paſcendóque porcorum gregi admotus ſanctiſſimè vixit. Pariter Bernardus Marchio Badenſis Anno 1459. ſpreta mundiali dignitate, & nuptiis cum virgine regia Galliæ in eremum propè Montiscalerium in Pedemontio vitam anachoreticam ſectaturus ſe abdidit; cujus ſanctitatem plurima teſtata ſunt miracula; quibus examinatis à Sixto IV. Pont. Max. inter divos relatus eſt; atque ut talis in Pedemontio, Lotharingia, & à Metenſibus hodiedum colitur. Quid? quòd hæc ſtirps illuſtriſſima conſanguinitate quoque S. Birgittam Sueciæ attingat Reginam? Hujus Jacobi Marchionis ea fuit ſæculi nauſea ſanctorum Anteceſſorum imitatrix, ut, ſi conjux ejus ante ipſum è vita migráſſet, vitam aſperrimam Capucinorum amplexurus fuiſſet, ut teſtatur Jo. Piſtorius Nidanus in Orat. 2. de vita, & mort. hujusce Jacobi Marchionis fol. 133.

III. Tantò autem perverſior ipſius Frater Erneſtus Fridericus erat, qui Cognatum ſuum Eduardum Fortunatum ditione ſua exuit, & auxilio Electoris Palatini, Ducisque Wirthenbergiæ Anno 1594. armorum vi totam occupavit; cujus filius Fridericus non ſolùm hunc Principatum iniquè uſurpare perrexit, ſed &, Willhelmo Eduardi filio proſcripto, hæresî totum quantum inquinavit; pro qua radicanda inauditum belli apparatum in Cæſarem inſtruxit; in quo tamen die 6. Maji Anno 1622. commiſſo propè Wimpfam certamine penitùs fuit profligatus, caſtris exutus, & in fugam conjectus: è contra Sereniſſimus Marchio Willhelmus in ditionem paternam lætiſſimè reſtitutus. Qui exulanti Principi auſpicatiſſima hæc nova attulerunt, primi fuerunt Capucini: quibus extemplo in gratitudinis ſimul teſſeram, & ad reducendos ad fidem orthodoxam provinciales ſubditos hæreſi infectos Monaſterium Badæ ædificaturum ſe obtulit, & exequendo huic ſalubri conſilio mox adhibuiſſet manum, niſi exorta quædam controverſia inter RR. Patres Rhenanæ, & Helveticæ Provinciæ moram injeciſſet. Ipſe Sereniſſimus Princeps PP. Rhenanis locum poſſidendum adjudicaverat; econtra Sereniſſima ejus Conjunx parti Helveto-Suevorum inclinabat; è cujus votis quoque ſteterat Reverendiſſimus, & Prænobilis D. Chriſtophorus Piſtorius Eccleſiæ Cathedral. Baſileenſis Canonicus; hujúsque Agnata Domina Maria Salome Aſchmännin; utpote quæ ſumptus tanto operi perficiendo neceſſarios in gratiam Patrum Helveto-Suevorum; nec verò aliorum eſſet ſubminiſtratura. Horum intuitu Sereniſſimus Marchio jam indifferens Reverendiſſimi P. Generalis noſtri conſenſum ſtruendi Capucinis (nulla cujusdam Provinciæ facta mentione) Monaſterii per litteras expetiit. Quòd verò etiam præfatus Reverendiſſimus D. Piſtorius eidem P. Generali Orator pro Patribus Suevo-Helvetis acceſſerit, & memoratæ Benefactricis mentem expoſuerit, P. Generalis Sereniſſimo Principi facultatem erigendi; & Capucinis Suevo-Helvetis acceptandi copiam fecit cum clauſula tamen, ſi, & in quantum cætera omnia fuerint paria. Propè noſtri præcocem, ſed ante victoriam, cecinisſent triumphum. Nam obſtabat huic deciſioni Eminentiſſimus D. Elector Trevirenſis, ceu Epiſcopus Spirenſis, ad cujus Eccleſiaſticam Jurisdictionem Bada pertinet; qui eapropter Rhenanos ibi collocatos voluit; idipſum Sereniſſimo Marchione cum Collegio Eccleſiæ Collegiatæ Badenſis ſerió exoptante. Litem quidem hanc dirimi, & Jurisdictionem Spirenſem hoc modo ſubterfugi poſſe aliqui noſtrûm arbitrati ſunt, ſi Cænobium ultra amnem Oehlbach, qui limes eſt Epiſcopatûs, de quo dictum, deſinentis, & Argentinenſis principiantis, ſicque in hunc conſtitueretur. Verùm Eminentiſſimus D. Ordinarius Spirenſis, quò id propoſitum annullaret, omnem Patribus Helveto-Auſtriacis jam impertitam Apoſtolandi, & quæſtuandi in ſua Diœceſi facultatem revocavit, & nunquam ſe hanc illis collaturum litteris ad P. Generalem pro Rhenana Provincia exaratis comminatus eſt. Quapropter accedente etiam Patris Generalis hortatu, ut noſtri potiùs loco cederent, quàm ut ulli faſtidio, aut damno eſſent, Patres Helveto-Suevi jam jam receptui canere,

canere, herbámque victoribus Rhenanis porrigere, atque gratulari inceperunt.

Ne tamen id fieret, pluries dictus Reverendiſſimus D. Piſtorius IV.
cum ſua Domina Agnata, ſecùs oblatum pietatis ſubſidium in alias pias cauſas impenſura totis nervis obſtitit; in cujus mentem cùm interim Sereniſſimus Princeps Conjugis amantiſſimæ precibus eſſet denuò translatus; hícque & Eminentiſſimum D. Ordinarium inſtantiis demulſiſſet, & Patres inſuper Rhenani pro Religioſa charitate Helveto-Suevis condeſcendiſſent; utpote quorum Provincia alibi diminuta, alibi incrementata, damnúmque, ſi quod illatum, mox alio apud Confluentinos Conventu reſarcitum fuit; ideò cum optima omnium pace, & gratia PP. Helveto-Auſtriaci, habito priùs conſenſu Reverendiſſimi D. Ordinarii Argentinenſis, realem loci poſſeſſionem adepti, atque auſpicati ſunt in area ultra amnem Oehlbach; quam paulò poſt Reverendiſſimus D. Abbas Schvvarzacenſis ab Ordinariatu Argentinenſi deputatus ſolenni benedictione luſtravit; Crucem, ceu Religionis reſtaurandæ Labarum erexit; Sereniſſimus autem Princeps lapidem ædificii primarium cum tanta ſanioris populi lætitiâ, quanto ex adverſo ſtantis, ac devotæ Luthero plebis, ipſúsque erebi fremitu, in fundamentum depoſuit.

Subinde omni induſtria in fabricam incumbi cæptum, eáque ſub V.
Benefactorum auxilio impigrè provecta fuit; cùm ſæpefata Domina Maria Salome Aſchmænnin ad quinque florenorum millia contulerit; Sereniſſimus Princeps Willhelmus vecturas, & materialia ſubminiſtraverit; Cœlúmque ipſum emergentem lapidum penuriam ſublevaverit. Enim verò cùm R. P. Columbanus Rottenburgenſis pro novi domicilii ad leges noſtras ædificandi diſpoſitione illuc deſtinatus dictam penuriam adverteret, ſingulari Numinis favore illuſtratus poſt devotas preces lapicidinam inibi locorum anteà nemini viſam reperit: quam dictante ipſo P. Columbano colliculo propè ſtructuræ aream ligone feliciter detexit Operarius quispiam Bombalio Capucinis familiariſſimus. Sic igitur aſpirante Numine, & ferventibus in hoc opus tum Operariis, tum Benefactoribus, quos inter ſempiternam Antipelargeſin meritus eſt Reverendiſſimus, & Perillustris D. Auguſtinus à Liechtenſtein, Illuſtriſſimi. Ord. Teut. Eques & Commendator in Hornegg, Germanus Frater P. Friderici ex Neckershauſen, primi Superioris in Baden: & Reverendiſſima D. Abbatiſſa Religioſi & Illuſtris Gynecæi in Frauenalb Ord. S. Bened. toti ædificio fauſtiſſimè prolato coronis impoſita eſt, Templum Reverendiſſimo D. Gangolpho Epiſcopo Davalienſi, & ſuffraganeo Spirenſi, de conſenſu, & reſpectivè rogatu Reverendiſſimi D. Ordinarii Argentinenſis ſolenni ritu conſecrante, & dedicante, prout innuit Inſtrumentum Epiſcopale ſub dato Spiræ 2. Auguſti Anno 1641. Ita conducti Milites Religioſi Caſtris ſuis feliciter immigrarunt; ad quorum, omniúmque Poſterorum ſpeciale ſolatium Sereniſſimi Principis clementia usque eò progreſſa fuit, ut Thermarum, de quibus ſupra, partem canalibus ſubterraneis in ipſa Monaſterii ſepta deduci, triníque alveis quadratis in loco ad id aptiſſimo excipi curaverit; ſicque optatiſſimam Fratribus per Provinciam calamito-

ſis reſtaurandæ valetudinis occaſionem fecerit. Quam gratiam Sereniſſima Domina Franciſca Leopoldina Marchioniſſa Badenſis vidua uno adhuc alveo ampliavit per publicas litteras ſub dato Badæ 22. Maji 1671. Imo Sereniſſimus Princeps Willhelmus Marchio præter fontis quoque frigidi conceſſionem, & Monaſterii ſarta tecta ſervandi, lignorúmque uſualium ſubminiſtrandorum gratuitam in ſe ſuſceptam, & ad poſteros hæredes tranſcriptam obligationem præfatam gratiam confirmatam, ac perpetuam eſſe voluit virtute diplomatis deſuper expediti Badæ 15. Januarii 1673.

VI. Varia autem, triſtiſſimáque fata huic Monaſterio ſubeunda fuerant; quæ tamen divina clementia variis quoque modis temperavit. Bello Suecico adhuc fervente exercitus Haſſo-Gallicus Marchionatum inundans, miſeréque devaſtans Conventum Capucinorum de ſui deſolatione jam timidum, favente Gallorum Duce Guebriano, indemnem reliquit, & eleemoſynis adhuc fovit; quin etiam horum Religioſorum preces adeò ſuſpexit, ut Cœnobium fœmininum Liechtenthalenſe Ord. Ciſterc. deprædationi jam addictum iſtarum intuitu immunitate donaverit Anno 1643. Anno autem 1645. iidem hoſtes eò reduces priorem reſumpſerunt furorem, & plerisque incolis expilatis, & fugâ elapſis ſingulari Dei providentia Capucinis Benefactorum, & Nutritiorum locò fuerunt.

Anno verò 1689. Galli efferatiores, & in Marchionatum Badenſem primo illorum furori proximè obvium ſemper inimici Badam urbem flammis ad cineres redegerunt; ipsúmque Monaſterium noſtrum poſt aliquam temporis intercapedinem incendiô abſumpſerunt; noſtrósque Fratres Gerſpachii exulare coëgerunt; quò tamen ab Aula Sereniſſima Badam revocati, ibidémque in domo profanâ utcunque locati, è culina autem Principis liberaliter habiti fuerunt. Sereniſſimus autem Marchio Ludovicus, Germanus ille Turcarum, Gallorúmque malleus, Ludovicus è caſtris de die 13. Julii 1694. Decretum de reſtaurando, ſuísque ſumptibus reædificando Capucinorum Monaſterio edidit; cujus executionem Sereniſſima Domina Conjunx Principiſſa M. Sibilla, nata de Saxo-Lauenburgo piiſſimo zelo promovit.

§. III.

§. III.

Monaſterium Bezavienſe.

BEzavium princeps inter plures undequaque diſperſos Pagus, & quaſi meditullium, ut ad cæteros ſpiritualis doctrinæ deliquias commodius, utiliúsque dirigeret, Capucinos amplexum eſt. Inter altiſſimos montes, & rupes vallis profunda reperitur, quam interiorem ſylvam Brigantinam compellant. Hæc verſùs Occidentem Territorium Brigantinum, Amniſiúmque, ſeu Embs contingit: verſùs Orientem ad Tyrolim: verſùs Meridiem Nebelgojam; & Helvetiam: verſùs Aquilonem autem Wangam ſpectat; quamvis ab his, aliisque finitimis ditionibus immanibus jugis, & montibus diſterminetur, & quaſi includatur. Toparchiæ Veldkirchenſi tota hæc ſylva cum Incolis incorporata eſt; jura tamen municipalia, propria, & privilegia inſignia habet; [illegible] ut Landammanum, tanquam cæterorum caput, liberè deligant in [illegible]æ, & quidem ritu vix alibi uſitato. Veldkirchio namque illius To[illegible] Officiales Auſtriaci deſcendentes pro parte Sereniſſimi Dominatûs quatuor ex tota Valle viros denominant; è quibus Vallicolæ unum in Landammanum hoc ordine creant. Statuuntur quatuor denominati ad quatuor diverſa loca ſub dio, tunc dato ſigno ſinguli congregatæ plebis virilis currunt, quilibet ad eum, quem Landammanum optat: qui igitur majori currentium cumulo circumdatus deprehenditur, hic tanquam ſuffragiorum pluralitate electus ſalutatur Landammanus; cui etiam quatuor Senatores è Popularibus adjunguntur; penès quos proinde Oligarchia, & ſumma rerum gubernandarum poteſtas reſidet; ita ut jure gladii utentes etiam de graviſſimis delictis ſententiam ferant, & exequantur, incertum, unde, quamdiu, quibúsve meritis hoc Dicaſterio potiti fuerint. I.

Quemadmodùm autem humanæ ſalutis adverſator captatæ à Paſtorum vel raritate, aut fortè ſomnolentia occaſioni imminens haud feriatus eſt terram illam execrandis non morum duntaxat; ſed hæreſum quoque tribulis gravidare; ita & luctuosè fœcunda vitiorum meſſis ibidem ſuaptè depravatâ naturâ erumpere viſa eſt. Equidem maxima quoque crimina viguiſſe, & impunitatem habuiſſe compertum eſt. Fornicationum tantò effrenior licentia, quòd eæ nulli ducerentur culpæ; à quibus proinde ad alia quæque immaniora, ruptis Decalogi repagulis, devolvebantur ſcelera. Ipſa etiam pravitas Anabaptiſtica alicubi radices egiſſe, aliarúmque ſectarum dogmata hominibus ſenſim bruteſcentibus arriſiſſe dicuntur. Nulla ibidem ſacrorum cura, aut æſtimatio; rariſſimus Sacramentorum uſus; craſſa divinorum ignorantia, & ruditas valles illas ipſis fragoſis, nigriſque nemorum receſſibus, atque immanium ferarum cubilibus horridiores reddidit. II.

Divina tandem bonitas quorumdam recti honeſtique tenacium probitate, & ardentibus votis evocata arcendæ, abigendæque tantæ lupi infernalis tyrannidi, & animarum ſtragi viros Apoſtolicos excitavit, atque ſubmiſit; inter quos ille Apoſtolandi gratiâ, & vitæ ſanctitate ad miracula uſ-

que clariſſimus P. Stanislaus Wueteschinganus Capucinus ; qui è ſtatione Brigantina ad plebis illius moribus propè Sylvescentis cicurationem per montes, & colles curſitando omnem, qua præſtabat, eloquentiæ, & zeli Miſſionarii vim exſeruit. Huic meſſi alii poſt ipſum in ſubſidium DD. Parochorum Miſſionarii Capucini ſubintrârunt ; qui verbi divini, inſtructionum catecheticarum, Apoſtolicæ converſationis efficaciâ id obtinuerunt, ut gens illa ex legum Chriſtianarum officio egreſſa non ſolùm ad earumdem reduceretur officium : ſed tenero in Capucinos affectu, & æſtimatione capta non ſolùm ſe ad omnem honeſtatem diſcendam ; ſed etiam conſcientias vitiis exonerandas illis flexanimam ſiſteret : quin & aliqui ingenti Capucinos penès ſe hoſpitandi deſiderio inflammarentur, atque de hoc exequendo nonnulli opulentiores jam ſua inter ſe conſilia communicare inciperent. Vix ea propoſita in vulgus emanârunt ; cùm ecce nonnulli alii, uti amat fieri, quodam æmulationis, meique ac tui ſtudio, haud dubiè Alaſtoris ſtygii operâ ſufflaminato ea in partu ſuppreſſerunt.

III. Rerum ea tempeſtate potiebatur in ſylva Brigantina nobilis, ac doctiſſimus D. Joannes Waldner J. U. Licent. vir non minùs pietate, quàm prudentia, & divitiis ſpectatiſſimus ; qui uti Capucinos ſumma ſemper veneratione proſequebatur, horúmque obſequia Patriæ hactenùs utiliſſima extitiſſe judicabat, ac utiliora deinceps extitura proſpiciebat ; ſic illis in valle ſtabilem aſſignare ſedem è re fore omninò cenſuit ; quapropter & alios in ſententiam ſuam conducere ſategit, qui tamen, quam acu ſupra tetigimus, remoram ubi expertus eſt. Itaque mutato conſilio ſaltem temporarium hoſpitium per intervalla à Capucinis illuc venturis occupandum animo ſuo, & Communitati projectavit. Verùm neque hoc cunctis probabatur, veritis, ne ex temporali æterna naſcatur virorum Religioſorum hoſpitatio. Hinc & ipſimet Capucini talium contradictionum, aliorúmque incommodorum formidine eos, qui negotium urgebant, à propoſito dehortati ſunt, ad impendenda Adventûs, Quadrageſimæ, aliiſque per Annum temporibus Officia ſua ſpiritualia promptos ſe exhibentes, ſi quidem ea deſiderabuntur ; nemini autem invito ab ipſis obtrudenda.

Animum nihilominùs necdum deſpondit D. Landammanus ; ùt quem adhuc magis firmaverat viduæ cujusdam benè argentatæ pia liberalitas ; quæ cùm hæredibus careret, Capucinos horum locò eſſe voluit, eisque temporaliter in pago Bezau locandis ædes ſuas propè Parochiale Fanum ſitas in tale hoſpitium redigendas obtulit. Lætus eo ſubſidio D. Waldner mox ſuo, & ſcabinorum nomine Patribus Lucernæ capitulariter congregatis ſupplices pro conſilii ſui acceptatione direxit ; in cujus petita, utpote juſta, & factibilia facilè condeſcenſum, & P. Maximiliano Kisleggenſi, Guardiano Brigantino imperatum fuit, ut in rem præſentem iret, & judicaret, qua ratione piis Vallicolarum deſideriis deferri poſſet.

IV. Huic cùm nec locus, nec ædes illæ fratrum habitationi viderentur opportunæ, alius & delectus, & perlibenter conceſſus eſt ; ubi eruto funda-

fundamento mox adhibuêre manus ſtruendo ædificio juxta Canonem à Capucinis dictatum domui regulari conquadrando. Illi autem Canonem ſupergreſſi, & ſumpta per ædilem ab alio Monaſterio Capucinorum dimenſione non Hoſpitium, ſed integrum Cœnobium moliti, támque impigrè opus proſecuti ſunt, ut intra anni ſpatium fabrica Monaſterii abſoluta omnibus numeris ſteterit, & Patres ad ejus incolatum ardenter implorati fuerint. Verùm his ad paratam ſibi habitationem oculis uſurpandam advenientibus prima ſtatim fronte apparuit, ſylvanos neglectis Capucinorum regulis plus juſtò in teſtanda propenſione ſua rem egiſſe. Igitur intet ſaxum & ignem poſitis aqua hæſit: Nam penès ſe non ſteterat, incolatum penitùs reſpuere, ne ad eorum præjudicium alii illuc advocarentur: multò minùs, tametſi conſenſus Celſiſſimi, ac Reverendiſſimi D. Ordinarii præſtò adeſſet, acceptare, & auſpicari, ne ſe piæ ſylvanorum fraudis participes, & ſuſpectos redderent, quaſi ſub nomine Hoſpitii ipſimet juſtum intenderint Monaſterium; & quidem ultrà limites præſcriptæ Capucinis Architectonices prolatum, paupertatique, & ſimplicitati adverſum. Itaque res tum à Patribus, tum Domino Landammano Reverendiſſimo P. Generali Miniſtro Fortunato à Cadoro tota ſpecies facti ſincerè expoſita: ſed ab hoc, ut à loco abſtineretur, imperatum fuit, cauſato, negotii hujus deciſionem ad forum totius Capituli Generalis pertinere. Moræ impatientes Sylvani inſtantias multiplicant; quibus rationum, & motivorum à Patribus Provinciæ adductorum interpoſitione ſociatis P. Generalis mitius tandem edidit oraculum; uti nimirùm locus nec ſtabiliter acceptetur; nec omninò refutetur; ſed ad Capituli generalis tempus uſque temporariè frequentetur; juſsítque de favorabili generalis Capituli deciſione quàm optimè ſperari. Hoc reſponſo gaviſi tum Capucini, tum Vallenſes ad ponendum pro Eccleſiæ ſtructura lapidem fundamentalem, Crucémque, ceu captatæ poſſeſſionis teſſeram, ſolenniter plantandam animum, & manus adjecerunt, rogatô ad hunc actum de deputatione Celſiſſimi, ac Reverendiſſimi D. Ordinarii Conſtantienſis Reverendiſſimo & Ampliſſimo D. Præſule Major-Augienſi. Ord. S. Bened. qui eâ provinciâ tam feſtivè quàm lætanter ſub confluentis, & gratulantis populi ingenti multitudine perfunctus eſt die 30. Aug. Anno 1655.

V. Fabrica Templi eodem opportuno tempore ultimam conſecuta eſt manum, quo Patres Provinciæ à Capitulo generali reduces plenam hujus & locum acceptandi, & in figura formalis Conventûs poſſidendi facultatem attulerant. Celſiſſimus ac Reverendiſſimus S. R. I. Princeps, & DD. Franciſcus Joannes Epiſcopus Conſtantienſis ipſusmet moleſtiſſimi itineris incommodum, & conſecrandæ Eccleſiæ officium in ſe ſuſcepit, ac Epiſcopali ſolennitate peregit die 22. Octob. Anno 1656. quo & ipſum Hoſpitium in Guardianiam evectum, & regulariter habitari cæptum eſt. Grati natura animi poſtulat, ut eorum, qui ſua huc auxilia contulerunt, nomina poſteritati tranſcribamus. Præfatus igitur Nobilis, ac Clariſſimus D. Joannes Waldner Landammanus præter maximam curam, & ſollicitudinem huic operi promovendo adhibitam quin-

gentos inſuper & triginta quatuor florenos : Honeſta vidua Anna Remin quingentos : Catharina Feürſteinin mille : Caſparus Felder ducentos octoginta octo : Conradus Vôgele ducentos : Joannes Feürſtein centum viginti novem : D. Laurentius Hueber ex Dorrenbüren ducentos : A. R. D. Jacobus Feürſtein Parochus & Cammerarius in Zambs centum : F. Monaldus laicus ante ſuam in Ordine noſtro profeſſionem centum : tota tandem ſylvæ Brigantinæ Respublica, præter publicas, gratuitásque operas, & materialium ſubminiſtrationem ex ærario publico octingentos ſeptuaginta ſeptem florenos contribuerunt. Nil tamen horum exemplo permotus ; ſed horum Religioſorum coloniæ conſtanter adverſatus quispiam vallicola nec eleemoſynam ullam , nec ſubſidium vel minimum huic operi impendere animum obfirmaverat. Sylvam is habuit proceris arboribus confertiſſimam ; quarum tamen cùm nec unicam etiam humiliter rogatus ad ædificium concedere voluiſſet , Cælô magiſtrô velle didicit. Dum enim ſtructuræ incumberetur, & majoribus ad eam tignis opus eſſet ; tantus ſubitò ventus exoriebatur , qui facto in hominis illius ſylvam impetu immanem edidit ſtragem , & arbores quaſi ſtipulas confregit , vel radicitùs ſubvertit ; ita ut inde jam manſuetior homo abundanter truncos, & arbores operi proferendo ultrò offerret, & deteriorum metu territus & ipſe in album Benefactorum recenſeri properaret.

VI. Capucini ſic in iſtud Monaſterium , priùs ad normam à Conſtitutionibus noſtris dictatam utcunque reformatum immiſſi operatione ſua Apoſtolicâ eximios in gente illa nuper admodùm à legum Chriſtianarum perpendiculo degenere fructus collegerunt , & converſiones fecerunt ; ut veriſſimum hîc evaſerit : ubi primis abundavit iniquitas , abundat jam gratia , honeſtas, & pietas, omniúmque virtutum cultus. Ad acuendam Patrum noſtrorum induſtriam Reverendiſſimus & Prænob. D. Andreas Feürſtein SS. Theologiæ Doctor , Celſiſſimi. ac Reverendiſſimi DD. Epiſcopi Conſtant. Conſiliarius Eccleſiaſticus, Viſitator Epiſcopalis , librorum Cenſor, Parochus & Canonicus Eccleſiæ Colleg. ad S. Stephanum Conſtantiæ ſelectiſſimam æquè ac copioſiſſimam Bibliothecam ſuam Conventui Bezavienſi legavit Anno 1725.

§. IV.

Monaſterium Bludentinum.

I. ESt Bludentum Urbs modica, de cujus nomine, & ortu nec unus omnium ſcriptorum ſenſus eſt. Aliqui Pludentum exiſtimant ſcribendum, quaſi Plaudentum , à plauſu, quem Romani habuêre ; dum contra reſiduos Rhætos, & Allemannos proruentes in hoc receſſu vallis Druſianæ quaſi aſylum nanciſcerentur. Tyberius Cæſar enim tempore Chriſti Servatoris noſtri Druſum cum exercitu , quò omnes Theutonum gentes Romano Imperio ſubjugarentur , deſtinavit ; qui ad hæc uſque loca penetrans ſtativa ibi caſtra poſuit, Eſthionibus,

qu

qui hìc locorum dominabantur, ſubactis: à quo proinde uſque hodie vallis hæc Druſianæ nomen obtinuit.

Imperator autem Henricus III. in quodam diplomate Anno 1045. impertito hanc Urbem Pludenem: perantiquæ verò litteræ, & Acta Eccleſiæ Curienſis Bludonum nuncupant. Quidquid autem ſit de nomine, ſita eſt hæc Urbs in faucibus duarum quaſi vallium; quarum indè una, Monaſterienſis dicta, versùs Auſtrum progreditur, potiore ſui parte ſylveſtris, & infrugifera armentis mitiorem ſe, quàm hominibus præbens, ac itinerantes per montem Arulam ſecùs torrentem Altenz in Tyrolim dirigens: altera vallis Montifontana Illâ flumine fœcundata longè clementiori fruitur Cœlo; utpote arborum terræque fructibus liberaliter abundans, econtra vinearum impatiens nunc una cum Bludento ad Toparchiam Auſtriaco-Ciſarulanam ſpectat; cùm Urbs quondam, valliſque Auſtralis ad Comitatum Sonnenbergenſem pertinuiſſent. Nam ſupra pagum Niziders infra Bludentum arx ſplendidiſſima Comitum de Sonnenberg inclyta ſedes olim ſteterat, ut rudera hodiedum reſidua indicant. Sonnenbergicis extinctis Werdenbergici Comites eò ſucceſſerunt; qui Toparchiam Eberhardo Truchſeſſio vendiderunt Anno 1455. à qua licèt tractu temporis ad Sereniſſimam Domum Auſtriacam devoluta hodierni Illuſtriſſimi. DD. Comites Truchſeſſii ſolem armis gentilitiis intertum retinent.

Porrò altiſſima juga Bludento proſpectum ad partes Aquilonarem, & Meridionalem intercipiunt; versùs Occidentem verò via plana per vallem Blumeneggenſem, pagis & villis frequentem, olim nobilibus à loco nominatis propriam; hìsque deficientibus ad Comites Werdenbergicos translatam: ab his Anno 1351. oppignoratione primùm; dein venditione Brandiſiis ceſſam: Anno 1507. ad Comites Sulzenſes jure ſucceſſionis propagatam: Denique Anno 1613. quòd vineis, pratis, hortìsque admodùm floreat, à Reverendiſſimo, & Ampliſſimo D. Abbate Weingartenſi titulo emptionis comparatam, Veldkirchium ducit. In ſummitate urbis Bludenti Caſtrum eminet, ubi Præfectus ſub fide Auſtriaca reſidet, qui ambabus Toparchiis Bludentino-Montifontanæ, & Sonnenbergenſi jus dicendi authoritate pollet.

II. Hæc ut ab avitis temporibus cum fide orthodoxâ, quatenùs aliquorum fert opinio, ab ipſomet S. Petro Archi-Apoſtolo terræ illi allatâ, omnem pietatem ſectata eſt; ita ad hujus propagationem homines iſti viros Capucinos, quorum vivendi ratione, zelóque apoſtolandi pridem capti fuerant, penès ſe ſtabiliter hoſpitandi conſilia agitârunt; quæ vel ipſis Patribus noſtris frequentes illuc Veldkirchio Miſſiones exercentibus conſiderato loci ſitu, meſsísque ſpiritualis opportunitate vel inde magis probabantur, quòd compertum eſſet, alios quosdam Religioſos ejusdem loci occupandi ſtudio teneri. Illuſtris autem D. Udalricus de Ramschvvag Toparchiarum tum Præfectus, & impenſiſſimus Capucinorum amator his ſuaſor, & hortator imminuit, ne occaſioni deeſſent; ſed periculo in mora poſito præverterent, opem ſuam quamquam pollicitus. P. Fulgentius Guardianus Veldkirchenſis acceptâ à ſuperioribus

authoritate Primoribus urbis, & Toparchiarum ſe ſupplicem ſtitit, rogando, ut quandoquidem pluriès animum Capucinos ponè ſe habendi ſe habere oſtentâſſent, ſerium hunc fuiſſe, ac etiamnùm eſſe opere demonſtrarent: Capucinos in domicilium ſibi aſſignandum, & figendum, atque exercendas ibi functiones inſtituto ſuo uſitatas, & animarum ſaluti proficuas omninò paratos eſſe. Æqui bonique conſuluerunt Primores hanc P. Guardiani perorationem; cui eapropter in ſcriptis reſolutionem ſuam his expoſuerunt: Rem penès ſe fore ſalvam; ſi & Patres Provinciæ, ad quos negotium ſpectat, ea diſponant, quæ ſuperſunt diſponenda.

III. Quantumcunque verò proſpera videbantur initia; ſucceſſus tamen his non æquè reſpondebat. Enimverò cùm collectis Magiſtratûs ſuffragiis negotium peragendum eſſet, aliquorum in alios Religioſos benigniorum machinatione factum eſt, ut tribûs exceptîs, omnia aliorum vota adversùs Capucinos ceciderint; ut adeòque his repudiandis alii fuiſſent ſubrogandi, atque ejus loci poſſeſſione donandi. Ægerrimè hoc Senatus-Conſultum tulit A. R. D. Leonardus Cleſin loci Paſtor; qui igitur ardentiori Zelo in Conſiſtorium ingreſſus, atque in Senatores invectus eos palmaris in Capucinos, horùmque fideliſſimam per annos quadraginta Bludentinis præſtitam veréque utilem operam ingratitudinis redarguit; ſimul atque exprobravit, quòd à verbo dato, & fide publicâ, qua Capucinos quaſi jam ad poſſeſſionem maturandam allexerant, jam reſilientes Viros, ſe non Viros, ſed arundines quoque leviſſimo rationum, ac reſpectuum ventô mobiles ad ſempiternam nominis ſui ignominiam exhiberent. Acerbâ hac Paſtoris ſui zelantiſſimi homiliâ pudefacti priorem ſententiam pro Capucinis reſumpſerunt; atque re in deliberationem omni affectu vacuam revocatâ unanimiter in favorem pronuntiârunt: quin & litteras invitatorias ad Provinciæ Patres ſub expreſſionibus humaniſſimis expedierunt, urgentes loci impræſentiarum illis à ſe oblati acceptationem, &, ne mora ſit, occupationem. Itaque noſtri ex eodem cornu humaniſſimas regeſſerunt gratias, & ad gratificandum eorum petitis mox ablegârunt rerum peritos, à quibus locus ſpectaretur, & ſiquidem aptus judicaretur, incunctanter ad Cænobii molitionem procedatur.

IV. Poſtquam Celſiſſimus ac Reverendiſſimus Ordinarius Curienſis, qui Bludento Epiſcopaliter dominatur, conſenſum ſuum impertiiſſet, omniáque reliqua eſſent paria, die 8. Octobris Anno 1645. Crucem conſueto ritu erexerunt, lapidémque primarium pro auſpicio ſtructuræ poſuerunt, benedicente, & actum ex commiſſione Reverendiſſimi Ordinarii peragente Admodùm Reverendo Domino Chriſtiano Krafft Protho-Not. Apoſtolico, & Rural. Capituli Wallgovienſis Camerario, ac confertiſſima hominum gaudiis, & ſolatiis geſtientium panegyri ſpectatrice.

Fundum ad Meridionalem Urbis portam ſitum gratis contulit Conſultimus, ac ſpectatiſſimus D. Conradus Zürcher Conſul, Fabricæ tam opportunum, ut vel Cælum hunc indigitaſſe viſum ſit. Ruſticus enim quidam apprimè pius ex pago Bürs noſtris poſthæc seriò teſtatus eſt,

ſe

ſe longè ante, quàm de Capucinis unquam admittendis vel ſermo, vel cogitatio incidiſſet, aliquoties noctu eo in loco fulgidiſſimum lumen, haud absque ingenti ſtupore contuitum, & datâ operâ contemplatum fuiſſe; quod radios in longum; non quidem orbiculariter per totam peripheriam uſquequaque; ſed ſolùm per aliquas lineas diſtinctiſſimas evibraverit, húncque ipſiſſimum locum illuſtraverit. Sed ne hoc ludibrium ab ignibus fatuis profectum crederetur, aliis Deus portentis ſignificare non deſtitit, quòd ejus beneplacitum eſſet, ut Capucini ibidem habitarent. Sola Crux propè aream Conventûs plantata cuidam agricolæ Montifontano ex ingenti tubere in pedum altero dolente ſalutaris fuit, illíque ad eam peregrinato, & ſimplici devotione oranti dolores cum ultimo ulceris veſtigio abſterſit.

In ipſa etiam templi ſtructura, quam Anno 1648. exorſi ſunt, ſemel iterúmque miraculoſa Dei virtus ſe præſentiſſimam exhibuit. Dum templi fabrica uſque ad tectum excreviſſet, præter ſpem lapides deficere cæperunt; absque ut in promptu ſuppeteret conſilium, quo hæc penuria levaretur. Sed ecce! noſtris de ſubſidio conquirendo anxiis contigit inſperatò rupem ædificio vicinam reſolvi, diſſilire, & tantam ſaxorum copiam, quantam, nec majorem, proſequendi operis ratio exigebat, in prædium illius, qui curam ædificii habuerat, absque ullius hominis, aut arboris læſione depluere, atque perquàm officioſiſſimè aſportare. In ſteriliſſimum alioquin recedentes petræ locum eodem adhuc anno fundi Dominus vineam plantavit, & proventum non contemnendum tulit. Muris templi jam ad debitam altitudinem provectis fabri cujusdam Cæmentarii quadrimula filiola per pegmata, & pontes ad Patrem properans veſtigio fallente ab altitudine viginti & ultrà pedum in ima, & ſuper lapides proruit; quam labentem cùm Pater Deiparæ Virgini commendâſſet, hujus auxilio factum eſt, ut puella momento indemnis reſurgens ad matrem è propinquo lamentabundam ſe contulerit. V.

Alius quidam bajulus lapides in altum efferens, jámque ulterius, quàm præfata puella eluctatus, & lapidum pondere victus unà cum his infrà præcipitatur. Dum jam corruens à lapſu ſe nequiret ſervare dicere auditus eſt, *Nil nocere poteſt, ubi Mariæ auxilium adeſt* (Templum enim B. Virgini auxiliatrici dedicandum parabatur) E pontibus ergò humi delapſus quidem eſt; ita tamen, ut neque caſus, neque concidentes lapides ei quidquam nocuerint; hinc impunè ſurgens, & quaſi nihil interpolatus reſumptam lapidum eorumdem ſarcinam in locum ſuum deportavit.

Alterâ vice truncis, & arboribus pleriſque ad ſtructuram deputatis impetuoſiſſimo torrenti, quo adveherentur, commiſſis accidit virum quemdam infra truncos in aquas mergi, ab omnibus ideò conclamatum. Contra verò cum omnium ſtupore res evenit: vir namque de ſublignis emergens ſalvus, & incolumis permanſit.

Anno 1650. quidam lapidum foſſores hos ad locum fornacis calcariæ coquendos devolverant. Unum ſaxorum prægrande per declivia montis rotatum duos in via viros obvios habuit; quorum unus fugæ impotens momento in terram ſe dejecit; & ita lapis ſuper eo intacto

tranſiliit : in alterius verò caput rectà impegit ; ita ut omnium exiſtimatione impulſu contritus , capútque illius in fruſta disjectum crederetur. Sed ne quis diceret , ulli ſervitiis Deiparæ auxiliatricis occupato hujus opem defuiſſe ; ideò & iſte non niſi levi vulnere ſaucius brevì poſt ad laborem rediit.

Econtra verò Mulier ruſtica in Niziders viri ſui ſtudiis , quæ advehendis huic ædificio materialibus lætanter locare ſolebat , obmurmurans gravem Numinis animadverſionem ſibimet accerſivit. Cùm ſiquidem maritus denuò vecturam gratuitam appararet , uxor indignabunda viri operam diſtractura equos ipſamet quadrigæ ſimo onuſtæ in agros ſtercorandos adaptat , & minare aggreditur. At vindictam Dei ſe ſecum vehere periculo ſuo didicit : nam equo lapſa rotæ miſera inflectitur , conquaſſanda , niſi ſibi malè conſcia Deum deprecata fuiſſet , & ſi ſalva evaderet , quaſi voviſſet , ſe impoſterum ultrò cooperaturam ſervitiisque Cænobio ſtruendo impendendis : quo quidem voto ſuam à præſenti diſcrimine incolumitatem obtinuit. Quò verò citiùs mulier evaſerat , eò citiùs mentem indurat ; Capucinis enim , ratiocinabatur , alia vice commodari jumenta poterunt : modò incæptum negotium peragere utilitatis domeſticæ intereſt. Sed quæ ad ictum primum ſapere noluit , ſecundum experiri debuit. Occultiori namque impulſu eidem rotæ inflexa de frangendis cruribus proximè periclitabatur. Tandem ergò cælo non ampliùs reſiſtendum arbitrata , ſeriò ſe Dei , ac mariti ſanctiora volentis diſpoſitioni morigeram fore pollicetur. Itaque ſecundò mirabiliter indemniſata viro ſuo hortatrix adfuit , utì poſthàc in obſequiis pio huic operi præſtandis impigrè perſeveraret , eáque ad placandum ſibi offenſum Numen optimâ ſua pace duplicaret.

Cùm tota hæc ſtructura coronidi jam jam propinquaret , ſolíque potiſſimùm ſcrinarii tabulatis , & pavimentis coaptandis incumberent , ecce triſtiſſimum caſum , quem dies 1. Martii Anno 1651. horâ noctis undecimâ tulerat. Quia templum necdum eſſet conſecratum , & noſtri hoſpitium in urbe incolentes nondum adhuc Monaſterio immigrâſſent ; ſed veſperè poſt laborem diurnum ad urbanam domum redirent ; his adeò abſentibus flamma , ùt creditur , per fornacis rimas erumpens , & arida ligna , ac ſegmenta quaqua verſùm copioſè diſpersa in ſui incrementum aſſumens incendio impunè graſſato , & augmentatô Monaſterium , & templum in cineres redegit , vix ſervato interiori choro , quem Cives exitialium flammarum fragore , & fulgore excitati ruinæ ſubtraxerunt. Alii ſtudioſæ hominum iſthanc coloniam ex dæmonis inſtinctu indignantium malitiæ tribuunt. Quidquid verò cauſæ ſubfuerit , Capucini tot laborum , ſumptuum , materialium , & inſtrumentorum mechanicorum deſtructione ultrà quàm dici , ſcribíque valeat , triſtes , re Patribus Provinvinciæ perſcriptâ , & abjecta omni Monaſterii reſtaurandi ſpe ordinem inde penitùs emigrandi præſtolabantur. Quamvis autem idipſum Bludentinos , & conterraneos haud minùs afflixerit ; ne tamen Capucini tantâ jam apud omnes æſtimatione pollentes animum deſponderent , vel omninò locum deſererent , ſtatim de Cænobio reſtituendo cogitare , atque conſultare cæperunt.

Pri-

Primus qui Capucinos tantâ jacturâ dejectos erexerat, fuit Clariſſimus atque Conſultiſſimus D. Udalricus Rudolphi Conſul Bludentinus. Ligna is in propriam fabricam jam aſciata habuerat ; quæ omnia Monaſterii è cineribus reſuſcitationi liberaliſſimè deſtinavit. Hujus benevolentiam mox alii & alii æmulati, incolæ cumprimis vicinarum vallium novo, inauditóque fervore opem, & operam ſuam ſpoponderunt ; tandem omnium conſilio, & voto opus novæ ſtructuræ concluditur aſſumendum. Itaque muri, quousque incendio evaſerant inhabiles, reparantur, ligna, & tigna fabricantur ; tantáque laboris improbitate, ac zelo fabrica propagatur ; ut cùm antea juſtum triennium fuerit laborando inſumptum ; nunc illud intra quinque menſes integrè reædificatum ſteterit Monaſterium, eodémque anno adhuc die 28. Auguſti ab ipſomet Celſiſſimo ac Reverendiſſimo S. R. I. Principe, & DD. Joanne Flugio ab Aſpermont Epiſcopo Curienſi ſolenniſſimè fuerit conſecratum, tanto hominum concurſu, ut valles, & montes circumcirca poſiti pro tunc viderentur pleniſſimè deſerti. In eam igitur Andronitidem inducti Capucini exercitationibus ſuis vacare cæperunt, & uſque hodie perrexerunt. VI.

§. V.

Monaſterium Biberacenſe.

Biberacum, aliis Caſtropolis dictum à Caſtorum ibi ante Urbis fundationem in præterfluo amne Riſs frequentia, nomen hoc ſortitum creditur ; cùm fundus circa Urbem Uliginoſus, atque paluſtris talium animalium generationi, & multiplicationi opportunitatem, & latibulum præbuerit, urbs Imperialis eſt in Sueviæ gremio ſita. Ignoratur ejus Conditor, etſi aliqui cum Bruschio exiſtiment, Comites de Keſſelberg eum Pagum excitâſſe, & anno Chriſti 800. adhuc tenuiſſe ; quod tamen veroſimile non eſt, cùm Cruſius ad annum 735. & 776. Biberaci ut Pipino, & Carolo Magno Franciæ Regibus ſubditi mentionem faciat, tempore Friderici II. Imperat: circa annum 1220. muris hic locus circumdatus eſt ; qui turrium, & foſſarum munimentis cuilibet aggreſſori difficilem quondam reddiderat expugnationem. Templum Parochiale magnæ, & vetuſtæ molis turrim habet tantæ celſitudinis, ut cùm aliquando conus ex apice vi ventorum dejectus eſſet, is tantæ capacitatis fuiſſe deprehenſus eſt, ut undecim frumentorum quartalia caperet ; quem ubi tres artifices in locum priſtinum reponerent, in apice ſimul ſuper conum conſtiterunt, & unus ſuper eumdem novam Veſtem induit. Parochia olim ad Monaſterium Eberbach in Rhingavia ſpectavit, ex quo Abbas Religioſum Parochiæ præficere ſolebat. Sed Anno 1564. Senatus loci Parochiam cum omnibus adjacentibus ſolutis 31. millibus florenorum pro ſua diſpoſitione nominandi, & præſentandi Parochum obtinuit. Floret quoque hæc Civitas Prochotrophio opulentiſſimo ; cujus primi laudantur Fundatores Aurati Milites de Eſſendorff, Uldalricus, & Halmvvigus Germani I.

mani Fratres, qui id magno ſuo ſumptu in honorem Spiritûs ſancti, & glorioſæ Virginis Mariæ Anno 1239. extruxerunt, ſuisque poſſeſſionibus multis præclarè dotârunt. Quòd Biberacenſes ad liberationem Archi-Ducis Maximiliani, poſteà Imperatoris, Brugis in Flandria captivi, Vexillum militum & ipſi ſubmiſiſſent, atque in ſignum mæroris milites iſtos nigris veſtibus induiſſent, Maximiliano res ita placuit, ut præter alia conceſſerit, quatenus Caſtorem, quem antiquitùs jam in campo cæruleo in ſuis geſtabant inſigniis, aurea decorarent corona. Porrò id quoque hìc conſuetudine per modum Privilegii per Cameræ Imperial. deciſionem roborati receptum eſt, quòd in concurrentia obærati debitoris Biberacenſes nudum Chirographum habentes, exteris etiam expreſſam anteriorem qualemcunque hypothecam habentibus præferantur. Vinearum, quarum terra hæc incapax eſt, penuriam aliorum fructuum feracitas abundè compenſat. Anno 1016. immani incendio: Annis 1518. & 1574. Anno 1584. Civitas hæc Biberacenſis ſulmine attrita, & afflicta fuit: nunquam tamen infelicior, quàm ubi potior pars excuſſo avitæ Romano-Catholicæ Religionis jugô Lutherum amplexa eſt. Cùm enim Anno 1531. falſus rumor Biberacum allatus eſſet, quòd Ulmenſes omnia Eccleſiarum altaria deſtruxerint, Miſſæ Sacrificium abrogaverint, & reliquos Eccleſiæ Romanæ ritus exterminaverint, aliqui Biberacenſium in Lutherum proni, hócque exemplo animati & ipſi aris ſubvertendis, ſimulacris Sanctorum confringendis, & ſacris profana miſcendis violentas manus contra fidem Carolo V. datam applicuerunt. Ubi verò dicti rumoris inanitas innotuiſſet; Ulmæ nimirùm omnia adhuc integra, & quieta exiſtere, Cives in ſeditionem commoti, bonique Catholici Lutherizantibus juſtè indignati ulterioribus horum conatibus fortiter reſtiterunt; hinc utrinque ad manus deventum, plurésque vulnerati, & occiſi fuerunt. Subinde verò invaleſcente credendi libertate paritas Religionis introducta, & per pacem Osnabrüggenſem Anno 1648. artic. 5. deinde taliter regulata fuit, ut ſint duo Conſules; Catholicus unus, alter Confeſſionis Auguſtanæ ſectator: quatuor ſecretioris Conſilii æquali numero utriusque Religionis. Eadem etiam æqualitas circa Senatum, Judicium urbanum, Præfecturam ærarii, & alia officia omnia, dignitates, & munera publica obſervetur &c. &c. Tanta ergò ex hac religionis mixturâ confuſio exorta bonis omnibus copioſam urbi huic adeò deformatæ illacrymandi materiam præbuit, hodiéque præbet.

II. Sanis in avita Religione ſervandis; erroneis ad gremium Eccleſiæ revocandis altiſſimum Numen Capucinos Biberacum deſtinâſſe videtur; quorum illuc inductionem ex propoſito divino accidiſſe præſagia edocuerunt. Ut Biberacum eximios quondam viros prudentiâ juris, omníque alia litteraturâ, & libris præclarè ſcriptis clariſſimos genuit; inter alios Joannem Hochmannum J. U. Doctorem, cujus laudes Bocerus in ſermone funebri declamandas putavit. Schopperum, Chorographiæ ſcriptorem, & alios &c. Ita & eadem tempeſtate longè prædictis excellentiorem habuit Juris Conſultiſſimum D. Conradum Hettinger, quòd is doctrinæ

ctrinæ impenſum avitæ Religionis, omniúmque virtutum cultum junxerit. Hic cùm ægritudinis vehementia preſſus à circumfuſa amicorum lugentium corona animam efflaturus exſpectaretur, oculos jamjam in mortem claudendos derepentè aperiens, & circumſpiciens percontabatur: Quis ibi talari veſtitus conſiſteret? (erat autem Prænobilis D. Henricus à Pflaumeren, urbis Conſul) is ergò propiùs accedens: Ego ſum, inquit; num D. Affinis me haud ampliùs cognoſcit? ad quem moribundus explicatiſſimè: ſcito mi Domine affinis, PP. Capucinos Biberacum venturos. Ad eorum ergò receptionem omne conſilium, & auxilium tuum conferas rogo: ſunt enim viri boni, probíque, qui de Republica noſtra inſigniter merebuntur. Admiratis ſuper hæc morientis oracula, qui aſtabant, ille placidiſſimâ exin morte defungitur. Contigerant hæc Anno 1604. ubi nulla adhuc de Capucinis ſuscipiendis quæſtio movebatur. Benè hæc Patris ſui vaticinantis præſagia non ſolùm in corde; ſed in ſcriptis conſervabat ejusdem in omnibus patrizans filius Ioann. Henricus Hettinger; qui cùm & ipſe haberet filium Conradum Henricum, poſtviginti Annorum intercapedinem inter Capucinos adſcribi anhelantem, ad hunc in propoſito firmandum eidem verba Avi ſui agonizati ſchediaſmô excepta perhibuit, quæ omninò veridica fuiſſe tum jam conſtiterat, cùm Capucini eo tempore jam immiſſi eſſent Biberaci. Id quoque boni ominis loco paſſim habebatur; quòd invaleſcente adverſa Religione ſolennis Proceſſio in feſto SS. Corporis Chriſti penitùs antiquata, & primùm poſt 70. annorum decurſum reſtituta fuiſſet, & ad primam ſic Anno 1607. reſtituti ritûs celebritatem duo PP. Capucini, à nemine invitati, aut expectati, reíque hujus prorſùs ignari comparuerint, proceſſioni publicæ interfuerint, & modeſtiâ ſuâ Populum Catholicum inſigniter ædificaverint, atque lætificaverint. Nec minùs Capucinorum aliquando coloniam Biberaco inferendam portendiſſe creditum eſt, quòd, cùm à novæ ſectæ aſſeclis ſacellum divo Leonardo ſacrum extra muros urbis ſitum Anno 1631. everſum eſſet, Catholici expoſt in eumdem locum, ubi jam Monaſterium exiſtit, Crucem magnam, ſimilem alicui, qualem Capucinis mos eſt Monaſteriis ſuis præfigere, plantaverint, illius prodromam, quæ ſubinde Cænobii hujus Seraphicum inſigne conſtitueret.

III. Ad divini propoſiti taliter ſignificati executionem excitavit Altiſſimus Perilluſtrem Dominum Wernerum à Raitnau, opibus, & dignitatibus potentem, pietate in Deum, propenſione in Capucinos gerendæ huic rei aptiſſimum, quia ſuâ bona voluntate ad eam in opus deducendam jam priùs inclinatum. Communicatis igitur cum Genero ſuo Perilluſtri D. Ludovico ab Ulm, Domino in Mittel-Biberach, paris cum Socero in Capucinos Affectûs, conſiliis, comparatis in ſententiam ſuam DD. Conſulibus, & Senatoribus Catholico-Biberacenſibus, obtentíſque à ſummo Pontifice, Auguſtiſſimo Imperatore Matthia I. & Sereniſſimo Archi-Duce Auſtrio Maximiliano promotorialibus, miſsíſque ad plenum Senatum Oratoribus de fundo Monaſterii comparando, ſagaciſſimè æquè ac efficaciter cæpit negotiari; ídque eo optimo ſucceſſu, ut

cùm per promiſcua Senatûs Ortho- & Heterodoxi vota res tractaretur, non tantùm, qui ex parte Catholica; ſed & aliqui eorum qui foris ſteterant, Promotorialibus Cæſareis, & Archi-Ducalibus, atque juſtis Perilluſtrium DD. de Raitnau, & Ulm, tanquam optimorum, magnáque Authoritate præſtantium Vicinorum poſtulatis deferendum; adeóque fundum ſtruendo Capucinorum Cænobio idoneum concedendum arbitrati vota ſua huc tulerint. Cùm ſic pluralitas vocum diſſentientes Acatholicos ſuperaverit, adeò hos id malè habuit, ut eorum aliqui tacitè ſtomachabundi labra morſerint, & fermento vix non crepuerint, atque reipſa unus, Petrus Galſter, adeò commotus fuerit, ut bilis copioſiùs exæſtuans prandentem ſub menſa ſuffocaverit.

IV. Ea, quæ hactenùs geſta ſunt, in favorem PP. Capucinorum Provinciæ Tyrolenſis tendebant, utpote quos Altefati Perilluſtres DD. Benefactores Bibraco illatos voluerunt. Verùm quò hi triennale interſtitium ante loci acceptationem, realémque occupationem ſibi adhuc exoraverint, paucitatem Religioſorum cauſati, ob quam poſſidendo novo huic Conventui pares non eſſent; ideò Perilluſtris D. de Raitnau, perpendens, quòd in tanta hac mora periculum annullandi totius operis conſiſteret, timendúmque foret, ne Catholici in fervore ſuo tepeſcerent, Acatholicos autem voti ſui pæniteret, dum ferrum callet, cudendum, & opportunitati propoſiti exequendi imminendum ratus, animum ad advocandos Capucinos Helveto-Suevos divertit, hósque ut incunctanter ſe præſentes ſiſterent, enixè obteſtatus eſt, atque motivorum, & recentium machinationum, quibus Acatholici poſt communicata Auguſtiſſimo Imperatori, & Sereniſſimo Archi-Duci Senatus-Conſulta votorum reaſſumptionem, totiúsque rei annihilationem moliebantur, exaggeratione quodammodo adeſſe compulit, moraturos neglecti honoris Dei, zelíque animarum poſtulaturus.

V. Hi ergò Patres Helveto-Suevi in deputatis morem geſſerunt tanti viri tantæ invitationi, qui à Perilluſtri Domino Wernero de Reitnau de omnibus hucusque actitatis edocti, perpenſis commoditate loci tractui ſuæ Provinciæ cohærentis, ac Diœceſi Conſtantienſi aliàs ſubjecti, exercendo Religionis zelo opportuni; ſummi hujus Benefactoris fervore, Communitatis Catholico-Biberacenſis ardore non diu hæſitârunt, quin ex arena loci hujus acceptationem reſolverent. Itaque poſt amicam cum PP. Tyrolenſibus transactionem, ut qui jure præventionis uti, & difficultates Patribus noſtris movere potuiſſent, à quo tamen viſis rationibus rem urgentibus ceſſerunt, aream pro Monaſterio erigendo oculis examinatam approbârunt, atque acceptârunt. Erat dies 17. Septembris Anni 1615. ſtigmatibus S. P. Franciſci ſacer, quo inſtituta ſolenni Proceſſione ex Parochiali Eccleſia ad Aream procedebant Reverendiſſimi & Ampliſſimi S. R. I. Præſules, & DD. Joannes Abbas Ochsenhuſanus Ord. S. Bened. & Martinus Abbas Sorethanus Ord. Præmonſtrat. Pontificalia ſplendidiſſima induti totus Clerus, PP. Capucini, Perilluſtres DD. de Reitnau, Ulm, & Schaden, Fundationis hujus participes, DD. Conſules, & Senatores Catholici, cum aliis quoque Baronibus, Nobilibus, & innumera aliorum, Civium, ruſticorum frequentia. Du-

Ductum proceſſionis amplificabant triginta circiter Parochi cum Parochianis ſuis item proceſſionaliter convolantes. Reverendiſſimus itaque D. Præſul Oxenhuſanus, aſſiſtente ſibi Reverendiſſimo D. Præſule Sorethano totâ areâ ex more benedictâ primum lapidem ad ima terræ dimiſit, tali inſcriptione ſignatum: *Anno à Chriſti Servatoris noſtri 1615. ad honorem Dei Omnipotentis, Mariæ Deiparæ, ac Seraphici P. Franciſci ab Illuſtri DD. Jo. Wernero à Raitnau in Hofen, Sac. Cæſ. Maj. nec non Sereniſſimi Maximiliani Archi-Ducis Auſtriæ &c. &c. Conſiliario, & reſpectivè Camerario, quatuor Toparchiarum Cisarulanarum ſupremo Capitaneo, nec non Dynaſtiarum Brigantinæ, & Hobeneggenſis Præfecto. &c. &c. Juxtà & ab Illuſtri Domina Veronica Baroniſſa de Raitnau nata Spethin à Zwifalten: itidem etiam à Prænobili Familia Schadiorum in Mittel-Biberach, Warthauſen, & Obersulmandingen &c. &c. hoc Monaſterium fundatum, ejúsque hac die in feſto Stigmatum S. P. Franciſci primarius lapis conſecratus eſt, atque in fundum depoſitus.*

VI. His ita ſolenniter, & feliciter ad tantam Catholicorum gratulationem, quantam Lutheranorum exulcerationem perpetratis fabricæ excitandæ initium datum, tantóque ſucceſſu in eo collaboratum fuit, ut ad finem Auguſti Anno 1616. jam ad faſtigium aſcenderit. Exinde ad ſtructuram templi proceſſum: quæ die 17. Maji 1617. primam: & circa initium Julii ejusdem anni ultimam conſecuta eſt manum; ita ut in templo hoc utcunque abſoluto, & ornato in Feſto S. Bonaventuræ ſuper Altari portatili primum Miſſæ ſacrificium celebrari potuerit. Poſteà apparabantur ea, quæ ad ſolennem Eccleſiæ Conſecrationem ſolent deſiderari. Hæc utì ad diem 3. Maji 1618. decreta fuerat; ita in ſolennitatis magnificentiam quinquaginta Parochi cum ſacris Eccleſiæ Tritonibus invitati fuerunt. Verùm inopinatum accidens, quo Reverendiſſimus D. Jo. Jacobus Mergelius Epiſcopus Sebaſtenus, & Suffraganeus Conſtantienſ. Epiſcopali hujusce Conſecrationis provinciæ, ac itineri jam jam accinctus, intercipiebatur, Feſtum hoc meditatum, omnémque apparatum vix non turbaverat. Is enim podagræ aſſultu itineris redditus impotens, conſilii & remedii inops calamitatem precibus Capucinorum Conſtantienſium avertendam commiſit. Nec verò id fruſtrà fuit. Illis enim fervidè pro Reverendiſſimi Suffraganei incolumitate comprecantibus protinùs hic citra mali hujus naturam dolores mitigatos, & membra à podagræ vinculis immunia gratulabundus ſenſit; ita ut ad conditum diem Bibraci comparere, & cæremonias peragere valuerit. Agebatur autem hæc conſecratrix encæniatio tam exemplari devotione, & devoto ſplendore, ut plures internâ lætitiâ commoti in copioſas lacrymas ſolverentur. Inſtruente Perilluſtri D. Fundatore non ſolùm templum celevsmatibus reſonabat; ſed ad ſolennitatem exaggerandam forum quoque tormentorum, & bombardarum exploſionibus tripudiare auditum eſt. Eccleſiaſticis functionibus ſucceſſit lautum ſympoſium in novelli Monaſterii triclinio à Magiſtratûs Catholici munificentia apparatum.

Ne verò memoria Perilluſtrium Fundatorum unquam intermori poſſet, ea promerita inciſa ſui in animis Capucinorum Incolarum perennitatem accepit, cùm Perilluſtris ac Generoſus D. Wernerus de Raitnau ſcutum æneum 182. librarum muro Oratorii, ſeu Chori interioris infigi curaverit cum hac epigraphe : *Joannes Wernerus in Raitnau ab Hofen, & Veronica Spethin à Zvvifalten Generoſi Conjuges : & Dorothea, Euphroſynáque è nobili Familia Schadiorum à Mittel-Biberach, & Warthauſen, Veronicæ ex Bernardo Filiæ : amore Chriſti Cœnobium hoc Reverendis, & Religioſis Patribus Capucinis condiderunt : obnixè flagitantes, ut pro ſe, ſuísque quà vivis, quà defunctis ſacra quotannis, & ſtatas preces piè impertiantur.*

CIↃ IↃ CXVII. VI. Id. Junii.

VII. In participium ùt meritorum, ac beneficiorum ; ita & gratitudinis, ac precum ſuffragiorúmque noſtrorum unà cum Perilluſtribus Fundatoribus aſſumi geſtierunt, atque meriti ſunt Reverendiſſima, & Illuſtriſſima DD. Comitiſſa de Spaur, Principalis Parthenonis Buchavienſis Principiſſa, quæ altare majus ſuis ſumptibus fieri curavit. Altare minus è latere Evangelii infra cancellos erectum ære ſuo ſolvit Prænobilis D. Henricus à Pflaumeren Conſul Biberacenſis ; inſignis aliunde Benefactor, amicus, & totius operis ſtrenuus promotor, qui & cellam ſuis expenſis in Cœnobio apparari fecit, in qua inter ſervos Dei quandoque ſpiritûs recollectioni, & precibus vacare poſſet. Altare è latere Epiſtolæ A. R. D. Leonardus Gentner Parochus Civitatis : arcam fœderis, ſeu tabernaculum Perilluſtris D. Hector à Freyberg in Hirbell : Statuas Crucifixi, Matris item Deiparæ, ac S. Joannis ſuper cancellos erectas Reverendiſſimus D. Michaël Abbas Zvvifaltenſis ſculpi, & pingi fecit. Alii alia elargiti fuerunt, quos omnes antecedunt ſæpefatus Perilluſtris D. à Raitnau, qui ſepties mille : Perilluſtris D. Euphroſyna ab Ulm, nata Schadin à Mittel-Biberach quæ mille ; & nonnulli adhuc, qui collectim mille ducentos florenos impenderunt.

VIII. Capucini ita recentis Monaſterii incolatu donati exercitationibus inibi ſuis incumbere, & exemplis, doctrinísque Regionem illam quaquaversùm tendentem illuſtrare, ac ædificare cæperunt, fructúque non aſpernando perrexerunt. Sed fatorum, temporúmque iniquitas ulteriorem bonarum expeditionum curſum abrupit. Suecus namque miles Sueviæ victor infuſus, uti ab Hebræis hodie Meſſias, & à Britannis olim Arthurus anhelantiſſimè deſideratus, ita à Luthericolis lætantiſſimè ſalutatus funeſtam ſanè rei Catholicæ cataſtrophen attulit. Heterodoxi Biberacenſes Sueco Generali vigiliarum Præfecto Petro Rutvvin ſui ſubjugandi illicium, & impuni aggreſſori herbam porrexerunt, atque inſciis, meritóque juxta leges paritatis invitis patulum ad ſe ingreſſum fecerunt ; qui quidem omnibus, etiam Capucinis indemnitatem promiſit ; ſed non æquè omnibus ſervavit. Biberacenſes Confeſſioniſtæ tanto ſui furfuris hoſpitum ſuperventu facti inſolentiores novercalis in Capucinos odii virus tantò copioſius evomuerunt, quantò liberiùs jam diu retentum evomere potuerunt ; hinc & iis bellum minitantes quibuscunque moleſtiis,

&

& probris illos affligere inter actus heroicos computarunt, eòque pauperes Religioſos adegerunt, ut deteriorum metu, & quorumdam Amicorum ſuaſu, convaſatis reculis ſuis, & ſuppellectili ſacra, profana, & libraria fidei A. R. D. Parochi Localis commiſſa aliorſum, & in tutum ſe receperint, poſtquàm non niſi annis quatuordecim quieta illius domicilii poſſeſſione perfruiti fuiſſent. Illa autem Capucinorum exodus, non ubique rati habita, & præcoci formidini data ingentem Catholicis mærorem, ſimile Lutheranis tripudium, rebus multis inſigne damnum, & poſtremum Monaſterio exterminum attulit. Mox enim Cænobium Incolis vacuum pro ſpuria Religionis ſuæ libidine aggreſſi violentis illud manibus, ignéque ſubmoto in triſtia converterunt rudera, eò audaciæ nunquam progreſſuri, ſi habitatum manſiſſet. In Monaſterio autem taliter ſolo æquato ſæpè ſæpiùs ſignum campanulæ ad matutinas horas excitantis: ac etiam Capucini ritu ſuo in Choro alternatim pſallentes auditi fuerunt à vigilibus ſtationariis tàm Acatholicis, quàm etiam Catholicis.

IX. Variante, annorum, & armorum ſucceſſu, Martis aleâ varia quoque fuerat Capucinorum fortuna; ùt qui modò lætiori fato allecti cum Victore milite Cæſareano Urbem obtinebant; modò cum eodem victo emigrabant. Tandem verò ab ipſis Suecis ſimplici, ac innocente Capucinorum converſatione manſuefactis, æquiùs, atque humaniùs habiti, & ringente licèt Lutheri ſynagogâ, quæ Capucinos æternùm proſcriptos, Urbéque excluſos voluit, in ipſa tolerati, ac exercitiis ſuis defungi permiſſi fuerant.

Suevia deinde Sueco milite vacuata, & pace Weſtphalica publicæ quietis intuitu compoſitâ Capucini vi Executionis inſtrumenti pacis Sueco-Cæſareæ per Celſiſſimi ac Reverendiſſimi S. R. I. Principis, ac Epiſcopi Conſtant. ac Sueviæ Directorialis, ex una, & Catholica: & Sereniſſimi Ducis Wirthenbergiæ, etiam Sueviæ Directorialis, ex altera, & ùt vocant, Evangelica partibus DD. Sub-Delegatos, poſt longam, & acerrimam utrinque diſceptationem, volentibus, ac etiam prætendentibus Acatholicis ex urbe emigrationem Capucinorum; nolentibus hos dimittere Catholicis; ſed evincere conatis, ut, quandoquidem Capucini denuò ſint reſtituendi in locum diruti Monaſterii, ſaltem uſque ad hujus reſtaurationem intra mœnia urbis ſuſtinerentur, eò quòd jam Anno 1615. à Magiſtratu, & Communitate Biberacenſi legitimè ſuſcepti, in Monaſterio ſuo civitati proximè vicino hoſpitati, & uſque ad ejus Anno 1631. attentatam, atque completam demolitionem: atque adeò ante, & poſt annum decretorium, ſeu 1. Jan. 1624. Exercitiis Religionis in, & extra urbem perfuncti fuerint. Inſtabant verò Auguſtanæ Confeſſionis Cultores, inhærendum eſſe apici inſtrumenti pacis; adeóque cùm Capucini in anno decretorio urbem nec inhabitâſſent; nec in ea ſacellum aliquod exercendæ Religioni aptum habuiſſent, ad tenorem inſtrumenti pacis illis urbe exeundum fore, ſex hebdomadum morâ illis datâ, à die 2. Maji 1649. uſque ad Vigiliam S. Joannis Baptiſtæ, ut interim in loco Monaſterii diruti domicilium aliquod ſibi para-

rent, eóque res ſuas, & ſacellum uſibus ſuis in urbe conditum transferrent.

X. Huic qualicunque Receſſui à Capucinis ſtandum erat ; qui eapropter areæ deſtructi Cœnobii expurgandæ manus adhibuerunt, & Civium, aliorúmque Catholicorum manus collaboratrices adepti tantum egerunt, ut habitaculum quoddam pro neceſſitate ſuperſtrui potuerit. Huc à P. Henrico Biberacenſe ipſiſſimo, de quo ſuprà num. 2. ceu loci tunc Superiore applicita eſt ruinoſa quædam domus à poſſeſſore ruſtico pro 20. florenis ſub addita conditione fundendarum ad Deum à Capucinis pro eo precum comparatâ, ac quomodocunque in diverſorium temporale conquadrata ; in qua, & contiguo ſacello boni viri poſt ſuum urbe egreſſum per ipſum decennium, ſi commoditatem ſpectes, ægerrimè ; ſi ſpiritûs hilaritatem, conſolatiſſimè in omni licèt penuria, & mendicitate, in frigore, & nuditate convixerunt ; ubi primis incolatûs temporibus contigit, ut moreretur ruſticus ille præfatæ caſæ poſſeſſor ; qui & per plurimas noctes ſtipulatarum precum exactor adeſſe auditus fuit. Tintinnabuli enim pulſu per quinquaginta dies poſt veſpertinum ſalutationis Angelicæ ſignum ſe ſe importuniùs inſinuavit ; quo fratres ſemper extra-quodam naturali concutiebantur horrore, & cum is ipſe ſpiritus domeſticos pariter in domo ſua inquietaret, ut adeòque à Capucinis auxilium flagitaverint, preces pro eo multiplicatæ, & plura Miſſæ Sacrificia impenſa unico remedio fuiſſe experientia docuit.

XI. Res adeò anguſtas talium Religioſorum officiis nihilominùs omnigenæ pietatis & patientiæ miſerati Benefactores plurimi æs collatitium ſummæ admodùm æſtimandæ contulerunt : uti Prænobilis Domina Helena Fezerin nata de Edelſtetten mille : D. Franciſcus Benedictus Hettinger mille : Prænobilis D. Ignatius à Pflaumeren quingentos : D. Joannes de Wintersſcheid Generalis vigiliarum Magiſter quingentos : R. D. Georgius Braun Sacellanus Biberaco-Brandenburgicus ducentos quadraginta unum : D. Chriſtianus Irmler Oeconomus Heggbacenſis mille centum, & octodecim florenos. Tantis igitur ſubſidiis animati Capucini fabricam reſtaurandi Monaſterii reaſſumpſerunt ; quæ benedicente Domino, & opus ſuccollantibus Perilluſtri Domina Catharina Joanna Baroniſſa de Ulm, nata Comitiſſa de Törringen per quingentos : aliis centenis, quinquagenis. &c. Reverendiſſimis DD. Abbatibus, Illuſtribus DD. Baronibus, Magiſtratu Biberacenſi Victualia, Materialia, vecturas, operarios & alia gratioſè, atque benevolè ſubminiſtrantibus tam feliciter, & velociter proceſſit, ut die 10. Maji. 1659. Monaſterium habitare cæperint : ac deinceps Eccleſia Dominica poſt S. Bartholomæi Apoſtoli Anno 1661. ab ipſomet Celſiſſimo, & Reverendiſſimo D. D. Franciſco Joanne S. R. I. Principe, & Epiſcopo Conſtantienſi conveniente ſolennitate conſecrata, & dedicata fuerit ; quem Magiſtratus promiſcuus, utpote ſummum Circuli Suevici Directorem, magnis honoribus habuit. Itaque Capucini poſt tot diſcrimina, rerum viciſſitudines, & adverſitates in Prædicam. *Paſſion.* nonnihil commemorandas demùm plenæ, ac quietæ poſſeſſioni redditi fuerunt.

§. VI.

§. VI.

Monaſterium Brigantinum.

BRigantii, hujúsque gentis ætas longè retrò ſalutiferam Chriſti Nativitatem porrigitur ; utpote cujus antiquiſſimi ſcriptores, Strabo, Ptolomæus, Solinus, Ammianus mentionem faciunt : quorum aliqui etiam lacum Acronianum ab Urbe hac Brigantinum dicunt. Nomenclaturæ neſcitur occaſio. Exiſtimat autem Münſterus, Brigantium, Germanicè **Berg-Endts** appellandum, id eſt finis montium, eò quòd ibidem Alpium, & Rhætiæ montes terminentur. Verſùs Meridiem Eſthiones reſpicit : versùs Aquilonem autem Linzgovienſes, & Vindelicos limites contingit. Ad Orientem ſylvam Brigantinam, & Tyrolin habet : ad Occidentem verò lacum Acronium transmittit. I.

Vetus Brigantium Urbecula rupi inſidet, & ei quaſi invigilat Arx vetuſtiſſima potentiſſimorum olim Brigantii Comitum, & Rhætiæ Principum avita ſedes, quam tot ſæculis ſervatam, & ab ipſis quoque hoſtibus ipſâ antiquitatis reverentiâ, & loci gratia in honore habitam inimica gloriæ antiquæ barbaries ; nempè Sueci militis furor ſuſtulit, & buſtum, ruderáque, æternum ſceleris, infamiæque monimentum, reliquit poſteris lamentandum. Enimverò Romani hanc urbem, & gentem, poſt Rhætiam ſub jugo miſſam, ſubegerunt. Expulſis autem per Gallos Romanis, dum Præſides has Rhætiæ partes Francico nomine moderarentur, inde Curia cum Brigantio quaſi coaluit, & uni Comiti ambo paruerunt. Ex horum Comitum proſapia ortum duxit Sanctiſſimus Præſul Conſtantienſis Gebhardus. Udalricus Comes Rhætiæ & Brigantii Anno 1098. inclytum Aſceterium Major-Augienſe Ord. S. Bened. condidit ; quod quadriennio poſt à Rudolpho Comite Juliomagenſe munificè dotatum fuit. Quamvis rerum antiquarum indagatores convincentibus documentis demonſtrent, quòd præfatum Augienſe Monaſterium ex antiquiſſimis unum in Germania ; & jam Anno 611. conditum ſit ; primósque Conditores, & Incolas habuerit viros ſanctiſſimos Columbanum, Gallum, Magnum, Theodorum, Attalum, Euſtaſium, Chagnoaldum, Sigebertum, Babolenum, & alios complures primitivæ aſceſis, & ſanctitatis Heroës. Ab Anno 612. ubi B. Haberilia virgo, poſtmodùm Abbatiſſa, è manibus S. Galli velamen ſuſcepit, fuit Monaſterium utriusque ſexûs uſque ad Annum 1097. quo memoratus Comes Udalricus Archiſterium hoc vetuſtate penè collapſum, & ruinæ proximum nova fundatione extulit : quod ſubinde Comes Pfullendorffenſis, Rudolphus, ut ſupra, dotandum ſuſcepit. Poſt hos rerum ibidem potiti ſunt Comites Montfortii ; qui & ipſi Cænobium hoc inſigniter promoverunt.

Tandem Brigantium cum ſuo Comitatu Sereniſſimæ domui Auſtriacæ operâ Ferdinandi I. Anno 1525. acquiſitum fuit.

II. Hæc antiquitùs Regio fædo idolorum cultu horrida à S. Gallo è regio Scotorum ſanguine ortum habente expurgata eſt. Cùm enim is, & ſanctiſſimus Archimandrita Columbanus illic locorum adveniſſent; hoc expeditionem ſacram in Italiam parante: ille Brigantio inhæſit; hísque, & finitimis populis fidem Chriſti annuntiavit, & exciſis, fractísque inanium Deorum ſimulacris Evangelium ſalutis, ac veri Numinis notitiam, latriámque feliciſſimo zelo ſubſtituit. Sub rupe quadam ad radicem montis Pfannenberg domicilium ſuum fixit piiſſimus Idoloclaſta Gallus, dictâ etiamnùm S. Galli ſaxo; quam grati poſteri in morem ſacelli decorârunt, ſensímque collapſam Anno 1610. in elegantiorem Capellæ formam ampliârunt. Porrò urbs inferior ſuperiore prædicta longè protractior, & habitatior templum Parochiale in altero colle extra utramque urbem locatum habet, noſtra ætate, nuperísque annis è fundamentis reſtauratum, atque in exquiſitiſſimam elegantiam artificiatum. Brigantium collectim ſpectatum à natura ſatis munitum inde Rheno; hìc marî Acroniô; cæterà montibûs, per quos vix regiæ viæ ſpatium admittitur, clauſum eſt; quam viam, utut anguſtam munimentum aliquod, turri, & muro firmatum interſecat, ubi facilè cujuscunque hoſtis admovendæ vires refringi poſſent; id, quod Appenzellenſes experti cum gemitu vel inviti deprædicant; qui Anno 1407. poſtquam inſolente armorum graſſatione omnes propè Cisarulanas terras ſubjugâſſent, etiam Brigantium obſtinatiſſima oppugnatione aggreſſi ſunt. Verùm opinione ſua inclementiùs ſalutati, ab exercitu Auſtriaco inſigni ſtrage affecti, & ultrà Rhenum ad montes ſuos, potioribus eorum deſideratis, abacti fuêre.

III. Vera ibidem Religio à S. Gallo quondam inſtillata, & per ſequaces incolas ad noſtram uſque tempeſtatem absque ulla præpoſteræ reformationis eclypſi propagata ſemper viguit, quin exemplô vicinæ urbis lindavienſis illecebrati Brigantini auditum à veritate unquam averterint, aut ad novarum Lutheri, Calvini &c. ſectarum fabulas converterint; qui & fidei conſtantiam multis aliis virtutum, & pietatis operibus conteſtari ſacroſanctum ſemper habuerunt, & habent: quod idem cauſa fuit, ut de Capucinorum iis in partibus ſtrenuè Apoſtolizantium famâ edocti, & commoti modeſtâ converſatione jam olim horum converſationem affectaverint. Conſtat enim in ipſa Cæſaris aula pridem jam de his Patribus Brigantium, incertum quibus motoribus, & actoribus conſultatum fuiſſe, & Apoſtolico Viennæ Nunciô ipſomet in cauſa Oratorem agente eò rem deveniſſe, ut ſummus Pontifex Clemens VIII. Auguſtiſſimi Imperatoris, & Brigantinorum deſideriis condeſcendens P. Provinciali Suevo-Helvetiæ ſignificari juſſerit de dato Romæ 12. Julii Anno 1603. ſe annuiſſe, ut Brigantii Cænobium Capucinorum conſtruatur; licèt pro tunc ille Pontificis conſenſus effectu ſuo caruerit, quòd pius ille conatus, & fervor interciſus, omnísque porrò motus totis triginta duobus annis ſopitus manſerit.

IV. Sub hujus temporis curſu Capucini Lindavium ſuſcepti ſtationem ibi habuerunt; cúmque inter Veldkirchium, & Lindavium Brigantium me-

mediaret ; ideò Capucini Brigantinis non jam ex fama duntaxat ; ſed frequentiori tranſitu, & uſu innotuerunt. Imprimis ille zeloſiſſimus Oraculi divini Præco P. Stanislaus Wueteschinganus tum Apoſtolicâ vivendi ratione , tum ſpiritualia Officia exhibendi promptitudine Brigantinos Ordini noſtro admodùm devinxerat ; ut hi illis non modò interpolatum, ſed quaſi ſtabile domicilium non tam conceſſerint, quàm amicè obtruſerint : quod Patres noſtri aliquamdiu ſub miſſionis nomine incoluerunt, augeſcente interim deſiderio , collatísque inter urbis Primores conſiliis Patres iſtos perpetuo , & formali Hoſpitio donandi. Aliquibus tamen rei familiaris plus juſto intentis, quòd ex horum Virorum contubernio nullum emolumentum ; ſed ab eorum mendicatu haud leve damnum ipſis accreturum eſſet, id illorum nidificium non æquè probabatur ; ut eapropter hujusmodi, ſi quæ inciderant , conſiliis cum haſta , & ſcuto obniterentur. Verùm, qui pro domo Capucinis ibidem figenda facundiſſimum Ciceronem egerat, Reverendiſſimus , & Ampliſſimus , non minùs vitæ ſanctimoniâ, quàm divina , & humana litteraturâ nominatiſſimus DD. Placidus Abbas Major - Augienſis, S. Fidelis à Sigmaringa Martyris ab ore & litteris familiariſſimus, hujúſque poſt exantlatum Martyrium cœleſti epiphaniâ recreatus ; atque à nobis non niſi cum ſummæ venerationis , & gratitudinis ſignificatione pronuntiandus frivolas hujuſmodi cauſationes convincentium rationum pondere oppreſſit, Brigantinos in mitiorem ſenſum adduxit , & unà cum Primoribus Urbis ad PP. Provinciæ Lucernæ capitulariter conſcriptos litteras humanitate, benevolentiâ , & ſyncero Capucinos juxta ſe ſtabiliter habendi deſiderio plenas de dato Brigantii 27. Jan. 1635. exaravit, quibus ſubſcripſerunt : Placidus Abbas. Valentinus Schmid à Wellenſtein Colonellus. Diethelmus Jehlin. Ioan. Georg : Wittvveiler Stattammannus, & Magiſtratus Brigantinus Cúmque Patres variarum rationum obtentu categoricum in poſtulata, & oblata conſenſum aliquàmdiu morarentur, duplicârunt, imò triplicârunt, iſti tum unitim, tum ſingillatim Reverendiſſimus D. Abbas cum Conventu, & Spectatiſſimus Magiſtratus inſtantias ; quibus inſuper & obtento per eosdem rerum Geſtores conſenſui Archi-Ducali, ceu territoriali, ampliùs refragari non audentes Provinciæ Majores locum cum demiſſiſſima gratiarum actione demùm acceptârunt , eáque fieri curârunt , quæ ad actualem tantorum Benefactorum gratificationem , & oblati Monaſterii erectionem deſiderari poterant.

V. Reverendiſſimus D. Abbas pro fundo ædificii deſtinavit illud ſpatium, quod olim; ut memoravimus, S. Gallo pro tecto fuerat, & ubi in ejus honorem ſacellum exſtat ; & unde Catholica Religio cunas habuerat ; inde tanquam ex equo Trojano Religioſi milites ad eam tutandam erumperent. At non videbâtur ſitus hic Patribus noſtris opportunus, utpote plus æquo ab urbe diſſitus. Hinc eligebatur alius , & aptiſſimus in colliculi planitie, Parochiali Eccleſiæ vicinus , ubi Anno 1636. Reverendiſſimus D. Abbas ex delegatione Celſiſſimi ac Reverendiſſimi DD. Ordinarii poſt aream benedictam ſub intenſiſſima urbis, & vicini orbis lætitia lapidem fundamentalem conſuetâ cæremoniâ in terram defodit. Exin Anni 1636.

& 1637. fabricatione Conventûs, & Eccleſiæ inſumpti fuerunt eo proſpero ſucceſſu, qui nullo interſtitio, aut adversô caſu ſiſtebatur. Prænobilis D. ab Ach directorium fabricæ, & ærarium ex Legatis, & piis donationibus curabat, frequenter ſub fide ſua conteſtari ſolitus, timuiſſe ſe nonnunquam, ne ex difficultate nummaria ſtructuræ propagatio eſſet intercipienda: ſemper autem improvisò per manifeſtam Dei providentiam aliqua rursùs media emerſiſſe, de quibus nemo ante cogitaverit, aut ſperare potuerit. Sed id quoque memoratu digniſſimum eſt, quòd durante ſtructura proceræ magnitudinis, & molis quercus ad aream ædificii deducta, cùm per collem acclivem traheretur, ſuomet pondere agitata tanto impetu antrorsùm devoluta ſit, ut & equos, & aurigam in terram depreſſerit, quos omnes, qui lamentabundi aderant, obtritos, & diſploſos crediderant. Sed ecce! præter omnem naturæ curſum nec viro, nec jumentis inde quidquam triſte accidit; quod cuncti miraculo ad merita, & preces P. Stanislai ex Wueteschingen huic tragœdiæ adſtantis à Deo patrato tribuerunt. Ædificio die 9. Octob. 1639. complementum omnibus numeris adepto ex Commiſſione Celſiſſimi ac Reverendiſſimi DD. Ordinarii Conſtantienſis Reverendiſſimus D. Sebaſtianus Miller Friebenbacenſis propè Brigantium, SS. Theologiæ Doct. Eccleſiæ Cathedr. Auguſtæ vindelic. Canonicus, Epiſcopus Adramytanus, & Suffraganeus uſitata cæremoniarum ſolennitate Eccleſiam conſecravit. Totius hujus operis Reverendiſſimus, & Ampliſſimus DD. Placidus Abbas Major-Augienſis primarius motor, promotor, & adjutor extitit, primo certè loco inter eos Sanctiſſimi Ordinis Benedictini Abbates, & Alumnos, ſaltem in Germania hac noſtra, celebrari meritus, de quibus R. P. Gabriel Bucellini Monachus, & ſcriptor Weingartenſis in ſuo Benedicto Redivivo ad Annum Chriſti 1531. ita habet: *merentur plurimi Ordinis noſtri Abbates de ſanctiſſimo novellæ Culturæ PP. Capucinorum inſtituto, & in condendis variis Cœnobiis ſumptus, & alia neceſſaria ſuppeditant, maximo ad utilitatem publicam bono, fructu inde maximo, ab optimo eorumdem exemplo inter fideles conſequente. Ad Annum* 1541. *ſic: Seraphici Ordinis PP. Capucinorum recursus hoc maximè tempore, primis ſuæ Reformationis (cùm undique invidiâ, & maledicentiâ Cacodæmonum, & malorum hominum impeterentur) initiis ad Benedictinos confidentiſſimus; quibus non ſolùm portæ ſemper omnes Monaſteriorum apertæ; ſed æquè patentia fuêre corda Monachorum &c.*

Poſt hunc inlyta nobilitas, ſpectatiſſimus Magiſtratus, laudabilisque Civitas Brigantina ſecundas in beneficentia tulit; cùm Prænob. D. Fridricus Starck de Riedenburg 1000. Prænob. D. Gallus à Deuring totidem florenos expenderint, cujus poſterioris duo Filii, Adrianus, & Jo. Georgius à Deuring: nec non eorum affinis D. Andreas Hyrus, eques S. Jacobi in Hiſpania, Altaria templi, aliáque ſuis impenſis fieri curârunt; prout eorum ſcuta paſſim appenſa etiamnùm teſtantur.

Alii alia, plus minus benignè elargiti fuerunt, quorum Nomina prodita non ſunt, ut ad meriti majoritatem faciente dexterâ eleemoſynam neſciret ſiniſtra.

Non

Non niſi octo annis quietus hic Capucinorum incolatus fuit, cùm VI.
luctuoſo admodùm fato diſturbaretur. Erumpentia equidem ex Aquilone ſigna, toti Sueviæ exitialia, Brigantii quoque jugulum petebant. Exploratum fuerat Carolo Guſtavo Wrangelio Suedici exercitûs Archi-Stratego, immenſas divitias ex omni Suevia Brigantium, tanquam in tutum, comportatas eſſe, quâ prædâ ut potiretur extrema quæque periclitari ſtatuit. Noverat autem, quòd non niſi gens ruſtica armorum inaſſueta locum tutaretur; ideò, licèt non ignoraret, urbis expugnationem, carô conſtituram, nihilominùs exercitum rectâ illuc movet, & primò ad arcis illius aditûs, Cluſæ, ſeu Clauſæ nuncupati fauces iniquiſſimo hyemis tempore deducit ipſo 5. Januarii menſis die Anno 1647. Cùm verò illàc ſe penetrare poſſe deſperaret; quòd via illa per lacum Bodamicum, & rupes arctata incederet; eapropter per inauditam audaciam legiones per montem, quem Hoggen vocant, aſcendere, & eluctari juſſit, proditore Patriæ hodogetâ uſus. In ſumitate montis ruſticorum quidam manipuli in armis excubabant; qui ingruente hoſte, nullâ adhibitâ reſiſtentiâ, projectis armis fugâ ſibi conſuluerunt; quorum tergo hoſtes incontinenti hæſerunt, & per poſteriora deorsùm reptantes ad ima pervehuntur; atque ſic inobſervati urbi infunduntur, Brigantiô priùs ſe expugnatum, quàm oppugnatum gemente, & totâ Germaniâ obſtupeſcente, atque ſocordiam loci Gubernatoris deteſtante. Per aliquot horas dirè ſævitum, & quotquot in armis occurrebant, trucidati. Naves in littore immenſis opibus onuſtæ, & trajiciendo lacui in Helvetiam accinctæ inſolita ventorum vi, ut putabatur magicâ arte commotorum immobiles ad unam omnes prædonibus in ſpolium ceſsêre; quarum expilationi ſe ſe totum quoque addixit hoſtis.

Crederes in tanta hoſtium, & quidem hæreticorum rapacitate, VII.
Conventum, & Eccleſiam Capucinorum, quòd Brigantini taliter obruti tumultuariè ſuas illuc res ſalvandas detulerint, certo excidio obnoxiam fore; Verùm ſingulari Numinis clementia contrà accidit. Nam Wrangelius victor urbem ingreſſus Capucinis in ſalutem Conventûs ſui ſupplicibus indemnitatem promiſit, & ſalvam Guardiam cum ſtricto ordine nec quemquam horum Religioſorum vel minimùm lædendi, nec aliquid rerum in Conventu latentium violentè rapiendi deſtinavit. Ex tunc R. P. Januarius loci Guardianus facundiâ eximiæ religioſitati junctâ, aliiſque naturæ donis humilitate temperatis adeò ſe Sueco huic Polemarcho commendabilem, quin & venerabilem reddidit, ut tantùm non ad intimam familiaritatem ejus admitteretur, húncque Nobiles, Gregarii, Cives, & ruſtici, aliíque omnes in preſſuris & afflictionibus ſuis non minùs felicem, quàm promptum ſemper ad eundem Generaliſſimum deprecatorem adhiberent, & experirentur. Sic enim Cænobium Thalbacenſe veſtalium S. Franciſci Conventualium, quæ unà omnes in tutum ſe receperunt: ſic muliebre Aſceterium S. Annæ tum pariter ſub habitu, & obedientia Conventualium exiſtens; poſthac ad normam Capucinorum reformatum, quod utrumque jam militum direptioni permiſſum fuerat, ejusdem P. Januarii efficaci interventui indemnitatem

ſuam in acceptis referre debuerunt. Pluribus inſuper ab inſolentis militis ferociâ anguſtiatis præfatus P. Guardianus vice Hermionis fuerat. Non ſolùm autem Capucini in Exercitiis ſpiritualibus, & functionibus religioſis à Sueco milite nil turbati; ſed largis quoque donationibus, præprimis à Wrangelio cumulati fuerunt; quarum ſubſidio & ipſi frugaliter ſemper victitare, & aliis copiosè ad Eccleſiam, & Monaſterium confugientibus, & inibi hoſpitatis triclinium præter aſylum ſternere potuerunt. Quamquam verò ſæpefatus Wrangelius ſiniſtris adversùs Capucinos delationibus, & adverſis caſibus nonnunquam exaſperatus, frontémque caperare viſus eſſet; genuina tamen rerum informatione, & Patris Januarii deprecatione mox iterùm in Capucinos manſuevit; qui & R. P. Mathiam Augienſem tum Provinciæ moderatorem, & aliquoties viſitationis cauſâ Brigantii divertentem, ceu virum canitie & promiſſâ barbâ venerabilem, ſtaturæ proceritate, proſapiæ dignitate, & prudentiæ, ac virtutis ſplendore eminentem aliquoties etiam ad menſam invitatum præ aliis officialibus diſtinxit, ac propè diſſuaviavit. Deinceps belli alibi pro Suecis minùs proſperè euntis ratione exigente Wrangelius cum ſuis Brigantiô egredi juſſus abituriens porrectâ P. Januario manu his illi verbis valedixit; Vale mi Pater Guardiane! & ſi huc me ſors retulerit, liberaliorem me, quàm hactenùs, vobis exhibebo. Ne verò, dum inde exercitum educeret, Monaſterio quidquam inferatur adverſi, Centurionem ejusdem incolumitatem curare, & ſubſiſtere juſſit, quoad totus exercitus Brigantiô emoviſſet.

Brigantium tam ingrato hoſpite liberatum, póſtque tot mala exhauſta reſpirare permiſſum, incolas ſuas colligere, & cuncta ſus déque verſa in priorem ſtatum redigere, & Capucinis, ùt ante, ſic & tantò magis poſt tantam calamitatem, in qua iis ùt aliquali uſi ſunt anchora, benefacere cæperunt, ac in ea beneficentia uſque in hodiernam diem perſeverant.

§. VII.

Monaſterium Briſacenſe.

1. BRiſacum, à Julio Cæſare Commentar. de Bello Gallico Triboces (Ptolomæus, & Strabo Triboccos legendum putant) à Luitprando verò antiquiſſimo ſcriptore Breucomagus, germanicè **Brumat**/ modò **Breyſach**/ Urbs nominatiſſima, & cum qualibet de antiquitatis prærogativa contendens ab ipſo Antonino Pio Romanor. Imperatore, qui Anno Chriſti 140. rerum potitus eſt, vulgatiſſimo itinerario ſuo inſerui meruit. Obivit enim ipſus Provincias omnes Cæſar optimus, & Germaniam ſuomet pede menſus eſt, ut in tabulis conſignaret. Meminit autem montis Briſacenſis, tanquam ultrà Rhenum, & in partibus Galliæ, ſeu Alſatiæ conſtituti; & quia Antoninus nullius porrò urbis citra Rhenum ſitæ mentionem facit, inde nata communis opinio, quòd antiquitùs Briſacum ultra Rhenum, & in Al-

Alſatia extiterit ; adeóque hic fluviorum Princeps tractu temporis alveum ſuum mutaverit, & Briſacum urbem olim Alſatiæ, poſteà Brisgojæ Urbem fecerit. Adſtipulatur Glareanus in notis ad Commentar. Jul. Cæſar. aſſerens, & compellationi Triboccos inhærens : *Conſtans fama eſt, oppidum Briſiacum in Gallia olim ſitum fuiſſe, quod nunc in Germania eſt, mutato Rheni alveo.* Luitprandus non ignobilis Ottonis magni ævô ſcriptor id ipſum confirmat, teſtatus, Briſacum ſua adhuc ætate Rheno à latere Allemaniæ fluenti finitimum ; eapropter Alſaticum, & quaſi Inſulam fuiſſe. Romani validiſſimum ibi propugnaculum cum firmo præſidio collocârunt, quod Allemannorum irruptionem in Alſatiam, & Gallias arceret. Urbs prælatæ inſidet rupi in Acropolis ſimilitudinem, ex adverſo Alſatiam proximè reſpiciens, Rhenô utramque interſecante, non ſolùm jam Urbs Brisgojæ ; ſed à qua Brisgoja id nomen accepiſſe ab Urſpergenſi in Chron. ad Ann. 940. traditur. Exinde ad poſſeſſionem Bertholdi IV. Ducis Zäringiæ devoluta eſt, quam caſtro ibidem extructo, aliisque operibus, & vallis contra Burgundiorum aſſultus communivit. Poſt hujus, & Bertholdi V. obitum Epiſcopo Baſileenſi, incertum, quo jure, Briſacum accrevit ; quod is Friderico II. Imp. per modum feudi conceſſerat ; ſed poſt Bannum Friderico illatum à ſumo Pontifice Bertholdus Comes de Pfirt Epiſcopus de Baſilea illud denuò ſuo Epiſcopatui incorporavit. Econtra Rudolphus Comes Habspurgicus, poſteà Roman. Imperator, neſcitur, quo titulo (forſan, ſi opinio Franc. Guillimanni ſubſiſtit, quòd Rudolphus Briſaci natus fuerit, hæreditario ob proximam cum Zäringenſibus conſanguinitatem) Anno 1268. illud armorum vi Epiſcopo extorſit. Denuò ad Imperium viâ nobis incompertâ reverſum fuiſſe ex eo liquet, quòd Ludovicus Bavarus Imperator, Anno 1331. Archi-Duci Auſtriæ, Ottoni cognomine jocoſo pignoris titulo illud ceſſerit, Auſtriacis ejus poſſeſſionem uſque ad annum 1469. proſecutis ; quo Sigismundus Archi-Dux Carolo Burgundiæ Duci, ab audacia, & propoſito Alexandri Magni gloriam æmulandi, dicto audaci, præter aliàs ditiones Briſacum quoque pro ſeptuaginta millibus florenorum oppignoravit. Verùm cùm Carolus his Petrum de Hagenbach præfeciſſet à violentia, ſuperbia, & libidine omnibus inviſum, ſubditi Sigismundo ſupplices, uti ſe ſe hujus tyrannide eximeret, tantum valuêre, ut Archi-Dux pecuniæ ſummam à Carolo acceptam apud Baſileenſes depoſitam reſtituerit, & ditiones pignori datas repetierit, atque etiam, fruſtrà obnitente Carolo, Hagenbachio autem manu Carnificis enſe ſublato, facilè recuperaverit, Briſacô deinceps ſuave Sereniſſimæ domûs Auſtriacæ jugum uſque ad Ferdinandum III. Romanor. Regem ſuſtinente.

Cùm Leopoldus Archi-Dux, & Ferdinandi II. Roman. Imperatoris frater Germanus in diebus ſuis Alſatiæ, Brisgojæ, & reliquis Anterioris Auſtriæ Provinciis pacatiſſimè juxta, atque feliciſſimè dominaretur, graviſſima ægritudine incurſatus ad extrema ſe ſe deduci non obſcurè ſentiebat ; morbi equidem vis omni panacæâ ſuperior de die in diem invaleſcebat, ut vel expertiſſimi archiatri de ſalute Principis deſperaverint. Ita- II.

que æger ad ſanctiora converſus remedia Deo, Deiparæ, ac Sanctiſſimo Patri Franciſco votum nuncupavit, ſi priſtinam recuperaret ſanitatem, ære proprio Religioſis Patribus Capucinis cænobium aliquod quantocyùs ſuſcitandi. Et ecce! vix ſua Serenitas votum hoc coram Domino effuderat; cùm illicò reſpirare cæpit, & reſumptis brevì viribus ad perfectam ſanitatem rediit. Nec Sereniſſimus ſegnior in explendo voto extitit; ſed protinùs, accersitis in rem Capucinis, hísque nil cunctatis, atque omnia parantibus, quæ de ſua parte ad perſolvendum recuperatæ Principis valetudinis lytrum deſiderabatur, ad Monaſterii fabricam animúmque, & manum admovit, quæ habito priùs Celſiſſimi ac Reverendiſſimi DD. Ordinarii Conſtantienſis aſſenſu Anno 1624. incæpta, ipsóque religioſiſſimo Authore negotium urgente, & neceſſaria ſuppeditante Anno 1626. perfectionem adepta eſt, nemine, cui ſanitas tanti Principis in pretio fuerat, quidquid contradicente, aut Capucinorum in novum hoc Monaſterium locationi obmurmurante. Vix duo luſtra Religioſis hiſce colonis quieta fuerant. Anno ſiquidem 1637. Bernardus Dux Saxo Weinmarius pro Galliarum Rege militans Briſacum acerrima obſidione cinxit, & cùm ex hujus diuturnitate annona rarefieret, ad eas obſeſſos famis anguſtias redegit, ut iis canes, feles, glires, mures, aliáque abſurda pro cupediis fuerint. Expugnatum ita Briſacum Ferdinandus III. Romanorum Rex cum conſenſu Sereniſſimæ Domûs Auſtriacæ, amore obtinendæ pacis publicæ Galliarum Regi ceſſit; cujus ditioni adeóque ſexaginta propè annis ſubjectum fuit. Et cùm interim Provinciarum diviſio contigerit, Conventûs Briſacenſis poſſeſſio penès Reverendos Patres Alſato-Helvetos permanſit. Hinc quia eorum præclara & memorabilia hôc interſtitiô pacis, belliſque temporibus geſta, ad noſtram notitiam non pervenerunt, ingenti ab Anno 1638. uſque ad Annum 1697. ſaltu calamus provehitur.

III. Anno proximè dicto Pax Rysvvickenſis inter alios Articulos à Rege Galliæ fide ſua ſtipulatos Imperio Philippopolin, & Kehlam: Sereniſſimæ Domui Auſtriacæ verò Briſacum reſtituit: quæ quidem quoad duo priora Rex Chriſtianiſſimus indilatæ: quoad poſterius vero lentiſſimæ executioni mandavit, utpote qui occaſionem habendi, & forſan contra conventa retinendi Briſaci fide potiorem habere conſuevit; ita ut Anno 1700. etiamnum Gallus Gubernator Briſaco leges daret. Pacis ergò arbitris tantâ Galli morâ offenſis, pactorúmque obſervantiam urgentibus tandem dies 1. Aprilis Gallorum Briſacô emigrationi præfixa fuit. Sed cum D. Generalis de Thüngen ex Ordine Auguſtiſſimi ſui Principalis pridiè Calend. April. Friburgum delatus Gubernatori Gallico ſignificari feciſſet, ſe poſtridiè venturum, & Briſacum è manibus ſuis in fidem Auſtriacam recepturum eſſe; hic Gallus homo ferox, Auſtrii nominis nunquam non aticus advena, caperato ſupercilio nuntiata dedignans militem gregarium, pannoſum, lacerúmque D. Campi Mareſchallo Thüngio reſponſurum ablegavit; quam hominis indignitatem, & Gallici Commendantis inſolentiam Thüngius meritò ceu injuriam interpretatus, illum ab alloquio repulſum remiſit, Gubernatori verò, ut majori erga ejusdem ſecum, aut fortè majoris experientiæ militaris,

taris, & characteris humanitate uteretur, renuntiari juſſit. At Gallus ſandalium Jovis indutus in contemptûs argumentum Doctorem quendam Medicum Friburgum ſubmiſit, qui inter alia per jocum diceret: Si D. Generalis de Thüngen non vult audire militem, audiat Medicum. Imò publicè jactâſſe auditus eſt, ſe nemini, præter Sereniſſimum Marchionem de Baden, fortalitium Brisacenſe conſignaturum fore. Per novas has Gallorum tricas vix non nova clarigatio ſuſcitata fuit; quam tamen accurrens ab Alſatiæ, ùt vocant, Intendante Marchione Uxelliano nuncius, qui Briſacenſi Gubernatori de la Cithardie fortalitii traditionem intardatè faciendam demandavit, adhuc in tempore cohibuit.

Igitur condicto die 1. Aprilis Gallus convaſatis rebus ſuis adventanti, & intromiſſo cum copiis Cæſareis Mareſchallo de Thüngen claves urbis, & fortalitium, vix tria muſſitans, & prolocutus verba, tradidit, indéque furorem ſpirans cum ſuis urbe exceſſit. Mansêre ibidem PP. Helveti, noſtris gratâ humanitatis reciprocatione eorundem egreſſum nil urgentibus, cùm hi à Capucinis Auſtriacis Friburgô in poteſtatem Gallorum redactô expellendis pariter amicè, ac fraternè ſuperſederint. Econtrà verò cùm Auguſtiſſimus Roman. Imper. Leopoldus I. Decretum emanâſſet, vi cujus PP. Helvetos in Provinciam ſuam reductos; Patres autem Anterior-Auſtriacos Briſaco illatos voluerat, producto huic decreto reverentiſſimum morem gerentes poſt amicam inter utriusque Provinciæ Majores conventionem eò libentiùs noſtris Conventum ceſſerunt, quòd in caſu mutuæ altercationis, & inter duos litigatores tertius quispiam de loci hujus poſſeſſione fortè gaviſurus eſſet; utpote de quo compertum fuit, quòd nil intentatum reliquerit, quò opportuno hoc potiretur nido. Die igitur 13. Maji 1700. aliqui ex noſtris Briſacum ingreſſi, poſt exhibitam ſui adventûs cauſam, litterásque obedientiales à PP. Helvetis perhumaniter excepti, illis religiosè claves, ſigillum, & Monaſterium extradentibus, & religiosè excedentibus Conventum Briſacenſem Provinciæ Anter. Auſtriæ nomine poſſidendum ſuſceperunt.

Sed minimè diuturnum fuit iſtud habitaculum. ût animus ardenter IV.
in illud prurire ſolet, quod ægrè dimitti contigit: ita Rex Galliæ Briſaci vix amiſſi denuò rehabendi deſiderio incaluit, & occaſioni imminuit Anno 1703. Dux Burgundiæ & Comes Tallardius cum exercitu vix viginti millibus armatorum conſtante Briſacum obſidione aggreditur. Credidiſſes Gallos priùs Isthmum perfoſſuros, quàm Briſaco omni re ad reſiſtendum deſiderata inſtructiſſimo potituros fore. Verùm D. Philippus Comes de Arco ſupremus Equitum Magiſter, potiùs aperto marte cum hoſte congrediendi, quàm mænia tutandi artem doctus, loco defendendo præfectus, nullâ impellente vi, nullâ commeatûs penuriâ cogente, non expectata acriori, nedum decretoria impreſſione intra paucos dies de urbe dedenda cæpit conſilia agitare; háncque demùm hoſti ſolis quodammodo verbis exigenti, & ipſimet tantam defenſionis ignaviam deteſtanti locum munitiſſimum tradidit; quam maculam nomini ſuo accerſitam, ſanguine ſuo: hi, qui deditioni faciendæ ſubſcripſerunt, perpetuâ

ignominiâ eluere debuerunt. Cum emigrante milite Auſtriaco Capucinis quoque Auſtriacis emigrandum fuerat, ſubingreſſis iterùm Helvetis, & uſque ad Annum 1715. ibidem commoratis.

Cùm verò ſubinde per generalem pacis Badenſis tractatum Briſacum denuò Auguſtiſſimo Roman. Imperatori quà Auſtriæ Archi-Duci adjudicatum, atque illud die 25. Jan. 1715. conformiter ad ſtipulatæ capitulationis litteram gallicô præſidiô evacuatum, & Auſtriacum fuerit ingreſſum; ideò & PP. Helveti ad ſuam Provinciam regreſſi Auſtriacis pariter Conventûs illius recuperationem gratulati ſunt: in quo etiamnum noſtri incolatu perfruuntur.

§. VIII.

Monaſterium Cellenſe.

I. CElla Urbs ad lacum Venetum conſidens quodammodò ipſâ compellationis ſuæ ſuadâ Capucinos, cellæ amatores, ad ſe tanquam in cellam religioſam pellicere viſa eſt. De ejus ortu variæ ſcriptorum opiniones. A nonnullis à quodam Sueviæ Duce, Ratholdo nomine, condita fuiſſe perhibetur. Ab aliis verò veroſimiliùs non à ſæculari Principe; ſed ab Epiſcopo etiam Ratholdo, voluntariè in monachum decreſcente, originem habuiſſe traditur. Enimverò Tiaræ Epiſcopalis, qua fulgebat Veronæ, nominatiſſima Italiæ urbe, pertæſus, vitæque ſolitariæ cupidine flagrans circa Annum 830. tempore Ludovici pii Imperatoris, ad eum locum ſeceſſit, ubi hodierna extat civitas; conſtructâ ibidem cellâ Eremicolam capiente, eíque illatis SS. Mart. Syneſii, Theopompi, & Zenonis corporibus Veronâ ſecum avectis vitam anachoreticam 45. omninò annis coluit, Anno 875. ſanctiſſimè defunctus. Ex pervetuſto quodam manuſcripto eruitur, quòd juxta cellam ſuam S. Radolphus inſigne Cænobium ſub Regula divi Benedicti condiderit; coloniámque Monachorum ex Augia divite induxerit, manente penès Abbatem Augienſem ſuperioritate, & Jurisdictione in hoc Aſceterium; cujus fundationem, ſeu ædificationem admodùm promoviſſe Salomonem I. Epiſcopum Conſtantienſem, ſéque illis Monachis, quò ſacræ quieti, & Numini commodiùs vacaret, vivente adhuc beato Ratolfo, ſeu Rataldo immiſcuiſſe. Sed & Goldaſtus tom. 2. refert chartas à Nanderino Monacho Cellenſi Anno 857. ſcriptas; quarum virtute Thietonem, & Wadindem mancipia in amore Dei manumiſerat pro parte Richperti, qui opinante Goldaſto Cænobii illius Præpoſitus fuerat. Dubiæ fidei hæc Goldaſti allegatio ex eo redditur, quòd Monaſterium Cellenſe Monachis S. Gallenſibus; non Augienſibus accenſeat, atquè ſubiiciat; cùm tamen evidentiſſimum ſit, memoratum locum quoad temporalia (quid ni & ſpiritualia?) Augienſium proprium fuiſſe. Huic Cænobio cum tempore inſigne, neſcitur quibus Conditoribus, Oppidum accrevit, Monaſterio in Eccleſiam Collegiatam converſo; ut nulla ferè, quàm primævi Fundatoris memoria, ſo-

láque

láque Urbis nomenclatura, Radolphi Cella, Poſteris remanſerit, ne quidem apparentibus ullis cujusdam ibidem præexiſtentis Cænobii veſtigiis. Sereniſſima Domus Auſtriaca ibidem Dominium omne exercet; & ignoratur, quâ viâ, & quo tempore ad illam hoc devolutum ſit. Jam ante ævum Concilii Conſtantienſis Cellam juris Auſtriaci fuiſſe, exinde liquet, quòd Friderico Auſtriaco cum vacua pera per Papam, & Imperatorem aquâ & ignî interdicto, ditionibúsque ſuis exuto; econtra verò bannô relaxatô, ſuísque reſtitutô Cella etiam ad fidem Auſtriacam rediiſſe ſcribatur.

Lacus autem, qui Urbem hanc alluit, non à Venetis, Italiæ populis, Veneti nomen accepit; cùm longè ante, quàm Anno 422. Urbs Venetiarum condita eſſet, lacus hic compellaretur Venetus; ſed ab antiquiſſima Celtarum gente, Venetes dicta, quæ olim Oceanum Gallicum, vel ut habet Felix Faber in ſua Suevorum Hiſtoria Lib. 1. c. 10. ſinum Sarmatici maris, Veneticum dictum accolens, inde ad hujus lacûs confinia conſedit, coloniam traduxit, atque adeò lacui inferiori id nomen attulit, lacus Venetus appellari cæpit; ſicut eadem gens ad fluvium Chronon, qui in ſinum Veneticum exoneratur, habitans, atque in has regiones transmigrans, ſuperiori lacui nomen Acronii indidit.

Hic autem lacus Urbi non minùs ornamenti, quàm munimenti à parte Orientali, & Meridionali; quin & maximi emolumenti confert, utpote navigationi, reíque frumentariæ mercatui perutilis. Regio, urbísque ſitus oppidò frugifer verſus Aquilonem in Sueviam porrigitur; verſùs Occidentem Hegojæ vicinatur, vineis, pratis, pagis, Caſtris Nobilium ſedibus à parte terreſtri celebris.

Quamquam hic locus à primævo, & conſtanter orthodoxam, ve- II.
rámque Religionem coluerit; quia tamen in confinia à latere Meridionali, in Turgoja, Calvinus; ab Occidente, in monte Tuellio, Lutherus caſtramentati ſunt, ac pravorum dogmatum virus locis conterminis inferendi enixo ſtudio tenentur: ideò, ne occaſione, & ſub colore frequentandæ mercaturæ unquam hujusmodi Pſeudo-Apoſtoli, ac lupi oves mentiti Cellenſium Catholicorum gregi ſe ſe infundant, húncque peſtiferâ hæreſum tincturâ inficiant, Senatus non minùs de Religione, quàm juſtitia ſollicitus de unanimi tam Communitatis politicæ, quàm Eccleſiaſticæ, ſive venerabilis Cleri conſilio, conſenſu, & deſiderio adversùs iſtiusmodi pericula, & ad arcendam, ſive reſtinguendam qualiscunque recentis ſectæ gangrænam viros Religioſos Capucinos in urbem ſuam advocandos, & ſuſcipiendos duxit; in quem finem de die 22. Auguſti 1617. Dominum Laurentium Werner urbis Conſulem, Dominum Præfectum Imperialem nomine Senatûs minoris, D. Joannem Hoffmann nomine Judicii Aſſeſſorum, & Dominum Archi-Grammatæum nomine Communitatis cum litteris oratricibus à venerabili Clero Badenam Ergojæ, ubi Capucini ad Capitulum convenerant, deſtinavit, híſque in mandatis dedit, uti pro impetranda Capucinorum colonia urbi ſuæ invehenda operam ſuam locarent. Tametſi autem hi

inſtructionibus ſuis ex aſſe fuerint perfuncti : viſo tamen multo alio ſimilium Oratorum numero , qui pro parte variarum Urbium , Comitum , Baronum , Rerumpublicarum , ac Statuum eo ipſo nomine advenerant ; Cellenſes prævisâ quaſi negativâ eò minùs offenſi in hanc vicem domum repedârunt , quòd ipſis ſpes gratificationis in caſum poſſibilem facta fuerit. Iteratæ in Capitulo proximo inſtantiæ nil pariter retulerunt præter ſpem.

III. Hac ſpe animati in Capitulo Solodori 26. Auguſti 1622. denuò ſuos deputatos illuc ſubmiſerunt , ſuúmque rei Catholicæ , & ſpiritualis conſervandæ , atque adeò Capucinorum in urbe ſua habendorum deſiderium argumentis ad perſuadendum compoſitis exhibuerunt ; quibus primores Capituli Patres capti , cùm aliis , & ſolennioribus Oratoribus vacuis diſcedendum fuerit , Cellenſibus deferendum rati in domicilium regulare ibidem ſtruendum conſenſerunt. Quo reſponſo lætificati ad promiſſi executionem nimiùm quantùm arſerunt , & moræ quaſi impatientes à RR. Patribus præparatoria ordinari deſiderârunt , conſtitutis rei ædilitiæ directoribus Domino Laurentio Werner , & D. Gabriele Blumenegger. Cúmque eadem tempeſtate Sereniſſimum Principem Leopoldum Archi-Ducem Auſtriæ Cellam divertere contigiſſet , is hoc Cellenſium ſalubre conſilium , ac ſtudium ſuñoperè dilaudavit , atque ipſusmet commodiorem ædificii aream exploravit , & Reverendiſſimo ac Illuſtriſſimo Domino de Raitnau Ordinis Teutonici Commendatori ordinem dedit quamdam decernendi. Sed quia conſultum , atque reſolutum eſſet urbem validioribus munimentis contra hoſtium aggreſſus firmare , negotium Capucinorum & difficultatem , & moram deſideriô & exſpectatione Cellenſium prolixiorem nactum eſt. Quamprimùm verò ſuper munimenti adjciendi norma conventum fuerat , Reverendiſſimus , & Illuſtriſſimus D. Commendator , D. Capitaneus Wiez cum R. P. Apollinari Sigmaringano circa finem Aprilis 1624. Cellam ſe conferentes rem unitim ita cum Magiſtratu Cellenſi compoſuerunt ; quòd area , quæ portam Meridionalem inter , & lacum exiſtit , Monaſterio deputata , & conſecrata fuerit ; ſitus , ſi ullus alius planè amæniſſimus. Superatis igitur omnibus , quæ ſtructuram morari potuiſſent , ad opus auſpicandum indilatè proceſſum fuit : ligna cæduntur ; ſaxa convehuntur , fundamenta effodiuntur , atque æſtate his inſumpta primarius lapis in diem 25. Februarii Anno 1625. ponendus decernitur. Qua die illuceſcente cùm frequentiſſimi & vicini Illuſtres , aliæque primariæ Perſonæ confluerent , in perfectæ lætitiæ argumentum ſub Miſſa muſicata tormenta bellica reboârunt , iisdémque tonitruantibus lapis fundamentalis terræ immiſſus eſt , inclyto Magiſtratu præfatas ſolennes Perſonas lauto in Curiâ ſympoſio excipiente. Exinde fabricatoribus , & operariis impigrè collaborantibus ædificium tanta incrementa ſumpſit , ut anno 1627. integrum , & conſuñatum ſteterit , & eodem Anno die 3. Octobris Celſiſſimus , ac Reverendiſſimus DD. Sixtus Wernerus Epiſcopus Conſtantienſis principem Eccleſiæ Aram : reliquas altero die S. P. Franciſco ſolenni Reverendiſſimus D. Joan. Antonius Epiſcopus Tyberiadis , Suffraganeus Conſtant. feſtiviſſimè conſecraverit , tota civita-

civitate, & vicinia gaudiis, & ſolatiis quodamodò inundante. Hæc omnia propè geſta ſunt impenſis inclyti Magiſtratûs, & Communitatis.

Poſſeſſionem hujus loci vix delibatam peſſimè inquietavit inimica IV.
Regis Sueciæ in Romanum Imperium expeditio, harúmque terrarum inundatio. Cúmque huic Eberhardus III. Dux Wirthenbergiæ ex paritate Religionis acceſſiſſet, & ſocia arma junxiſſet, novus hic Suecorum Confœderatus circa finem Octobris 1632. urbem Cellam inopinatò obruit, & defenſionem parantibus potenter eripit, atque loci gubernium Colonello re, & nomine Rau, id eſt, auſtero, commiſit. Hic perverſum Comitis Pappenhemii itidem Sueco militantis conſilium ſecutus ſub conquiſito ſuimet firmiùs tuendi colore templi Capucinorum ſuperiora dejicit, inferioribus in juſtam valli ſpeciem profanatis: exindéque ipſum Monaſterium potiori ex parte ſolo æquat, ac mæſtos Religioſos incolas habitaculo jam deſtitutos in urbem remigrare compellit. Sed quàm carô ſteterit malignum Conſultoris conſilium, pediſſequa Numinis edocuit vindicta. Nam cùm Pappenhemius fulminis inſtar Hegojam pervaderet, & Caſtrum Hohenſtofflenſe cædis minarúmque ſpirans præterveheretur, unus Præſidiariorum bombardâ in eum exoneratâ tam ſcitè tetigit, ut globo trajectus, ephippióque eliſus in terram exanimis ceciderit. Excidium Monaſterii optimos Cellenſes tam malè habuit, ut quaſi damnorum domeſticorum incurii illud ſolùm deplorare viderentur. Interim fatis cedendum, & Capucinis intra anguſtæ domûs parietes ſuſtinendum fuit; cùm, quoad inimicus Religioni hoſtis urbi dominaretur, nulla reſuſcitandi Monaſterii ſpes, nullàque conſilia, vel auxilia ſuppeterent; in omni humanæ opis penuriâ propitii Numinis benignitate miſeram exulum ſortem inſigni favore conſolante. Anno 1643. Joannes Schert Civis Cellenſis admodùm ſe Capucinis beneficum exhibuit, vinum præſertim ex ſpeciali dolio frequenter fratribus elargiri ſolitus. Joannis arbitrio dolium ſex menſibus ſuffecturum computabatur; quod tamen rationem excedens ad duodecimum menſem vinum largè profudit; quo tempore evoluto Civis rei eventum non parum admiratus virgâ cadum periclitatur, húncque ad medietatem uſque etiamnùm refertum gratulabundus reperit.

Divinâ clementiâ res Cæſareo-Catholicas fortunante Suecus inſigni V.
ad Nördlingam ſtrage attritus militem, qui urbibus tenendis hinc inde expugnatis præſidio datus erat, corradere, & in campum educere compulſus eſt. Et hâc via urbs Cellenſis quoque ſibi reddita, funeſtóque hoſpite liberata fuit. Pace autem Annò 1648. Germaniæ, urbibus libertate, Capucinis ſecuritate reſtitutâ, hi ad Regularem vivendi ritum anhelantes diſpiciunt, quò ruderibus deſtructi domicilii ſui novum imponere valeant. Sed conatum ſuum inſuperabilibus implicitum obſtaculis reperiunt: Cùm area Cœnobii ex arbitrio Conſilii Aulico-Bellici ad urbem fortiùs muniendam deputata Monaſterii ſtructuram inibi haud porrò admitteret; econtrà civitas habitatoribus frequentiſſima ſpatium nullum in Capucinorum Regularem manſionem conquadrandum haberet. Quapropter poſt multas, mutuásque relationes, ſupplicationes,

Reſcripta, & reſponſiones ultrò citróque inter Sereniſſimum Archi-Ducem Ferdinandum Carolum, urbem Cellenſem, & Capucinos adhibitas, & reciprocatas; ſpésque modò factas, modò infirmatas, ac procraſtinatas Capucini de loco penitùs deſerendo cogitare cæperunt; ídque vel ideò magìs, quòd eadem ætate Innocentius X. P. M. inter alia Pontificatûs ſui negotia etiam decreverit, ut Religioſi Ordines, quatenùs ad hoc ipſum fundati, dotati, atque conſervati, officia divina ſolenniter juxta ordinem, ſtatuta, & conſuetudinem peragerent: adeò ut nonnulla etiam loca, in quibus Religioſi id à ſe fieri poſſe negabant, ab ipſo Pontifice actu ad manus recepta, & aliis, qui ſacra præſcripta ad normam peracturi eſſent, tradita fuerint. Cui Pontificis decreto obtemperaturus P. Generalis Miniſter Capucinorum Provincias, in quibus id opus, & poſſibile eſſe videbatur, loca redintegrare; ſin minùs id fieri poſſet, deſerere diſtrictim juſſit. Quandoquidem ergò & Monaſterium Cellenſe ad claſſem eorum recenſendum fuerit, quæ reſtaurari non poſſunt, eidem hæc ſors deſertionis, & abolitionis ſubeunda fuerat.

VI. Antequam autem odioſum hoc diſceſſionis propoſitum executioni daretur, tum ipſe mæſtiſſimus inde Magiſtratus Cellenſis, tum Patres Provinciæ ultimato precum, & ſupplicationum ariete Sereniſſimum Archi-Ducem impugnandum ſuſceperunt, qui rationum, quibus nitebantur preces, contemplatione; & præſertim, quòd opus fortificandæ Urbis à reſtitutione Cænobii priori fundo imponendi nil præjudicii, aut impedimenti paſſurum eſſet, denique de dato Oeniponti 4. Martii 1659. per Excelsum Regimen ſuum Superioris Auſtriæ Illuſtri, ac Generoſo Domino Gaudentio de Roſt Colonello, & Conſtantiæ Gubernatori clementiſſimè commiſit, atque mandavit, ut opem, operámque ſuam conferret, quatenùs ſupplicibus tum Cellenſibus, tum Capucinis reſtaurandi Monaſterii gratia fiat, & actu impendatur.

Quanto plauſu, & jubilo gratioſiſſimum hoc Reſcriptum ab Urbe Cellenſi exceptum fuerit, haud facilè explicaverim. Manus omnium moliendo operi confluxiſſe, & laborum improbitate cum invicem certare vidiſſes. Unde contigit, ut aliis fabricatis, aliis ſubſidia certatim conferentibus habitaculum eodem adhuc anno 1659. ad juſtam perfectionem ſuam aſcenderit, à Capucinis regulariter incoli cæperit, & à Celſiſſimo, ac Reverendiſſimo DD. Franciſco Joanne Epiſcopo Conſtantienſi templum de novo dedicatum, & conſecratum fuerit. Nec pietas ſine præmio fuit. Anno 1665. Conſultiſſimo, atque Clariſſimo D. Jo. Georgio Hüetle J. U. D. Nobilitatis Equeſtris Syndico ibidem natus eſt filiolus usque in tertium ætatis ſuæ annum continuis, acerrimíſque doloribus omnia alexipharmaca eludentibus in eum luctuoſiſſimum compactus jacuit, ut nec vivens, nec moriens parentibus perpetuum lamentandi argumentum præberet. Voto autem facto SS. P. Franciſcum, Antonium, & Bonaventuram ſingulari devotionis penſo venerandi, & puerulum habitu S. Franciſci veſtiendi continuò Infans convaluit, & ad perfectam ſanitatem, tanto nunc parentum gaudio, quanto priùs luctu, adjutus eſt.

§. IX.

§. IX.

Monaſterium Conſtantienſe.

SOli lumen afferre conaretur, quisquis nominatiſſimam Occidentis Conſtantinopolim, ſeu Urbem Conſtantiam deſcribendam ſuſciperet, actum acturus, cùm ea per tot alios ſcriptores poligraphicè deſcripta lippis & tonſoribus domeſticè nota exiſtat; quos inter recentiſſimus in triplici ſuo Arcu triumphali nuperis annis ad majorem anniverſarii Jubilæi propugnatæ adversùs Suecos urbis, & renovatæ curiæ ſolennitatem in lucem edito prolixiùs commendatur, qualiter Conſtantia inter antiquiſſimas Germaniæ urbes una, etſi incompertis primi Conditoris nomine, & conditionis tempore, Allemannicarum facilè Princeps, & Regia ſit: equidem ea jam Anno poſt orbem creatum 3820. à vicinis Allemanniæ populis Harudes dictis culta; indéque Harudopolis: à lacu tunc Moëſico nuncupato Moësopolis: tractu temporis à Romani exercitûs Duce Valerio Valeria: ſubinde Vitodurum, Gannodurum, & Ambodurum: à caſtro in inſula, quæ hodie RR. PP. Dominicanos complectitur, & ubi Præfectus Romanus ſedem; S. Pelagius Mart. verò carcerem ſuum habuiſſe perhibetur, Hydropolis nominata fuerit. Hæc nominis variatio à variis loci fatis, excidiis, & poſſeſſoribus profecta creditur; cùm ipſimet Allemanni incolæ irruptionem in Italiam parantes urbem patriam incenderint, ne aliquos libido repatriandi in officio militari ſegniores redderet. Poſtquam autem ſub Conſtantio Chloro Allemanni à Romanis devicti, & ſolum vertere compulſi fuiſſent, circa Annum Chriſti 299. idem Conſtantius urbem à ſe Conſtantiam nuncupandam reſtauravit, quam nomenclaturam uſque huc conſtanter geſſit. Lacui Acroniano adjacet, cui Rhenus ab ortu ſuo Rhineggam uſque valido curſu delatus ſe ſe immiſcens per hunc Conſtantiam uſque intemeratas traducit aquas; ubi è molli hoc ſtratu erumpens, gracilíque ſuſurramine urbem ſalutans artificioſiſſima pontis molendina volutat. Mox autem ceu negotio fatigatus paulò infra urbem leves undas lacûs Veneti, ſeu Cellenſis denuò ſubit: his tamen propè Lithopolim poſt ſe relictis curſum ſuum reſumptis quaſi viribus ſolitariè deorſum proſequitur. Olim urbem hanc in fundo Suevico ſitam, adeóque è regione Helvetiæ, ubi nunc porta Creuzlingana, Rhenum fluxiſſe inde aliqui opinantur, quòd, cùm Anno 1552. D. Conradus Grienberg, urbis tum ædilis, ad ſtruendam robuſtiſſimam turrim illam, quæ Turgoiam reſpicit, fundamenta eruiſſet, ad lapideum maximæ molis pontem fornicibus longè productis, pilísque ſuſtentatum deſcenderit. I.

Diœceſis Conſtantienſis Regno penè, quàm Epiſcopatui ſimilior potiorem Helvetiæ, Sueviæ, & Brisgojæ partem complectitur; quæ olim Vindoniſſæ decem: inde Conſtantiam translata ab eo tempore uſque huc octo ſuper octoginta numerat Epiſcopos. Conſtantiam illuſtriorem quoque reddidit præter frequentata ibidem Torneamenta, Imperii Comitia, II.

maximorúmque Cæſarum illic divertentium ſtativa Concilium Oecumenicum Anno 1414. celebratum; in quo ſub perſonali Auguſtiſſimi Imperatoris Sigismundi protectione, & adjutorio in conclavi etiamnum propè portam celebri lacûs Cothoni vicinam ſpectabili adverſûs Gregorium XII. & Benedictum XIII. Antipapas; reſignatum verò, ſeu gradu ſuo motum Joannem XXIII. Papam Martinus V. Pontifex legitimus creatus: Atque Joannis Huſs; hujúsque diſcipuli Hieronymi Pragenſis nefandum dogma à Patribus, & Theologis, ceu hæreticum inventum, unanimiter condemnatum; & Authores in ſenſu ſuo pertinaces igne luere juſſi ſunt. Totum mundum, ex remotiſſimis etiam Regionibus, Conſtantiam confluxiſſe Conſtantia meritò ſuperbiens gloriabatur. Uno, & amplius ſæculo poſt dictos hæreſiarchas flammis punitos, cinerésque illorum in Rhenum ſparſos ex his, quaſi ſemine impia Zvvinglii hæreſis reſurrexit, Anno 1500. paſſim jam à malè credulis in aures, & animum admiſſa, quâ Conſtantia quoque illecta, & infectâ cum nomine Conſtantiæ omnium aliorum decorum, & elogiorum tanto ſuorum Anteceſſorum ſudore, & conatu comparatorum pœnitendam jacturam ſubiit. Cùm enim principiis irrepentis hæreſum veneni ſegniùs obſtaretur paulatim promotoribus Jacobo Wunder Parocho Eccleſiæ Collegiatæ ad S. Joann. Conſtantiæ. Bartholomæo Mezler Cooperatore ad S. Stephanum: Joanne Wanner Prædicatore Eccleſiæ Cathedralis, & Magiſtro Ambroſio Blarer Monacho Apoſtata ex Monaſterio Albirſpacenſi Ord. S. Bened. repudiatis ſacris Catholicis hæretica dogmata jam amplexis, & palàm profeſſis adeò virus peſtilentiſſimum invaluit, ut Zeloſiſſimi Paſtoris & Epiſcopi ſui Hugonis de Landenberg admonitionibus nil proficientibus, quas die 11. Febr. 1523. collecto Magiſtratui, & per hunc toti Civitati ad officium fidei Romano-Antiquo-Catholicæ reducendæ, atque à pernicioſæ novationis præcipitio revocandæ ſpiritu, doctrinâ, & paterni affectûs ſinceritate plenas adhibuerat; imò contemptis ipſiusmet ſummi Pontificis Adriani VI. emphaticis dehortationibus in hunc ipſum finem de dato Romæ 1. Novemb. 1522. Conſtantiam exaratis, tandem Anno 1527. hæreſis in publicas flammas erupit, & Epiſcopus cum Cathedrali Capitulo, ac univerſo, ſanioríque Clero amarè ſuper Babyloniam curatam, ſed non curatam lacrymans emigrare; & Uberlingam ſecedere coactus ſit: quo facto ſacrilegum templis bellum indictum eſt; dum rabidi Cives, novo jam Evangelio, ſeu monſtro prægnantes, ſpurióque inflammati zelo altaria evertunt; ſacras Reliquias, & ipſum quidem S. Conradi Tutelaris, & Epiſcopi ſui, nulla habita antiquitatis, & ſanctitatis Veneratione, Corpus in lacum demergunt; Sanctorum ſtatuas, & icones vulcanô abſumunt; Eccleſiæ Cathedralis theſaurum diripiunt; exinde Anno 1530. Cænobia diruunt, & in Religioſos propoſiti ſui tenaces iniquiſſimè debachantur; Scotorum illud Aſceterium S. Benedicti deſtruunt; aliorum Dominicanorum in munimentum convertunt; bona, & reditus Eccleſiaſticos ſibi attribuunt, totámque jurisdictionem ſpiritualem ſpiritu hæreticis agnato uſurpant, cæteris omnibus profanatis, & incolis Catholicis amplexum novi ritûs detrectantibus in exilium condem-

demnatis. Anno 1532. Fœderi Smalcaldico accedunt ; & quaſi parum eſſet communi ſcelere pollui, particularem Conſtantia cum Argentina , Memminga, Lindavio &c. &c. confeſſionem, ſeu credendi regulam commenta eſt. Malis ita ſuccedentibus Nephaſti dies Conſtantiam incidiſſe crederes, ſacrilegiorum panegyri impunè triumphum agente ; Epiſcopo interim, cùm in Helvetia Zvvinglius; in Suevia, præſertim Wirthenbergia Lutherus potiora Epiſcopatûs jura, & proventus abſorbuerint , ad eam pauperiem redacto, ut ſummus Pontifex ad ejus ſuſtentationem Augienſe Benedictinorum , & Oehningenſe Canonicorum Regularium cœnobia cum omnibus eorum bonis, & emolumentis illi aſſignanda duxerit. Anno 1548. urbs Conſtantia tanquam rebellis declaratur , & anathemati Imperiali ſubditur, Carolo V. Rom. Imp. Banni executionem ſuſcipiente, & exercitum ex Hiſpanis conflatum urbi expugnandæ admovente. Quamvis autem eam Hiſpanorum expeditionem indurata Conſtantienſium animoſitas inanem fecerit , & copiarum Duce Alphonſo de vives tormenti campeſtris fulmine proſtrato obſidionem ſolvere hoſtem compulerit : ſaniores tamen coacto conſilio proſpicientes, quòd victricibus paſſim armis Cæſareis diu reſiſtendo non eſſent , Confœderatorum Helvetorum auxiliô fruſtrà imploratô ; & prorogatâ contumaciâ inſanabilem ſibi, extremámque perniciem adducturi forent , gratiam Cæſaris exambiunt, & Authoribus dilapſis ſe ejusdem clementiæ ſubmittunt, præſidium militare ſub nomine Auſtriaco ſuſcipiunt ; & ſic inde hucusque, reſervatis civitatis Imperialis qualitate , juribus , & privilegiis ſub Dominatu Auſtriaco Conſtantia permanſit , à quo felici neceſſitate via aperta eſt, quâ exulans nuper Religio vera, & avita in ſedem ſuam reveheretur, & adulterina proſcriberetur.

III. Enimverò mox omnes hæretici Præcones obmuteſcere, urbe egredi, civésque Zvvinglium , & Lutherum exuere juſſi ſunt , immorigeris civitatis beneficio privatis. Anno 1551. poſtquam Conſtantienſes mandato Cæſaris obtemperantes illata Epiſcopo damna viginti florenorum millibus ſe reparaturos ſpopondiſſent ; & ſacra Catholica utcunque reſtituta fuiſſent , Epiſcopus Chriſtophorus , qui Hugoni ærumnîs , tantorúmque malorum dolentiâ confecto ſucceſſit , cum numeroſo equitum , peditúmque comitatu urbem ingreſſus Eccleſias reconciliavit , abolitísque novæ doctrinæ ritibus orthodoxos ſubſtituit. Nihilominùs civibus libertate conſcientiæ fretis venenum altiùs inhæſit , quàm ut omnes illud evomerent. Fuerunt inter illos , qui non ſolùm inter parietes domeſticos Luthero , & Zvvinglio litarent ; ſed & publicè errores manutenerent , iísque propagandis ſtuderent ; aliis ore Chriſtum crepantibus , & corde Baal hoſpitatis. Pientiſſimo pariter, ac vigilantiſſimo Epiſcopo Chriſtophoro mortalibus exempto Cathedra Marco Sittico, S. R. E. Cardinali obtigit ; qui quòd Pii IV. ſummi Pontificis Nepos eſſet, Romæ magis , quàm Conſtantiæ ſedem fixit. Pedum Epiſcopale poſt hunc ad Cardinalem Andream Auſtriæ Archi-Ducem pertranſiit ; qui rei Catholicæ penitùs reſtituendæ intentior ad opus conficiendum PP. Societatis JESU urbi invexit. Nec

tamen hæreticæ pravitatis fermentum eò usque expurgari potuit, ut non perniciosæ ejusdem reliquiæ remanserint,& hinc inde repullulaverint. Sæculo enim elapso in annosa quadam muliere, notissimæ apud Constantienses familiæ, toxicum Zvvingliani dogmatis tam profundas radices egisse compertum est, ut ad illum ejurandum nullis familiarium, aut Consanguineorum persuasionibus; nullis Theologorum demonstrationibus adduci potuerit, Zvvingliano, seu bolo Lutherano, pro vera Eucharistia in mortem viaticari cupida.

IV. Erat tunc inter Reverendissimos Ecclesiæ Cathedral. Constantiensis Canonicos Jacobus Fugger Illustrissimâ, tunc Baronum, nunc S. R. I. Comitum de Kirchberg, & Weissenhorn prosapiâ oriundus, ejusdem Ecclesiæ Præpositus; qui exhauriendæ, atque prorsùs ejiciendæ hæresum sentinæ manum appliciturus de Capucinis introducendis consilium capessivit. Prævidens autem sagacissimus vir, haud leves difficultatum scopulos fore superandos, dum voti sui compos evaderet, in rei tractandæ societatem traxit Reverendissimum, & Illustrissimum DD. Joannem ex Comitibus Furrianis, Episcopum Vigiliensem, & Apostolicum ad Lucernates &c. Nuncium suâpte in Capucinos inclinatione, ac promovendæ Religionis Catholicæ zelo trahi facilem. Hic enim Reverendissimo D. Præposito sociam locaturus operam litteras ad excelsum Regimen Oenipontanum pro Capucinis Constantiam admittendis exaravit, tanto rationum torrente refertas, ut his vel tantùm lectis, sub ea tamen, & duntaxat clausulâ, nisi Constantienses rationabiliter huic Religiosorum coloniæ adversaturi sint, protinùs dederit consensum. Porrò Illustrissimus D. Maximilianus Schenck de Stauffenberg urbis Gubernator Senatûs populíque Constantiensis arbitrium rogans eò faciliùs illud impetratu invenit, quòd Constantienses Cænobii structuram solis Reverendissimi D. Præpositi sumptibus peragendam fore intellexerint. Idem Reverendissimus D. Author operis ipsiusmet summi Pontificis Clementis XIII. authoritatem, & placitum pro exoptato rei processu interpellandum duxit, tantúmque obtinuit, ut Sanctissimus præter consensum hoc pium propositum mille encomiis celebraverit, atque ad illud prosequendum Apostolicam Benedictionem impertitus, Dominúmque Præpositum paternè fuerit adhortatus. Quantumcunque verò his incrementis via ad scopum aperta sit: obstaculum tamen haud leve progressum sistere videbatur. Episcopum Constantiensem tum agebat Celsissimus ac Reverendissimus DD. Jo. Georgius Hallvveil, vir alioquin ad sanctitatem usque pius; qui tamen partim ex intercedente nonnulla ipsum inter, & D. Præpositum querimonia; partim ab aliis hanc Capucinorum coloniam ægrè ferentibus nonnihil præoccupatus Cænobii erigendi consensum mordicùs, & rotundè abnuit, ac à R. P. Antonio de Canobio Ministro Provinciali suppliciſſimè rogatus centies indignabundus recusavit. Advertens tandem Pater Provincialis se perorando cum Coryco luctari, humi provolutus, ádque preces conversus tam cælesti suadâ Reverendissimum Episcopum expugnat; tanto zelo rem intentam exaggerat; tantis rationum momentis postulata consolidat; denique tam convincente

cente motivorum apparatu humilitatem, & aliquid plùs humani præſeferente renitentem urget, ut is tandem P. Provinciali clementiſſimè humo levato non ſolùm herbam porrexerit ; ſed obortis quoque lacrymis contradictionem ſuam deprecatus plenam ſtruendi Monaſterii facultatem conceſſerit, ac inſuper auxiliatrices manus pollicitus ſit, effectu promiſſum ſecutô.

V. Habito jam omnium, quorum intererat, conſenſu, ad electionem areæ tum ipſe Reverendiſſimus D. Præpoſitus ; tum Capucini proceſſerant ; illisque inquirentibus illa ad latus Meridionale planities urbi adjacens velut opportuniſſima occurrit, quæ ab amæniſſimis viridariis, agris, pratis, & vinetis fertiliſſimis jam olim Paradyſi nomine inſignita eſt ; ipſiſſimus locus, ubi olim Joannes Huſs ſcelerum pœnas per ignem dederat ; qui tamen jam noſtris pro conventu aſſignatur ; ut ubi impietas obiit, pietas reſurgeret ; & ubi hæreſum Anteſignanus victus occubuit, ibi Eccleſia orthodoxa ſacrum inde trophæum erigeret ; ubi, inquam, hæreticus non flammeo gladio, ſed flamma è Paradyſo ejectus eſt ; eum paradyſum nunc Seraphinus cæleſtis Franciſcus, & ejus Filii abinde cuſtodirent. Hoc igitur fundo Reverendiſſimi D. Præpoſiti ære comparato, atque ad ædificium deſtinato omnia quantocyùs parabantur, quæ fabricæ auſpicandæ ſubſervire poterant.

Quapropter die 12. Aprilis Anno 1603. ab ipſomet Celſiſſimo, ac Reverendiſſimo Domino D. Epiſcopo primarius ædificii lapis ſolenniter benedictus, & terræ effoſſæ mandatus eſt, cui Reverendiſſimus D. Præpoſitus argenteam laminam cum ſequenti inſcriptione notatam adjecit :

Ponente primum fundamenti lapidem Jo. Georgio ex Prænobili familia Hallvviliana Epiſcopo Conſtantien. Domino Majoris Augiæ &c.

Ex Antonio Nepos, Joannis, & Conjugis Eliſabethæ Nothafftin filius, inter fratres Marcum, & Chriſtophorum natu minimus Jacobus Fugger L. B. à Kirchberg, & Weiſſenhorn, Cathedr. Eccleſiæ Conſtant. Præpoſitus &c.

In honorem præpotentis Dei, & S. Jacobi Apoſtoli Seraphico Ordini S. Franciſci, vulgò Capucinis

Hoc Monaſterium

Propriis ſumptibus ædificari fecit.

Regnantibus

Clemente XIII. Pontifice Maximo. Rudolpho II. Roman. Imper. ſemper Aug. Civitatis Conſtantienſis ſummo Capitaneo Præfecto Maximiliano Schenck à Stauffenberg. Sac. Cæſ. Maj. & ſereniſſimæ Domûs Auſtriacæ Conſiliario &c. Anno 1603. die Aprilis 12.

Exinde ipſi ſtructuræ promptæ adhibentur manus, quarum operâ tam celeriter, ac proſperè illa in altum excrevit, ut die 19. Septemb. Anno 1604. Eccleſia utcunque perfecta Epiſcopaliter conſecrata, & dedicata ſit, ab ipſomet jam Celſiſſimo ac Reverendiſſimo Domino Fundatore, ceu Epiſcopo Conſtantienſi, in quem, Celſiſſimo, ac Reverendiſſimo D. Jo. Georgio

interim ſanctiſſimè fatis concedente unanimi Eligentium ſuffragio die 27. Jan. 1604. creatus eſt, electione hac non ſolùm Illuſtriſſimo Canonicorum ſenatu, totáque Diœceſi : ſed ipſo adeò ſummo Pont. max. Clemente VIII. maximè exhilarato ; qui in Bulla Electionis Confirmatoria eum non electum , ſed ſelectum pronunciavit. Igitur in Cathedram Epiſcopalem evectus Eccleſiam Capucinorum, ſeu potiùs ſuam tanto majori ſolennitatis ſplendore , & ſpiritûs exultantis alacritate die 19. Septembris 1604. dedicavit , & conſecravit ; quantò majori zelo in ejus , & Monaſterii ſtructuram arſerat , pluribúsque hæc impenſis , & ſudoribus conſtiterat.

Fratribus ita in iſthoc habitaculum collocatis tenerrimè benedixit, & perenni largitate benefecit , atque ad hos in ſtudiis ſuis juvandos magnificâ Bibliothecâ Monaſterium inſtruxit , in more , ac deliciis habens frequenter ad Capucinos ſuos pro ſpirituali colloquio , & Recollectione divertere ; quorum unum ſibi in conſcientiæ arbitrum delegerat, factâ eidem libertate, & juſſu ſe pro rei exigentia corripiendi, adhortandi , ſícque ad vitam non ſolùm Infulæ Epiſcopali convenientem , ſed Cœli coronâ dignam manuducendi. Viginti, & duos , quibus Epiſcopatui non minùs utiliſſimè profuit, quàm zeloſiſſimè præfuit , eo Capucinorum contubernio fruitus eſt ; cùm ecce ! immenſo omnium bonorum luctu fatali morbo corripitur ; qui , cùm omnium Medicorum artem ſuperaret , & ipſi decretorius fuit. Hinc piiſſimus Præſul inſtituta generali ſuper tota vita ſua exhomologeſi maturè de ſe ſuísque diſpoſuit, & Capucinorum habítu poſt mortem ſe contegi , & in eorumdem Eccleſia tumulari popoſcit. Omnibus ita benè ordinatis, & Eccleſiæ Sacramentis chriſtianiſſimè perceptis conſolatiſſimam animam die 24. Jan. 1624. ad cæleſtia transmiſit ætatis ſuæ Anno 59. Regiminis 22. Cujus funus ad luctum magis , quàm ad pompam compoſitum ſub copioſo mærentium comitatu in Eccleſiam Capucinorum defertur, & ibidem humatur ; cujus ad tumbam Epitaphium ſequens marmori inciſum legitur.

Jacobus Epiſcopus Conſtantienſis,
Dominus Majoris Augiæ, & Oebningæ.
Hæc requies mea : hîc habitabo, quoniam elegi eam.
Hic Deo, & Patribus Capucinis condidi habitaculum,
Mihi tumulum.
Illatus ſum in ſepulchrum Patrum meorum;
Nemo invideat Requiem inter Electos.
Elegi ipſe abjectus eſſe in hac Domo Domini.

VI. Poſtquam Capucini non niſi 30. annis huic agro excolendo incubuiſſent, contigit Germaniam decumanis belli fluctibus inundari, atque luctuoſum ludis Martialibus theatrum fieri, funeſtam inſtruente ſcenam Suecorum Rege ; qui ſubactâ propè omni Suevia Anno 1633. ut totius lacûs Acronii Dominatu potiretur, Urbem quoque Conſtantiam expugnandam aſſumpſit. Cum hac ergò expeditione, & valido ſuorum agmine Guſtavus Hornius regio Sueciæ ſanguine, ſed ex pellicatu genitus , ſupremúsque militiæ Dux Rheno per pontem Lythopolitanum , nil obſiſten-

obſiſtentibus ; ſed forſan allicientibus Helvetis fidei , fœderúmque ſtudiosè oblitis, tranſito Conſtantiam provocat, renixuræ omnia quæque dira, & extremum interitum comminatus. Obſtupuit prima fronte Conſtantia ſub fide ab Helvetis nuper accepta ſatis ſe ex illa parte munitam, tutámque fore confidens, ad ſubitanei , & inobſervati hoſtis adventum, nomini tamen ſuo conſtans validam apparat defenſionem, memor vaticinii, quod paucis retrò annis venerab. Dei ſervus P. Jo. Baptiſta Polonus Capucinus & Guardianus Conſtantienſ. his verbis ediderat : *Et vos cives optimi pacis Cultores ! brevì ad arma capeſſenda cogemini ; fortes tamen eſtote ; quandoquidem proſperrimè cuncta vobis cedent.* Interim hoſtis caſtra metatus tanto impetu, & furore Conſtantiam aggreditur, ut integri menſis ſpatio mœnibus quaſſandis, turribus disijciendis, propugnaculis , & muris perforandis , innumeris in urbem pyrobolis injiciendis, miſeræque & hominum, & tectorum ſtragi edendæ operam dederit, militémque facta omnimodæ expilationis , & tyrannidis in victos exercendæ libertate, ac ſpe ad pugnam acuerit. At verò Excellentiſſimus, & Illuſtriſſimus DD. Maximilianus Wilibaldus S. R. I. Dapifer , & Comes de Wolfegg tum militis præſidiarii , tum civis Conſtantienſis animoſitate , ac fide fretus , & adjutus eam ſtrenuiſſimam defenſionem fecit, ut reciprocatis damnis , & ſtragibus Hornium adunco naſo ſuſpenſum, & non tantùm potiore exercitûs ſui parte ; ſed cornu quoque detruncatum obſidionem solvere, & aggreſsûs ferociam ignominioſo receptu luere compulerit.

Anno 1638. Suecus Ludovici XIII. Galliæ Regis fœdere , & auxilio fretus, ac milite auctus denuò in Germaniam ſe infundit, Duce Weinmarienſi cum juſto agmine ex Gallis , & Suecis combinato è Burgundia per vallem Delemontanam erumpente , & ſubactis Brisgoiæ , ac Sylveſtribus, ut vocant , Urbibus , Sueviam ſubjugaturo. Conſtantia ergò ex prioribus Hornii auſibus ſapere docta, ſuæque indemnitati intentior facta novis ſe vallis , & munimentis contra hoſtium aſſultus firmare conſtituit ; ſic tamen ut pro ſalute Urbis Cœnobii noſtri excidium neceſſarium duceretur ; ut quod extra mœnia ſitum hoſtibus aliquando latíbulo : & vallis eo in loco excitandis impedimento futurum eſſet. Ideò ſupremi ſenatûs bellici ſententiâ demolitio decernitur. Quamquam noſtris triſtiſſimum acciderit loco tam commodo , Religioſis exercitationibus amico excedere ; publicam tamen utilitatem privatæ anteferentes decreto ſe ſubjiciunt. VII.

Martis aleâ verò aliter, quàm fœderati hoſtes opinabantur ; & in favorem Cæſaris cadente Sueci è terris noſtro-Auſtriacis faceſſere adacti ſunt : ſicque duraturæ tranquillitatis opinione munimentorum conſtantium multiplicatio longiorem paſſa eſt moram ; ideò & Monaſterii abolitio perendinata. At theſaurus carbones erant ; & ſpes prolixioris ab hoſte vacationis novo Suecorum Gallis mixtorum cataclyſmô mergebatur : qui, quòd nonnulli Cæſaris Confœderatorum ſegniùs , aut infideliùs rem adminiſtrâſſent , vires, animúmque reſumpſerunt truculenta ſua in Sueviam propoſita exequendi. Brigantiô enim , ut nuper di-

dicimus, priùs occupatô, quàm obſeſſô Conſtantia jugulum ſuum proximè petendum fore ex commoditate repetendæ obſidionis tremens ratiocinabatur. Quapropter foſſarum, aggerum, & munimentorum reſtauratio inchoata, ac velis remísque proſequenda aſſumitur; adeóque & Cænobii noſtri deſtructio die 10. Febr. 1638. ſecuta eſt, Patribus poſt res ſuas in tutum collocatas in urbis quoddam domicilium à Magiſtratu aſſignatum migrantibus, ſpe certa ipſis per tabulas publicas facta de providendo novi Monaſterii ſpatio, ubi primùm hoſtium metu urbs exempta, aut fatis perfuncta fuerit.

VIII. At ſubitum remedium periculi. Armis Cæſareo-Catholicis proſperiore ſydere fortunatis, & potenter victricibus Suecus demùm Brigantio, totáque regione egredi coactus, & Patria hoſtibus vacuata eſt. Tunc Magiſtratus Conſtantienſis verbi ſui tenax pro ſingulari in Capucinos favore his aream ad ſtruendum novum Conventum in ſuburbio Stadelhofen, propè portam Creuzlinganam comparat: cui annuente, & promovente Sereniſſimo Archi-Duce Ferdinando Carolo mox recens Cænobium imponi cæptum eſt, Celſiſſimo, ac Reverendiſſimo DD. Franciſco Joanne Epiſcopo Conſtant. die 19. Mart. 1648. initialem lapidem ſolenniter benedicente, & terræ injiciente; huic prior lamina argentea cum aucta in hunc ſenſum inſcriptione adjecta fuit.

Monaſterium

Quod piiſſimæ memoriæ Reverendiſſimi, & Illuſtriſſimi Principis ac DD. Jacobi Epiſcopi Conſtantienſis liberalitate exædificatum Anno 1603. in agro ſuburbano Conſtantiæ, quem ſuburbanum vocant; ne periclitanti civitati interitui foret, imminentibus armis Gallo-Suecicis demolitum eſt Anno 1647. 8. Kal. Martii, hoc in loco ſuburbii Creuzlingani reſurgere cæpit Anno Domini 1648. 14. Kal. April. ſacra peragente Reverendiſſimo, ac Illuſtriſſimo DD. Franc. Joanne ex Prænob. Familia de Prasperg Epiſcopo Conſtantienſi

Regnantibus

SS. D. N. Innocentio PP. X. Imperatore Ferdinando III. ſemper Aug. civitati Conſtantienſi, militiæque Præfecto Domino Jo. Gaudentio à Roſt &c.

Conſulibus

D. Jacobo Lanz, & D. Conrado Guldenaſt

Promotoribus

D. Michaële Guldinaſt, & D. Henrico Sutter.

Aſpira dulciſſime JESU! adeſto MARIA!

Inde ſuppetentibus in abundantia materialibus ex diruto Monaſterio huc applicitis impigro fabricatorum, & operariorum labore ædificium ea incrementa, & progreſſus habuit, ut die 4. Octob. 1649. S. P. Franciſcus in ipſo ſolennitatis ſuæ feſto per fratres ſuos ei immigrare, templúmque uſitatis ritibus ab altiſſimè fato Celſiſſimo, ac Reverendiſſimo DD. Epiſcopo Conſtant. conſecrari potuerit; quod ſub feſtivis totius urbis Conſtantienſis, & vel maximè Benefactorum, fautorúmque gaudiis, & applauſibus feliciter ceſſit. Horum verò Benefactorum præcipui fuerunt Prænob. D. Jodocus Mump-

Mumpprot à Spiegelberg : & Prænob. ejusdem Conjux D. Margaritha à Schvvarzach, qui cùm illiberi eſſent, Capucinos per teſtamentum ex aſſe hæredes ea lege ſcripſerunt, ut ex eorum bonis vel novum è fundamentis Cænobium ædificaretur, vel dirutum reſtauraretur : D. Matthæus Hoffmann & ipſe mille florenos pro fabrica legavit.

Reverendiſſimus D. Leonardus Hammerer SS. Theologiæ Doct. Eccleſiæ Colleg. ad S. Stephan. Præpoſitus hortum ſuum ſpatioſiſſimum in Monaſterii commodum, & ornamentum pariter teſtamentô donavit. Aliorum Amicorum munificentiâ concrevit ſumma ſeptem millium, nongentorum, viginti quinque florenorum (computatis ad hos Mundprotianâ hæreditate, & Hoffmanniano Legato) qui omnes ad opus hoc conficiendum deſiderati, & impenſi fuerunt.

IX. Verùm nec ea ſtationis uſura ex omni parte diuturna, atque beata fuit. Ut enim fundus ille, cui novum incumbit Monaſterium, paluſtris, uliginoſus, & tum mæniorum foſſis, tum Coriariorum ibidem laborantium rivis exundantibus, hortúmque reſtagnantibus, ac ipſos fundamenti muros peredentibus ſemper humidus fuerat, ædificium neceſſariò tribus, aut quatuor pedibus altiùs elevari oportuiſſet. Quò cùm Ædiles non reſpexerint, contigit, ut contractus ibi, & diuturnitate auctus udor non ſolùm exedras, parietes, libros, totúmque aliam ſuppellectilem craſſo mucore, & ſcolecià pernicioſè tegeret; ſed etiam excluſa omni aëris ſalubritate è collectâ talium aquarum colluvie univerſalis humorum Dyſcraſia exoriretur; indéque febres magno ſymptomatum ſatellitio ſtipatæ provenirent; quæ ingentem aliorum morborum cumulum attrahentes luctuoſam Provinciæ ſtragem intulerunt; cùm robuſtiſſimi quique, ac juvenes etiam Religioſi loeum ſibi fatalem habuerint : ac cæterà quot inquilinos, tot viva aſpexiſſes funera, cachexiâ omnes adeò defigurante. Diu multúmque Patres Provinciæ, rogatis expertiſſimis etiam Medicis conſilia ſua, de malo hoc remediando, ſeu avertendo deliberârunt; atque demùm de loco deſerendo, & Conventum in aërem ſalubriorem transferendo conſilia agitârunt; idque vel inde magis, quòd Pharmacopæja magnam per annum pecuniæ vim pro medicinis utcunque nil proficientibus abſumpſerit. Ante omnia igitur explorabant, ſicubi in ipſa Urbe utilis ſtructioni locus inveniri poſſet. Placuit omninò illud ſpatium retrò frumentarium civitatis ampliſſimæ navium ſtationi contiguum; quod tametſi domibus conſitum eſſet : cùm tamen hæ ut plurimùm vetuſtati, ruinæ, & æri alieno obnoxiæ, adeóque venales exiſterent, in hoc, cujus obtinendi ſpes Patribus jam affulſerat, condictum fuit. Poſt impetratum igitur conſenſum eorum, ad quos conſentire ſpectat, domibus prædictis per Syndicum Apoſtolicum comparatis, ac dirutis, areæque expurgatæ ædificium Cænobii imponi cæptum, primúsque lapis poſitus eſt, ut ex ſequente ſcriptura eidem lapidi indita colligere eſt.

In nomine Sanctiſſimæ & Individuæ Trinitatis Dei Patris, & Filii, & Spiritus S. Ejusdémque Filii Dei Matris, & Virginis Mariæ Seraphici P. S. Franciſci, Divi Jacobi, & omnium Sanctorum Cælitum

Hoc Monasterium FF. Min. Capucinorum,

Quod

Primitùs Anno 1603. ex liberalitate Reverendissimi, & Illustrissimi DD. *Jacobi Fuggeri Episcopi Constant. in agro suburbano, quem Paradysum vocant, fuerat exædificatum, Anno verò 1648. propter bellorum pericula in suburbium Creuzlinganum translatum; tertiò resurgere cæpit in ipsa urbe in loco propè frumentarium ad portam lacûs Acroniani 1694. pridie nonas Decembris*

Ponente primum Lapidem

Ex Commissione Celsissimi ac Reverendissimi DD. Marquardi Rudolphi, ex Perillustri Familia de Roth, Episcopi Constant. Domini Augiæ Majoris, & Oehningæ &c. &c.

Reverendissmo Prænob. & Amplissimo DD. Conrado Ferdinando Geist à Wildegg, Ferdinandi, & M. Barbaræ Papussin de Trazberg natu minimo, Cathedr. Ecclesiæ Constant. Canon. & in Pontificalibus suffraganeo, & in spiritualibns Vicario Generali;

Regnantibus

Innocentio XII. Pont. Max.

Et Leopoldo I. Romanor. Imperat. semper Aug.

nec non Josepho I. Romanorum Rege Electo,

Civitatis Constantiens. supremo Capitaneo, & Commendante Illustrissimo, & Excellentissimo DD, Carolo Egone Comite de Fürstenberg Môsskirch. S. C. M. Generali, Campi Vice Marescballo &c.

Urbis Præfecto

Perillustri ac Generoso DD. Wolfgango Alberto L. B. Ehinger de Baëlzheimb

Consulibus

Prænobilibus DD. *Jo. Georgio Wech à Schrofen, & Ignatio à Guldenast*

Promotoribus

Perillustri DD. *Tobia de Schleiss, supremo locum tenente, & Vice-Commendante; ac cæteris* DD. *Senatoribus;*

Clavum tenente totius Ordinis Fratrum Minor. Capucinorum M. R. P. Bernardino ab Aretio, gratiis, & miraculis famoso.

Provinciam Anterior. Austriæ gubernante R. P. Luciano Montifontano, Familiæ verò hujus Constantiensis Superioribus R. P. Theodosio ex Bürs Definit. & Guardiano, & R. P. Sigismundo Rottenburgis. Custode, & Vicario.

Faxit D. *T. O. M. & aspiret Maria*

Ut hoc tertium ædificium exurgat perfectum, & perennet usque ad finem mundi, in laudem, & honorem Dei unius & trini.

Amen.

X. Jactis structuræ fundamentis non modica quæstio inciderat de Monasterio tertia contignatione sursùm ampliando, aliquibus seraphicæ simplicitatis, & apicis Constitutionum nostrarum studiosis huic exaltationi extremè obnitentibus. Verùm tam efficaces, convincentésque rationes, & argumenta à convenientia, utilitate, & stringente necessitate petita sapien-

pientiores, & Regularis Obſervantiæ æquè ſolliciti Patres attulerunt, ut his per urnam examinatis, & ponderatis potiora eorum, quibus ſevera Provinciæ negotia diffinire incumbit, ſuffragia dictam Monaſterii ultra uſum Capucinorum elevationem ratam habuerint, hæcque ſententia à Reverendiſſimo P. Generali, viſis, & attentis motivis, quibus hæc innitebatur, confirmata, atque deinceps urgentibus amicorum, & Architectonices peritorum, Medicorúmque ſuaſionibus; dictante ipſa naturæ, & ſanitatis conſervandæ lege, cujus intuitu prius Monaſterium deſtruendum, deſerendúmque fuerat; imò ſuggerente Monaſticæ immunitatis, & obſervantiæ cura, ne nimirùm ex ædibus proximè vicinis proſpectus in hortum, cellas, & officinas Religiorum pateret, executioni mandata eſt. Ex piorum itaque eleemoſynis fabrica juxta normam ab ædilibus dictatam aſſumpta, ſtrenuè propagata, & prævalente malorum execrationibus, atque maleferiatorum oblocutionibus, quarum innumeras in hoc ædificium è plauſtro exoneratas noſtri devorandas habuerunt, benedictione cæleſti brevi tempore ad faſtigium perducta eſt, ut ejus habitatio Anno 1695. die 4. Oct. inchoata, Miſſa ſolemnis, & omnia officia celebrata & continuata fuerint.

§. X.

Monaſterium Engenſe.

ENga urbs, imò meditullium Hegojæ in colliculo ſita Conditorem, & nominis ſui originem, & tempus incunabulorum vel ipſa ignorat. Cruſius in Annal. Sueviæ opinatur, quòd cùm Carolus Magnus ſeverè in Romanos ob Leonem III. Papam indigniſſimè habitum animadvertiſſet; & alios quidem capitis ſupplicio; multos bonorum confiſcatione, plures relegatione, ac deportatione affeciſſet, horum aliqui in Hegoiam, jam Cornelio Tacito notam, ceu tutum diverticulum profugerint, ibi domicilia fixerint, urbes, & caſtra condiderint, eísque nomina attulerint. Hegoia verò parva inter Danubii ortum, & Rhenum concluſa Regio fertilitate maximis æquiparatur: eſt enim illa omnium, quæ ad uſum, & delicias humanas deſiderari poſſunt; utpote frumenti, vini, quà Rhenum ſpectat, generoſi, aliorúmque omnis generis arborum, & terræ fructuum ferax; piſcationi, & venationi idonea; unde tanta olim Nobilium copia his in partibus conſedit; ut hi maximam Confæderationis ſub nomine, & ſcuto S. Georgii inſtitutæ partem conſtituerint. Regio cùm gracili varietate colles, vallésque interſtinctas oſtentet, & montes faſtigiatos in aëra vertices erigant; ideò quot ferè montes, tot caſtra deſuper (quorum aliqui ad quadraginta ſex circumcirca fuiſſe memorant, & rudera teſtantur) amæniſſimam intuentibus ſpeciem exhibent. Tuellium, vulgò **Hohentwiel**/ præ aliis eminet, & tum inacceſſibili fortitudine, tum firmis propugnaculis, & rupibus, quibus incumbit, munitum quorumcunque hoſtium conatus, & aggreſſus irridet. Ducum Sueviæ aliquando ſedes fuerat; ut- I.

pote quò Erchingerus, & Bertholdus fratres, & Luitfridus nepos ſibi de B. Salomone Ramschvvag Epiſcopo Conſtantienſ. impiiſſimè intercepto, & in carcerem compacto, malè conſcii, tanquam in locum tutum ſe ſe receperunt. Anno 956. Hedvvigis Henrici I. Imperatoris filia, & Eberhardi Comitis de Eberſtein vidua : item alia Hedvvigis Henrici Ducis Bavariæ, Ottonis Magni fratris, filia, græcè, & latinè doctiſſima, hìc loci degebant, & Divi Benedicti Cænobium condiderunt. Locus autem quòd militibus, quàm Religioſis aptior videretur ; ideô Henricus II. Imp. Anno 1005. Aſceterium hoc Lytopolim Rheno finitimam tranſtulit, & Tuellium denuò Marti conſecravit.

II. Cum tempore caſtrum hoc ad Duces Zäringenſes : ab his ad Comites de Klingenberg tranſiit ; quod Anno 1520. vidua ejusdem ſtemmatis Udalrico exuli, Wirthenbergiæ Duci peſſimô conſiliô vendidit ; à quo tempore ædificiis, tricliniis, vallibus, aggeribus, turribus, ciſternis, puteis, & armamentariis mirum excultum fuit ; ab arte, ſitu, & vineis laude : à pernicioſa autem vicinitate ad Engam, & alia loca Catholica execratione dignum. Illud, cùm belli Sueco-Gallici progreſſibus Sueviæ plurima mala allaturum timeretur, Anno 1639. à Cæſareanis obſeſſum, & inferius jam ſuburbium occupatum fuit. Annis 1641. & 1644. ab exercitu Imperiali obſidione arctatum, & ſubjugandum fuerat, niſi aliquorum in caſtris Cæſareis perfidia ſucceſſus bonos ſuffocâſſet. Enga cum Dynaſtia Hevvenſi olim ad Comites hujus nominis pertinuit : quorum ſtemmate Anno 1570. extincto ad Comites Lupfenſes migravit. Henrico de Lupfen, ceu ultimo familiæ, deficiente Anno 1582. Conradus de Pappenheim Engam, & Landgraviatum Stüehlinganum vi occupavit ; cui filius Maximilianus in dominatu ſeu uſurpato, ſeu legitimo ſucceſſit. Tandem Maximiliano ſine prole maſcula humanis erepto ad Comitem Fürſtenbergicum, qui unicam Pappenhemii filiam matrimonio ſibi junctam habuerat, dotis nomine devoluta eſt ; parétque hodie Sereniſſimo Principi de Fürſtenberg-Stüehlingen. Is Maximilianus de Pappenheim cùm Lutheri dogma ſectaretur, optimos cives Engenſes ad eosdem erroneos ritus profitendos reformaturus, atque coacturus timebatur. Ideò ut hanc in ſententiam comparati fuerant, ut vitam potiùs, quàm avitam Religionem dimiſſuri eſſent ; ita huic perverſionis periculo anteverſuri de advocando Capucinorum Præſidio conſilia miſcuerunt ; hæcque etiam ſupplices ſpem inter, metúmque Dominatori ſuo Pappenhemio, patefecerunt. Et ecce Numinis humano cordi dominantis clementiam ! Quem propoſito ſuo cum maxima indignatione obſtiturum timuerant ; hunc in poſtulata pronum, ſuorúmque conſiliorum non ſolùm approbatorem ; ſed & promotorem, atque auxiliatorem habuerunt.

III. Senatus populúsque Engenſis hoc ſucceſſu lætus Capucinos omninò in urbem ſuam pellicere ; & ne hi ullo gravaminum, & cauſationum qualiumcunque obtentu petita ſua refutare poſſent, ipſum Celſiſſimum ac Reverendiſſimum DD. Jacobum Fugger Epiſcopum Conſtantienſem, ceu loci Ordinarium interceſſorem adhibere conſtituit. Igitur litteris ad prædictum Celſiſſimum conceptis eidem periclitantis Religionis ſtatum, men-

mentémque ſuam in ea uſque ad ſanguinis effuſionem perennandi, illámque ad poſteros transmittendi; neceſſitatem adeóque Capucinos juxta ſe hoſpitandi expoſuerunt; ut quorum Apoſtolica converſatione æquè, ac vigilantiâ Religioni Catholicæ conſultum fore confiderent.

Celſiſſimus D. Ordinarius tantò libentiùs paternam ſupplicantium curam ſuſcepit, quò magis & ipſe in Capucinos propendebat, & Religionis in Epiſcopatu ſuo ſervandæ negotium cordi habuerat. Hinc præter clementiſſimum Ordinariatûs conſenſum Patribus in Capitulo Lucernæ congregatis æquiſſimas preces ſub dato in Caſtro Roſenegg 7. Septemb. 1616. de optimo recommendavit, eósque, ut his, ſi, & in quantùm &c. &c. deferrent, paſtorali authoritate cohortatus eſt. Has unà cum ſupplici Engenſium libello A. R. D. Joannes Modelinus animarum Engæ Quæſtor longè zeloſiſſimus lucernam portandas; eásque viva voce ſecundandas, & facundo argumentorum flumine urgendas ſuſcepit. Viſis, lectis, & auditis tantis rationum momentis, & cum profunda veneratione conſideratis Celſiſſimi Interceſſoris recommendatitiis quid reſponderent in arena Patres; vix habuerunt. Concluſi autem aliorum Principum, Comitum, & Statuum pro ſimili re inſtantiis, quibus omnibus ſatisfaciendo cùm pares non eſſent, Engenſes ad patientiam pro aliqua temporis mora remiſerûnt, & Celſiſſimo D. Ordinario repulſam gratificandi impoſſibilitate excuſârunt.

IV. Ingruente proximâ Patrum conventione denuò Engenſes in ſcena ſupplices apparuerunt; & quia neque tum ex prioribus obſtaculis affirmativam tulerunt; ideò & ſequente Anno 1618. Patribus capitulariter Lucernæ iterùm coadunatis iterùm Engenſes per litteras inſtantiſſimas imminent; quibus extremæ neceſſitatis exaggeratione, omnis auxilii, & ſubſidii ad fabricam, & victum deſiderabilis oblatione munitis eosdem Patres uſque adeò expugnârunt, ut Religioni ſibi duxiſſent tam piæ, támque rationabili importunitati non condeſcendere. Quærebatur à Patribus Engam in rem explorandam ire juſſis aptus ſtructioni locus. Placuit autem præ aliis collis peramænus proximè ad Occidentale urbis latus exuberans; qui cùm ob montana à tergo adjacentia eremum referat, & juſtum Cœnobio ſtruendo ſpatium præbeat, crucis ibidem plantatione tanquam electus ſignabatur. Ad colliculi pedem hinc horti, & prata viſuntur: inde urbs Enga non magna quidem; ſed ædificiis non inculta, & arce, auláque olim præfatis poſſeſſoribus uſitata conſpicitur. Hic ergò, non obſtante frigido admodùm climate, & ſæviente hyemali frigore, validísque ventis, qui, quòd cœnobium monticulo elevatum emineat, agmine quaſi facto illud impugnant; haud tamen tales, qui incolas amore Dei calidos frigefaciant, aut dejiciant, eruuntur ædificii fundamenta, & lapis princeps à Reverendiſſimo, & Ampliſſimo DD. Præſule Rhinovienſi Ord. S. Benedicti ſolenniter benedictus in profundum collocatur; móxque fabrica auſpicata maximo omnium fervore promovetur; in cujus opere quinquennio toto laboratum fuit, ſumptus ſubminiſtrantibus pro magna parte Perilluſtri D. Wernero à Reiſchach, Domino in Hohenſtoffeln, & Homboll &c. & aliis hinc inde tum

Illuſtribus, tum plebeis Benefactoribus : cætera autem requiſita urbe Engenſe, præprimis autem affectuoſiſſimo Capucinorum fautore Domino Chriſtophoro Vogler Conſule ad ſufficientiam conferente ; gente porrò ruſticanâ aurigando, & manualiter gratis laborando ut plurimum cooperatâ. Quòd verò miſeris, etiam ipſemet præfatus Illuſtriſſimus D. Comes Pappenhemius, ut ut Luthero devotus ligna ad fabricam, & honorariam ſubditorum operam huic pio operi contribuit. Ædificio integro die 20. Aug. 1623. coronidem adepto Reverendiſſimus D. Antonius Epiſcopus Tyberiadis, & Suffraganeus Conſtantienſis, è Prænobili familia de Greit oriundus Eccleſiam noſtram ſolenniſſimo ritu conſecravit, feſtum decorante longè eminentiſſima Hoſpitum frequentia : aderant enim invitante Illuſtriſſimo D. Pappenhemio contra genium ſui dogmatis de colonia hac quaſi gloriabundo, Sereniſſimus Marchio Badenſis de Linea Eduardina cum Filiis Principibus. Celſiſſimus D. Joannes Comes de Hohenzolleren Sigmaringanus, cum plurima alia Comitum, Baronum, Nobilium, Eccleſiaſticorum, & ſæcularium, omnis ſexûs, & conditionis hominum panegyri exultante, atque tripudiante.

V. Conducti igitur, & locati in hunc agrum Capucini, ut operarentur ; omnes eò nervos impenderunt, ut vocationis ſuæ, piiſſimorúmque Engenſium exſpectationis nil reliquum facerent. Primis autem illius incolatûs annis, fervente Bellona Aquilonari, multa erat triſtium, ac lætorum viciſſitudo. Anno 1638. Bernardo Duce Winmarienſe exercitum hîc traducente varii prædonum manipuli Cænobio huic excidium minabantur, ac etiam adhibitâ operâ moliebantur. Nil fratribus remedii, niſi in precibus ſupererat, quo lixarum inſolentiam cohiberent. His ergò cùm ferventiùs incumberent, ecce inopinatò duos Equites à noſtris minimè rogati, ſed à Duce inſtinctu Numinis ſpontè præmiſſi ad Conventum veloci curſu advolant, ſéque in ſalutem Monaſterii deſtinatos eſſe nunciant ; qui & fratribus hoc præſidio exhilaratis amiciſſimè uſi locum contra prædantium militum aſſultus fortiter tutati ; & optimâ tandem pace abſcedentes exercitum jam prætergreſſum ſecuti ſunt.

Anno 1640. Generalis Erlachius Briſaco erumpens, & quaquaversùm graſſatus prædiis inhians tormentis in hortum noſtrum collocatis urbem Engenſem graviter conquaſſat, occupatam penitiſſimè diripit, direptam incendit, & ardentem deſerens Briſacum regreditur. Deo autem ſortem afflictæ Urbis miſerante factum eſt, ut Cœlum undequaque ſerenum nubibus imbre gravidis derepentè obduceretur, & denſiſſimam pluviarum vim reſtinguendis flammis opportunam effunderet ; quibus Cives, & maximè Capucini impigrè cooperati Urbem ab interitu ſervarunt. Alia ſuo loco.

§. XI.

§. XI.

Monaſterium Friburgenſe.

BRisgoja Germaniæ ſuperioris Provincia ab Alſatia Rheni decurſu diſtincta non niſi decem milliarium longitudinem; duorum latitudinem habens fertilitate, ſitûs amænitate, & climatis manſuetudine, atque ſalubritate cum qualibet Allemanniæ Regione de primatu contendit; unde & nomen traxiſſe autumamus. Ejus quaſi meditullium, & Metropolim Friburgum conſtituit. Eo in loco, quo Urbs hodierna ſita eſt, tempore Bertholdi III. Zäringiæ Ducis vicus erat, quem per liberales metalli fodinas quater mille paſſibus ab arce Zäringenſe diſtantem Anno 1118. in civitatem erexit, & iis privilegiis, quibus gaudet Colonia Agrippina, decoravit. Quo primigenio Urbis adhuc imperfectæ authore in conflictu Molſishemienſi Anno 1122. cæſo, rerum potitus eſt Conradus hujus Filius; ſive, ut habet Chronicon Friburgenſe, Germanus frater. Anno 1152. mortuus. Succeſſit Conrado Patri Filius Bertholdus IV. cui Friburgum conſummationem ſuam debet. Summum Deiparæ Templum, & Turris ei impoſita quadratis lapidibus artificioſiſſimè figuratis in altitudinem porrecta, quam antiqui inter Orbis miracula connumerâſſent, maximum urbi ſplendorem, atque majeſtatem conciliat. Ad radices ſylvæ nigræ Civitas Friburgenſis in plano conſidet. Ne tamen aut ipſa montium aſperitas ſpectatores terreat, proximi colles, priusquam inviis jungantur ſaltibus, frequentiſſimis luxuriantes Vinetis tam jucundum intuentibus ſpectaculum, quàm quæſtuoſum poſſeſſoribus emolumentum præbent. Ipſa Urbs Eccleſiis, Cænobiis, ac ædificiis præſtans, hodiéque foſſis, munimentis, pomæriis, vallis aggeribus ad omnes Architectonices militaris regulas coordinatis; nec non valido præſidio inſtructiſſima; inſuper trinis per montem proximè impendentem Caſtro, & fortalitiis gradatim aſcendentibus protecta; per cujus ſingulas plateas rivi pellucidi ſaburrantes ſordes evehunt. Tanta olim urbis potentia fuit, ut ter mille armatos in hoſtem educeret. Tanta Nobilium frequentia, ut unà cum cæteris duodecim Equites Senatum obirent. Zäringenſium Ducum Bertholdus V. Friburgo ultimus dominabatur, qui tanti nominis, & authoritatis fuerat, ut & S. R. I. Vicarius exiſteret, & Anno 1199. inter duos de Pomo Imperiali litigantes, ac prætenſos Cæſares Ottonem Saxonicum, & Philippum Suevum tertius eligeretur Romanorum Imperator; quem ſupremum Imperii Magiſtratum accepta à Philippo ingenti pecuniæ ſummâ huic ceſſit: dignus quoque, quem Pont. Max. Innocentius III. Reſcripto in Decretales Gregorii IX. *Cap. Venerabilem de Election. & Elect. poteſt. 34.* relato ab hujus Philippi Suevi, tanquam anathemate feriti conſortio avocandum duxerit. Hunc melancholiæ morbo confectum obiiſſe tradunt Friburgi Anno 1218. una filiarum ſuperſtitum, nomine Agnes, Egoni barbato Comiti de Fürſtenberg nupta Friburgum cum Ditionibus ſponſo attulit; qui ad I.

Friburgenſes in officio continendos in monte proximo Caſtrum Burghalden Anno 1236. extruxit. Egon II. prædicti filius primus ſe Comitem de Friburgo ſcripſit. Sub horum Dominatu haud admodùm tranquillo perſtitit Friburgum uſque ad Annum 1368. poſtquam Civitas, & Comites iteratis, & acerrimis velitationibus, cruentísque bellis inter ſe digladiati fuiſſent, rerum pertæſus Egon IV. acceptis ab urbe viginti millibus Marcarum argenti Friburgum liberum à ſe, & ſuis ſucceſſoribus eſſe permiſit. Poſteaquam verò Civitas triſti experientia didicerat, quòd libertas ſua tantis diſſenſionibus anſam dediſſet; ne hæc eamdem in plura deinceps diſcrimina adduceret, optimo conſilio ſe in originariam (cùm Zäringenſes, & Habspurgici eamdem originem habuiſſe à nonnullis ſcribantur) Domus Habspurgo-Auſtriacæ poteſtatem, à qua urbs pretium redemptionis Fürſtenbergico penſum mutuò acceperat, ſub certis conditionibus tradidit; in qua etiamnum fideliſſimè perſeverat, multis argumentis fidelitatem ſuam teſtata; prout Friderico Auſtriacô cum pera vacua per Pontificem, & Imperatorem Anno 1416. proſcripto, ſuísque ditionibus exuto, initâ verò reconciliatione iisdem reddito, urbs Friburgenſis prima omnium ad fidem Auſtriacam reverſa eſt, ſuúmque Archi-Ducem ceu legitimum, amantiſſimúmque Dominum recepit. Subinde in variis hoſtium irruptionibus, & quondam cùm ſuburbia jam ab hoſte armata manu occupata eſſent, & muri tormentorum quaſſationibus disjecti planum in urbem ingreſſum præberent, Friburgenſes ſui internecionem funeſtæ deditioni poſthabentes maluerunt non vivere, quàm ſub alia, extra Auſtriacam, fide vivere, hæderæ inſtar huic Sereniſſimo Nomini ad hæreſcentes.

II. Albertus VI. Archi-Dux Auſtriæ circa annum 1460. Locum nobiliſſimo Athenæo, ſeu Univerſitate, multis privilegiis, & ſtipendiis dotatâ illuſtriorem reddidit, quam Julius II. P.M. 1463. confirmavit. In ea præter maximi nominis viros omnis litteraturâ clariſſimos Jurisprudentiam tradidit ille Juris Conſultorum Princeps Udalricus Zaſius, qui ſe ſtatutorum hujus Academiæ Authorem dicit *ad l. is cui. de V. O. & in commun. ff. quod cujusque unius. &c.* Friburgum porrò non tantùm multitudine Scholarium; ſed & excelſi Regiminis Anterior-Auſtriaci Enſisheimio huc translatione; trinúmque Brisgojæ, Eccleſiaſtici, Nobilitatis Equeſtris, & civitatum ſtatuum congreſſibus inclaruit.

Quamquam verò domibus Religioſis abundet Friburgum; nihilominùs tamen huic Capucinos quoque tanquam auxiliares, aliorúmque auctarias copias conducere, atque ſuſcipere adlibuit. Enimverò Helvetico-Sueva Capucinorum Provinciâ adhucdum in cunis vagiente Friburgenſes eorum Apoſtolicæ converſationis odore longè latéque per Germaniam diffuſo attracti illorum quoque viciniora conſortia affectare cæperunt. Quapropter jam Anno 1591. litteras ad Capitulum Altorffi celebratum dederunt; quibus Patres ad urbem ſuam invitare, & ibi ſecum habitare volituris omne ſubſidium, domicilium, ac ſubſiſtendi auxilium offerre dignati ſunt. Patres foro utendum rati non diu hæſitârunt, utrùm opportunam hanc occaſionem ordinem, & novellam Provinciam

latiùs

latiùs prolatandi amplecterentur, nec ne : quin potiùs in arena conſilium capeſſiverunt quosdam Patres ablegandi, qui & Friburgenſibus promptum eis gratificandi ſtudium renuntiarent ; & ſimul oculis locum uſurparent ; qui licèt Friburgi humaniſſimè fuerint ſalutati, & liberaliter habiti ; intervenientibus tamen binis obſtaculis infecta re, unde venerant, redière. Primùm erat, quòd Patres Itali, quibus plerisque Provinciæ Senatus, corpúsque conſtabat, vidéntes Provinciam ſat firmas jam egiſſe radices, ad ſua remeârint ; fratrum adeò numerum diſceſſu ſuo adeò diminuerint, ut vix tot Religioſi ſupereſſent, qui poſſidendis ſeptem locis (ecce totam Provinciæ tum Conventuum ſummam!) vix ſufficerent, nedum novis uſucapiendis. Alterum fuit, quòd Senatus Academicus ſiniſtrè admodùm tulerit, quòd Magiſtratus civilis ſe inconſulto, & privata Authoritate, quæ ipſi vi Privilegiorum minimè competeret, novam Religioſorum coloniam urbi ſuperinducere attentâſſet. Quo audito P. Provincialis ablegatos extemplò revocavit ; qui rursùm igitur recedentes pacis ſe nuntios, non diſcordiæ fomentum futuros adveniſſe aſſerebant.

III. Siluit exinde negotium juſto quadriennio ; quo effluxo Friburgenſes cum Magiſtratu Academico concordati, & priſtino propoſito inſiſtentes unitâ jam benevolentiâ, & conſilio Capucinos iterùm advocârunt. Poſtquam ergò Capucini reduces habita non tantùm Reverendiſſimi P. Hieronymi à Sorbo ceu Miniſtri Generalis facultate ; ſed & Eminentiſſimi & Reverendiſſimi DD. Andreæ Sittici Cardinalis & Epiſcopi Conſtant. conſenſu in locum, & fundum ſuburbanum à Prænobili Domino Matthæo Streit gratis collatum, cui futurum incumbat Monaſterium, condixerunt ; ubi & poſt comparata ex diverſis eleemoſynis materialia, aliáque præparamenta Anno 1599. fundamenta eruta, hísque à Reverendiſſimo D. Jacobo Mergelio ex Engen, Epiſcopo Sebaſteno, & Suffraganeo Conſtantienſi circa Anni 1600. primordia primus lapis feſtiviſſimâ benedictione munitus ſub immenſa plebis congratulantis multitudine immiſſus eſt.

Ædificium ipſum tanta celeritate proceſſit, ut eodem adhuc Anno ſub finem Septembris Eccleſia à præfato Reverendiſſimo D. Suffraganeo dedicata, conſecrata ; conducti verò operarii in vineam hanc novam locati fuerint ; qui contiguum hortum, & exiſtentem in eo domum paci religiosæ adverſam experti, utrumque in uſum ſuum comparârunt, pretio poſſeſſori per beneficorum eleemoſynas ſoluto. Provinciâ igitur recenti hoc Cænobio incrementata viros huic incolas dedit, qui non ſolùm inſigni Apoſtolandi zelo, & efficaciâ ; ſed etiam ſanctioris vitæ exemplis, atque miraculis gentem illam ædificârunt, atque ſibi devinxerunt.

IV. Poſtquam tribus ſupra triginta annis huic agro excolendo inſudâſſent Belli Suecici Brisgojam quoque involventis flamma triſte attulit interſtitium. Tametſi enim Rex Sueciæ Guſtavus Lizæ apud Lipſiam anno 1632. in acie occubuiſſet, hoc tamen nil morabatur acephalos jam Proteſtantes, quò minùs Heilbrunnæ ad nova ſacramenta coëuntes Cæſari

ſari feciales Clarigatum mitterent, aliquorum à fide deficientium acceſſu inſolentiores facti, in mortui gratiam auſuri, quæ vivo Rege, quem pro libertate ſua cecidiſſe credunt, nunquam feciſſent. Anno 1633. ad finem declinante Friburgum funeſta Suecorum ſigna circa mænia ſua volitare conſpexit, mox diriſſima obſidione petitum. Tanto furore res agebatur, ut acheronta omnes furias in urbis excidium emiſiſſe viderentur. Tanta econtra animoſitate cives hoſtium aggreſſus ſuſtinebant, & reprimere nitebantur, ut perforatos undique muros corporum ſuorum objectatione redintegraverint, ac paratum hoſti ingreſſum difficilem reddiderint. Verùm quòd vires diuturnitate laborum fractæ, & ſtragibus minutæ tantæ obſidentium multitudini deinceps reſiſtendo non eſſent, Octavo obſidionis ſuæ coacti, ac mæſti vitam ſuorum potius, quam ſuam deditione pacti ſunt. Nec eo tempore quisquam erat, qui non peſſimè Religioſis, præſertim Capucinis ominaretur. Contra tamen prorſus evenit. Nam hoſtis utcunque hæreticus, & Friburgenſium reſiſtentiâ irritatus vel ſolo Capucinorum aſpectu ferociam exutus, & converſatione manſuefactus non Male - ſed Benefactorem ſe illis exhibuit. Superveniente auctaria belli calamitate, peſtilentiâ plurimi, quibus hoſtilis gladius pepercit, ſublati ſunt, ut unius anni curſu Friburgum ſexies mille funera extulerit. Graſſantem luem evaſuri hoſtes urbem quidem deſeruerunt: at ſalubritate reddita inſequentis anni die 6. Aprilis redierunt, clauſum ſibi ingreſſum iteratâ vi reſerantes, omniáque ſtragibus opplentes deſtinatis morti omnibus Religioſis, quos Præſidio, & Civibus ad ſtrenuam defenſionem hortatores fuiſſe intellexerant. Proximus jam, & impunè obvius hoſti erat Capucinorum Conventus; in quem victores furibundè irruentes quatuor fratres ad fatum paratos ſtrictis exagitant gladiis. Sed protinùs Dei benignitate cicurati amicam exhibent frontem, abſconſísque armis pro ſanguine hauſtum vini rogant; quo eis porrecto in defenſionem Monaſterii illic perſtiterunt, donec poſt aliquas horas non à Capucinis ſollicitata; ſed cælitùs ordinata ſupervenerit ſalva Guardia.

V. Anno 1634. Wallenſteinio in perfidiæ ſuæ pœnam per Leslæum è vivis ſublato, & Ferdinando III. Suecum extremâ in Norico clade afficiente denuò Friburgum hoſte liberatur. Sed Anno 1638. Dux Winmarienſis cum adducto Gallorum auxilio urbi demùm ſeveriori Marte ſui deditionem extorquet. Anno 1644. Belli Dux Merſius cum valida bellatorum manu accurrens Friburgum Suecis eripere, ſuóque Domino vindicare conſtituit. In hoc rerum negotio Conventus noſter præſentiſſimum excidii diſcrimen ſubiit; cùm Officiales bellici hunc unà cum tribus aliis, & Monialium domiciliis demoliendum duxerint. Verùm ipſe Turrenius Gallus, & hæreticus Hugonotta, qui ſolvendæ obſidionis Merſianæ gratia advolaverat; ſicut & Dux Winmarienſis interpoſita Authoritate Monaſterium noſtrum ab interitu immune voluerant. Sed quod parcente hoſte evaſerat exterminium Conventus, jubente amico, & ſuadente belli ratione timendum fuerat. Merſius enim expugnata urbe Domino à Rauſchenberg ſupremo rei tormentariæ Magiſtro in mandatis dedit, ut

Cæno-

Cænobium Capucinorum, in quo gallicum præſidium latitare ſuſpicabatur, pyrobolis ignitis disjiciat. Durum amantiſſimo Capucinorum fautori imperium. Sed obtemperandum cùm eſſet, S. P. Franciſco priùs de genu veniam rogato; duos malleolos immittit; impunè tamen in medium porticûs delapſos. Mox præſidiarii aſſilientes hoſtem à mœnibus propulſant. Expeditioni interfuit Reverendiſſimus & Perilluſtris D. Hartmannus à Roggenbach Ordin. Teuton. Eques, & Commendator, qui Monaſterium hoſtibus vacuum ingreſſus ipſe in nuntium victoriæ Catholici exercitûs ſignum ſalutationis Angelicæ campanulâ noſtrâ tintinnavit, ingenti totius urbis gratulatione. Cives pace reddita in colle, quem frequentiores contra hoſtem victoriæ celebrem reddiderunt, in rei memoriam, acceptíque beneficii redhoſtimentum ſacellum aliquod in honorem B. V. M. ſuſcitare decreverunt. Placuit pium ſtudium omnibus, & plures ad conferendum ſubſidium animavit, Capucinis haud leviter rem promoventibus, ita ut venuſtiſſimum ibi ſacellum exurgeret, ſub nomine Monticuli B. V. M. à piis cultoribus copiosè per annum frequentari ſolitum; cujus ſpiritualis adminiſtratio Senatûs Friburgenſis Conſultô, confirmante Celſiſſimo, ac Reverendiſſimo DD. Ordinario Conſtantienſe ſub 12. Julii Anno 1657. Capucinis demandata eſt.

VI. Tranquillitas, qua fruebatur Friburgum, uſque adeò æterna non fuit, ut Anno 1677. Galliæ Rex Rheno per pontem navalem transmiſſo, & exercitu traducto totam Brisgoiam inundaverit. Facilè Friburgum ſibi divinaverat, primò omnium ſe impetendum fore. Hinc ſaltem cùm hoſte inducias poſt autumnum uſque porrigendas pacti ſunt Friburgenſes, quò ſecurè vindemiare poſſent, fatum deinceps exſpectaturi. Nec diu exſpectandum fuerat: nam infeſta Galliæ ſigna priùs Friburgum pulſaverant, quàm ipſe Gubernator advertiſſet. Diſcordantibus autem in urbe Commendante, Celſo Regimine Anterior-Auſtriaco, & Primoribus urbis defenſio minùs ſtrenuè acta fuit, ita ut in majorem Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi deſpectum quinto jam obſidionis die S. Leopoldo ſacro hoſtis in urbem victor intromiſſus ſit, ſtupente tota Germaniâ, & deteſtantibus ſegnem propugnationem cunctis rerum peritis. Celſo Regimine Waldishuttum, Academiâ Conſtantiam translatis, à Gallis loco firmiùs muniendo intentis mox ſuburbiis ſolo æquatis Capucini Conventu ſuo in munimentorum propagationem ſervituro excedere juſſi ſunt. Suppellectili igitur, & rebus convaſatis in domum, ut vocant, ſapientiæ à Magiſtratu ſuſcepti, & ibidem eventuum exſpectatione timidi officio ſuo utcunque incubuerunt. Protelata quidem deſtructione denuò Conventum ſuum repetiêre. Verùm Anno 1679. ipſis per Gallos Architectos regium emigrationis, & demolitionis mandatum indictum eſt, quod Capucinis denuò in priores ædes receptis inſequente anno executionem habuit. Interim Patres Capucini ipſi Regi Chriſtianiſſimo pro ſubſidio ad erectionem alterius Monaſterii ſupplicandum rati Domino Gubernatori Jacobo de la Grange ſupplicem libellum conſignârunt Regi dirigendum: tantúmque ex ſententia valuit conſilium, ut patrocinante dicto Gubernatore Rex duo millia ducentos quinquaginta flo- IIIV

renos monetæ imperialis, ad præfatum finem pendi conceſſerit. Majori ſtetit aream ædificio ſtruendo opportunam invenire. Erant ad clivum montis, ſeu Caſtri Burghalden ædes Illuſtri Domino Baroni de Prasperg propriæ, & huic intento commodiores ; ad eas tamen licèt in ruinam vergentes juſto etiam pretio vendendas adduci nullatenùs potuit. Poſtquam nihilominùs Illuſtriſſimus D. de Prasberg pluribus tum Capucinorum precibus, tum amicorum interceſſionibus vinci ſe paſſus, domum ſuam duobus millibus florenorum redimendam dimiſit. Quòd verò hæc domus tanti ſpatii non eſſet, quod capiendo Monaſterii ædificio ſufficeret, aliæ quoque ædes urgente Regis Galliæ mandato, & loci Gubernatore Chamillio præcipiente à Magiſtratu per mille ſexcentos, & viginti florenos comparari debuerunt ea lege, ut Provincia hanc ſummam ſuo tempore ærario publico refunderet. Hæc conditio licèt odioſa tamen eò magis adeunda fuerat, quòd Primores civitatis cauſam mandati Regii nonnullis Capucinorum ſubornationibus tribuentes amaro contra eos eſſe animo cæperint, non ſoluturi dictarum ædium pretium niſi aditâ præfati oneris lege ; quamquam ſuſpicionem ſuam dedocti æquiores exinde animos reſumpſerint. In eo igitur fundo taliter combinato, & ad ſtructuram imponendam complanato die 19. Octob. 1680. ex delegatione Celſiſſimi ac Reverendiſſimi DD. Franciſci Joannis primordialem ædificii lapidem in terram depoſuit Reverendiſſimus & Ampliſſimus DD. Paulus Abbas S. Petri in ſylva nigra Ord. S. Benedicti ; Reverendiſſimo D. Jacobo Julier SS. Theologiæ Doct. S. Script. Profeſſ. & Rectore Eccleſiæ Friburg. elegantiſſimo ad frequentem populum ſermone actum decorante.

VII. Exinde initium fabricæ datum, ſub qua ad proſperum ejus ſucceſſum, & arcenda quæcunque infortunia S. Antonium votivis quotidie precibus invocare inter Capucinos conventum eſt ; nec illæ fructu caruerunt. Cæmentarii namque cujusdam filiolus ſeptennis ad patrem ſuum ponendis ad tectum trabibus occupatum per molem aſſeribus inſtructam aſcendens ab extremitate muri in profundum, & ſubterraneum ſpecum delapſus, ſervante tamen S. Antonio nil læſus fuit, ſtupente tota urbe tragicum adeò lapſum non niſi miraculô impunem. Alia hujus ordinis contigerunt in Breviculo Chronici, ſeu Prædicam. *ſitûs* ſuo loco, & anno relata ; quibus Deus ſuam de hoc opere complacentiam manifeſtiſſimè teſtari voluit.

Tandem completo templi, & Conventûs ædificio Kalend. Octob. 1682. Capucini proceſſionem è domo ſapientiæ in Fanum Parochiale adornârunt ; inde ſub plurimo comitatu venerab. Cleri, Regii Gubernatoris Chamillii, & aliorum Officialium, nec non Illuſtris Senatûs Friburg. Monaſterio ſuo immigrârunt ; ubi Reverendiſſimus D. qui ſupra, Doctor Julier ſolennem Miſſam cantavit, & poſteà ad confertam plebis multitudinem doctiſſimè ſermocinatus eſt ; beneficentiſſimo Magiſtratu hunc Capucinorum incolatum ſplendidiſſimô Conviviô initiante.

VIII. Denique Friburgo per Pacis Risvvickenſis transactionem ad fidem Auſtriacam reverſo ; Celſo Regimine Anterior-Auſtriaco, & Academiâ in ſedes ſuas reſtitutis, cunctísque Gallo vacuis, & pacificatis die

12.

12. Maji. 1699. Eccleſia Capucinorum à Reverendiſſimo DD. Conrado Ferdinando Geiſt à Wildegg Epiſcopo Tricallenſi, & Suffraganeo Conſtantienſi ſolennitate plauſibili dedicata, & conſecrata eſt. De miraculoſa B. V. M. Icone huic Eccleſiæ illatâ, hiſtoriam dabit Breviculus Chronici ad annum 1695.

Anno 1710. Monaſterii hortum nonnihil ampliari, cellas pro hoſpitum commodo multiplicari, variáque ad Conventûs integritatem, quantum quidem ſpatii angultia permiſerat, reparari, aut de novo fieri opportuit, impellente lue in urbem graſſante, contagioſæ ſimili; à qua tamen nemo noſtrûm, licèt plurimis infectis, & abreptis altiterint, afflatus eſt.

Anno 1713. Friburgum ipſâ ſuâ elegantiâ antiquum Brisgojæ pro- IX.
cum, & Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ Maſtygem, Regem Galliæ, ad ſe depereundum allexit, cùm Gallicus Belli Dux de Villars 20. Septembr. cum exercitu centum ſexaginta millibus pugnatorum conſtante proſperum armorum ſuorum curſum Friburgi occupatione coronare conſtituerit. Neque verò ſua eum ſpes, propoſita, & conatus deſtituerunt; quamvis plurimo ei labore, ſudore, & ſanguine victoria conſtiterit. Urbis Gubernatore Harſchio urbem aliquamdiu fortiter propugnatam illicò deſerente, & cum Præſidio ſano, vulneratis, & ægrotantibus in urbe relictis, ad caſtrum ſe recipiente victor Gallus ingreſſus eſt, inhumaniùs in expugnatos, ſuóque arbitrio, & militari crudelitati permiſſos cives, & incolas graſſaturus, niſi ſaluberrimô Senatûs conſultô nonnemo Lodicem perticæ affixam in dedendæ urbis teſſeram hoſti decretoriæ impreſſioni accincto objectâſſet. Quænam eo in articulo Capucini devoranda habuerint, prædicamentum *paſſio* enarrabit.

Anno 1715. Capucini immenſis perfuncti calamitatibus expurgando Monaſterio, reconciliando templo, cunctísque in ordinem redigendis operam dederunt, opportunitatem hæc peragendi conferente Univerſali pace Badenſe; juxta cujus Articulos die 18. Jan. 1715. Gallis emigrandum, alaudis verò Auſtriacis Friburgi iteratò nidificandum fuerat; quæ etiamnùm ibidem locatæ, ſed fatis obnoxiæ inter ſacrum, & ſaxum hærent.

§. XII.

Monaſterium Haslacenſe.

HAslachium ipſum ſuæ originis ignarum urbs parva quidem; ſed I.
olim non injucunda in valle Kinzingana, ad fluminis Kinz alveum ſita; quod flumen à ratibus, quàm navibus ferendis famoſius ortum habet à ſaltibus Hercynianis; è quibus versùs Occidentem, poſtquam aliquas urbes alluiſſet, ex adverſo urbis Argentoratenſis in Rhenum præceps corruit.

Vallis hæc urbeculas Wolfachium, Hausachium, & Haslachium, nec non & pagos quosdam, villas, & prædia complectens Illuſtriſſimis

Landgraviis, nunc Sereniſſimis Principibus de Fürſtenberg-Stühlingen paret, copioſis ſegetibus, paſcuis, armentis, & largo venatu, quàm vinetis fæcundior, ſed viciniâ hæreticorum infelix. Ad caput enim dictæ vallis, & ſaltus Hercynii pedem urbs Schiltach ſubſidet; ex latere vallis Guttacenſis, & Hornberg, munitus regionis acceſſus; quæ loca ad dominium, & ritum Luthero-Wirthenbergicum ſpectant. Versùs Meridiem vallis Prechtiana circumſcribitur montibus, in qua Marchio Durlacenſis dominium cum Fürſtenbergio, & Lutherus cum Papa Religionem mixtam habet: Catholici autem vallenſes ex victu Lutheranorum in fide, hujúsque exercitiis tepeſcentes paulatim erroribus involvi cæperunt. Pericula ſubverſionis haud parum promovebant Acatholici illac frequenter transeuntes, cum regia per hanc vallem via itinerantes aut in Sueviam ſurſùm, aut in Brisgojam, & Alſatiam deorsùm transmittat, quorum Pſeudo-Apoſtolicis perſuaſionibus infeliciter quidam faſcinati in fide Catholica naufragaverunt, Paſtorum aut raritate, aut abſentiâ, aut invigilantiâ ea tempeſtate lupis gratam impunè in oves graſſandi opportunitatem præbente. Malo huic mederi dudum jam Illuſtriſſimi DD. Landgravii in animum induxerant: & quidem jam Anno 1612. Illuſtriſſimus D. Chriſtophorus Comes de Fürſtenberg, Heiligenberg, & Werdenberg, Landgravius in Baar, Dominus in Hauſen, vallis Kinzinganæ, in Lysna, & Trackau Regni Bohemiæ &c. in hunc finem ſacellum cum duobus Altaribus, & uno Sacellano Haslachii inſtituendum cenſuit; aſſignatis, & Domino Simoni Finck, ceu Æconomo commiſſis reditibus, aliquorum annorum ſpatio in ſui incrementum colligendis, usque dum fundationi hujusmodi ſufficerent.

II. Verùm rejecto hoc conſilio, tanquam rei minùs utili, ad aliud transiit: nimirùm erigendi pro tribus, aut quatuor Religioſis S. Franciſci Capucinis, Regulare quoddam Domicilium, fortè memor, quòd olim in eadem Ditione, & oppido ſuo Hausach idem S. Pater Seraphicus per RR. PP. Conventuales hoſpitatus: ſed malignitate temporum; præſertim Novatorum tumultibus inde ejectus fuerit, ut præter templum nil vel ruderum de exiſtente ibidem Religioſo Hoſpitio remanſerit, rerum ignoratione famæ Incolarum ſalubriter conſulente. Quin Illuſtriſſimus D. Comes & hôc mutatô animô integrum, juſtúmque dictis Patribus Capucinis, quorum amore, & veneratione jam aliunde captus erat, Cænobium ſtruere conſtituit. Tam pia volventem propoſita mors quidem ab executione impedivit: attamen quod Pater voluit, & non potuit, filius ſupplevit. Omninò tres filios minorennes moriens Germani ſui Illuſtriſſimi D. Comitis Uratislai tutelæ commiſit: quibus cum tempore adoleſcentibus, & paternas ditiones ex æquo dividentibus Friderico Rudolpho vallis Kinzinganæ Dominium obtigit; qui præter temporalia Spiritualem quoque piiſſimi D. Parentis in Capucinos affectum, & curam Religionis avitæ in Dominatu ſuo ſeu aſſerendæ, ſeu ſtabiliendæ, hæreſésque reptitias ſeu eliminandi, ſeu arcendi feliciter hæreditavit: quapropter, & ante omnia paterno Capucinos invehendi propoſito inſtitit: adeóque per frequentatas tum ad Reverendiſ-

ſimum

ſimum P. Generalem, tum ad Patres Provinciæ inſtantias eosdem Capucinos allicere, perſuadere, & quadatenùs rogare dignatus eſt, quatenùs juſto zelo ſuo, quo in Religionis Catholicæ integritatem, & propagationem flagrabat, cooperarentur, meſſémque hanc accederent, & pro Inſtituti ſui ratione in ſalutem plurium accurrerent. Nec ſolùm ipſe iteratò, & impenſiùs pro eadem re inſtitit: ſed & Domino Finck Æconomo ſuo ſeriò demandavit, ut nihil intentatum relinqueret; ſed omni modo, & tempore urgeret, quò tandem voti ſui compos evaderet: cui & aliquando in hunc ſtylum familiariùs ſcripſit: *malle ſe bono ad amiciendum induſio, quàm Capucinis carere; bonísque ſuis exui, quàm voluntatem parentis ſui non adimpleri.*

III. Tam ſanctæ Illuſtriſſimi D. Comitis intentioni, tot armis, quot precibus, & rationibus munitæ diutiùs refragari nec potuerunt, nec voluerunt Patres; cùm & ipſe Reverendiſſimus P. Jo. Maria à Noto Miniſter Generalis die 12. Aprilis Anno 1630. Capitulo Provinciali Conſtantiæ præſens, non ſolùm conſenſum, ſed quaſi imperium contulerit oblatum hunc locum acceptandi, & Illuſtriſſimo D. Oratori plenè gratificandi. Quamobrem per deputatos locus, & omnia explorari, & ſiquidem è re fore judicaretur, præparatoria ad realem poſſeſſionem ſumendam, fabricámque auſpicandam fieri juſſa ſunt. Die 11. Novembris 1630. RR. PP. Columbanus Rottenburgenſis Provincialis, Matthias Augienſis, & alii duo fabricatores aderant, & in aſſignato fundo crucem plantari, primúmque lapidem terræ immergi fecerunt; quam quidem functionem Reverendiſſimus & Ampliſſimus DD. Jacobus Abbas Gengenbacenſis Ord. S. Bened. à Celſiſſimo, & Reverendiſſimo DD. Ordinario Argentinenſi, in cujus Diœceſi Haslachium, & territorium Hausachium uſque, ſed excluſivè, principiante ibidem Conſtantienſi, ſitum eſt, deputatus non minùs lætantiſſimè, quàm devotiſſimè obivit, illacrymante præ gaudio Illuſtriſſimo D. Fundatore, & ſecundantibus Dominum ſubditis, plaudente cælo, orco fremente, & ringentibus huic deſtinatis. Ipſi primo lapidi incluſa fuit capſa ex ſtanno, in eáque charta pergamena, cui ipſe D. Fundator fundationis motiva inſcripſit, ſubſcribentibus viris Nobilibus DD. Simone Finck, Jo. Benedicto Finck, & Jacobo Gebele ejusdem Illuſtriſſimi D. Comitis Officialibus. Poſt hæc ædificium ipſum in Dei nomine incæptum, & ſtrenuè prolatum fuit tanto Authoris ſolatio, quanto ſuccurrendi ſtudio. Equidem hic omnes ſumptus ferendos in ſe ſuſceperit, applicitis tamen huc reditibus illis memorato ſacello deputatis, & interim uſurâ auctis: quo rei agendæ nervo ſuccolante brevi tempore ſtructura colophonem accepit, obligante ſe, & Poſteros hæredes Illuſtriſſimo D. Fundatore ad ſarta tecta ſervandum Monaſterium, ſubminiſtrandúmque incolis victui neceſſaria, quæ mendicatu obtineri non poterunt. Huic ergò domicilio juxta regularem formam fabrefato, extra Occidentalem urbis portam, atque ad amnem, qui hortum Capucinorum jucundo murmure pervolat; séque per cataractam in fluvium Kinz præcipitat, locato immiſſi Capucini exſpectatione majora, atque utiliora præſtare aggrediuntur.

IV. Vix autem ea colonia ſtabilem figere ſedem cæpit ; cùm ecce! vallis Kinzingana Belli Suecici inundatione denſiùs, quàm ulla alia germaniæ regio tantùm non ſubmergitur. Cùm nullo unquam tempore à milite nunc amico, nunc inimico, è Brisgoja, vel Alſatia in Sueviam ; aut hinc illac commeante ulla valli huic vacatio daretur ; quæ etiam cauſa fuit, ut conſecratio, & dedicatio Eccleſiæ Capucinorum ad 30. fermè annos differri debuerit. Erat tum videre miſeriam ; cùm vallenſes iſti à Prædonibus expilati, aut deteriorum metu fugâ dilapſi omnia ſua rapinis, furtis, & militum furori quaſi publicaverint. Quin & Imperialis Ligæ ſtipendiarii bulimiâ incitati Monaſterium Capucinorum Anno 1635. penitiſſimè diripuerunt, vix non à mortuis tributum, & à ſtatuis farinas exigentes. Fuerunt autem Capucini multimodo Regioni ſolatio, modeſtiâ, humanitate, patientiâ, & charitate militum furorem detriumphantes, incolas fugæ intentos, ut laribus ſuis inhæreant, perſuadentes, & ſalvæ Guardiæ vice eos, & eorum domus tutantes, urbes, pagos, & villas à combuſtione ſervantes. Cùm plurimi ea tempeſtate turbulentiſſimâ etiam betylum devoraturi fame prope enecarentur, Capucini de penu ſuo cælitùs benedicto ſuccidua per inediam pauperum corpora fovebant, egenos, & diſperſos hoſpitabant, famelicis alimenta præbebant, & fugatos à vulturum perſecutionibus quaſi in aſylum ſuſcipiebant : qua proximi charitativâ miſeratione vel ipſi etiam Imperii, & Religionis truculenti hoſtes miteſcere, ingenti ad Capucinos veneratione, & reſpectu affici, cum iis humaniùs converſari, familiariùs conveſcere, ipſorum triclinia Benefactores, templa Oratores, & verbi Dei auſcultatores accedere viſi ſunt : imò ſi quos habebant Catholicos milites, hos ad Capucinos catechizandos, SS. Sacramentis providendos, & à vitiis dehortandos ſubmiſerunt, atque ad curandos moriturientes vel ipſi Capucinos operarios evocaverunt. Quid verò hi in omni occaſione egerint, & perpeſſi fuerint, in prædicamenta *actionis*, & *paſſionis* ſervantur recenſenda.

V. Ea fortunæ alternatio, & acerborum dulciúmque mixtura ab Anno 1632. uſque ad 1649. toleranda fuerat ; dum nempè pax univerſalis malorum concatenatorum finem, & bonorum ſpem attuliſſet. Anno 1655. Illuſtriſſimus D. Comes Fundator diem ſupremum obiit, æterna religioſæ munificentiæ præmia conſecutus. Funus ex Datschiz, obitûs loco in Moravia Haslachium uſque deductum, & in Capucinorum templo tumulatum fuit ; cui in marmore parieti Eccleſiæ infixo ſequens Epitaphium poſitum eſt :

D. O. Max.

Friderico Rudolpho Comiti à Fürſtenberg, Landgravio in Baar, & Stüeblingæ, Domino in Hohenbevven, & Hauſen Vallis Kinzinganæ &c. &c. S. Cæſ. Maj. à Conſilio Imperiali, & Aulico, hujus Monaſterii, & Templi Fundatori,

Qui

Cùm in mundi hujus theatro parem ſe magnis negotiis excelso animô probâſſet,

Tandem in rerum humanarum transactione multum miſeriarum comperiſſet,

Mili-

Militiæ, & aulæ emeritus
Hanc Cryptam ſibi, & Poſteris
(nec enim ipſis meliora parantur)
extrui mandavit.
Tu bone Lector!
Bene,
Et è morte vitam precare.
Obiit Datſchizii in Moravia 26. Octob. 1655.
Vixit Annos 53. Menſ. 6. Dies 5.

Conjux illi fuerat Illuſtriſſima Domina Maria Magdalena Comitiſſa de Hanau Lutheranæ hæreſis lacte enutrita, & Rhingravio à Cæſaris Sacramento ad Suecum transfugæ nupta. Poſtquam altefatus Fundator huic in certamine mortem, promeritam deſertoris mercedem attuliſſet, vidua in victoris thalamum maritali fœdere adoptata hæresin mox ejuravit, & hæreticæ vitæ damna ſanctioris vitæ operibus compenſavit, impenſiſſima Capucinorum, ut maritum ex aſſe æmularetur, Benefactrix, quos & in Conſcientiæ, vitæque ſanctæ arbitros habuit, cujus potiſſimum operâ ſacellum B. V. M. Laurethanæ, Templo noſtro contiguum extructum, & ſic conquadratum fuit, ut ex ſacriſtia tranſitus ad illud pateat, curæ Capucinorum commiſſum. Wolfachii demùm piiſſimè obiit præclarum virtutis elogium merita.

Anno 1661. die 7. Septembris tanto tempore per continuas bellorum injurias impedita, tot votis exoptata tótque ſuſpiriis deſiderata Eccleſiæ Haslacenſis Capucinorum Miniſterio Reverendiſſimi & Perilluſtris DD. Gabrielis Epiſcopi Tripolitani, & Suffraganei Argentinenſis ſolenniſſimè peracta eſt Conſecratio, & Dedicatio: inſequente die 8. Septembris idem Reverendiſſimus præfato ſacello Laurethano Epiſcopalem pariter inaugurationem impertivit. VI.

Illuſtriſſimus DD. Maximilianus Franciſcus Landgravius de Fürſtenberg &c. &c. Friderici Rudolphi p. m. in nullo degener hæres paterno tramiti inſiſtens gratioſiſſimus Capucinorum amator præter alia beneficia & illud Conventui Haslachenſi præſtitit, ut inſtructiſſima Bibliotheca Admodùm Reverendi D. Joannis Ramſteiner, Capit. Rur. Archi-Presbyteri &c. in quam altefatus Excellentiſſimus D. Comes, neſcio, quid juris prætendebat, per contractum venditionis Eccleſiæ ibidem Parochiali attributa; ſed in Monaſterium noſtrum ad uſum Capucinorum ſub certis quibusdam conditionibus, & cautelis locaretur, remanente quidem penès prædictam Eccleſiam Parochialem jure in hanc librariam minimè Capucinorum libris immiſcendam; ita tamen, ut Capucini ad aliquorum uſu detritorum, aut furto ablatorum, aut alia via citra culpam Capucinorum deperditorum reſtaurationem, vel compenſationem non ſint adſtringendi.

Porrò urbs Haslacenſis Anno 1676. flagrante tum bello gallico VII.
tri ſtiſſimum fatum ſubire debuit, cùm, quod gravius ab amico vulnus, ab ipſis Cæſareanis inimicè obruta, Domus omnes cum ipſis manipulis, quod proverbio ajunt, & pulviſculo poſtremo expilatæ, & Eccleſia

Parochialis ſacrâ ſuppellectili, ornatu, calicibus, &c. ſacrilegiſſimè ſpoliata fuerit, SS. Euchariſtiæ Oſtenſorio, & aliis quibusdam per Capucinos vix ægrè Harpyarum deprædationi ſubtractis. Impiiſſima hæc expeditio, odio, invidiæ, ac æmulationi, quâ Lavernionum Caput in Illuſtriſſimum Dominum Landgravium, nullo ſanè odio, nullâque invidia, ſed à maximis animi, & naturæ dotibus, ſcibilium omnium notitiâ, rerum aulicarum, & militarium experientia, optimâque in Cæſarem fide amore, laude, & commendatione digniſſimum flagrâſſe dicitur, data fuit.

Calamitoſior eidem urbi annus 1704. extitit. Profligato in agris Hôchſtadianis exercitu Gallo-Bavarico, Dux Bavariæ, & Comes de Marcin præcipitatâ per vallem Kinzinganam fugâ acceptam ſtragem ulturi urbem Haslacenſem incendi juſſerunt. Mandato igitur obtemperantes incendiarii pridie Calendas Septembris noctu ædibus quibusdam flammas injecerunt, quæ vento propagatæ tantam ediderunt conflagrationem, ut paucis ædiculis, & Eccleſia Parochiali ab interitu ſervatis tota urbs in lugendos cineres deſederit, miſerante ipſo hoſte duriſſimam civium ſortem; ſpectator enim adfuerat Dux Villeroyus; qui à lacrymis temperare non valens in ea compaſſionis teſtimonia prorupiſſe fertur, ut diceret: mallem omnium bonorum meorum, quàm hominum innocentium tam grave inſortunium ſpectaſſe. Sic infelices in malorum anteà toleratorum cumulum extremum omnium, habitationum ſuarum exitium paſſi fuerunt; in quorum aliquale, licèt tenue ſolatium ſaltem Conventus Capucinorum à flammis vix ægrè indemniſatum permanſit.

§. XIII.

Monaſterium Immenſtadienſe.

1. Quemadmodùm Allgovia, ſeu Allmanngovia, ſive meliùs juxta Münſterum ab alpium frequentia Alpgovia per plures dispuncta valles inter Provincias Sueviæ computatur; ita & ſingulari, proprióque Dynaſtâ, & Domino gloriatur, qui inter antiquiſſimas Sueviæ familias, & nunc S. R. I. Comites refertur. In dictarum vallium una, ad montis cujusdam radices, cujus vertex cælo proximare videtur, accubat Immenſtadium urbecula, ſeu pagus primarius, nullo certo Conditore celebris, aut notus, ſed, ut conjectura eſt, hominum antehac diſperſim habitantium, & ſocietatem poſteà amantium induſtriâ paulatim coalitus, atque à primævo propter apium multitudinem, Immendorff appellatus, donec Illuſtriſſimi Comitis Hugonis de Königsegg operâ in urbis formam redactus Imenſtadii nomenclaturam acceperit; nunc Comitatûs Königs-Eggenſis Rottenfels quaſi metropolis, & Reſidentia, quæ adhuc in Epiſcopatu Conſtantienſi exiſtens ab Oriente Ditionem Rötenbergenſem Celſiſſimo, ac Reverendiſſimo DD. Epiſcopo Auguſtano ſubjectam reſpicit; à Meridie, & Occaſu terras Auſtriaco-Brigantinas ſpectat; Aquilonem versùs Reverendiſſimum, & Illuſtriſſimum Aſceterium Campidunenſe

dunenſe Ord. S. Benedicti circa Ann. 772. à ſanctiſſima Regina Hildegarde, Caroli Magni Conjuge ex voto fundatum, & liberaliſſimè dotatum; nec non urbem ejusdem nominis, olim præfato Monaſterio propriiſſimam, ſed Anno 1525. favore deformatæ Religionis ſui juris, & civitatem Imperialem factam, atque adeò religione, & poſſeſſione politicâ ab avito Domino ſuo alienatam habet. Quamquam ea regio pecorum armentis, alpibus, omnigenísque, ſi vini culturam excipias, terræ fructibus, lintearîâ mercaturâ, inſolatorio, equorum pullitie; hinc & Equitiariis, qui generoſiores ſonipetes in omnem abducunt terram, celebretur; attamen vel maximè ab Illuſtriſſimis ejusdem Dominis, Comitibus, inquam, de Kônigs-Egg Rottenfels inclaruit, quorum originem Spennerus ad Cunonem quemdam refert, qui ex priſcis Allemanniæ, & Alſatiæ Ducum Guelforum Palatinis ortus duobus circiter ab Altſtorffio milliaribus ſedem fixerit, Caſtrúmque à ſe circa Ann. 650. extructum de ſuo nomine Königseck, ſive Chunoniseck appellaverit. In deductione Poſterorum hujus gentis juſtus, & continuus graduum ordo non habetur: Hiſtorici itaque Genealogiam docti facto ſaltu ad Annum 1287. Udalricum V. Comitem de Königs-Eck hodierni ſtemmatis quaſi Genearcham conſtituunt. Anno 1398. Waltherus de Königseck Præfectura Sueviæ illuſtris extitit. Luitpoldus Anno 1418. eximium à militia nomen conſecutus eſt. Circa Annum 1440. Marquardus de Königseck ſupremum ordinis Teutonici Magiſterium in Boruſſia geſſiſſe fertur. Anno 1550. Joannes Marquardus ſub encomio eruditiſſimi, & Enſishemiæ Cameræ Præfecti commendatur. Anno 1567. Joan. Jacobus de Königseck Dominia Rottenfels, & Stauffæ à Montfortiis empta ditioni ſuæ Immenſtadienſi adjecit. Hodie in duas partita eſt lineas, Rottenfelsenſem, & Aulendorffenſem; Hugone illius; Joanne Georgio hujus propagatore. Ab hac autem Illuſtriſſima ſtirpe ſicut antiquitus, ita & hodie germinati ſunt viri ad omnia ſumma capaciſſimi, Toga, & Sago clariſſimi, à judicii maturitate, humana divináque litteratura, rerum politicarum, & militarium peritia, Officiis, & Legationibus primi Ordinis, geſtísque provinciis maximè momenti de Eccleſia, Cæſare, & Imperio nunquam non optimè meriti, celeberrimíque; quorum aliqui, ut Reverendiſſimus, & Illuſtriſſimus DD. Jo. Jacobus Comes de Königseck Metropol. & Cathedral. Eccleſiarum Colonienſ. Salisburgenſ. & Auguſtanæ Canonicus, Senior, & Decanus libris etiam utiliſſimis, præſertim Promptuario ſacro Biblico, multa arte elaborato, & typis vulgato, de Republica Catholica mereri ſategit.

II. Quod verò ſummam hujusce proſapiæ gloriam, nominísque immortalitatem conſtituit, eſt intemerata ejusdem in Deum, Religionem, & Cæſarem, ac Sereniſſimam Domum Auſtriacam fides, nulla unquam hæreſis maculâ, aut ſuſpicione offuſcata; nullo auri, vel privati commodi toxico corrupta; quæ quidem notiora ſunt, quàm ut noſtrô primùm calamô pangendis de condigno præconiis aliàs impari innoteſcant. Quæ ad ſtudium avitæ Religionis pertinent, horum luculentiſſimum ſpecimen præbuit Illuſtriſſimus D. Hugo Comes à Königseck &c. Is enim corde re-

recogitans, quòd ob ſacerdotum, & animarum paſtorum infrequentiam homines illi per valles, montes, & ſolitudines diſperſim habitantes non ſolùm exigua rerum dogmaticarum, ſpiritualium, & ad ſalutem pertinentium notitia imbuti eſſent, & imbuerentur; ſed timendum quoque ſit, ne ab infeſta Campiduni, Memmingæ, Leutkirchii vicinia emiſſarii ſeductores animis illis ſanâ doctrinâ vacuis Lutheranæ ſectæ venenum inſtillarent. Periculum, timorémque auxit Sueci in illis terris graſſatrix præſentia; qui ſuſcepto hæreſum patrocinio præmium in eos ſtatuiſſe videbatur, qui ſpurio inflammati zelo, & pſeudo-Apoſtolationi incumbentes perverſa Lutheri dogmata abditiſſimis quibusque angulis inferre ſatagerent. Hæc, inquam, animadvertens Illuſtriſſimus D. Comes Hugo, tantisque malis anteverſurus religioſiſſimo conſilio ad Capucinos in ditionem ſuam inducendos moveri ſe paſſus eſt. Eapropter deſiderii ſui porrò celandi impatiens, illud per litteras de dato Immenſtadii 22. Auguſti 1645. non minùs familiari ſtylo, quàm efficacium argumentorum apparatu contextas R. P. Matthiæ Augienſi Ex-Provinciali tum Guardiano Conſtantiæ manifeſtavit, húncque ſimul ceu negotii geſtorem exoravit.

III. In Capitulo Lucernæ Anno 1646. celebrato vota Illuſtriſſimi D. Comitis publicè expoſita fuerunt; quæ cùm legitimis rationibus nixa, & ſincerum animarum ſtudium præferentia viderentur, reſpectâ inſuper maximâ viri hujus authoritate; erat enim Conſiliarius Aulico-Imperialis, tantum profuerunt, ut locus acceptaretur à noſtris habitandus, miſsô illuc P. Albino Brixinenſi cum obedientia qualecunque interim domicilium figendi, húicque, & ejus incolis ſubſecuturis præſidendi; ſed neque iſthæc loci uſucapio, nec conceptum inde Excellentiſſimi D. Comitis gaudium diuturnum fuit. Equidem Reverendiſſimo Patre Innocentio Calatagyrone Miniſtro Generali Provinciam ingreſſo, & imperante eodem adhuc anno Capitulum Solodori frequentari contigit. Cùmque in eo quidam fratres indiſcreto, ne dicam, imprudenti zelo abrepti vehementiùs contra acceptationem loci Immenſtadienſis perorâſſent, nimiámque aëris aſperitatem, intolerabilem frigoris rigorem, & nonnulla alia, ob quæ regulari obſervantiæ minùs conſultum foret, exaggerâſſent, P. Generalis, ut pro ſua vitæ ſanctitate, & prodigiis, & miraculis comprobata vel minimo paupertatis peſſumituræ periculo commovebatur, decretum de loco Immenſtadienſi omninò, & penitùs deſerendo emanavit. Patres Provinciæ hoc decreto triſtes nolentes volentes ad ejus paritionem fratres Immenſtadiô avocârunt, quod præprimis Illuſtriſſimus D. Comes iniquiſſimè tulit, atque ne hoc executioni mandaretur, omnibus nervis contra niſus eſt, ingens profectûs ſpiritualis diſpendium ſibi, & ſubditis emerſurum; atque ceſſaturum multarum animarum lucrum, quod viris Religioſis ſummo cordi eſſe deberet; quin & haud exiguum dedecus nomini, & familiæ ſuæ exoriturum juſtiſſimâ querulatione cauſatus. Econtra Patres jam ipſimet validiſſimis, quas D. Comes adduxerat, rationibus convicti, & impoſſibilitate eis deferendi ægerrimè conſtricti manlianum P. Generalis imperium, cui mos gerendus eſſet,

ob-

obtendebant. Dura utrinque res, & difficillimæ expeditionis eſſe videbatur. Tandem & D. Comes & Patres eò condixerunt, ut P. Generalem ad reſcindendum decretum ſupplicibus litteris flectere conaturi eſſent. Quamquam verò utraque pars id eximiè ſe præſtitiſſe crederet; nihilominùs virum ſententiæ ſuæ preſſiùs inhærentem; atque adeò inexorabilem invenerunt. Illuſtriſſimo D. Comiti in reſponſis dedit, ſe ſalvâ & integrâ conſcientiâ ſuâ non poſſe abrogare reſolutionem ſuam circa deſerendum locum Immenſtadienſem maturâ deliberatione conceptam: Patribus verò acerbiùs imminuit, atque præpoſterum Magnatibus, & populis diſplicendi metum exprobravit, quo ſe flexanimos ad loca acceptanda licèt citrà Regulæ læſionem non habitabilia exhiberent. E Sancto quidem, haud tamen rationabili zelo hæc contradictio profecta eſt, cùm P. Generalis ſiniſtra, & hyperbolicâ informatione præoccupatus, atque perſuaſus fuerit, loci Immenſtadienſis occupationem Regulari obſervantiæ directiſſimè, & ſemper adverſaturam fore: quod tamen univerſaliter, & pro omni futuro tempore timendum, verúmque non fuerat; ſecùs enim alii Religioſiſſimi, ſapientiſſimíque Provinciæ Patres Illuſtriſſimo Domino Comiti minimè gratificari ſtuduiſſent.

IV. Interim eodem tempore Suecus exercitum in Allgojam quoque produxit, à quo furibundo hoſpite lacunam ex alieno compenſaturo Immenſtadium penitiſſimè expilatum eſt. Jejunæ aviditatis Prædones, ceu Tarteſſiæ feles nec pauperi Capucinorum tugurio pepercerunt; ſed direptis victualibus, ſuppellectili, ſtragulis, verbo, omnibus, quæ ad victum, & amictum eo rigidiſſimo hyemis tempore, & climate ſummè fuerant neceſſaria duos Fratres ibidem ſuperſtites ad Hecalæ indigentiam, famémque ſaguntinam; & hinc tandem ad finalem Immenſtadiô emigrationem compulerunt; quod equidem piiſſimum D. Comitem extremo mærore affecerat. Ideò quia Capucinorum è Ditione ſua exodum impedire non poterat; mox tamen pro horum illuc reverſione ſollicitare incæpit, & inſtantias bis, ter, & ampliùs irritas toties ſemper reſtauravit, ut ſtuperent Patres tanti viri humilitatem, manſuetiſſimum ingenium, & propenſionis in Capucinos conſtantiam, à qua nullis precum ſuarum repulſis; nulla votorum ſuorum fruſtratione dimoveri, aut in transverſum agi ſe paſſus eſt, cùm tamen alii nonnulli Capucinorum abnutu offenſi, húncque ceu contemptum interpretati animô in averſionem compoſitô ingratiis vindicaverint: Econtra Excellentiſſimus D. Hugo Comes propoſiti ſui tenax Anno 1649. non obſtante paulò ante receptâ negativâ denuò Patribus Badæ in Ergoja capitulariter conſedentibus per ſupplices litteras ſe præſentem ſtitit; ut ſanè Patres tam religioſiſſima inſtantiarum importunitate non tantùm obſtupefacti, ſed rubore ſuffuſi unanimiter judicarent tanti viri preces citra palmaris inurbanitatis, & ingratitudinis notam, quin & conſcientiæ remorſum haud poſſe, nec debere deinceps irritas eſſe: quapropter reſcriptum, ipſéque rogatus fuit, ut ad proximum usque Generale Capitulum patientiam habere dignaretur; utpote in quo novus P. Generalis unitis Patrum precibus, conglobatis rationibus, novís-

que informationibus obruendus certiſſimè in vota Illuſtriſſimæ Excellentiæ ſuæ condeſcenſurus eſſet. Effectus ſpei, & promiſſis reſpondit. Nam perorantibus coram Definitorio Generali Patribus, authoritatem, deſideria, & ſtudia Excellentiſſimi D. Comitis pro merito deprædicantibus, atque opportunitatem, & utilitatem Domicilii in ea Regione impunè, & absque regularis diſciplinæ diſpendio figendi; incommoda verò ex ejus obſtinata recuſatione inevitabiliter exoritura ennumerantibus Reverendiſſimus P. Fortunatus à Cadoro electus Miniſter Generalis declaravit Anteceſſoris ſui Decretum, ex rerum ſtatûs, & circumſtantiarum melioratione robur, & valorem ſuum amiſiſſe; adeóque locum Immenſtadienſem acceptari, & Illuſtriſſimo D. Comiti deferri poſſe, ac debere.

V. Illuſtriſſimus D. Comes, quaſi Apollo ipſi ceciniſſet, ita nuntio hoc lætificatus, & Patribus Româ reverſis, publica inſtituit hilaria. Capiendo Romanæ reſolutionis experimento intentus ad Capitulum Conſtantiæ conſcriptum Anno 1650. inſtantias pro fabricæ actualis auſpicio direxit; cui favorabilis reſponſi locò R. P. Ambroſius Altheimenſis, tanquam deputatus Immenſtadii Superior ſubmiſſus eſt. Quòd verò modò fatus Pater cum ſibi adjunctis toto biennio ibi ſubſtiterit, quin ad Crucis plantationem, aut aliud prehenſæ poſſeſſionis Symbolum progrederetur, id Excellentiſſimo Domino ſuſpicionem movit, acſi Capucinis animus non eſſet in eodem loco perennandi; quapropter ad periclitandum veram Crucis erectionem, areæ deſignationem, & fabricæ initiamentum urgere conſtituit. Quo per litteras præſtito Patres illicò omnem abrumpi moram, & pro reverentia tanti Oratoris omnia fieri juſſerunt, quæ ad ædificandum Hoſpitium prærequirebantur. Igitur fundus ſeligitur, qui cùm ædibus, ſed propè inhabitatis conſitus eſſet, his per D. Comitem, aliósque Benefactores pretio redemptis, & abolitis, complanatur, fundamenta eruuntur, & principalis ſtructuræ lapis die 28. Maji 1652. in terram demergitur, quæ feſtiviſſimè non absque ingenti populorum confluxu, & indicibili D. Comitis, totiúsque Illuſtriſſimæ Familiæ ſolatio peracta: atque exinde manus auſpicandæ fabricæ admotæ ſunt.

VI. Verùm ab opere vix incæpto iterùm erat feriandum, Reverendiſſimo P. Generale per decretum prohibente duas ſimul fabricas in una Provincia, & eodem tempore ſuſcipi. Cùm D. Comes haud inaniter divinâſſet, funeſtam interſtitii ſortem in fabricam Immenſtadienſem caſuram eſſe, novum hoc fervoris ſui repagulum non ferendum, ſed tranſiliendum ratus mox P. Provinciali ſub die 20. Decembris 1652. remonſtravit, moram imperandam materialibus pro ſtructura jam collatis, ipſíque negotio nocivam, ſtudiúmque ſubditorum, quo jam in opus arderent, refrigerandúmque fore. Valuêre adducta rationum momenta, quapropter P. Provincialis laudato D. Comitis zelo fabricam aſſumendi, & ſtrenuè eam proferendi præter plenam facultatem hortatum quoque præbuit. Igitur ædificium Anno 1653. incæptum ſecundante cælo Anno 1655. optatiſſimum Colophonem adeptum, & Eccleſia die 21. Oct. ejusdem

ejusdem anni à Celſiſſimo ac Reverendiſſimo DD. Franciſco Joanne Epiſcopo Conſtantienſi ſolenniſſimè dedicata, & conſecrata fuit.

VII. Quanta id Excellentiſſimi D. Comitis lætitiâ ſucceſſerit, id ex eo liquidum eſt, quòd præter innumera tædia ipſi ex obſtaculis, & Capucinorum repulſis generata, patienter nihilominùs ſuperata pondus inſumptarum hoc opificio expenſarum fermè ſolus, & hilariſſimè tulerit; cujus prima pientiſſima Conjux Carolina Ludovica Comitiſſa de Königseck, nata de Sulz quatuor millia: reliquos bis mille, ſexcentos florenos Excellentiſſimus D. Comes, & nonnulli alii Benefactores contulerunt. Cùm ergò Capucini poſt tot ſuperatas difficultates Aſceterii hujus incolatum conſecuti eſſent, eò totis viribus allaborare contenderunt, quò Illuſtriſſimorum DD. Fundatorum profuſam liberalitatem, & affectûs magnitudinem bonorum exemplorum, doctrinæ, & precum diligentia redhoſtirent, atque compenſarent. Sanè Illuſtriſſimus D. Hugo Comes de Königseck, fundator noſter gratioſiſſimus tantâ erga pauperes hoſce Religioſos Evergeſiâ flagravit, & quodammodo captus fuit, ut, quaſi huic explendæ vita ſua non ſuffeciſſet, mortuus hanc proſecuturus ejusdem ſtudium Poſteris ſuis cum generoſa, heroica, omniúmque altiſſimorum ſcibilium capaciſſima indole hæreditariò quaſi indidiſſe videatur. Ita enim beneficentiſſimè in Capucinos patrizavit genitus ex eo filius Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus DD. Leopoldus Willhelmus Comes de Königseck &c. &c. Eques Aurei Velleris S. C. Maj. à conſiliis ſecretioribus, & S. R. I. Vice-Cancellarius. Sic Illuſtriſſimi Reverendiſſimi, & Excellentiſſimi hujus Filii, & Nepotes, hodie ſuperſtites, paternæ, & avitæ beneficentiæ in Capucinos imitatores tantum de Religione, Provincia, & Conventu noſtro Immenſtadienſi benè mereri ſategerunt, & ſatagunt, ut in hoc felicitatis ſuæ fundum conſtituiſſe credantur. Faxit Deus!

§. XIV.

Monaſterium Lauffenburgenſe.

I. LAuffenburgum, ſive, ut alii nuncupant, Lauffenberga à Rheni curſu, & faſtigiato intra urbem monte ita forſan nominari cæpta, urbs in majorem, & minorem partita; ſed per pontem Rheno ſuperſtructum invicem connexa; parte illa trans Rhenum in finibus Rauracorum ad Epiſcopatum Baſileenſem: cis Rhenum verò, & à latere ſylvæ Nigræ ad Conſtantienſem pertinet, ſacello in medio pontis in utriusque Diœceſis collimitium ſtante: in regimine politico unum Magiſtratum utraque urbs habet. Rhenus ibidem paulò infra pontem inter horridas rupes depreſſus terribili ſtridore, & ſuſurramento præceps deducit, & undique ſaxeis parietibus coarctatus, ubique illidens vel ipſa Charybdi, ſcilláque vorticoſiorem ſe, & turbatiorem exhibet. Hinc nulla oneratarum navium hanc cataractam ingredi audet; ſed ſupra pontem appellens exoneratur; inde merces curribus transferuntur ad portum; qui aliquot infra urbem teli jactibus exſtat; ubi Rhenus è rupibus eluctatus,

tus, mitiórque factus dorſum ratibus ſubiiciens eas deorsùm vehit. Naves autem vacuæ immani labore, nec minori diſcrimine reſtibus groſſis alligatæ, dirigentibus eas viris rerum peritis, atque ad hoc conductis, per catarractam dimittuntur; quas tamen, dum nautæ illas per fluitantem continere nequeunt, ipſimet in proximam quamque rupem (quod vel ſpectantibus horrorem incutit) exilientes fortunæ committunt; quarum aliquæ in ſcopulos alliſæ in mille fruſta diffringuntur, nautis ad harum indemniſationem nil obligatis; ſed naulum ſuum recipientibus æquè, ac ſi naves integræ, & impunes ex irritati Boſphori gurgite ad portum emerſiſſent, quæ ſors pluribus obtingere ſolet. Ea mercium transvectura magnam urbi commoditatem, & quæſtum affert, recuſantibus eapropter civibus Batavorum operam, quâ illi ſe ad hanc catarractam ingenio, arte, & rupium diſſectione domandam, planúmque, & ſecurum navibus tranſitum reddendum offerebant. Nil minùs quæſtuoſa eſt Sulmonum captura, cujus Lauffenburgenſibus antiquum, prolixúmque jus eſt.

II. Eſt autem urbs Lauffenburgenſis omninò vetuſtiſſima olim Huitholdi Repenspergæ Baronis, ſive ut habet Gerardus de Rhoo, Godefridi Baronis de Stauffen dominio addicta. Hujus filiam Gertrudin cùm Rudolphus taciturnus Comes de Habspurg matrimonio ſibi junxiſſet, per eam Lauffenburgô dotatus eſt. His circa annum 1190. geſtis ea civitas, per ſucceſſores Comites Habspurgicos, & conſequenter ad Sereniſſimam Domum Auſtriacam ſub feudi nomine devoluta fuit; utpote tempore Friderici Barbaroſſæ Rom. Imp. Albertus Habspurgicus à Seggingenſi Abbatiſſa, ceu directa Lauffenburgi Domina, hujus inveſtituram acceperit: enim verò prædictæ urbis dominium jam à primævo, S. Fridolini, & Clodovæi Regis Francorum tempore à Comite quodam S. Fridolino, & ſtructo à ſe Cænobio, ſeu Parthenoni Seggingano donatum; & per conſequens jam à præfato Godefrido de Stauffen ſub feudi per Abbatiſſam collati qualitate poſſeſſum fuerit. Caſtrum in eo eminet, quod olim Habspurgicis; poſteà Præfectis Provincialibus ſedem, & ſecuritatem præbuit; hodie dirutum, & opportunum lemuribus, veſpertilionibus, & ululis habitaculum. Quondam Lauffenburgum jure monetandi, aliísque privilegiis, opulentiâ, & authoritate præſtitit, uſtrinis quoque æraríis, Charthariis, & aliis quæſtuoſis officinis maximos proventus eidem conferentibus; à quibus recenſendis conſultò ſuperſedemus, ne antiquæ fortunæ commemoratione præſentis tenuitatem taxare videamur. Interim nullæ temporum revolutiones, nullæ bellorum iniquitates abolere potuerunt amæniſſimum Urbis ſitum, regionis fertilitatem, fideíque in Auſtriadûm Sereniſſimam Domum conſtantiam, in qua, licet aliquoties ab exteris ad defectionem ſollicitatum, ac præſertim Anno 1404. à Bernatibus, & Solodoranis bello impetitum, ac duodecim continuos dies arctiſſima obſidione coangustatum fuerit: tempore Concilii Conſtantienſis ſacramenti obligatione erga Fridericum Auſtriacum à Sigismundo Imperatore exemptum; tamen intra prima unum in ejusdem Sereniſſimæ Domûs gremium concupiſcens rediit. Pro Episcopatuum

dua-

dualitate duas quoque urbs Parochias habet, & tot Parochos nonnullos Beneficiatos ſacerdotes, quorum olim duo ſpectatæ ſanctitatis viri, cùm Dux Vinmarienſis cum milite Sueco-Gallico Anno 1638. è Burgundia erumpens Lauffenburgum ſubjugâſſet, quòd furentibus harpiis theſaurum Eccleſiæ, & alia inſuper ſub ſigillo ſacramentali myſteria detegere conſtanter tergiverſarentur, immaniter contrucidati feruntur, laureandi S. Joannis Nepomuceni imitatores.

III. Porrò oppidani Lauffenburgenſes nunquam non optimæ indolis homines, & ad omnem pietatem proclives, ubi primùm Capucini illis innotuiſſent, ad affectandum horum contubernium tribus motivis impelli ſe fatebantur. Primum eſt, quòd longè ante Capucinorum adventum ille locus, cui modò Cænobium noſtrum incumbit, flammeo jubare, fulgidiſſimæ lampadis ipſas noctium tenebras illuſtrantis inſtar, coruſcâſſe viſus ſit, & à multis fide dignis ſpectatoribus aſſertus fuerit; quo clementiſſimum Deum præſagire voluiſſe pii Lauffenburgenſes interpretati ſunt, quòd Seraphicus Pater Franciſcus tabernaculum illic locorum fixurus eſſet. Alterum eſt vicinitas Calvini à proximè imminente Dominio Bernatum hoſpitati; & in mercantibus, atque navigantibus frequenter Lauffenburgum divertentis; contra cujus irruptionem, & venenoſos afflatus repagulum aliquod in Viris Religioſis ſtatuere operæ pretium duxerunt. Tertium denique movens fuerat exemplum Rhenofeldenſium; quorum jactatam in Capucinorum contubernio felicitatem æmulati Lauffenbergenſes ad ſimilem omninò anhelârunt. Enimverò jam ante tricennalis Gallo-Sueco-Germanici belli decumanos fluctus eorum Terapeutarum ſocietatem exambierunt, atque hujus accerſendæ facultatem à Sereniſſimo Archi-Duce Auſtriæ Leopoldo quàm ſuppliciſſimè efflagitârunt. Quamquam autem idem Sereniſſimus Princeps pro clementiſſimo ſuo in Conventuum noſtrorum incrementa ſtudio rogatam ſupplicibus gratiam annuerit: per dictos tamen belli etiamnùm tunc graſſantis turbines ſancta hæc propoſita in opus deduci minimè potuerunt: donec tandem Germania per pacem Religioſo-Weſtphalicam utcunque tranquillatâ deſideriis Lauffenburgenſium ipſa ſui dilatione creſcentibus plenè erumpendi opportunitas affulſiſſet.

IV. Tunc etenim, nempe Anno 1649. Capitulo Badæ Helvetorum à Capucinis frequentato propoſita ſua, horúmque cauſales, & practicabilitatem pluribus expoſuerunt; & cùm Conſultiſſimus D. Thomas Stocker urbis Conſul præ aliis in rem arderet, ipſe privatâ ad Patres Epiſtolâ fundum pro arbitrio, optiméque viſo eligendum; media, & facilitatem gerendi ædificii; habendi, & conquirendi in futurum alimenta opportunitatem; magnúmque, & apertum exercendi Apoſtolatûs oſtium digito quaſi monſtravit. Ex eo autem, quòd penès Provinciam non ſteterit in poſtulata condeſcendere, preces illæ primæ præter bona verba, & ſpem nil impetrârunt. In Capitulo tamen Generali proximo anno Romam conſcripto facultas acceptandi agri hujus facultas rogata, & vincentibus rationum allegatarum ponderibus obtenta fuit; quod quidem Lauffenburgenſibus in peculiare ſolatium incunctanter ſignificatum

fuit. Quia verò his innotuerat', Rempublicam Waldishuttanam ſimili negotio occupatam nuntióque exhilaratam congerendis jam materialibus pro reali fabrica neceſſariis incumbere, aliqua æmulatione inflammati, jus præventionis in prioritate factarum inſtantiarum collocantes novis, enixísque ad Capitulum precibus egerunt; quatenùs poſſeſſione ſummenda Patres Provinciæ Lauffenburgo præ Waldishutto palmam prioritatis deferre properarent. Ad hos igitur voti ſui ardentiſſimi damnandos Capitulum Provinciali-Conſtantienſe die 14. Octob. 1650. celebratum Patres rerum peritos, & authoritate munitos Lauffenburgenſibus ſubmiſit. Eô ipſo ſub initium Novembris die, quo civitas præſidio Sueco-Gallo vacuabatur, longè gratiores hoſpites ablegati urbem ingreſſi ſunt Capucini; qui veluti homines cælo lapſi à Magiſtratu, totáque Communitate ſalutati, & ad projectatam futuri Monaſterii aream perducti; atque aliàs humaniſſimè habiti fuerunt. Cùm igitur deputatis ad negotium Patribus tam loci, quàm fundi ſitus probaretur, in eum perpurgandum, & ſtructuræ apparandum condixerunt. Verùm civibus, & fratribus præcoci ſtudio, & ardore ſaxa, & alia comportantibus rumor invaluit, quaſi nonnemo confinium Dynaſtarum, ſeu Dominorum temporalium intereſſe aliquod prætendentium hujusmodi ſtructioni obſtiturus eſſet; cujus intuitu igitur ab auſpicando ædificio fuerat ſuperſedendum. Poſt accuratam tamen inquiſitionem compertum ſubinde fuit, rumorem hunc à quodam maleferiato nugigerulo forſan ſtygii Alaſtoris opus hoc dedignantis dictamine, gratísque confictum fuiſſe.

Utut verò hoc fuerit, & deprehensâ licèt prædicti rumoris falſitate manus nihilominùs ab inchoanda fabrica, interveniente majoris, verioríſque momenti obſtaculo, vacare debuerunt. Exortum nempe dubium fuit, an ea parte, qua Conventus erat locandus, hoſtilitatis tempore nullum urbi periculum, aut damnum eſſet generandum, hoſtibus è Monaſterio opportunitatem adepturis urbem impetendi, aut defenſionem eludendi. Hinc pro dijudicanda theſi ex parte tam Magiſtratûs, quàm Provinciæ Sereniſſimo Archi-Duci Ferdinando Carolo ſupplicatum fuit; qui gratioſiſſimo Reſcripto Monaſterii ea in regione erigendi plenam poteſtatem fecit, qui poſt Architecti, & aliorum, quorum fidei, & experientiæ examen committeretur, arbitrium indemniſandæ civitati commodior eſſe cenſeretur. Poſtquam igitur loci contemplatio peracta, & areæ uno ab Orientali urbis porta lapidis jactu diſtantis deſignatio rati habita fuiſſet, dilata poſitionis primi lapidis, crucísque erectionis ſolennitate ad illum diem, quo hæc eadem ſimultaneè ad præcavendam omnem offenſam, Waldishutti celebrari poterat, ipſum ædificium alacriter cæptum, & calente civium, operariorum, fratrúmque fabricatorum fervore feliciter propagatum fuit.

Sed ecce! cùm abſolutum jam Monaſterium muro cingendum eſſet, aliquorum inſtinctu Sereniſſimus Archi-Dux operis perficiendi inhibitionem fecit, cauſatus, quòd clauſtralis ille murus tempore belli urbem aggreſſuro hoſti propugnaculo futurus eſſet. Ad novam igitur indagationem re pertracta integro iterùm anno à complenda ſtructione va-

vacandum fuit. Quòd tamen cauſæ Examinatores nullum inde periculum urbi emerſurum teſtarentur, & in omnem eventum, cautelámque eam muri circumducendi craſſitiem, & altitudinem dictarent, ut ingruente belli opinione facilè dirui poſſet, Sereniſſimus Archi-Dux de his omnibus edoctus, & novâ Capucinorum ſupplicatione pulſatus demùm eam fabricam quoad omnes numeros abſolvendi gratioſam libertatem fecit. Igitur conſummatis omnibus die 4. Aprilis 1660. dedicatio, & conſecratio templi hujusce Aſceterii jam aliquo tempore habitati à Reverendiſſimo, & Ampliſſimo pietate, doctrináque, ac zelo fidei, & præclaris in hujus defenſionem libris in lucem extruſis celebratiſſimo D. Thoma Henrici, Epiſcopo Chryſopolitano, & Suffraganeo Baſileenſi ſolenniſſimis ritibus peracta fuit. Opus hoc totum, præter nonnulla alia legata pia huc impenſa, urbs Lauffenburgenſis verè beneficentiſſima ſuis ſumptibus inchoandum, finiendúmque ſuſcepit, in cujus perpetuam reminiſcentiam Inſignia ſua urbs fundatrix templo noſtro infixit, ob alias, & uſque hodie perpetuatas eleemoſynarum largitiones obeliſcos merita,

Bibliothecam ibi pretioſo, multóque librorum auctario ditavit Prænobilis, ac Clariſſimus D. Sebaſtianus Sartorius Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi DD. Epiſcopi Neoſtadienſis in Auſtria Aulæ Præfectus, quam pariter multùm adauxit Plurimùm Reverendus D. Fridolinus Senn Parochus in Hochſal.

§. XV.

Monaſterium Mahlbergenſe.

A Vitis temporibus in loco, ubi nunc Mahlberga urbs modica quidem, ſed non indecora viſitur, ſolitarium quoddam Caſtellum, nonnullis prædiis circum circa ſitis ambitum extitiſſe ferunt; quod in amæniſſima regione, vino, frumento, aliiſque terræ, & arborum fructibus abundante collocatum habitatori ſuo haud dubiè principi ad deliciarum auxeſin proſpectum pulcherrimum; & quidem à Meridie in Alſatiam proximè vicinam ſolo Rheno disjunctam, quam Germaniæ Paradyſum dicunt; ab Ortu in Brisgojam ſuperiorem; ab Occaſu in Ortenaviam, & Marchionatum Badenſem; à Septentrione in Würthenbergiam &c. exhibet, olim dominio Comitum de Gerolds - Eck addictum; ſed temporum ſucceſſu ad Comites de Naſſau - Saarvverden, Dotis viâ devolutum; tandem Anno 1493. & 1497. à Chriſtophoro Marchione Badenſi emptione aquiſitum fuit; cujus veroſimiliter tempore, & induſtriâ Caſtro in ſplendidiorem formam ampliato urbs accrevit; ita tamen, ut hæc Toparchia Mahlbergenſis, & Lahrenſis indiviſim à Sereniſſima Domo Badenſi participativè cum Comitibus de Naſſau, ceu Con-Dominis usque ad Annum 1629. (manente quidem penès Badenſes juris præcipui competentia) poſſeſſa fue- I.

rit : quo tempore cùm Comites Naſſovienſes jam Lutherum induti ejusdem furfuris homines officiis gerendis adhibuiſſent, qui nihil adeò cordi, & in mandatis habuerant, quàm ut ditioni huic ritus pſeudo-Evangelicos inferrent ; ideò colliſiones domeſticas, & publicas bellorum turbas, quas Anni 1572. & 1573. tulerant, in peſſumdandæ Religionis Catholicæ, & promovendæ ſectæ heri Luthero natæ occaſionem verterunt. Dynaſtæ ſiquidem Naſſovio-Lahrenſes, Sereniſſimo Marchione Philippo dictis implicitô turbis, adeò ad auxiliandum ruenti Catholiciſmo impotente, vacantes Parochias Lutheranis verbi miniſtellis libere contulerunt ; ejusdem doctrinæ Pædagogos Juventuti erudiendæ veriùs ſeducendæ præfecerunt ; deſtructísque verorum myſteriorum aris ſuperba apoſtatæ Reformatoris trophæa impoſuerunt. Et hæc quidem præpoſtera fidei metamorphoſis in Dominatu Lahrenſi expeditos habuit ſucceſſus ; non ita tamen in Mahlbergenſi, obſiſtente Catholicorum, præſertim Collatorum zelo, & legitimo Juris patronatûs uſu : vel maximè autem Sereniſſimo Marchione Philippo, qui collatis cum Reverendiſſimo DD. Friderico Abbate Schutterano Ord. S. Bened. & R. P. Roberino à Monreal Soc. Jeſu Miſſionario conſiliis validum ſe pro domo Dei murum adverſùs irreptitias hæreſes geſſit, atque operâ, & ſtudio præfati Patris Miſſionarii regionis ſibi competentis partem zizaniis jam jam ſuperſeminatam expurgavit, ac ſucceſſivè orthodoxam Religionem in ea revireſcere fecit. Verùm altefato Sereniſſimo Marchione, fideique tutore vivis erepto, & ſecuta Anno 1594. violentâ Dynaſtiæ Mahlbergenſis occupatione, & ſpoliatione per Erneſtum Fridericum Marchionem Baden-Durlacenſem Luthero initiatum attentatâ denuò extrudendis Catholicis animarum quæſtoribus ; hierophantis ſecundùm novum Evangelium uxoratis ſubſtituendis, matriculis baptizatorum, & Inventariis, documentísque Eccleſiaſticis penitùs abolendis, ac totius religionis Orthodoxæ exercitio antiquando incubitum fuit. Perſeveravit ea deſolationis abominatio, dictæque Toparchiæ injuſtè occupatæ injuſtior uſurpatio, & Catholiciſmi eliminandi ſtudium ipſos viginti octo annos, nullo propè Romani cultûs ampliùs apparente veſtigio.

II. Cùm verò Anno 1622. die 6. Maji. Fridericus prædicti Friderici Erneſti Marchionis Baden-Durlacenſis Succeſſor Filius, & Solſtitiali Bohemiæ Regi Friderico Palatino armis, & fœdere junctus in Agro Wimpfenſi à Tillio Cæſarearum Copiarum Duce extrema clade attrittus, caſtrísque exutus fuiſſet, Sereniſſimus Marchio Willhelmus Bado-Badenſis per ſententiam Cæſaream, procurante Reverendiſſimo, & Illuſtriſſimo D. Comite de Salm Canonico & Decano Eccleſiæ Cathedr. Argentinenſis &c. ceu conſtituto in cauſa Commiſſario, in omnia bona, Dominia, & jura, quibus à Durlacenſi iniquiſſimè ſpoliatus fuerat, reſtitutus, atque à præjudiciis tam in temporalibus, quàm ſpiritualibus ſibi per memoratam ſpoliationem illatis indemniſari juſſus fuit : ad cujus ſententiæ tenorem mox reducendæ in dominatus ſuos avitæ Religioni animum adjecit. Quò verò hoc propoſitum liberiùs exequi poſſet, viſum fuit piiſſimo Principi cum Con-Dominis Comitibus nempe de Naſſau,

æquam

æquam bonorum, ac terrarum Dichtotomiam inire, & relicta his portione ſua, partem ſibi obventuram ſolitariè, & cum pleno jure poſſidendam accipere: per quam quidem diviſionem Anno 1629. ſtipulatam Dominatum Mahlbergenſem cum omnibus pagis, villis, jurisdictione, & ſuperioritate huic annexis in fidem, & homagium ſuum ſuſcepit. Hanc autem quietam poſſeſſionem, & mentem Catholico Principe digniſſimam ſuperveniens Suecus vaſtator indigniſſimè turbavit; & quæ ille ad ſalutem ſubditorum ſuorum piè ædificavit, & molitus eſt; hic ad perditionem impiè deſtruxit. Quòd enim præfectus Marchio Fridericus ſtrage, & ſententiâ Cæſareâ humiliatus ne quidem hiſcere contrà potuerit adverſitatis ſuæ vindicem haud dubiè invitavit atque allexit Suecum militem; qui mox expulſo Sereniſſimo Marchione Willhelmo Dynaſtiam Mahlbergenſem quaſi ſuam occupavit, & totos undecim annos uſufructuavit. Nec intra militaris dominii cancellos Suecus in Caſtro Mahlbergenſi ſtabulatus ſe ſe continuit; ſed veluti ſupremus territorialis ſubditis non ſuis, leges tulit, jus dixit, & exterminatis Officialibus Catholico-Legitimis ſine populi, & juſtitiæ ſuffragio edilitatem uſurpavit. Denique in ſacra etiam ſacrilegis manibus involavit, eo infeliciſſimo ſucceſſu, ut intra breve tempus ſuppreſſa pietate orthodoxa Lutherus plenis paſſim cornibus revixerit, accitis è vicinia Lahrenſi ad ſubvertendam novitiam plebem nuper myſteria Catholica doctam Paſtophoris adverſi dogmatis ebuccinatoribus.

III. Poſtquam verò Anno 1646. Sereniſſimus Princeps Willhelmus prædia Dominica iterùm reſumpſiſſet, atque in horum poſſeſſione per pacem Religioſam ſtabilitus fuiſſet, inter primas Regiminis curas habuit, ut Augiæ ſtabulum repurgaretur; in quod ſacrum opus proſequendum fidelem ſucceſſorem nactus eſt in Sereniſſimo Filio Ludovico Willhelmo Secundo genito, cui Sereniſſimæ Dominæ Mariæ Franciſcæ natæ Landgraviæ de Fürſtenberg nupto apenagii titulo toparchia Mahlbergenſis obtigit poſſidenda. Hic piiſſimus æquè ac ſagaciſſimus Princeps probè gnarus, non thylacô, ſed manu ſerendum eſſe, pededentim, & manſuetiſſima methodo legitimi Evangelii uſum ditioni ſuæ reddendum, ſubditósque ad officium genuinæ Eccleſiæ revocandos arbitratus in ſui conſilii coadjutores Capucinos adhibere conſtituit; hinc & voti ſponſione ſe obſtrinxit tria florenorum millia ad Conventus cujusdam dictorum Religioſorum conſtructionem impendendi, quam votivam obligationem ad locum Mahlbergenſem, veluti Aulæ, & Caſtro ſuo præſentem alligavit; ideò Patres Provinciæ hujus conſcios redditos in vota ſua evocavit. Patres igitur re in maturam diſcuſſionem, & examen tractâ huic tam eximiæ pietatis, & religionis ſtudio cooperaturi tantis poſtulationibus ſub ea tamen lege annuerunt, ut non Mahlbergæ, ſed Kuppenhemii, loco haud inde procul, & ejusdem ditionis, tamquam futuræ apoſtolationi magis congruo domicilium figatur. P. Guardianus Badenſis, quem Sereniſſimus eo nomine ad Patres Friburgi congregatos ablegaverat, cum hac inſtructione redux clementiſſimum Principem decretoriâ infirmitate conflictatum invenit; quæ & illi poſt paucos dies exitialis extitit. Totâ igitur

Aulâ juſtiſſimis lugubriis obrutâ P. Guardianus negotii mentionem diſſimulans poſt triduum tamen cum Sereniſſima vidua ſermocinandi copiam nactus ordine huic Patrum ſuperiorum promptam piiſſimo defuncti Principis deſiderio deferendi voluntatem expoſuit ; quo illa, quantum luctûs magnitudo permiſerat, mirùm exhilarata P. Guardianum ad Sereniſſimum Socerum Marchionem Willhelmum remiſit ; qui & ipſe hoc nuntio lætiſſimus chariſſimam Nurum viduam ad telæ inchoatæ proſecutionem adhortatus, atque omnimodam pro parte ſua operam, & neceſſarium rei promovendæ auxilium pollicitus eſt.

IV. Sereniſſima conſenſu ſoceri freta mox Reverendiſſimum, & Sereniſſimum Germanum ſuum, Epiſcopum Argentinenſem, veluti Ordinarium loci, & ditionis Mahlbergenſis, de his omnibus per litteras edocuit, ac ejusdem Ordinariatûs conſenſum, ſimul atque Epiſcopalem ad hoc ſummæ utilitatis, nec minoris neceſſitatis opus efflagitavit. Tametſi Celſiſſimus D. Ordinarius dilectiſſimæ Dominæ ſorori ſuæ ſub dato Leodii 27. Martii 1671. faventer reſcripſerit, ſibi admodùm probari propoſitum ipſius ; ut tamen omnia ordinatè fiant, illam ad conſilium Eccleſiaſticum remiſit ; quam & ipſemet per litteras dicto conſilio recommendaverat ; quin & Capitulo Generali Romæ tum coacto commiſerat, ut conſensum Pontificium ipſimet Patres negociarentur. Utcunque hæc celeriter, & ad vota procederent, haud tamen his rebus ſatanas defuit. Nonnulli enim omnem rudentem movebant, quò religioſam hanc coloniam vel in partu adhuc ſuffocarent. Inter hos unus fuit ſicut dignitate præſtans ; ita activitate potens ; qui utramque extinguendo iſtiusmodi propoſito impenderat ; qui verò Principibus in ſua ſententia firmiter perſiſtentibus contradictionum ſuarum fune *nihil* ſe attraxiſſe ſtomachabundus comperit, quin tamen vela contraheret : Enimverò conductis in partem ſuam quibusdam primæ ad Aulam admiſſionis hominibus adeò Sereniſſimum ab hoc animo avertit, ut hic ſibi jam diſſimilis P. Guardianum ſuper negotio diſſerere parantem cum manifeſta tædii ſignificatione faceſſere, & alio tempore redire juſſerit. Cùmque iſte indicatâ horâ reversus, Ordinariatûs conſenſum, Patrum ſuorum mentem, ſubditorum deſideria, & inſignium fructuum ſpem recenſere incæpiſſet, hic dedignabundus orationis filum abrumpere, difficultatem futuræ ſuſtentationis cauſari, aliáque obſtacula non domi ſuæ nata ; ſed à malevolis ſpeciosè ipſi dictata obtendere, & apertè calculum ſe reduxiſſe viſus eſt. P. Guardianus igitur tam inclemente Principem ſydere afflatum animadvertens, néve hunc eamdem tundendo incudem magis exaſperaret, dimiſſione obtentâ ad Sereniſſimam Principiſſam Conjugem conceſſit, eíque mutatum Principis animum, & conſilii totiùs retrò lapſum dolens explicuit : hæc verò indignitate rei commota protinùs conclave Principis ingreſſa illi exertâ facundiâ mentis inſtabilitatem, accerſendum ex hac nomini ſuo dedecus, aliáque non excuſanda præſertim ſpiritualia tot animarum damna exprobravit, addens, indignum eſſe viro Principi repariaſſare, reprobare quæ paulò antè probabantur, & ad maleferiati ſyſiphi artes vertumnum induere ; impium Patri ultimam Filii defuncti

vo-

voluntatem, votúmque in conſcientia obligatorium non exſolvere.

Tantum valuit ea Conjugis homilia, ut Princeps momento adverſarum perſuaſionum faſcino ſolutus omninò in priorem redierit, atque è veſtigio ſe operis promotorem declarans hujus executionem, atque acceleracionem commutato in melius conſilio per litteras efficaciſſimas ad Eminentiſſimum D. Cardinalem de Haſſia Romam exaratas, hácque velut celeriori via ſummi Pontificis facultatem negotiatus ſit. Cùm hæc omnia votis eveniſſent, & inſuper iterata P. Generalis licentia in ſcriptis ſuperveniſſet, ideò collatis viribus laboratum fuit, ut non ſolùm concedente, ſed urgente etiam Celſiſſimo, & Reverendiſſimo DD. Ordinario Argentinenſi ad operis tandem executionem, fundi electionem, labaríque Seraphici fixionem deveniatur, & ſic ulterioribus adverſantium repagulis via præſtruatur. Placuit autem Sereniſſimæ Dominæ Principiſſæ viduæ, ut Mahlbergæ, non Kuppenhemii Religioſum ſtruatur Domicilium; quapropter & hanc mentem P. Provinciali catagoricè indicavit, ſimul atque hunc, utì remota omni tergiverſatione flagranti non ſolùm Aulæ, ſed ſubditorum quoque deſiderio deferri curet, cohortata eſt. Deſtinatis ergò ædilibus Sereniſſimæ per omnia gratificari juſſis, complanatâ Malbergæ areâ, factísque aliis de jure, & more faciendis die 20. Junii Anno 1672. Reverendiſſimus, & Ampliſſimus DD. Placidus Abbas Schutteranus Ord. S. Bened. fundo ſtructuræ ſacris benedictionibus initiato primum lapidem ad communem totius & aulæ, & regionis lætitiam depoſuit: cui immediatè Miſſionarium Hoſpitium ſuperſtrui cæptum, bonísque avibus ad perfectionem fuit prolatum. In hanc ergò meſſem locati Capucini, ut Sereniſſimorum Fundatorum, qui ſupradictum à ter mille florenis legatum aliis quoque favoribus, & ſubſidiis exequendæ tantæ molitioni paribus ſtipârunt, mentem explerent, totis conatibus collaborârunt, ut alibi pluribus perſtringemus. V.

At Rege Chriſtianiſſimo ſub eadem tempeſtate inopinata armorum violentia Germaniam turbante, & exercitu Gallo in Brisgoja inferiore caſtrametato novis hisce in vinea Domini operariis haud diu quietis, & activis eſſe licuit. Anno ſiquidem 1675. Prædonum manipulus agro Mahlbergenſi infuſus, & Hoſpitium Capucinorum ingreſſus omnibus illud, quæ ad victum pertinebant, exſpoliavit, ſuperveniens Cæſareus miles, ea, quæ Capucini hoſtium manibus ſubduxerant, ſubducentium manibus extorſerunt. Anno autem 1677. funeſtius Monaſterio fatum erat ſubeundum; dum nimirùm hoſtilibus flamis exuſtum, ut ſuo loco recenſebitur; ceſſante deinceps hoſtilitate è cineribus reſuſcitatum; Anno 1682. in Guardianiam, cùm ante reſidentia duntaxat fuiſſet; & Anno 1683. die 12. Octob. Eccleſia à Reverendiſſimo & Ampliſſimo DD. Gabriele Epiſcopo Tripolenſi, & Suffraganeo Argentinenſi ſollenniter dedicata, & conſecrata fuit. Reſtaurationem adjuvârunt officiales ipſimet Galli, qui ſtipem rogati quingentos florenos contulerunt: ſed plura, & potiora contulit primæva Sereniſſima fundatrix Maria Franciſca &c. Reverendiſſimus, & ampliſſimus DD. Franciſcus III. Abbas ad Ethonis Mona- VI.

ſterium Ord. S. Bened. & Prænobilis, ac ſtrenuus D. Franciſcus Erneſtus Olyſi Præfectus Mahlbergenſis; aliique Benefactores.

§. XVI.
Monaſterium Marchdorffenſe.

1. MArchdorffium urbs antiquitate, quàm elegantia commendabilior unâ Marispurgô leucâ diſtans, neque tamen littori maris Acronii adjacens, ſed magis ad interiora Sueviæ obliquè declinans itinerantibus per terram ad Occaſum Uberlingam: ad Ortum Buchornium, & Argam: ad Aquilonem Ravenſpurgum: ad Meridiem Mariſpurgum, & Conſtantiam, atque paſſim in Helvetiam tranſito tamen navibus lacu Acroniano viam demonſtrat, hodie non ſolùm Epiſcopali, ſed territoriali Celſiſſimi, ac Reverendiſſimi DD. Epiſcopi Conſtant. ſuperioritati addicta; cùm quondam antiquiſſimæ Mareſchallorum de Marchdorff, à quibus & condita, & denominata fuiſſe creditur, proſapiæ proprietas fuiſſet. Horum vero nobilium de Marchdorff eam authoritatem, atque dignitatem fuiſſe compertum eſt, ut jam circa Ottonis III. Rom. Imp. tempora Mareſchallus de Marchdorff, Truchſeſſius de Waldpurg, Schenck de Radach, & Camerarius de Kemnat, quatuor hæreditarii Ducatûs Sueviæ Officiales extiterint. Porrò quòd Marchdorffium ordinaria Illuſtrium hujus nominis ſedes fuerit, præter teſtimonium Matthæi de Pappenheimb in Chron. Auſtrali cap. 60. fol. 75. ex eo quoque evincitur, quòd Anno 1080. Abbas Udalricus S. Galli Rudolpho Suevo contra Henricum IV. Roman. Imperat. electo adverſatus cum conflato, juſtóque bellatorum agmine oppidum Marchdorff, ubi præter loci Dominum plurimi nobiles congregati fuerant, obruerit, & prædictos nobiles captivos abduxerit.

Circa medium ſæculi decimi quarti, moderante Diœceſin Conſtantienſem Joanne IV. de Windeck, ſive Windlau, ultimo proſapiæ Marchdorffenſis extincto oppidum Marchdorff cum omnibus appertinentiis, plenóque jure ad Epiſcopum Conſtantienſem, incertum tamen, quo titulo, an emptione, donatione, vel hæreditate dicti Joannis IV. devolutum fuit. Sed Conradus de Homburg Marchdorffium ſibi dotis nomine, utpote cujus uxor erat de ſanguine Marchdorffiorum, deberi contendens renitenti Episcopo armorum vi extorquere conſtituit. Episcopus autem controverſiam non enſe, ſed jure; neque à partibus, ſed à Tribunali Camero-Spirenſi decidendam ratus eò provocavit: ubi in favorem Epiſcopi, & contra Equitem de Homburg pronuntiatum, eáque ſententia à Carolo IV. Rom. Imp. roborata fuit, ſtatutâ in refractarios mulctâ pecuniariâ. At Eques hoc Panidis, ut ajebat, ſuffragio offenſus jacturam cauſæ ſacrilegâ victoris perſecutione ulciſci ſtatuit: Hinc Anno 1355. Caſtrum Gottlieben hoſtiliter ingreſſus expilavit, & injecto igne in cineres redegit. Anno autem 1356. cum Complicibus ad ſacrilegium conductis Epiſcopum Joannem IV. in Palatio Conſtantienſi cænæ accumbentem obruit, & immaniter trucidavit: quo quidem deteſtando

restando facinore Eques alienâ non impetravit, & propria amisit. Manfit ergo usque hodie penès Episcopi dominium urbs hæc, qui ibi pro causa civibus dicenda Præfectum in antiquissimæ structuræ Castro residentem habet.

II. A præfatis Mareschallis ibidem fundata fuerat Ecclesia Collegiata additis tot reditibus, qui congruè sustentandis Præposito, & nonnullis Canonicis sufficerent. Hujus Anno 1611. adhuc existentis meminit Jacobus Manlius in suo Chron. Constant. eodem anno typis evulgato, & inter Episcopatûs Præposituras, ac Ecclesias Collegiatas Collegium quoque Marchdorffense recenset; quod tamen intereà temporis utcunque defecit, cùm nempe modò ibidem tantùm sit Ecclesia Parochialis, habens unum Quæstorem animarum, & quatuor Beneficiatos in sacrum Ministerium ei superadditos. Celsissimus, ac Reverendissimus DD. Franciscus Joannes Episcopus Constantiensis deficientium Ecclesiasticorum numerum sive restauraturus, sive aucturus ad Capucinos inibi introducendos animum adjecit, inductus tum tenera compassione ob eorundem Capucinorum Monasterium Ravenspurgense Anno 1648. à Sueco milite, & Acatholico cive Ravenspurgensi inhumaniter devastatum; tum in gratiam Illustrissimi DD. Hugonis Comitis de Montfort. Namque idem Celsissimus Præsul primitùs Serenissimi ac Reverendissimi Cardinalis Andreæ Austriaci Episcopi Constantiensis proposito insistens Capucinos Marisburgum locandos assumpsit. Cùm verò eadem tempestate præfatus Illustrissimus D. Comes ex simili illata Provinciæ in Conventu Ravenspurgi damna resarciendo studio eos Tettnangæ hospitandos perquàm humanè invitâsset, difficillimæ deliberationis negotium Definitorio facessitum fuit, ut quod Celsissimi D. Ordinarii, simúlque Illustrissimi D. Comitis petito satisfacere nequiens, & alterutrius recusatione inevitabilem vel hujus, vel illius offensâm meritò timebat contrahendam: res igitur à Provincia Celsissimi Ordinarii arbitrariæ decisioni permittebatur. Institit autem uterque, & ferventer. Celsissimus D. Episcopus Excellentissimo D. Comiti aliquantùm gratificaturus mutato Capucinos Marispurgum locandi consilio Marchdorffium, utpote duabus horis Tettnangæ propinquius, pro figendo Cænobio determinavit, quò Illustrissimus D. Comes commodiùs desideratâ Capucinorum operâ frui posset.

III. Quamquam verò Illustrissimus D. Comes intentioni Celsissimi contravenire noluerit, quin Monasterium sive Marispurgi, sive Marchdorffii conderet: attamen prædicta gratificatione minimè contentus proprios in suo Comitatu Capucinos habere affectavit: quapropter acerrima differentia inter Celsissimum D. Ordinarium, & Illustrissimum D. Comitem agitata fuit; quæ non solùm Nunciaturam Lucernatem; sed Romanam quoque Curiam aliquamdiu fatigavit, Illustrissimo D. Comite repulsâ Capucinorum enormiter offensô alios horum locò Religiosos Toparchiæ suæ inducere contendente: sed Celsissimo D. Episcopo, ceu Ordinario, suum huc consensum denegante, & Decretorum Pontificiorum observantiam obtendente; utpote quibus Conventuum in tanta vicinitate multiplicatio adversaretur. Ideò instantiæ, & recusationes frequentatæ;

litteræ mitioris primò, tunc & acerbioris ſtyli reciprocatæ ; Commiſſiones, & Examina inſtituta ; ſententiæ impetratæ ; appellationes injectæ, aliáque innumera acta fuerunt, quorum ſcripturæ plurimum in documentis *Provinciæ* ſpatium occupant. Ubi ergo poſt edictales affixas, & inquiſitiones innotuiſſet, Tettnangæ ob inſufficientiam alimentorum, & defectum canonicæ diſtantiæ Cœnobium ſtrui nec poſſe, nec debere, Celſiſſimus D. Ordinarius, explorato priùs Marchdorffenſium animo, hísque non tantùm libentiſſimè conſentientibus ; ſed & impatienter rei auſpicium exſpectantibus Capucinis in loco Marchdorff domicilium figendi & facultatem indulget, & auxiliarem manum ſpondet, eósque actu tanquam immiſſos declarat, aſſignando eis in aream Monaſterii loco extra Occidentalem urbis portam, & propè amnem molendinarium conſtituto, cui ſacellum aliquod incumbit.

IV. Hoc verò ſacellum jam ante aliquot ſæcula cultui Deiparæ Virginis Mariæ ſacratum Iconem è ligno ſculptam ejusdem B. Virginis Filium ſuum tenentis hoſpitabatur ; quæ ab immemoriabili tempore gratiis, & miraculis claruit ; quamobrem & vicinorum, & longiùs diſtantium eò loci religiosè peregrinantium multa frequentia eſſe ſolebat. Inprimis autem ab Anno Chriſti 1420. crebra, & inaudita prodigia inibi patrata leguntur : unde factum, ut Confraternitas ſub titulo immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ jam ab eo tempore per Deiparæ Cultores ibidem fuerit inſtituta ; quorum quidem Confratrum, aliorúmque piorum largitionibus Anno 1450. ampla, & inſignis Eccleſia extrui cæpit, fundum ipſo Celſiſſimo, & Reverendiſſimo DD. Henrico IV. ex Lib. Baronibus de Hevven, Epiſcopo Conſtantienſi conferente. Anno 1464. tria in hoc templo Altaria, & unà etiam tria Beneficia eriguntur, & à Reverendiſſimis DD. Ordinariis confirmantur. Tertii Altaris Beneficio munus concionandi affixum fuerat ; ita ut Sacellanus ille ſingulis diebus Dominicis, & feſtivis in templo hoc evangelizare teneretur. Anno 1469. Eccleſia hæc abſoluta, & in Dominica in Albis ſolenniter dedicata fuit, à Paulo II. P. M. Indulgentiis, & Privilegiis ditata, omniáque ei bona mobilia, & immobilia confirmata ; quæ litteræ Pontificiæ etiamnum aſſervantur. Anno 1471. dictæ ſodalitatis Leges, & Statuta conduntur, & roborantur. Ab initio Eccleſia præcipuis ſacris Reliquiis ; intérque alias, ſeu potiùs præ omnibus aliis, inſigni Particulâ S. Crucis, aliísque plurimis decorata, Paramentis inſuper, & vaſis ſacris non minùs pretiosè, quàm eleganter adornata fuiſſe perhibetur. Memoratæ verò Sodalitatis ea fuit celebritas, & Encomium, ut Epiſcopi, Chor-Epiſcopi, Abbates, integri Canonicatus, & Monaſteria, Principes ſæculares, Comites, Barones, Nobiles, totæ Urbes, & Communitates ex Bohemia, Sileſia, Bavaria, Brisgoja, Belgio, Moravia, Styria, Sabaudia, Burgundia, Carinthia, Suntgoja, Alſatia, Suevia, Wirthenbergia, Allgoja, Helvetia &c. eidem Confraternitati nomina ſua dederint. Prout hæc omnia, aliáque fuſiùs recenſet M. R. D. Magiſter Georgius Gaul Canonicus Eccleſ. Colleg. Marchdorffenſis in ſuo libello, ſpecificè de hac ſodalitate Anno 1630. typis edito.

Circa

Circa aream igitur hujus templi decisâ controverſiâ Celſiſſimus, ac Reverendiſſimus D. Epiſcopus die 4. Octob. Anno 1652. Monaſterii primum lapidem poſuit, crucémque plantandam benedictione ſacravit, actum hunc innumera hominum panegyri frequentatum Plurimùm Reverendo Domino Andrea Dornsperger SS. Theologiæ Licent. Decano Rural. Capit. locíque Parocho polito ſermone condecorante. Antequam tamen ad fabricam procedi potuit, cum civibus circa templum illud litem moventibus conveniri debuit. Erant enim, qui iſtud Capucinis traditum voluerunt; cujus mentis ipſemet Reverendiſſimus D. Ordinarius, aliíque Principaliores Marchdorffenſes erant, eòque vel ipſi Capucini tantò magis propendebant, ne magnis ſumptibus novam Eccleſiam extruere deberent. E regione nonnulli ex Communitate templum Sodalitatis tanto tempore in hac qualitate uſurpatum nequaquam à primævo ſtatu, & fundatione dejici, & alienari poſſe, ac debere contendebant. Facilè quidem illi priores prævaluerunt; difficultas tamen maxima in eo fuit, quomodo officia divina Sodalitati, & Beneficiis annexa forent exſolvenda? & quid de thavmaturgâ B. V. M. ſtatua fieri debeat? variorum varia fuit ſententia. Anno 1655. die 2. Septembris DD. Stattammannus, & Conſul totius Cõmunitatis nomine templum Capucinis quidem unà cum area circumvicina pro Monaſterio ceſſerunt, adjectis tamen certis quibusdam limitationibus, quibus perennando B. V. M. cultui, & obligationibus Beneficialibus cautum voluerunt. Capucinis ergò conditiones ſtatui, & profeſſioni ſuæ congruas ineuntibus, & Reverendiſſimo D. Epiſcopo eas ad normam æquitatis moderante, pretioſioribúsque ornamentis, ac vaſis, cum reditibus Beneficiorum &c. in Eccleſiam Parochialem translatis, dejecto campanili lapides ſtructioni Conventus ſubminiſtraturo, relictáque Capucinis præter unicam campanam miraculosâ B. V. M. Imagine; ac his omnibus authoritate Epiſcopali roboratis optimâ tandem omnium pace, maximóque ſolatio fabricâ inchoatâ, chorô templi, & ſacriſtiæ loco ad ritum Capucinis uſitatum conquadratis, ac ædificio feliciter ad faſtigium perducto ipſe rursùs Celſiſſimus ac Reverendiſſimus DD. Franciſcus Joannes Epiſcopus Conſtantienſis die 22. Jul. 1659. Eccleſiam, manente primævâ aliquorum Altarium conſecratione, tantâ animi lætitiâ, quanta cæremoniarum feſtivitate dedicavit; & Capucinis domicilium hoc ſuum munificentiâ potiſſimùm Epiſcopali, & aliorum Benefactorum eleemoſynis ædificatum ingreſſis benedixit, & clementiſſimè, quoad vixit, benefecit, veſtigia tanti Evergétæ prementibus, quotquot ab eo Celſiſſimi ac Reverendiſſimi DD. Epiſcopi in Epiſcopali ſolio fulſerunt.

§. XVII.

Monaſterium Möſskirchenſe.

I. Möſskirchium urbs non magnitudine ſpatii, ſed Magnorum incolatu, & Dominatu celebris, climatis auſteritate inamæna; ſed Toparcharum dignitate, & clementiâ tam gratum hominibus hoſpitium, quàm dignum Angelis ſpectaculum præbet. Collis molliter antrorſùm levatus in ipſam exſpatiatur Civitatem, qui ſe ultrò cæteris æquat, conjungítque clivis, ab ipſa quaſi naturâ ad id conſtitutus, ut glorioſô ſervitiô impoſitum ſibi eximiæ majeſtatis, & vetuſtatis Palatium bajulet, tanquam uſitatam Illuſtriſſimorum Landgraviorum: hodie Sereniſſimorum S. R. I. Principum de Fürſtenberg-Möſskirch ſedem. Regio ipſa magna anni parte hyemans, & plerumque ſylveſcens, vinearum adeò impatiens ſegetum fæcunditate aliorum inopiam admodùm compenſat, versùs Occidentem alpibus Wirthenbergiam ſpectantibus; versùs Orientem Monti ſancto; Meridiem versùs Hegoviæ; & versùs Septentrionem Sueviæ vicinatur. Conditor urbis incompertus, at ſi divinare licet, in nobilibus, qui ſe Equites de Möſskirch multis retrò ſæculis ſcribebant, forſan deprehendendus; à quibus poſſeſſio ad Comites de Zimbren devoluta fuit; equidem Apollonia Comitiſſa de Zimbren Möſskirchium cum Dynaſtia Gundelfingen, Caſtro Wildenſtein, & oppidulo-Haingen Georgio Comiti Helffenſteinio in dotem attulerat; quæ deinde pariter per viam nuptiarum, & affinitatem cum Comitibus de Helffenſtein utriusque Lineæ, Wiſenſteigenſis, & Möſskirchenſis Uratislao Comiti de Fürſtenberg, Lineæ Blombergenſis, ſeu Möſskirchenſis Authorem, & propagatorem, comparata fuerunt. Ea autem hujus Illuſtriſſimæ Proſapiæ ſunt decora, & merita, ab antiquitate, Principum, Ducum, Regum, Cæſarúmque affinitate, ac etiam conſanguinitate, domi, foríſque, toga, ſago, prudentia militari, aulica, & politica, & quod hæc omnia multis paraſangis ſuperat, avitæ Religionis, devotionis, juſtitiæ omniúmque virtutum; quin & ſanctitatis ſtudiô comparata, ut horum multitudine, & ſplendore oppreſſi eorum recenſendorum inſcitiam, ac inſufficientiam libenter fateamur.

II. Et verò quod antiquitatem, primævámque dignitatem attinet, Egon, ſive Hego &c. Heros Agilolphingici generis, & Anno 640. Dagoberto Francorum Regi adeò in pretio fuiſſe ſcribitur, ut ab eo Major Domûs Regiæ conſtitueretur, in qua provincia non niſi ſolio à Rege diſtinguebatur. Nomen autem Ego, ſive Egon, vel Hego ab hoc Illuſtriſſimo Genearcha tum in æternam illius memoriam, tum in propaginis ab eo deductæ argumentum perpetuâ imitatione apud hanc ſereniſſimam Domum usque ad Carolum Egonem Landgravium de Fürſtenberg-Möſskirch Cæſareum vice Campi Mareſchallum in prælio ad Fridlingam occumbentem ſervatum fuit. Cuno Fürſtenbergicus jam Anno 748. ſe Landgravium Stühlingæ ſcripſit. Carolus Magnus Egonem prædicti

dicti Cuñonis Filium Hegojæ Landgravium deſignavit. Quod autem affinitatem, & conſanguinitatem ſpectat, notius hoc eſt, quam ut ejus genealogicam ſeriem texamus. Agnes Scotiæ Regis Filia Ludovico Landgravio : altera Agnes Ducis Zäringenſis filia Egoni Barbato Fürſtenbergio : Principis Teccenſis filia alii Egoni nuptæ id ſat ſupérque demonſtrant. Conſtat pariter ſanguinem Fürſtenbergicum cum Ducali, Principali &c. Neoburgico, Marchio-Badenſi, Arenbergico, Hohenzollerano, ac noviſſimè Hollſteiniano quaſi coaluiſſe. Ut cætera taceamus, hoc memorandum, quòd ſtirps Fürſtenbergica cum Auguſtiſſima Domo Auſtriaca tam propinquo acceſſu connectatur, ut Rudolphus I. Rom. Imp. Henricum IV. Fürſtenbergium Provinciæ Romandiolæ Gubernatorem conſtituens, hoc eum diſerto elogio extulerit, & commendavit : *Cùm Comes idem ſit os ex oſſibus noſtris, & Caro de carne tranſumptus ; eumdem quaſi familiaris dilectionis pignus eximium hilares, & devoti ſucipite.* Qualiter autem hoc Illuſtriſſimum ſtemma ſanctitate virorum inſigne evaſerit, argumento eſt Beatus Conradus Fürſtenbergius ; qui ceu Legatus Apoſtolicus in Galliam miſſus, etſi mira præſtiterit, inter Purpuratos Patres adſcriptus ſit ; imò & aliqui ſuffragatores eidem Triregnum obtulerint, nihili tamen hæc omnia pendens coronam potiùs cæleſtem tot gratiis divinis ſibi jam oppignoratam ambivit, ut inter ſacrificandum digiti ejus Canonici lucernarum inſtar fulgerent. Item Beatus Cuno etiam Fürſtenbergicæ ſtirpis ſurculus dubium fecit, utrùm ſacer Ordo divi Pauli primi Eremitæ hunc magis, vel ipſe Ordinem glorioſum reddiderit, usque huc ſignis, & gratiis inclytus. Tametſi autem prælaudatis Fürſtenbergiis tantùm conceſſum fuerit ſpectatæ ſanctitatis fulgere gloriâ : in propatulo tamen eſt, omnibus ejus generis quandam ad colendos, devinciendósque ſibi Sanctos indolem, devotionem, atque ineſſe ſtudium. Eo ex fine ſanctis Bernardo in Tennenbach, Fridenvveiler, & Neidingen ; Franciſco Haslachii, Neoſtadii, & quo de agemus, Möſskirchii ; Claræ in Wittichen &c. Parthenopæa Religioſa magnis ſumptibus ſtruxerunt.

III. Equidem Illuſtriſſimus D. Uratislaus Landgravius Fürſtenbergo-Möſskirchenſis Progenitorum, & Agnatorum ſuorum exempla ſectaturus nihil non egit, quò Seraphicorum Virorum contubernio potiretur, atque coloniam Möſskirchio inveheret. Licèt verò calidum hunc fervorem ſuum à belli Suecici tumultibus præpeditum moleſtiſſimè ferret ; tamen ubi primùm ab iſtis aliquanta dabatur vacatio, quaſi remoto aggere affectuum, & deſideriorum ſuorum torrente pauperes Capucinos invitando, obſecrando, & obteſtando obruit, quatenùs pro ſuæ animæ ſolatio domicilium ſibi propè Reſidentiam ſuam parandum acceptare vellent : utque tantus tantillos in ſuam ſententiam cogeret, ipſum Celſiſſimum, ac Reverendiſſimum DD. Joannem Dapiferum de Waldpurg-Wolfegg Epiſcopum Conſtantienſem pro conſenſu Epiſcopali exoravit ; qui reſcripſit, ſe facilè in Regulare Hoſpitium conſenſurum, ſi ipſe Excellentiſſimus D. Landgravius Capucinos in vota ſua pertraxerit. Authoritate Epiſcopali fretus ad Generalem in Curia Romana Procura-

torem P. Franciſcum Januenſem hac in cauſa ; imò ad ipſum Eminentiſſimum DD. Cardinalem Ludoviſium Ordinis Protectorem ſupplices, eásque iteratas dedit. Cùm autem præfatum Eminentiſſimum Anno 1628. negotiorum causâ Româ abeſſe contingeret, vicem Protectoratûs ſubiit Eminentiſſimus DD. è Capucino Cardinalis Barberinus, Urbani VIII. Pont. Max. Germanus frater. Hic igitur frequentioribus Illuſtriſſimi D. Landgravii Uratislai inſtantiis permotus juſſit P. Procuratorem Provinciæ Patribus reſcribere, ut loci Möſskirchenſis ſitum, & explorarent, an ibi conformiter ad decretorum Pontificiorum, & Conſtitutionum Generalium præſcripta duodecim Religioſi ſubſiſtere, ac ſuſtentari valeant : quo reperto voluntati Illuſtriſſimi Domini Oratoris condeſcendere ſatagerent. Juſſa quidem P. Procurator executus ; nil tamen aſſecutus fuit à Patribus nimiam Conventuum multiplicationem abhorrentibus, aliáque gravamina, & cauſales ſuæ renitentiæ exhibentibus. His tamen non deterritus Excellentiſſimus D. Comes preces Romam duplicandas reſumpſit ; ad quas prioris ſtyli mandatum ab Eminentiſſimo D. Vice-Protectore per calamum P. Procuratoris Provinciæ advenit, at ſtupente Româ ex una parte Excellentiſſimi D. Landgravii zelum, & humilitatem ; ex altera verò Patrum Provinciæ in refutandis tanti Magnatis precibus conſtantiam, & audaciam ; quæ illam tamen necdum fatigavit.

IV. Nam Excellentiſſimus D. Comes, conſtitutus à Ferdinando II. Rom. Imperatore Conſilii Aulico-Bellici Præſes ; & Legatus ejusdem Cæſaris ad Reges Hiſpaniæ, Galliæ, & Angliæ, atque ſummæ aliàs authoritatis Landgravius eò demiſſionis, à ſuo ſe fervore & affectu abripi paſſus eſt, ut ipſusmet ſe mendicantibus, & pannoſis Religioſis in Capitulo Badæ Helvetiorum 31. Auguſti Anno 1629. congregatis præſentem, ſupplicémque ſiſtere conſtituerit, ſtupendo ad Poſteros humilitatis exemplo ; à quo tamen copiarum militarium in ea regione tranſitus eum cohibuit ; nihilominùs M. R. D. Jo. Guillelmum Danquart Parochum Möſskirchenſem, litteris in fide teſſeram munitum Legatum, & antiqui negotii geſtorem eò deſtinavit ; qui quantumvis Commiſſione ſua ad mentem Principalis ſui perfunctus eſſet ; attamen cum reſponſo negativè redux Illuſtriſſimum Dominum ſuum iteratò affligere debuit. Exinde Illuſtriſſimus D. Comes, non repulsâ offenſus ; ſed quòd arma Suecica lamentandam paſſim in Germania tragædiam exhiberent, multáque alia hujusmodi propoſita ſuffocarent ; quorum, & aliorum intuitu Celſiſſimus Princeps Joannes de Hohenzolleren-Sigmaringen pariter fruſtrà ſe Conventum in Principatum ſuum introducendum ſollicitâſſe expertus eſt, Excellentiſſimus D. Landgravius à proſequenda precum ſuarum tela ſuperſedendum duxit, præſertim etiam cùm Illuſtriſſimæ D. Comitiſſæ de Helffenſtein, Excellentiſſimi ſocrûs mors Anno 1634. intervenerit, quæ plurima alia hæreditatis partiendæ negotia faceſſivit, inter quæ & ipſe Excellentiſſimus D. Uratislaus Landgravius octennio poſt piiſſimè diem ſuum obiit, plenam munificentiæ, & devotionis in S. P. Franciſcum, hujúsque Religionem, & Provinciam noſtram mercedem conſecutus, atque

que primum in Benefactorum Provinciæ Elencho locum meritus ; maximè quòd ejusdem indolis, genii, & beneficentiæ erga Capucinos hæredes reliquerit.

V. Tres omninò filios ; Franciſcum Chriſtophorum , Frobenium Mariam, & Jo. Martinum, ſive (tradente Immhofiô) Ferdinandum Rudolphum ſuperſtites habuit. Primus horum , duobus aliis ſummorum in Germania Cathedralium Collegiis adſcriptis , paternum Landgraviatum acceſſit. Hic forſan à Sereniſſima Conjuge ſua Maria Thereſia Principis Philippi de Aremberg, Ducis de Arſchott filia (quæ duorum non tantùm à natalium ſplendore, ſed virtutum quoque , ac litterarum culturâ inſignium Capucinorum in Belgio PP. Caroli, & Deſiderati de Aremberg ex fratre Neptis erat) in ordinem propenſiſſimâ commonefactus amantiſsimi D. Genitoris ſui ſtudia belli turbinibus , morte , & temporum lapſu interciſa reſtaurare decrevit : quapropter unà cum Illuſtriſſimo D. Germano Frobenio Maria ſub dato Möſskirchii 11. April. An. 1657. ad Capitulum Friburgi Brisgojæ litteras gratioſiſſimas exaravit ; quibus Patres ad condicendum in Coloniam religioſam toties oblatam, & refutatam, ceſſantibus porrò refutandi cauſis permovere ſummoperè ſtuduit ; atque etiam adductorum argumentorum ariete eosdem in tantum ſuperavit , ut victas manus darent cum ea tamen cautela , ſi Illuſtriſſimi DD. Landgravii negotium pluribus adhuc contradictionibus obnoxium proſequendi curam ſuſceperint, Celſiſſimi D. Ordinarii conſensum , & P. Generalis licentiam impetraverint , ſe promptos fore ad obſequia ſpiritualia ipſis Excellentiſſimis DD. Landgraviis, horúmque ſubditis in ſtabili quodam domicilio Möſskirchii ſtruendo toto virium ſuarum conatu præſtanda.

VI. Zeloſiſſimi DD. Comites hac ſententiâ, quaſi ingenti victoriâ , læti mox Celſiſſimum D. Ordinarium inſtantiſſimè pro conſensu interpellant: qui verò ſapientiſſimus Antiſtes, quamquam , ſi affectus ſpectetur , & ipſe in pium hoc opus propenderet, ne ab iis , qui propoſitum hoc lividis intuebantur oculis, gravamina moverentur , Commiſſionem Epiſcopalem deputavit, quæ loci ſitum , mentem incolarum , & accolarum periclitaretur , ac partes omnes intereſſe aliquod habentes , aut prætendentes audiret , harúmque contradictiones notaret : verbo omnia ea ageret, quæ in ſimilibus cauſis ſecundùm Decreta Pontificia &c. de jure , & conſuetudine agenda ſunt , ut omnia ſint plana , antequam Illuſtriſſimorum DD. Comitum petito Epiſcopaliter annuatur. Vigente hac Commiſſione Regiminis Fürſtenbergici DD. Officiales , & Conſiliarii Principalibus ſuis gratum præſtituri obſequium ſuo nomine ultroneas ad Capitulum Provinciale Badæ Ergojæ coactum litteras expedierunt, ſimul atque Patres pro maturanda loci occupatione inſtanter rogârunt, aſſerentes , ſe ob felicem Commiſſionis ſucceſſum de favorabili à Conſiſtorio Conſtantienſi ſententiâ haud ambigere. Idipſum proprio motu per officioſiſſimas ejusdem ſtyli litteras egerunt Stattamannus, Conſul, Senatus, Populúsque Möſskirchenſis. Interim Acta Commiſſionis Celſiſſimo D. Ordinario conſignantur ; qui, quòd nulla in contrarium currentia , aut

in Bullas Pontificum impingentia inveniret obſtacula , accedente Reverendiſſimi Officii arbitrio , Epiſcopali Diplomate Illuſtriſſimis DD. Landgraviis , poſt dilaudatum eorumdem honoris divini , & ſalutis animarum zelum Monaſterii Capucinis parandi plenam contulit facultatem : qua habitâ iidem Excellentiſſimi DD. Fundatores licentiam quoque P. Generalis ſuo marte ſollicitandam ſuſceperunt , ac citra moram impetrârunt. Cùm igitur omnia eſſent paria , RR. Patres quatuor Fratribus obedientiam impertierunt Möſkirchio immigrandi , Illuſtriſſimis DD. Landgraviis officia ſua ſpiritualia impendendi , & M. R. D. Parocho , qui & ipſe impatienter tantam finalis rerum exitûs tarditatem impatienter tulerat , in cura animarum juxta ipſiusmet determinationem beneviſam cooperandi : quibus juſſibus deſtinati Patres examuſsin paruerunt.

VII. Toto biennio noſtri in hoſpitio ſibi aſſignato ſubſtiterunt , antequam ad ſolennem apprehendendæ poſſeſſionis actum deveniretur. Die 4. Octobris Anno 1661. ad magnificandam S. P. Franciſci , & diei Onomaſticæ Illuſtriſſimi D. Landgravii feſtivitatem Reverendiſſimus , & Ampliſſimus DD. Abbas Zwifaltenſis Ord. S. Bened. lapidis primordialis poſitione , & fundi benedictione in maxima plaudentis populi multitudine perfunctus eſt ; qui & inſigni præconio Ordinem Capucinorum pro concione commendavit , & lapidi ſequentem in pagella ſcripturam alligavit.

Ad majorem Omnipotentis Dei gloriam ,
Almæ Virginis , & Matris Dei laudem ,
Sancti Seraphici Patris Franciſci honorem ,
Animarum proximi ſalutem ,
Fidelium Defunctorum Requiem ,
Et Fundatorum æternum ſolatium ;

Ex mandato , & Coaceſſione Reverendiſſimi & Celſiſſimi Principis , ac DD. Franc. Joannis , Epiſcopi Conſtantienſis. S. R. I. Principis , Augiæ Majoris , atque Oehningæ Domini &c. Reverendiſſimus D. Chriſtophorus celeberr. Monaſterii in Zwifalten Ord. S. Benedicti Abbas Anno 1661. die 4. Octob. in ipſo feſto S. Seraph. P. Franc.
Gubernacula Eccleſiæ Roman. Alexandro VII. tenente ,
Et in Imperio Romano Germanico Leopoldo I. regnante ,
Primarium hunc lapidem hujus Eccleſiæ ab Illuſtriſſimis , & Excellentiſſimis DD. Franciſco Chriſtophoro , & Frobenio Maria Germanis , Comitibus à Fürſtenberg , Heiligenberg , & Wertenberg &c. Landgraviis in Baar , & Stühlingen , Baronibus à Gemognies , & Gundelfingen , Dynaſtis in Hohenhewen , Hauſen , in Valle Kinzingana , Wildenſtein , Möſkirch , Waldperg , Kornhaus , Liſtna , & Trachau &c. Equitibus. Nec non Sac. Cæſ. Maj. & Sereniſſimi Archi-Ducis Ferdinandi Caroli ab Auſtria reſpectivè Camerariis , & Colonellis &c. proOrdine RR. PP. Capucinorum fundatæ &c. Præſentibus Illuſtriſſimis & Celſiſſimis Dominabus Maria Cleophe Duce ab Arenberg & Arſchott , nata de Hohenzolleren , vidua &c. Maria Thereſia Comite à Fürſtenberg , nata Duce ab Arenberg & Arſchott &c. Nec non A. V. P. Januario , A. V. P. Columbo , A. V. P. Feliciano , A. V. P. Dominico Capuc. &c. ac Prænobilibus

libus, & Strenuis, ac Clariſſimis viris Joanne Fiſcher J. U. D. Jacobo Carolo Iſſlinger à Granegg, & Franciſco de Nicola, Illuſtriſſimorum ac Excellentiſſimorum DD. Fundatorum Conſiliariis, Juſtitiæ, Aulæ, & ſtabuli Præfectis &c. atque aliis quàm plurimis honoratis viris, & perſonis, ac univerſo populo Möſskirchenſi &c. adhibitis ſolitis Eccleſiæ Romanæ cæremoniis, & ritibus poſuit, & in hujus rei memoriam hanc ſcripturam appoſuit, quâ præfatus S. Seraph. P. Franciſcus à prædictis Fundatoribus pro ſe, atque ſuis eligitur, & electus eſt

In perpetuum animarum Ducem,
In Perſonarum Tutorem,
Bonorum Curatorem,
Negotiorum Directorem,
Præſentium Gubernatorem,
Futurorum Proviſorem,
In proſperis Adjutorem,
In adverſis Protectorem,
Atque ſalutis temporalis, & æternæ Promotorem.

VIII. Poſtquam rei tam ſolennia auſpicia data fuiſſent, opus fabricæ ipſum inchoatum, & in eo proſequendo collaboratum fuit, exſtimulante præſentia ſua, & verbo, operarios Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo D. Landgravio regnante, ac labores inſigniter præmiante, cujus ea fuit munificentia, ut præter collatum ædificii fundum, tegulas, lateres, ligna, vecturas, omnes propè alios ſumptus fermè ſolus ferre voluerit, vix aliquibus aliis in beneficentiæ ſocietatem admiſſis. Ubi ergò omnia conſumata eſſent, Celſiſſimus, ac Reverendiſſimus DD. Franc. Joan. Epiſcopus Conſtant. pro more ſuo clementiſſimo ipſus die 21. Septemb. 1665. ſolennitatem Conſecrationis, & Dedicationis Eccleſiæ obivit. Hoc tandem hoſpitio donati Capucini functionibus ſuis tum Religioſis, tum Miſſionariis incumbere cæperunt, & uſque huc perrexerunt, perpetui, ac quotidiani Sereniſſimæ Domûs Fürſtenbergicæ Beneficiarii, obſtrictiſſimíque pro ejus incolumitate, & flore ad Deum deprecatores.

§. XVIII.

Monaſterium Neoſtadienſe.

I. NEoſtadium oppidum in ſylva nigra, incerto authore, collocatum viatoribus deſcenſum in Brisgojam aperit; hinc venientibus viam in Sueviam demonſtrat à veredariis teri ſolitam. Eſt autem ſylva nigra ob denſitatem, & multitudinem arborum ſylveſtrium; ab aliis verò Hercynia ob copioſum alburnum è pinaſtris reſiniferis fluere, & colligi aſſuetum, dicta, in parte Meridionali ad fluenta Rheni, uti Ariſtotoles, Julius Cæſar, Strabo, Plinius apud Claverium conteſtantur, originem, ſeu initium capiens, illud vaſtiſſimum nemus, quod Sueviam, Bavariam, Bohemiam &c. complexum ad fines usque Thraicos porrigitur. Hodie tamen ejusdem ambitus à

Brisgoja, Rheni tractu, Landgraviatum Baarenſi, & Wirthenbergia circumſcribitur; & ii à recentibus topographiæ cultoribus erroris arguuntur, qui vocabulo Hercyniæ, tanquam ſylvæ nigræ ſynonimo, & cum hac convertibili utuntur, cauſatis, quòd Hercynia ad ſaltus Bohemiæ pertineat ſignificandos; ſylva nigra autem in finibus noſtris exiſtat; quam verò Ammianus Marcellinus ab utraque nomenclatura recedens ſylvam Martianam vocat. Hanc utcunque demùm nominatam ſylvam ſanctiſſimus Patriarcha Benedictus, magnus ille nemorum cultor Profeſſoribus ſuis multis retrò ſæculis incolendam deſtinavit; & quidem circa Annum 950. ad locum, qui S. Blaſius dicitur, clauſtrale habitaculum ſtruxiſſe fertur; quod ab Anachoretis diſperſim per illos abſtruſiſſimos ſaltus Deo, & orationi Vacantibus, & in loco S. Blaſii ſynodum ſuam celebrare ſolitis originem traxit. Præter nonnulla alia Monaſteria Ord. SS. Benedicti, Bernardi, & Auguſtini Canonicorum Regularium etiam ſancto Archi-Eremitæ Paulo opportuna videbatur ſylva nigra, in qua per Sectatores ſuos pro inſtituti ſolitarii ratione tria faceret tabernacula; unum Bondorffii; alterum Thannæ; tertium Gruenvvaldæ, ut à candidis hiſce Incolis ſylva nigra albeſceret, hujúsque denſæ caligines ab illorum ſanctitatis, & virtutum ſplendoribus illuſtrentur.

II. His demùm poſt longam temporum intercapedinem Seraphicus P. S. Franciſcus ſe in Capucinis ſocium junxit; non loci amænitate, quæ nulla eſt; ſed Apoſtolandi zelo, cujus fæcunda occaſio illic datur, allectus, & Neoſtadii, tanquam principali ſæpè dicti nemoris loco, nidificatus. Nutu verò Numinis oppidum hoc, quod priſcis temporibus in unica domo tranſeuntibus, & veredariis hoſpitandis deſtinatâ conſtabat, ſucceſſivâ ædificiorum, & Incolarum plurificatione augeſcens, Capucinis in Miſſionis exercitium indigitatum fuiſſe, ex eo concluditur, quòd longè ante, quàm Capucinis vel animus fuiſſet, vel cogitatio ſuperveniſſet ibidem habitationem quamdam figendi, vir nonnemo ſimplex, & rectus, Deúmque timens, ac ſenio gravis paulò ante ſuum ex hac mortalitate egreſſum Conjugem ſuam his affatus ſit verbis: *Sciaſ velim, Religioſos viros Capucinos in hoc Domûs noſtræ fundo, & ſpatio religioſam habitationem adepturos, atque uſurpaturos fore; quod quidem tu oculis tuis gaudens videbis, ſed non ego.* Poſt mariti obitum mulier & ipſa piiſſima id aſſeveranter, & ſæpius, allegatô in fidem conſcientiæ teſtimonio tam domeſticis, quàm extraneis narrare conſuevit. Veridicum autem hominis præſagium fuiſſe, eventus ipſe poſt multorum annorum ſeriem comprobavit, cunctis non ſolùm admiratis, ſed indignatis, quòd mulier fæmineæ curioſitatis oblita virum ſuum non poſtulaverit vaticinii rationem, & modum.

III. Inter alios toparchas, qui in ſylva nigra partem Dominii habent, ſingulariter eminent Illuſtriſſimi Landgravii de Fürſtenberg, nunc S. R. I. Principes Lineæ Stüehlinganæ; quorum eadem cum Principibus Möſskirch. ſunt antiquitatis, dignitatis, atque originis merita, & decora,

ra, præter alia inſuper in §. 24. recenſita. Ad hos, inquam, Toparchia, & oppidum Neoſtadienſe, qua versùs Brisgojam inclinat, pleno jure pertinet. Locus ipſe incultiſſimus, & per majorem anni partem nivium copiis obductus; qui, etſi multam Cœli inclementiam patiatur, & nedum vites; ſed adeò neque arbores pomiferas, neque frumentum ferat; fœni tamen, & armentorum eò feracior eſt, Deo, & natura his aliorum ſupplente penuriam. Unde & circum circa pagos, oppidula, villas, & prædia diſperſim locata; horúmque maximam Incolarum multitudinem numeraveris. Ipſius pagi Neoſtadienſis, qui tamen jure, & prærogativis Civitatis, ut ferè nomen indicat, gloriatur, zelantiſſimus animarum Opilio aliquoties per annum è Friburgenſi Capucinorum Conventu, trium leucarum itinere, per Cœlum, & infernum (loca intermedia ſic nuncupata) emetiendo ſubſidiarios quondam evocare conſueverat, qui ſibi, ac ſuis è cathedra, confeſſionali, ac re exorciſtica Apoſtolicam operam ſuam locarent. Haud parum ea meſſis, hujúsque proferendæ opportunitas Patribus Provinciæ arriſit: præſertim verò poſt factam Provinciarum partitionem iisdem è re fore videbatur, utì tum animarum quæſtûs, tum in commoditatem è Brisgoja itinerantium fratrum diverſorii ſtruendi causâ ſtabilem ibidem manſionem figerent. His Patrum conſiliis ſuffragabantur ardentia Communitatis Neoſtadienſis, totiúsque venerabilis Cleri ſylveſtris id ipſum exoptantis deſideria, tunc primùm in flagrantiſſimum æſtum egreſſa, cùm duo Capucini Friburgô poſtulati quemdam ſupremo ſupplicio afficiendum tam felici, & miſſionariâ eloquentiâ ad ſubeundam mortem cohortati, atque comitati fuiſſent, ut plerique ſpectatores inde commoti ſimiles ſibi agonizaturis patrinos exoptarent.

IV. Poſt nonnullas igitur hac ſuper re conſultationes fixum omninò, ratúmque habuerant Neoſtadienſes in id negotium conjunctis viribus incumbere. Ut verò ordinatè, ac feliciter propoſita ſuccederent, Illuſtriſſimum, & Excellentiſſimum DD. Maximilianum Franciſcum, Landgravium de Fürſtenberg &c. ceu Dominum ſuum longè gratioſiſſimum de his edocendum, ejúsque placitum cenſuerunt exorandum. Nil jucundius ea ſubditorum peroratione Illuſtriſſimo Domino accidere potuiſſet; ut qui ipſemet ſimilia meditatus eſſet conſilia, & pro Fürſtenbergica in Capucinos propenſione hos ipſos Toparchiæ, de qua ſermo, ſpirituales inquilinos, atque Cooperatores dudùm exoptâſſet: quapropter ſubditis ſuis, cretâ notato eorumdem ſtudio, illóque ceu Phidiæ ſignô delectatus utroque pede in eorum ſententiam ſe diſceſſurum pollicitus eſt. Exinde ergò cum Provinciæ Primoribus conſultationes agitare cæpit, iſtísque jam Anno 1669. locum Neoſtadienſem pro religioſo habitaculo peramanter obtulit, convincentibus ad acceptanda hujusmodi oblata perſuaſionibus litteras ea de cauſa exaratas muniens. Tametſi autem haud multis ad Patres eò adducendos opus fuerit, utqui ſponte, utì præfati ſumus, ejusdem loci occupandi animo tenebantur; attamen Illuſtriſſimo Domino Landgravio conſenſum Epiſcopalem evincendum, aliáque complananda permiſerunt, quæ difficultatem afferre poſ-

ſent. Nil hic cunctatus cum Celſiſſimo ac Reverendiſſimo DD. Franciſco Joanne Ordinario Conſtantienſi, cui totus Landgraviatus Fürſtenbergicus in Spiritualibus eſt ſubditus tractationem inſtituit. Res quidem Epiſcopo non diſplicuit ; nihilominùs is cautè procedendum ratus inquiſitionem Epiſcopalem reſolvit, quæ negotii congruentiam, practicabilitatem, atque utilitatem exploret, ut omnibus perſpectis impertienda Ordinariatûs facultas eò minoribus pateat contradictionibus, tantóque velociorem adipiſcatur executionem. Ad interim verò annuit, ut pro inſtruenda Capucinorum habitatione in loco Neüſtatt neceſſaria comparari, atque aptari potuerint. Excellentiſſimus, & Illuſtriſſimus D. Landgravius huic conſensui imminens Reverendos Patres Lauffenburgi congregatos de dato Engæ 27. Aug. 1669. per litteras efficaciſſimas ad capiendam in dicto Neüſtatt poſſeſſionem invitavit, atque perſuadere conatus eſt : inter alia & hôc argumenti locò uſus : *qua quidem occaſionem mihi præbebunt RR. Paternitates veſtræ, ut Domini mei Parentes (p. m.) veſtigiis ſaltem aliqualiter inſiſtere poſſim &c.* ut diſcas, quanta ſanguini Fürſtenbergico in fovendis Capucinis patrizandi prothymia indita ſit. Et cùm per eosdem dies facultas Epiſcopalis in forma authentica adveniſſet ; cujus virtute permittebatur ut temporale, ſed ad nutum revocabile hoſpitium materietur ; in quo citra ullius Juris Epiſcopalis præjudicium ex puris eleemoſynis victitantes intra terminos Parochis locorum benevisos miſſionarias functiones exercere valeant : ideò R. P. Provincialis, & alii quatuor Patres huc ſelecti Neoſtadium concedentes in domo Capellaniæ poſſeſſionem ceperunt ; quâ factâ P. Provincialis ad ſua regreſſus eſt, cæteris ad litteram conceſſionis Epiſcopalis ibidem permanere, & ſaluti animarum cooperari juſſis.

V. Vix autem meditatæ hujusmodi Coloniæ fama percrebuit, cùm mox æmulatio, & imaginaria damni aliis Religioſis hinc inferendi ſuſpicio adverſarios conduxit, atque in campum produxit, qui inita cauſæ ſocietate claſsicum inſonantes cum multo ſtrepitu Celſiſſimo, ac Reverendiſſimo D. Nuntio ſupplices ſupervenerunt, quatenùs Capucinis contra Decreta Pontificum, & in aliorum Religioſorum quæſtuatione in ſylva nigra à multo temporum tractu fruentium præjudicia, ſubmiſſionis titulo regulare hoſpitium molientibus inhibitionem faceret. Et cùm contradictores multa argumenta ad ſpeciem convincentia, verbísque ſesquipedalibus obſervantiam Conſtitutionum Papalium crepantia conglobâſſent, Celſiſſimus D. Nuntius Lucernenſis iis captus Capucinos ad reſpondendum, & ſe purgandum coràm citavit. Nomine Provinciæ R. P. Marcus Jacobus Cellenſis Ex-Provincialis ad Sac. Nunciaturam perrexit, limitatâ Celſiſſimi Ordinarii Conceſſione ; Reverendiſſimi D. Balthaſari Frey SS. Theologiæ Doct. Parochi Friburgenſis, & Commiſſarii Epiſcopalis relatione peractæ in hac cauſa Inquiſitionis, & atteſtato, ſuper practicabilitate, & utilitate invehendæ miſſionis, quin ulla contradictio illorum, quibus legitimè contradicere competit, interveniſſet ; & denique argumentis, quibus adverſariorum objecta diluantur, & ad ſiccum uſque exhaurian-

tur, abundè inſtructus.

Licèt

Licèt autem Celſiſſimus D. Nuncius ea tempeſtate graviter infirmatus VI.
hoc negotio moleſtari haud ſuſtinuerit: illud tamen Reverendiſſimo D. Auditori dijudicandum, ac decidendum commiſit, quòd cum omnibus ſuis connexis, atque annexis à P. Commiſſario propoſitum, & ſuâmet Minervâ declaratum, à Reverendiſſimo D. Judice Delegato probè conſideratum adeò huic illuxit, ut cognitâ objectionum inſubſiſtentiâ, & infirmitate, ne quid deteriùs dicamus, P. Commiſſarium macto animo eſſe jubens eidem certam ſpem faceret, Celſiſſimum D. Nuncium, ſi convaluerit, citra omnem dubitationem pro Capucinis pronunciaturum, & adverſantium Appellationem, ceu temerariam repulſurum eſſe; poſſe igitur Patres optima fide inchoatam miſſionem, & fabricam proſequi, tanquam de favorabili deciſione ſecuros. Hoc reſponſo nixi Provinciæ Majores diſpoſuerunt, ut die 6. Junii 1670. prima hoſpitii fundamenta in eadem, quam ſupramemoratus vates prædixerat, areâ, mirabili Numinis providentia in hunc uſum comparatâ, eruerentur. Cúmque domicilium hoc ex lignis totum ſimpliciter compaginatum, & eadem ætate ad colophonem perductum fuerit; ideò & ad ſacellum contiguè ſtruendum ex deputatione Celſiſſimi D. Ordinarii die 19. Septembris A. R. D. Matthæus Mayer Parochus Neoſtadienſis, & venerab. Capitul. Rural. Villingani Deputatus initialem lapidem publica benedictione ſacratum ad tantam circumfusæ plebis exultationem, quantam Illuſtriſſimi D. Fundatoris gratulationem in humum abſcondit. Patres verò apparatum ſibi hoſpitium die 25. Septemb. ingreſſi Regularem ibi vitam ſibi aliiſque proficuam inſtituerunt, & templi ſtructuræ eodem adhuc anno in ſuperficie, & tignis perficiendæ collaborârunt.

Quandoquidem interim Celſiſſimum, ac Reverendiſſimum DD. Fri- VII.
dericum Ubaldinum Baldeſchi Archi-Epiſcopum Laodicenſem, & Nuncium Apoſtolicum ad Helvetios &c. &c. quòd morbi vis ingraveſceret, ac quotidie in pejus rueret, Nunciaturam deprecari, Romámque repedare; econtra huic Celſiſſimum ac Reverendiſſimum DD. Odoardum Ciboum ex Principus Maſſæ, Archi-Epiſcopum Selevicenſem in ea provincia ſubrogari contigerat, præfati Coloniæ Neoſtadienſis Adverſatores priorem telam retexentes de extrudentis inde Capucinis novas molitiones inſtituerunt, atque per Deputatos, & ſupplicem libellum eumdem Celſiſſimum D. Nuncium ad hanc ſententiam pertrahere conati ſunt. Verùm non epheſias litteras lucernam dediſſe, eventu docti ſunt. Nam ubi Celſiſſimus D. Nuncius pro æquitate ſua alteram quoque partem audiviſſet; Acta præcedentia inſpexiſſet, gravamina ab Adverſariis conſarcinata, ſed à reis cum fundamento enervata attentè perpendiſſet; ac ſuper omnia Apologiam pro ſua Authoritate vindicanda poſtulatus eſſet; præterea cum idem Celſiſſimus Nuntius Promotoriales pro Capucinis ſub die 5. Septembris 1671. Marispurgô emanatas; ac denique conſensum Pontificium à R. P. Placido Friburgenſi Miniſtro Provinciale recenter Româ allatum, cum aliis rationibus & motivis legiſſet, tunc demùm Antagoniſtarum phalangem receptui canere & Capucinis debita victoriæ palma frui, atque in Oppido Neüſtatt non

temporale duntaxat, ſed firmum, ac perenne hoſpitium erigere, ſeu jam erectum ſtabiliter habitare, juſſit.

VIII. His ita feliciter geſtis Capucini concreditæ ſibi vineæ operam ſuam impertire cæperunt, & in arcto illo Domicilio, ac Oratorio Exercitiis ſuis incuberunt, usque dum Anno 1691. inſtinctu, & auxilio Illuſtriſſimi D. Comitis ab Oettingen copiarum Cæſarearum Archiſtrategi ſaltum Hercynium contra Gallorum irruptionem tutantis, de conſenſu Celſiſſimi ac Reverendiſſimi DD. Ordinarii, & Reverendæ Definitionis arbitrio Oratorium in amplioris Eccleſiæ formam dilatatum fuiſſet; quam die 15. Octob. 1695. Reverendiſſimus & Ampliſſimus DD. Conradus Ferdinandus Geiſt à Wildegg &c. &c. Suffraganeus Conſtantienſis pontificali ritu conſecravit. Et cùm eadem reſidentia Miſſionaria de RR. PP. Judicio Anno 1699. in Guardianiam excreviſſet, Decretis Pontificum magis conformem; ideò & ædicula, quæ hactenùs Fratres hoſpitaverat, in Regularis Monaſterii figuram amplianda, atque redigenda fuerat; quæ fabrica quidem mox poſt ſententiam inchoata, ſed temporum iniquitate velociorem operis progreſſum remoratâ primùm Anno 1709. conſumata fuerat. Benefactores tam primævi, quàm reformati Monaſterioli præter Illuſtriſſimum, & Excellentiſſimum DD. Franciſcum Maximilianum Landgravium de Fürſtenberg-Stüehlingen, hujúsque Illuſtriſſimos Deſcendentes, de quibus alibi &c. potiores extiterunt, etiamnùm exiſtunt venerabilis Clerus ibidem locorum diſperſus, & homines plebei beneficentiâ ſuâ Fratrum noſtrorum ſtudia provocantes, & largiter remunerantes.

§. XIX.

Monaſterium Oberkirchenſe.

I. URbs Oberkirch in Brisgoja inferiore, Epiſcopatu, & Jurisdictione tam ſpirituali quàm temporali Epiſcopi Argentinenſis collocata, à fertilitate fundi vel maximè commendabilis eſt; vini enim, & frumenti feraciſſimâ fruitur glebâ; unde circum circa vineis & cincta, & eleganter coronata fruentibus lucroſum; & intuentibus jucundum exhibet proſpectum. Versùs Meridiem Ortenaviam, Rhenum, & Alſatiam; versùs Occidentem Marchionatum Badenſem reſpicit; versùs Orientem Superiorem Brisgoiam, & ſylvam Nigram habet; versùs Aquilonem denique per vallem uſque ad famoſa montana Kniebis dicta exporrectam in Wirthenbergiam, & Sueviam ingreſſum demonſtrat. Non longè ab urbe Caſtrum Schauenburgenſe; ex altera parte Caſtrum Fürſteneggenſe in monte prominet, quorum tamen utrumque bellico furore vaſtatum cernitur. Plures circumquaque pagi, & urbecula Oppenoa, integram dynaſtiam ab urbe, tanquam principe loco, Oberkirchenſem nuncupatam conficiunt, quibus nomine Epiſcopi Argentinenſis Præfectus in Oberkirch reſidens jus dicit.

cit. Quòd à pluribus jam ſæculis inter Cameralia altefati Epiſcopi bona computata fuerit hæc urbs cum appertinentiis, exinde colligi pronum eſt, cùm circa Annum 1424. Marchio Badenſis eàm Epiſcopo extorſurus, & Ditionibus ſuis adjecturus cum valida pugnatorum manu illam aggreſſus ſit; quam tamen erumpentes Argentorato Cives contra hunc aggreſſorem vindicârunt, ac Domino ſuo aſſeruerunt, tutante locum, ut vocabant, Conſtabili, nomine Graſeneck. Veroſimiliter antiquitùs, & primitùs à propriis dynaſtis condita, & poſſeſſa fuit; prout Equites de Oberkirch inter Nobiles Brisgojæ, & Allemanniæ à ſexcentis, & retrò annis celebres à Cruſio annal. Suevic. Paralip. cap. 21. commemorantur; & circa annum 1522. Jacobus de Oberkirch Argentorati vixiſſe compertus eſt, aulæ Udalrici Ducis Wirthenbergiæ, ſed tunc profugi, & exulantis præfectus. Quàm dura Oberkirchio, totíque dynaſtiæ fata in ſæculo decimo ſexto, & tempore, quo Lutherus novi ritûs Invento Eccleſiam Romano-Catholicam turbaverat, ſubeunda fuerint, opportuniùs ad §. 21. de Hoſpitio Oppenovienſi recenſenda ſervamus; cùm ea, ceu antiquiora, juveni Monaſterio Oberkirchenſi minùs, quàm illi pro hiſtoriæ commodo ſubſerviant.

II. Plura concurrent motiva, quorum intuitu Provinciæ Superioribus jam ab aliquibus annis viſum fuerat Hoſpitium Oppenovienſe Oberkirchium transferre: ídque potiſſimùm ex eo, quòd Hoſpitia aliàs Religioni odioſa, integritate Regularis diſciplinæ adverſa, ut in quibus nequit frequentari diurnus, nocturnúsque Chorus, ſolenne Capucinis, ac omnibus Religioſis aratrum; neque obiri ſtatutæ à Conſtitutionibus Generalibus horæ orationis mentalis; nec obſervari ob paucitatem fratrum immenſis excurſionibus, & laboribus diſtentorum alia Ordinis exercitia, & conſuetudines à primævis Provinciæ Authoribus introductæ, exemplo monſtratæ, & ordinationibus præceptæ, ſemper, aut plerumque non alio, quàm hoc fine acceptari ſoleant, quàm ut ea aliquando in formales, & integros Conventus ampliantur, in quibus major opportunitas prædicta omnia magis ex aſſe juxta mentem Conſtitutionum Apoſtolicarum obſervandi. Cùm verò ob anguſtiam loci, urbis exilitatem, Incolarum pauperiem, aliáque ſexcenta obſtacula poſſibile nunquam foret præfatum finem circa Hoſpitium Oppennovienſe aliquando in qualitatem Conventûs elevandum aſſequi; econtra idipſum in loco Oberkirch exequendi & proxima ſpes, & maxima facilitas affulgeret, invitante non ſolùm ſuperlaudata glebæ fæcunditate; ſed & civium opulentorum, quin & ipſius Dynaſtæ hujusmodi transmigrationem ſummoperè exoptantium voto. Prætereà cùm cauſa finalis, ob quam hoſpitium Oppenovienſe acceptatum, & hactenùs habitatum fuit effectus ſuos abundè operata ſit, & expleverit: vallis nimirùm illa ab hæreſum zizaniis expurgata, Religio vera ſtabilita, & idoneis, zeloſísque paſtoribus ſufficienter cuſtodita, ac munita ſit; ideò horum omnium contemplatione Patribus Provinciæ tantò magis poſt loci Oppenovienſis deſertionem, & migrationem in Oberkirchenſem animus pruriit; quòd aliàs nonnulli civium Oppenovienſium in Capucinos

exulcerati, & inſoleſcentes his non facilè devorandas vexationes, atque moleſtias intulerint ; quarum tolerantiâ nec res confecta, nec peſſumdatæ, & magis peſſumdandæ Religionis euphemiæ ſatis proſpectum fuerat : ſed requirebatur defenſio, quæ nunquam litibus vacat, ſempérque religioſæ tranquillitati, & paci nocet, authoritati functionum Apoſtolicarum officit, mutuam in ſpiritualibus, & temporalibus confidentiam minuit, offendentium animos ulteriùs exaſperat, & offenſorum ſuſtentationem difficilem & cohabitationem amaram reddit.

III. Quapropter in cumulum præfatarum cauſalium inſuper veniente ſumma neceſſitate, nec minore ob rationes ante allegatas difficultate hoſpitii Oppenovienſis aliàs rimas agentis, ac ruinæ vicinantis reparandi, novísque fundamentis fulciendi Provinciæ Patres revocatas ab Oppenoa curas in Oberkirchii adeptionem unicè transferendas duxerunt, Evangelico etiam axiomate inducti : *Si vos perſequentur in iſta civitate, fugite in aliam.* Matth. c. 10. v. 23. Cùm Auguſtiſſimus Imperator à Galliarum Rege armis laceſſitus Dynaſtiam Oberkirchenſem jure belli ſuam fecerit ; háncque Sereniſſimo Marchioni Badenſi Ludovico Willhelmo in meritorum ſuorum remunerationem, ac damnorum compenſationem ſub certis terminis fructuandam ceſſerit ; ideóque præfatus Sereniſſimus ejusdem Dynaſtiæ temporale tum exercuerit dominium, antè omnia hujus ad meditatam hoſpitii translationem conſenſus fuerat implorandus. Et verò tantum abeſt, ut hic Sereniſſimus vel minimùm huic propoſito diſſenſerit ; ut potiùs per conductum in rem interceſſorem, Perilluſtrem Dominum Carolum Ferdinandum L. B. de Plitterſtorff primæ ad Sereniſſimum admiſſionis virum Provinciæ ſummam ex hoc complacentiam renunciari juſſerit, & non ſolùm plenam ejus exequendi gratiam fecerit ; ſed & opem ſuam illuc ſe collaturum ſpoponderit. Eadem facilitate conſenſus Epiſcopalis Argentinenſis impetratus fuit, impertiente in forma authentica Eminentiſſimo, & Sereniſſimo DD. Guilelmo Egone, S. R. E. Cardinale, Landgravio de Fürſtenberg &c. & Ordinario Argentinenſi ſub dato Berny die 21. Novemb. 1695. ſed & Reverendiſſimi P. Bernardini ab Aretio Miniſtri Generalis facultas perpenſis rationum momentis priùs fermè conceſſa, quàm rogata fuerat, ſub dato Græcii 3. Jan. 1696.

IV. His ita conſtitutis explicari non poteſt, quantâ lætitiâ, & gratulatione tum Officiales, Dynaſta præprimis Perilluſtris D. Joan. Baptiſta L. B. de Bodegg, tum Oberkirchenſes nuncium de inſtituenda Capucinorum ad ſe transmigratione acceperint : ut qui mox ne quidem rogati ligna, lapides, calcem, arenam, argillam, & cætera ædificationi neceſſaria non tantùm liberaliſſimè contulerunt, ſed pænè obtruserunt. Nec defuêre, qui nervum gerendæ rei prænumerârunt ; dum præter alios ruſticos quispiam trecentos exhibuerit florenos. Reverendiſſimus & Ampliſſimus DD. Albertus Abbas ad omnes Sanctos Ordinis Præmonſtratenſis, cujus Monaſterio in ſylva nigra duabus propè horis Oppenoâ diſſito, & circa annum 1192. ab Utta vidua Ducis Welfonis de Schavvenburg ex caſtro de Schavvenburg propè Oberkirch nata Comitiſſa

de

de Eberſtein, unici Filii Gerungi Matre fundato &c. ab antiquis temporibus cum Præpoſitura ad promovendam domeſticationem ibi ſtructa, jus parochiale competit, qui operi huic contrariaturus timebatur, ejusdem promovendi hortator, & promoti adjutor eximius exſtitit. Quamquam verò & Perilluſtris D. Baro de Bodegg per litteras Patribus Provinciæ hortator acceſſerit, ut negotium citrà omnem procraſtinationem maturetur; ſuaſerítque, dum ferrum callet, cudere, & præſertim tempore uterentur, quo Oberkirchenſes, quibus conſtitutum fuerat non ſuſcitare domos ſuas nuper bellicis flammis exuſtas, antequam pacis propediem exſpectatæ promulgatio fuerit facta, operas ſuas certatim ad ædificium ſtruendi Monaſterii locare properaturi eſſent, non facturi aliàs, utpote habitaculis ſuis parandis deinceps occupandi. Nihilominùs viſum fuit fabricæ auſpicium, & poſſeſſionis capiendæ ſolennitatem in annum ſequentem differre.

V. Anno 1696. in Capitulo Provinciali Riedlingæ 31. Auguſti collecto decreta eſt actualis loci Oberkirchenſis occupatio; adeóque opportuni fratres, & fabricatores illuc deſtinati in ædibus à Domino Norberto Hund, urbis Prætore oblatis, rejectis illis, quas Perilluſtris D. Baro de Schavvburg licèt Lutherô infectus gratanter in habitationem conceſſurus erat, ſuſcepti ſunt, Reverendiſſimo DD. Abbate Sanctorenſi Altare S. Urbani in Eccleſia Parochiali Religioſis hoſpitibus in exercitia ſacrorum concedente. Die 21. Octob. ejusdem anni publica loci poſſeſſio ſumpta: Anno 1697. verò die 25. Maji, permittente Reverendiſſimo D. Archi-Presbytero Haslacenſe, & Generali Vicario Cis-Rhenano (cùm ob flagrantis belli motus nulla Argentoratum via patuerit, ut à Reverendiſſimo D. Vicario Generali licentia exorari poſſet) Proceſſio ex Eccleſia Parochiali ad futuri Monaſterii aream inſtituta, & officiante Reverendiſſimo DD. Abbate ſæpè memorato, Crux, & fundus benedicti, lapis primordialis ſacris reliquiis munitus in erutam terram immiſſus; inſignis adeóque feſtivitas acta eſt, augente hanc Reverendiſſimo Domino Jacobo Vogler Abbate Schutterano Ord. S. Bened. decorante Plur. Reverendo D. Jo. Joſepho Franz Archi-Presbytero Ottersvvürano per elegantiſſimam ad populum confertiſſimum orationem, ac Perilluſtri Domino Barone de Bodeck pontificali ſympoſio actum coronante. Die 7. Junii exinde fabrica incæpta, & unà cum templo eatenùs compaginata fuit habitatio, ut eodem adhuc anno Religioſi Hoſpites immigrare potuerint, coronidem operi imponente die 2. Auguſti Anni 1699. quo & Hoſpitium in formalem Conventum tranſiit, Eccleſiæ Dedicationem impediente bellorum inquietudine, quæ primùm conſecrata fuit die 26. Aug. 1737.

§. XX.

Monaſterium Offenburgenſe.

I. OFfenburgum Urbs Imperialis ab Offone Conditore ſuo id nomen ſortita eſt. Is regio Anglorum ſanguine procreatus Princeps circa annum Dei hominis 600. ex Britannia majori peregrinantis habitu prædicandæ fidei causâ in Germaniam profectus, & ad Schutteraugiam, duce Numine, delatus ibidem Monaſterium Ord. S. Bened. Offonis cellam; nunc Schutteren dictum ædificavit, & trium inde horarum intervallo ad Fluvii Kinzæ ripam pro ſua manſione caſtrum, Offonisburgum à ſe nuncupatum extruxit, quem Rex Auſtraſiæ Regionis Cis-Rhenanæ Præfectum conſtituiſſe fertur, in eo loco argentum ſub terra effodit, ac monetam excudit, quam ob Angliæ memoriam imagine Angeli crucem utraque manu ferentis inſignivit, quali apparatu primos Anglorum Apoſtolos inceſſiſſe Beda teſtatur. Ejus monetæ nummi noſtrâ linguâ Anglici vel antiqui Offenburgenſes dicti hodiedum ab Antiquitatum Cultoribus oſtentantur. Regio illa Ortenavia, ſive ob ſicariorum ibidem olim graſſationem Mortenavia dicta vini generoſioris, frumenti, aliorúmque omnium, quæ ad uſum, & delicias hominum deſiderari poſſunt, fæcunditate, & abundantia longè latéque celebris ſylva nigra ab Ortu; Wirthenbergiâ ab Aquilone, Badenſi Marchionatu ab Occaſu, & Alſatia, hujúsque ſpectabili capite, Argentorato, à quo non niſi duabus leucis diſtat, circumſcribitur. Quando urbs Imperio addicta fuerit, haud admodùm conſtat. Multo tempore Epiſcopo Argentinenſi oppignoratam fuiſſe, traditur. Cùm autem circa annum 1238. partes Henrici Thüringiæ Landgravii ab aliquibus Imperii Principibus contra Fridericum II. in Imperatorem electi ſectaretur Henricus Epiſcopus Argentinenſis, ex Suevo Comitum ſtemmate de Stahleck oriundus, hic, præter alias urbes, etiam Offenburgenſem Conrado Friderici Filio addictam armorum violentiâ ſibi iterùm vindicaverit: quæ primùm ſubinde Anno 1330. à Marchione Badenſe repignorata; demùm partim redempta, partim verò Cæſari Ruperto à Willhelmo Epiſcopo Argent. jus remiſſum dicitur; ob plurimam fatorum acerbitatem, & viciſſitudinem in armatam Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ Advocatiam aſſumpta fuit. Ab ædificiorum quondam præſtantia, opulentia, nominis claritudine, & Privilegiorum prærogativa nulli in Imperio urbi ſecunda; nunc verò horum omnium non niſi triſtem memoriam, & rudera fortunæ antiquæ teſtimonia à Gallico furore relicta oſtentare poteſt.

II. Ante hac cum civitatibus Gengenbach, & Cella-Hamersbach ſe confæderavit ad ſecuriorem Immunitatum, Privilegiorum, & Jurium ſuorum manutenentiam, cum reciprocis ſponſionibus, quòd, ſi una Confæderatarum à quocunque extraneo in Juribus ſuis affligenda eſſet, aliæ ad horum vindicationem afflictæ auxilium ſuum impendere tenerentur,

ac

ac vellent. Anno 1614. & ſeqq. ad renovandum, roborandúmque hoc fœdus animum adjecit Offenburgum; eúmque in finem S. R. Imperii, & Dicaſteriorum ſuperior-ac Anteriorum Ænipontani, & Enſishemienſis (nunc Friburgenſis) aſſiſtentiam imploravit. Verùm Lunæ radiis non maturescit botrus; & coriaceum, pelliceúmque exſpectaveris auxilium ab auxilii inope. Utcunque enim reſtaurandi fœderis copia facta ſit; confœderatæ tamen unà omnes temporum iniquitate ad auxiliandi impotentiam devenerunt. Nam Anno 1632. menſe Auguſto Suecus militem urbi foſſis, aggeribus, vallis, turribus, & annonâ, Præſidióque militari haud obiter munitæ admoverat, & acerrima obſidione ei imminere, murifragis tormentorum fulminibus illam quaſſare, igneo pyrobolorum grandine vehementiùs obruere, & ultimum eidem excidium afferre tentaverat, ut poſt ſatis ſtrenuam quatuor hebdomadarum defenſionem ulterioribus impares obſeſſi vitam, & urbis ſalutem deditione pacti hoſtem die 2. Septembris in urbem admiſerint; Civésque, dato militibus Cæſareanis libero egreſſu, fidem poſtulati hanc Sueciæ Regi jurare compulſi ſint; ſub cujus dominatu, intactâ tamen Religionis Catholicæ praxi, toto triennio urbs gemuit. Anno 1635. Suecis denuò ejectis Civitas ſub firmo Cæſaris Præſidio impoſterùm indemnis permanſit.

II.

III. Verùm haſce calamitates longè ſuperat illa, quæ huic urbi à primævo Eccleſiæ Romano-Catholicæ nunquam non conſtanter, & fideliter inhærenti à perniciosa Argentorati à Novatoribus Luthero attemperati vicinia allata eſt. Nam Offenburgenſes cum Argentinenſibus quotidiano fermè uſu familiares vix non perverſi dogmatis contagione afflati ſunt. Certè enim, ſolo nomine Catholico ſuperſtite, adeò in præceptorum Eccleſiaſticorum obſervantia, crebriori ſacramentorum uſurpatione, Concionum, & officiorum divinorum frequentatione intepuerunt, nulli ut jam ſibi conſcientiæ ducerent diebus Sabbathinis carne veſci, exhomologeſin, & annuam ſynaxin vix tempore Paſchali ſemel obire, verbum Dei, & Parochialem Eccleſiam nauſeare, econtra antiqui ritus, & avitæ pietatis tenaciores digito monſtrare, ac velut ſuperſtitioſiores ſugillare. Ideóque vicinis in Comitatu Hanovienſi, & ditione Oberkirchenſi ſub dominatu Lutherano jam jam Lutherizare incipientibus proximus ardebat Ucalegon, timendúmque fuerat, ne & Offenburgenſes his ſe erroribus in transverſum abduci permiſſuri eſſent.

Patres Provinciæ, qui aliàs Fratribus Haslachiô Badenam itinerantibus, & viciſſim Offenburgum, ceu intermedium diverſorium, exoptâſſent, & quomodo ibi Conventum ſtatuerent, ſimul atque ruentem propè Religionem ſuccollarent, ſeria aliàs agitaverant conſilia, hæcque facilè rata fixáque habuiſſent, ſi æquè media iis exequendis paria præſtò fuiſſent. Cives enim novam Religioſorum mendicatu viventium coloniam adeò non affectabant, ut potiùs, quos in Monaſterio ibidem ſtructo ab antiquis temporibus Incolas habebant, RR. PP. Conventuales etiam eliminatos voluiſſent. Ideò Patres noſtri citiùs è pumice

aquam, quàm ab Offenburgenſibus admiſſionem, vel auxiliationem ſe obtenturos ſperare potuiſſent.

IV. Sed quos Numinis providentia cogitatus ſervis ſuis inſpirare voluit, horum peragendorum ſubſidia jam paraverat. Guardianiam Briſacenſem Anno 1634. gerebat P. Carolus Hagenovienſis conſummatæ prudentiæ, nec minoris virtutis Religioſus, in ſæculo jam olim Conſulari dignitate ſpectabilis, qui, ut erat Conſobrinus Illuſtriſſimi Viri D. Eucharii Harſt à Porenau, Domini in Bieslingen, & Sclavatin, Sac. Cæſ. Maj. Conſiliarii, & in Marchionatu Moraviæ ſupremi Vigiliarum Magiſtri, quem non ſolùm opibus potentem, ſed & Ordinis Capucinorum tenerè amantem noverat, ducente calamum Patre luminum litteras ad hunc D. Cognatum ſuum exaravit, in iiſque loci commoditatem, ac neceſſitatem, ſperandam animarum meſſem, paratum Capucinorum animum huic incumbendi; horum econtra inopiam rerum pluribus expoſuit, ſimul atque eidem ſupplicavit, ut pro ædificando Offenburgi Monaſterio auxilium quoddam ſubminiſtrare, atque ſic æternæ gratitudinis monimentum in Patria ſua erigere vellet. Nec in vanum has tetigit chordas Pater Carolus. Equidem eâ epiſtolâ, & contentis inibi perſuaſionibus adeò captus fuit D. Eucharius, ut in reſponſo onus ſumptuum, qui ad Conventûs ubi ubi conſtructionem deſiderarentur, liberaliter in ſe ſuſceperit, juſſeritque verbo ſuo confidere, atque ad meditatum tanti ſpiritualis emolumenti opus quantumcunque opportunum cenſebitur, progredi. Hujusmodi nuntio Provinciæ Patres magnoperè lætificati, atque in largiorem cum Offenburgenſibus tractandi fiduciam erecti occaſionem hanc premere ſtatuerunt. Verùm, quos paulò ſuperiùs commemoravimus, belli tumultus, ac ipſius Offenburgi obſidio, & occupatio hiſce conſiliis laconicas attulerunt lunas, tempori itaque vivendum fuerat.

V. Quamprimùm autem Offenburgum Suecorum abſceſſu, ſibi, & Imperio redditum fuit, Patres per quosdam ablegatos rei idoneos viros urbis Primoribus mentem ac conſilia ſua patefecerunt, eósque ſecuros reddiderunt, nullo id opus Urbi conſtiturum onere, aut ſumptu, præter gratuitam, ſi qui impendere volent, operam manualem, cùm ex cujusdam Benefactoris munificentia notabilis pecuniæ vis fabricæ intentæ deſtinata Cives non ſolùm omni onere exemptura; ſed potiùs iis occaſionem præbitura eſſet non aſpernanda inde emolumenta hauriendi, addentes, hoc ſpirituale Domicilium, ejúsque Religioſos Incolas tantæ utilitatis futuros eſſe, ut urbem concedendæ admiſſionis, dandíque conſensûs, pro quo impræſentiarum quàm demiſſiſſimè ſupplicarent, nulla unquam pœnitudo eſſet ſubitura. Tantæ poteſtatis hæc delegatorum Patrum peroratio fuerat, ut Primates urbis ea permoti acceptum ſibi fore talium Colonorum contubernium aſſeruerint, civésque in hanc ipſam ſententiam ſe tracturos promiſerint, omnem porrò opem, quæ ſine nova afflictæ urbis afflictione conferri poſſet, offerentes. Simili ſuadâ Plurimùm Reverendum D. Eccleſiæ Offenburgenſis Rectorem himet Oratores in vota ſua perſuaſerunt. Quapropter con-

conſentientibus quoque Celſiſſimo ac Reverendiſſimo DD. Ordinario Argentinenſi, & Reverendiſſimo P. Miniſtro Generali in Capitulo Lucernæ die 18. Septembris 1637, habito duo Patres Offenburgum ſubmiſſi, & poſſeſſionem Offenburgi capere, atque interim religiosè ibidem habitare juſſi ſunt; quibus peramanter ſuſceptis ſacellum hoſpitalis pro divinorum exercitio; pro habitaculo autem commodiſſimæ urbis ſedes addictæ fuerunt; quin tamen furente adhuc per Germaniam Bellonâ, ante triennium ad fabricæ auſpicium præcedi potuerit.

VI. Initio Capucini aliquibus nunquam viſi, paucis cogniti, pluribus à nudo pedum inceſſu, centonum vilitate, curtâ, aut nullâ ſuppellectili, propexâ in pectore barbâ, vultûs inediâ exeſi pallore, totóque habitu omnem mundi figuram exuto deſpectui fuerunt. At poſtquam hi converſationis manſuetudine, morum gravitate, humilitatis geſtu, divinorum zelo, precandi ardore, & Apoſtolicâ è roſtro facundia ſe ſe commendâſſent, paulatim æſtimari, benevolè haberi, Auditores ab Evangelizantium ore pendere, vitia dedoceri, virtutes inſtrui, abuſus exterminari, Religionis integritas reſtitui, mores Lutherô infecti reformari, Sacramenta frequentari, Dei, Sanctorúmque cultus reſtaurari, omnésque adeò ad Catholicæ pietatis leges mangonizari paſſim cæperunt, ut nonnulli civium palam profiterentur: Lutheri dogmate ſeducendi fueramus, niſi Capucini in repagulum ſuperveniſſent. Triennio his functionibus utiliter exacto, juxta reſolutionem capitularem anno 1640. die 23. Aprilis, ſuperatis quibusdam adverſitatibus ab area, ſufficienti ſpatio, puteo, vivo fonte, aliisque comparandis occurrentibus ad ſtructuræ initium proceſſum, Altare in fundo erectum, Miſſa ſolennis cantata, concio ſub dio declamata, Crucis labarum præfixum, & effoſſis pro templo fundamentis à Perilluſtri ac Generoſiſſimo Domino Colonello L. B. de Schauenburg, Sac. Cæſ. Maj. Conſiliario, ac Præſidii Offenburgenſis Gubernatore primarius lapis, concurrente innumero hominum cætu, & Plurimùm Reverendo D. Andrea Fiacrio Parocho & Rectore Offenburgenſi ſacris, & cæremoniis perfungente, impoſitus; ſed primum poſt annum expurgandâ areâ, & componendis quibusdam tricis inſumptum die 3. Julii 1641. ipſa conſtructio inchoata fuit; quæ tamen adeò proſperè ſucceſſit, ut die 12. Octobris ultimam manum acceperit.

VII. Dum progreſſus ad ſtructuram Cænobii pararetur, ecce! Offenburgenſes alicujus Patris, cujus agendi modo, & familiaritate admodùm delectabantur, mutatione locali enormiter offenſi, hánceque ceu injuriam ſibi à Patribus de induſtria impactam interpretati protinùs omnem ædificio provehendo operam, & ſtudium ſubtraxerunt, ut eapropter toto biennio ab opere proſequendo vacari debuerit. Superiores igitur pacificandis civium animis intenti Patrem prædictum reſtituerunt: quo facto, & reconciliatione ſecuta Offenburgenſes quoque & manus, & animos iterùm ædificio proferendo elocaverunt; quod quidem induſtriâ fabricatorum moram interpoſitam reſarciente tanta velocitate ad perfectionem properavit, ut die 14. Jul. 1645. Capucini recens hoc habita-

bitaculum intrare, & incolere deinceps potuerint, ſtupentibus cunctis, & Dei omnia fortiter ſuavitérque diſponentis dignationem adorantibus, utpote quâ animos Offenburgenſium primò Capucinis ignotos, his familiares; ſecundò infenſos, poſteà pacatos; in concedentis Monaſterio area, ſpatio, fonte, auxilio, & ſtipe durosi, poſtliminiò cereos reddidit. Prætereà miraculi ſpeciem præſetulit, quòd nec hoſtiles quaquaversùm graſſantes manipuli ſtructuræ ullum intulerint incommodum. Equidem uti miles Sueco-Gallus in omnibus per gyrum locis præſidia locaverat; ſic cohortes quotidie prædatum egreſſæ viam latrociniis, atque rapinis adeò intutam fecerunt, ut cives nullius negotii, aut utilitatis causâ urbe egredi, vel jumenta foràs minare auderent; & agricolæ in tuguriis harpyarum faucibus expoſiti in loca ſecuriora recipere ſe deberent. Capucini tamen per duos, quibus utebantur ſervos, & boves impunè hac illácve materialia extra urbem conquirentes, & advehentes laborem ſuum proſecuti ſunt, frementibus, atque tam mirabilem rerum ſucceſſum invidentibus æmulis, & Maſtygibus. Tandem verò duo Officiales Lutherani gregariis eſurientiores præfatos boves fruſtra reſiſtentibus bubulcis, in prædam abegerunt.

VIII. Porrò Offenburgenſes tantâ malorum lærnâ concluſi omne ſuum in Capucinorum ſuffragiis præſidium ſtatuerunt, quò in extremis etiam angustiis tanquam ad ſacram Anchoram confugerunt, ut indemnitatem experti: ita hanc illis tribuentes. Nam Offenburgum quinquies inter ea tempora viarum obſidione, quam Bloquadam vocant, coangustatum; Duce Weinmarienſi ſeveriori aſſultu, igneis globis, & tormentorum arietibus impetitum; ac proximè à Duce Condæo auſteriori Martis genere, uti minitabatur, expugnandum fuerat: Quæ tamen omnia ſupernum Numinis auxilium à Capucinis evocatum; ſicut & copiarum Cæſarearum Polemarchus Schildehaſius cum valida bellatorum manu accurrens feliciter inanefecit, Offenburgum obſidione ſolvit, hoſtes undique profligavit, loca circumfuſa omnia recuperavit, ac optatam commeantibus ſecuritatem reſtituit. Licèt verò in calamitatum auxeſin acceſſerit ſumma rerum egeſtas, annonæ penuria, famésque ſequi prona; utpote Anno 1645. hoſtilis legio meſſem vaſtaverat, eamdem vindemiæ, in illa regione inter pretioſa reputatæ, ſtragem minitata; tamen, quod mirabantur omnes, adeò nil Capucinis neceſſariorum defuit, ut etiam indigentibus elargiri poterant. Dum interim fabri lignarii, ſeu ſcrinarii tabulatis, ac pavimentis Cœnobii apparandis incumberent, P. Carolus pro laboris perennandi ſecuritate ad Gubernatorem Briſacenſem pro exoranda ſalva Guardia Tympaniſtam oratorem ſubmiſit; quem verò inhumanior ille in carcerem compingi, & Capucinis renunciari juſſit: ſe brevi ipſummet venturum, & ſtructuræ Monaſterii invigilaturum eſſe. His tamen minis non morati fabricatores negotium ſuum peragere perrexerunt, ut Cœnobium hoc inter mille diſcrimina, & caſus adverſos inchoatum, propagatum, & conſummatum fuit.

IX. Tandem verò Reverendiſſimus D. Suffraganeus Argentinenſis die 12. Maij. 1647. ſolemnem Eccleſiæ Dedicationem, & conſecrationem ad-

adjecit, clementiſſimo Deo ſervorum ſuorum incolatum comprobante, & confirmante ſequentibus ſignis. Varii enim res perditas: ut gemmas pretioſas, cingula argentea, pecunias, pecora, aliáque furto abacta, ſeu caſu perdita ope S. Antonii per Reſponſorium à Capucinis invocati mirabiliter recuperârunt. Sacellum ad vineas dictum, injuriâ belli dirutum, ſed à Capucinis nonnihil reſtauratum; & celebratione frequentatum in eam famam, formámque hi redegerunt, ut nobilis jam pereginatio illuc floreat, & B. V. M. cultus ibidem inſigniter reſtitutus ſit, evidenti miraculo cum puella quadam ex arbore ceraſorum in imum lapſa ad invocationem B. V. M. in vineis patrato eumdem cultum magis promovente. In partem beneficentiæ, quam Illuſtriſſimus D. Eucharius de Harſt &c. primariò huic Monaſterio impendit, gratitudinis vice à P. Generali facultate donatus, quâ poſt mortem habitu noſtro contegendus in quocunque Ordinis noſtri templo ſepeliri poſſit, venerunt quoque Auguſtiſſimus Imperator Romanorum, qui inſignem fratribus ibi commorantibus Eleemoſynam vini quotannis præbendam aſſignavit. Item Illuſtriſſimus D. L. B. de Schauburg ſupra nominatus, & Illuſtriſſimus D. Baro de Nevè: urbs etiam, & communitas cum antiquiſſimo Cœnobio Benedictino in Gengenbach.

X. Offenburgum autem viciniam Gallorum, ſcilicet Alſatiæ, ſibi exitialem expertum Anno 1678. denuò acri obſidione devaſtandum ſuerat, niſi Sereniſſimus Lotharingiæ Dux cum juſto Cæſareorum agmine per juga, & ſaltus Hercynios ſumma celeritate Crequium Offenburgô armorum vi potiturum curſu prævertiſſet, & conſilia mutare coëgiſſet. Ipſe Sereniſſimus in Monaſterio noſtro diverſorium habere dignatus præclara chriſtianæ pietatis exempla præbuit. Nam ordinatis bellicis veſperè ad Eccleſiam pergens coram expoſito venerabili Sacramento examen conſcientiæ obivit, per tres horæ quadrantes contemplationi, & precibus immorari ſolitus. Poſteà Litanias de nomine JEſu recitari, & benedictionem cum ſanctiſſimo, cujus adorandi tenerrimo tenebatur affectu, ſibi dari poſtulabat. Summo manè denuò Eccleſiam repetens duas auſcultabat miſſas; ſub quarum una confeſſionem Sacramentalem peragere; ſub altera diviniſſimâ Euchariſtiâ refici frequenter in uſu habuit. Beneficentiſſimus ubique Capucinis extitit; præſertim Offenburgo noſtro largiſſimas Eleemoſynas, ſymbolæ locò pro hoſpitio, & obſequiis ſpiritualibus exhibuit. Anno 1688. verò urbs Offenburgenſis tota hoſtilibus Gallorum flammis in cineres redacta; atque adeò in eum ſtatum miſerrimum poſita fuit, ut Capucinis nil porro Eleemoſynæ elargiri potuerit. Hoc miſeratus Plur. Reverendus D. Mag. Adamus Haffner Rector Eccleſiæ Offenburgenſis reditus RR. DD. Cooperatorum fugâ elapſorum, Capucinis, qui abſentium fungebantur officiis per modum eleemoſynæ admodùm neceſſariæ in forma inſtrumenti ſub die 14. Septemb. Anno 1689. attribuit, fruituris hoc ſubſidio uſque ad reditum tum abſentium, tum meliorum temporum. Quibus aliàs ærumnis noſter ibi Conventus belli tempore perfunctus fuerit, in Prædicam. Paſſ. nonnihil delibabitur.

§. XXI.

Hoſpitium Oppenovienſe.

1. OPpenoa urbs parvula, Toparchiæ Oberkirchenſi ſubordinata, & altiſſimis montium jugis circumſcripta, incerti Conditoris opus, in ſpiritualibus, & corporalibus, ſeu temporalibus Celſiſſimo ac Reverendiſſimo DD. Epiſcopo Argentinenſi ſubeſt. Fontibus medicatis, quàm vino fæcundior, ſupra quam dirutum Caſtrum è rupe contigua proſpectat, habitatoribus ſuis occaſionem præbet in ſudore vultûs ſui pane veſcendi, utpote operoſiſſimam in montibus, & vallibus agriculturam exercendi; quæ & lugubri fato quondam Domino ſuo, Epiſcopo Argentinenſi, extorta fuit. Sæculo decimo ſexto hæreſi equis & quadrigis Argentorato invectâ etiam adeò ipſi Lutherani canonicatu illo Catholico, & illuſtriſſimo potiri, ac frui cæperunt. Utque pinguiſſimas haſce præbendas ſecuriori manu tenere poſſent, maximorum Principum, ùt Daniæ Regis, Holſatiæ Ducis, Comitis Palatini, aliorúmque filios in Cathedrale iſtud Collegium adſciverunt, quorum Parentum, & Agnatorum potentiâ, ac authoritate vel Infula Epiſcopalis tandem heterodoxo capiti imponeretur, & impoſitum fulciretur; quæ res inſigni ſubindè tumultui anſam præbuit. Anno 1582. contra Gebhardum Archi-Epiſcopum, & Electorem Colonienſem, qui Pallium ſuum Lutheri abſurditatibus, & ſacrilegis cum Agnete Comitiſſa Mansfeldia nuptiis defædaverat, eáque propter à Gregorio XIII. P. M. Epiſcopatu dejectus, diris devotus; à Romano Imperio autem aqua & igni interdictus fuerat, Capitulum Cathedrale Colonienſe Sereniſſimum, & Reverendiſſimum DD. Erneſtum Bavariæ Ducem canonicè elegit. Apoſtata verò armorum vi thronum, & thorum ſuum firmaturus auxiliarem à Duce Saxoniæ militem nactus contra Capitulum & ipſum valido Præliatorum agmine inſtructum in campum prodit; initóque certamine extremâ clade afficitur, caſtris exuitur, & à victore milite in quendam Bataviæ angulum propellitur. Fidiſſimum conatibus ſuis Achatem habuit Ex-Epiſcopus Comitem de Witgenſtein, ſimilem ad Caſtra Lutheri transfugam, qui ambo etiam ſimul Canonici Argentoratenſes fuerant; quos verò tanquam vaticano fulmine percuſſos Joannes ex Comitibus de Manderſcheid Epiſcopus Argentoratenſis albô Canonicorum expunctos voluit, bonis eorum Fiſco addictis. Sed hac judicandi præcocitate optimus Antiſtes ingens ſibi odium conflavit. Equidem Canonici Papam exuti eo Collegarum ſuorum proceſſu cutem ſuam peti ſubtimentes excitato publico tumultu Epiſcopo reſiſtunt, & vi illatâ Cancellariam ſpoliant. Re itaque ex omni parte ad ruinam vergente utrinque Cæſar appellatur.

Auguſtiſſimus Imperator pro æquitate ſua Magiſtratui Argentoratenſi diſtrictiſſimè quidem imperavit, ut partes Catholicorum tueretur. Verùm

rùm hic ipſemet Lutherum amplexus ſubridentem belli ſpectatorem, quàm agere Juſtitiæ arbitrum maluit, ut adeóque Imperator mandato ſuo tantumdem præſtiterit, ac ſi lupo ovem tutandam concredidiſſet.

II. Piiſſimus Antiſtes Joannes turbulenta hac tempeſtate multùm, diúque jactatus, perſequentium inſolentiâ gallicis quoque auxiliis ſuffultâ compreſſus, atque in eas anguſtias redactus eſt, ut die 22. Junii 1591. mærore, & triſtitia, (alii apoplexia tactum dicunt) contabuerit, juſtæque, & religioſæ cauſæ victima ceciderit. Capitulo ſaniore mox congreſſo Eminentiſſimus DD. Cardinalis Lotharingiæ, Epiſcopus Metenſis in ſucceſſorem delectus eſt, pſeudo-Capitularibus Joannem Georgium juvenem Marchionem Brandenburgicum Epiſcopatûs Adminiſtratorem renuncantibus. Cùm igitur utraque pars electionem ſuam manutenere contenderet, ad arma deventum fuit; quibus initiò quidem Cardinalis prævaluit, & commiſſæ ad Schefflenshemium prælio inſigni victoriâ potitus eſt. Sed hoſte novis ex Gallia copiis roborato priùs victorem, nunc victum arenâ cedere compellente Brandenburgicus vallem S. Petri penitùs expilavit, & munitiora Diœceſeos loca præripuit. Maximis ergò utrinque in ſtipendiarium militem profuſis ſumptibus Capitulum Cathedrale Anno 1604. Toparchiam Oberkirchenſem Wirthenbergiæ Duci pro trecentis octoginta florenorum millibus oppignorandum duxit; qua acceptâ pecuniæ ſummâ Brandenburgicus Epiſcopatui ceſſit. Causâ in ſummo Imperii Tribunali ventilatâ, atque decisâ in hunc textum diſſidentes denique compoſiti ſunt: ut quatuor Canonicis Acatholicis reditus Canonicales eſſent pendendi; Præfectura Oberkirchenſis pignoris titulo penès Ducem Wirthenbergicum remaneat; econtra Capitulo Cathedrali Catholico omnia ſint ſalva, & Religionis Catholicæ exercitium, excluſo ſemper Lutherano, integrum, ac imperturbatum relinquatur. Verùm dominatu in manibus heterodoxi Principis ſtabilito, nulla habita pactorum, & conventorum ratione pededentim hæreſis ſtabulari, & peſtilentiæ cathedra permiſſa fuit; cùm Hypothecarius rebus adminiſtrandis Officiales Lutheranos admoverit, ejusdem furfuris colonos ſeu accerſiverit, ſeu ſeipſis nidificare diſſimulaverit, Præfectus Oberkirchenſis Miniſtellum quemdam erudiendæ juventuti ſuæ didaſculum advocaverit, qui non ſolùm ibi, ſed Oppenoæ quoque coadunatis novi Evangelii ſectatoribus pſeudo-Apoſtolatum ſuum impendit; hìc & ibi prohibitæ Religionis praxin exercuit, cunctáque Parochialia ad Lutheri leges componere attentavit, tanto malorum incremento, quanto bonorum exitio. Ut enim octoginta ferè annos hæc res agebatur, deficientibus Præfectis, & popis mox alii atque alii prioribus deteriores ſubſtituebantur, & tandem non niſi Lutherani ad munia localia aſſumebantur; ita factum eſt, ut avita Religio ſenſim peſſumiret, adverſa numero, & impuni exercitio prævaleret, timendúmque eſſet, ne hujus omninò abolendæ ruinis Lutherus explicata errorum ſuorum vexilla impoſiturus ſit.

III. Anno 1665. Celſiſſimus, ac Reverendiſſimus DD. Franciſcus Egon ex Landgraviis de Fürſtenberg, S. R. I. Princeps, & Epiſcopus Argentinenſis, tanta animarum pericula miſeratus pignoris reluitionem animo

concepit ; ac Toparchiam reddito hypothecæ lytro à Duce Wirtenbergiæ, atque adeò Lutheri faucibus repignoravit, data Civibus Lutheranis in præfectura remanſuris immunitate, licèt eorum plerique rebus ſuis divenditis emigraverint. Diuturnô autem talium ſociorum contuberniô ipſi Catholici usque adeò in rudimentis Orthodoxæ fidei cæcutire, Eccleſiæ ſacra negligere, divina contemnere, Evangelio Lutheri aſſentiri didicerunt, ut propè non fuerit diſtinctio Judæi, & Græci, ignorantiâ myſteriorum noſtrorum augeſcente ex paucitate Paſtorum ; cùm animas plus bis mille per vallem multis anfractibus hinc inde excurrentem diſperſas non niſi unicus curaret Parochus Orthodoxus. Horum igitur contemplatione ex Apoſtolico Reverendiſſimi & Ampliſſimi D. Joannis Pleiſter Vicarii Generalis Argentinenſis dictamine, ac Reverendiſſimorum DD. Canonicorum Cathedralium conſilio Celſiſſimus & Reverendiſſimus DD. Ordinarius Altefatus Miſſionem Religioſorum in ſpirituale ſubditorum æquè ac Parochorum ſubſidium prædictæ invehere conſtituit, ipsámque interiorem vallem S. Petri pro Miſſionis reſidentia aſſignavit : cúmque præ aliis Religioſis Patres Capucinos pro Fürſtenbergica in his affectione ad id negotium magis idoneos, atque promptiores fore judicâſſet ; ad hos in vineam hanc conducendos cum Reverendiſſimo Conſilio Eccleſiaſtico condixit ; ideò & prædictus Reverendiſſimus D. Vicarius Generalis Provinciæ Patribus per litteras multum humanitatis, nec minus zeli Apoſtolici complexas mentem Celſiſſimi, ac ſuam explicavit, eósque actu ad occupandum, excolendúmque agrum memoratum invitavit, experturos omnem Celſiſſimi Ordinarii, & Reverendiſſimi Capituli aſſiſtentiam, atque favorem. Patres ergò, non obſtante Provinciæ haud porrò dilatandæ, & præſertim nullius Hoſpitii acceptandi propoſito oblatæ tamen meſſis intuitu, tantíque Principis offerentis reſpectu permoti hujusmodi clementiſſimæ oblationi aſſurrexerunt, & quemdam è Provinciæ Senatu virum deputârunt, qui locum coram judicaret, &, ſi quid utiliter agi poſſe arbitraturus eſſet, cum Reverendiſſimo Officio Eccleſiaſtico propinquiùs tractaret.

V. Hic explorata tota Regione præ valle S. Petri planitiem Oppenovienſem figendæ ſedi opportuniorem cenſuit, cujus redditas rationes Reverendiſſimus D. Generalis Vicarius oppidò probavit ; ideòque Patri Commiſſario plenam eligendi loci libertatem fecit : huícque in ſententia de loco Oppenovienſi perſiſtenti non ſolùm ipſe Reverendiſſimus D. Vicarius in arena annuit, ſed & Celſiſſimus D. Ordinarius in forma authentica ſub dato Bonnæ 4. April. 1668. conſenſit, uſurpandi ſacelli Oppenoæ exiſtentis, reíque agendæ commodi facultatem dedit, & ex hac Miſſione inducenda uberes Eccleſiæ fructus producendos clementiſſimè divinavit. Reverendiſſimus D. Vicarius Generalis facultatis hujus aſſignationi hortatum ſuum ſuperaddidit, quatenùs Patres licentiæ Epiſcopali inſiſtant, virósque Religioſos quantocyùs deputent, qui confracta conſolidarent, plantarent, rigarent, & pro ſingulariſſimo Ordinis encomio ad Religionis quodammodo exulantis, atque labefactatæ reſtaurationem, & incrementum miſſionem conceptam auſpicarentur.

Et

Et cum judicii Oppenovienſis Scultetus, Stabhalterus, & duodenarii Aſſeſſores per litteras ſub die 14. April. 1668. pro figendo penès ſe potiùs, quam in valle S. Petri Hoſpitio Oratores ſuperveniſſent, Patres Majores tam prementibus inſtantiis victi R. P. Lucianum Montifontanum futuræ Reſidentiæ Superiorem conſtituunt, & adjunctis ei duobus Concionatoribus, ac uno Laico cum poteſtate miſſionem initiandi, eáque omnia agendi, quæ ad comparandam, auſpicandam, ſtabiliendámque habitationem neceſſaria fore judicaturus eſſet. Verùm plurimam in faciendis imperatis difficultatem, & contradictionem nonnullorum, quibus jus Parochiale in Oppenoa competit, comperit P. Lucianus, aliquibus etiam ex Judicio Oppenovienſi à nupera invitatione ſua reſilientibus; utpote quibus hoc ænigma propoſitum: An conſentire vellent in quatuor milites perpetuò à ſe alendos? & negantibus perſuaſum fuit: atqui admittendi à ſe Capucini tandumdem incommodi, oneris, ac ſumptuum Communitati ſunt faceſſituri, ac quatuor, aut ampliùs milites.

V. Huic verò coloniæ contradicendi princeps ratio ab æmulatione, & frivola ſuſpicione profecta eſt: quaſi Capucini in contemptum, & notabile detrimentum aliorum hanc Miſſionem expracticâſſent, vel acceptâſſent. Cùm inſuper P. Superior intellexiſſet, hos adverſarios nullum noſtris Apoſtolandi, Concionandi &c. &c. campum permiſſuros; Oppenovienſes verò in eum animum comparatos, vel traductos eſſe, ut nullum erigendæ reſidentiæ fundum concedere vellent: ideò excuſſo in contradictores pulvere, pacéque impertita Offenburgum cum ſuis repedavit: ubi & Reverendiſſimum D. Vicarium Generalem de omnibus transactis, & obſtaculis pleniſſimè edocuit; qui rei indignitate commotus eumdem P. Lucianum Oppenoam redire, & non attentis ullorum contradictionibus realem loci poſſeſſionem capeſſere juſſit: qui mandatis morem gerens in domo habitationis mercede conducta aliquamdiu ſuſtinuit ingratum adverſantibus objectum. Poſtquam autem idoneus ad fabricam domicilii, ac templi fundus comparatus fuiſſet, ſtruendi domicilii Regularis præparatoria facta, & primarius lapis à R. P. Pancratio Engenſe, concedente Reverendiſſimo Domino Suffraganeo Argentinenſi, die 2. Septemb. 1668. ſolenni benedictione ſecundùm Rituale Romanum ſacratus, Reliquiis ſacris inſtructus, & in effoſſam humum cum hac inſcriptione locatus eſt.

Deo Opt. Max. honor, & gloria.
Anno Chriſti Servatoris milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo octavo,
Clementis IX. ſumm. Pontif. nono,
Leopoldi I. Imperatoris Auguſti decimo,
Franciſci Egonis è Domo Fürſtenbergica progeniti,
Epiſcopi Argentoratenſis, octavo.
M. R. P. Fortunato à Cadoro totam Religionem Capucinorum
Secunda vice gubernante.
R. P. Placido Friburgenſe Brisgojo Provinciam
Anterior. Auſtriæ regente.

Dynaſtiâ Oberkirchana, quæ ultra ſexaginta annos pignoris locò ſub Duce Wirthenbergico, & jugo Acatholico gemuerat, ante tres annos redempta.

Provincia Helvetica ante quatuor menſes in duas divisâ,

Cùm noſtri RR. Patres Celſiſſimo Epiſcopo Franciſco Egone præfato favente, Reverendiſſimo & Ampliſſimo D. Joanne Pleiſter, Diœceſeos Argentinenſis in ſpiritualibus Vicario Generali imprimis promovente,

Populo idipſum conſtanter repetente,

Sedem Oppenavii ſtabilem figere impetrâſſent,

Et venerandos Patres Lucianum Montifantanum, Superiorem, Raphaëlem Friburgenſem Brisgojum, Auguſtinum Dambergenſem, Sacerdotes Concionatores, & F. Gallum Offenburgenſem laicum, PRO PRIMA FAMILIA deſignâſſent, atque è domo Lauterbachio huc translata Eccleſiam Deo, & Hoſpitium Fratribus

Ordinâſſent,

Hodie Dominica 15. poſt Pentecoſt. quæ eſt prima Septembris, & dies 2. ejusdem menſis horæ nona antemeridiana,

Deo auſpicante, Deipara patrocinante

Divo Franciſco Patriarcha opitulante,

Populo proceſſionaliter adventante,

Primum hunc lapidem ad hanc fabricam poſuit R. P. Pancratius Engenſis Provinciæ Definitor.

Quod itidem Deus

Poſteris hìc habitantibus felix fàuſtúmque evenire jubeat.

VI. His ita geſtis operi ſtructuræ, vallicolis, & ruſticis etiam diſtantioribus vecturas operarias certatim ſubminiſtrantibus, haud ſegniter incubitum, ipsísque offenſionum lapidibus in bonum cooperatis, ſtrenuè propagatum fuit; ut Hoſpitio ad leges paupertatis, & architectonices permiſſæ utcunque compaginato novi Hoſpites Anno 1669. ſuſcepti fuerint. Tota res impenſis Provinciæ, ſeu eleemoſynis aliunde huc translatis peragi debuit. Celſiſſimus D. Ordinarius ſubſidium rogatus promiſit quidem; ſed Officiales Oeconomiæ incumbentes Principis promiſſum inane reddiderunt. Quòd verò hi Miſſionarii ab exercitiis Apoſtolicis arcerentur, neque ad Cathedram Parochialem admitterentur, Reverendiſſimum Officium Eccleſiaſticum iisdem libertatem fecit in proprio ſacello diebus Dominicis, & Feſtivis concionem horâ primâ pomeridianâ habendi. Imò loci Parochus obſequia ſpiritualia vel moribundis eô abſente à noſtris impenſa dedignatus eſt; & impendi deinceps noluit. Poſtquam verò unus absque ſacramentis obiiſſet, ſibi malè conſcius, atque metuens, ultrò cum ſubmiſsâ deprecatione non tantùm licentiam plenariam conceſſit hujusmodi ſubſidia conferendi; ſed ut ſubſidiarii conferrent, magnoperè rogavit. Cæterùm bonis hiſce viris initiò plerumque paupertina, & Hecatæ cæna parabatur, incolis inopiam cauſatis nil propè eleemoſynarum præbentibus. Ubi verò religioſa illorum converſatione, & obſequendi promptitudine manſuefacti fuiſſent, cum propenſiore benefaciendi voluntate eis quoque facultates ſuppetebant.

Cùm,

VII.

Cùm, uti §. 19. memoravimus, Conventus Oberkirchenſis eo fine, & intentione acceptatus, atque fundatus fuerit, ut miſſio, & hoſpitium Oppenovienſe penitùs aboleatur, ac deſeratur; igitur Annis 1696. & 1697. ſeriò ea intentio fuerat exequenda. Verùm Capucinis res ſuas convaſare incipientibus, & transmigrationem apparantibus communitas Oppenovienſis nuper aſpero in Capucinos ingenio uſa, quod his cauſa fuerat abſcedendi, animos magis propitios induta vehementer, atque inſtanter, ne exeſſent, Capucinis ſupplicavit; imò & à Celſiſſimo, ac Reverendiſſimo DD. Ordinario decretum impetravit, vi cujus Capucini Oppenoâ haud dimitti; ſed potiùs ibidem in miſſione illa perennare deberent. Igitur Patribus Provinciæ Communitati condeſcendentibus, & decretum Epiſcopale reſpicientibus miſſio Oppenovienſis uſque huc ſtabilita permanſit, de cujus ſucceſſu alibi adhuc aliqua.

§. XXII.

Monaſterium Ravenſpurgenſe.

QUà Ducatus Sueviæ ad Lacum Bodamicum inclinat, magis magísque fertili glebâ miteſcit, quibus in finibus Ravenſpurgum libera S. R. I. Urbs ſe ſe ſpectandam præbet, olim Gravenſpurgum, quaſi Comitis Caſtrum; ſed tempore primam hujus nomenclaturæ litteram abſorbente, Ravenſpurgi vocabulo donatum, ac Caroli Magni ævo Guelphorum Regimini addictum fuit; cui è contiguo monte veſtigia diruti Caſtri imminent, quod Anno 1100. à Saturnino Suevo ædificatum dicunt, nunc à Fano ruderibus impoſito mons S. Viti nuncupatum. Antiquitùs Duces Sueviæ hîc ſedem habuiſſe conſtat; quos inter præſertim Hildprandus fuerat, Hildegardis Caroli Magni nuptiis regiam dignitatem; & vitæ ſanctimoniâ apotheoſin conſecutæ Genitor. Haud procul inde aliud quoque Caſtellum, Hasloch dictum, ex alto proſpectat, quod Friderico Babaroſſæ incunabula dediſſe nonnulli opinantur. Anno 1311. Equeſtris in Suevia nobilitas hîc Catadromum elegerat pro celebrando Torneamento, ordine decimo ſeptimo, quod à plurima Ducum, Principum Comitum, Baronum, Equitum, Nobiliúmque frequentia ſolenniſſimum fuit. Urbs quondam à turrium, murorum, vallorum, & propugnaculorum fortitudine, & multitudine munitiſſima hoſtium quorumcunque aggreſſus & generoſa ſuſtinuit, & victrix repreſſit: prout Anno 1389. à Bavariæ Ducibus, & Seniore Truchſeſſio acriter, diúque oppugnata; ſed non expugnata fuit. Anno 1552. Turris tubicinaria concidit; è qua ruina tubicen, oppreſſis hujus uxore, & filio, indemnis, & integer perſtitit. Sequente Anno ea turris reſtitui cæpit, & Anno 1555. conſummata, & lapidi cuidam Rhytmus Germanicus omni poſteritati factum annuntians inciſus eſt. Antiquitates, fata, & geſta urbis Jodocus Geng Com- I.

mentario, quem Chronicon Ravenspurgenſe inſcripſit, proſecutus eſt. Quatuor portas habet ſecundùm quatuor mundi plagas; duas Eccleſias Parochiales, & Aſceterium RR. PP. Carmelitarum; cujus ſuperiora rivus alluit, quo ſtatutis diebus urbi immiſsô, & per compita in varios alveos deducto ſordes commodè evehuntur. Id verò præ reliquis urbi huic ſingulare, quòd una ſcaturigo centum & quadraginta fontes vivos ſubminiſtret. Urbs, ſi qua alia, aëris ſalubritate, ſitúsque amænitate eminet, vallem, cui inſidet, amni Schuſsâ leni murmure permeante, & in lacum Bodamicum properante. Deambulantibus prata virentia, ſegetes, vineta, arbores frugiferæ, & aliæ, quæ pergulas paradromides conficiunt, arrident, & ab Occaſu celeberrimus pagus Altorff, vulgò **Weingarten**/ Comitum Altorffenſium ſedes, ac Ethiconis, Avi S. Conradi Epiſcopi Conſtant. conceptaculum, obviat; quem inſignis S. R. I. Abbatia Ord. S. Bened. in colle leniter faſtigiato prominens, à Guelphone III. Carinthiæ, Nordgraviæque Duce fundata mirè exornat; nec minùs commendat Provincialis ibidem Præfectura; quæ unà cum Comitatu à Romanis Imperatoribus collata fuit Sereniſſimæ Domui Auſtriacæ, & univerſæ circum Regioni Jus dicit, atque ſingularibus privilegiis pollens Juriſdictionem in certi diſtrictûs mediatos æquè ac ſtatus immediatos exercet. A parte Meridionali occurrit alia S. R. I. Prælatura Ord. Præmonſtrat. Augia candida, ſeu minor dicta, Weingartenſi propè coæva, pia liberalitate Gebizonis Comitis Habspurgici ſuſcitata.

II. Unum eſt, quod gloriam, famámque urbis ſexcentis aliàs encomiis dignæ haud parum offuſcavit, & felicitatem minuit: quòd nimirùm, cùm Anno 1399. hæreſis Albatorum ſectatores ad eam regionem divertentes ex ſtudio avitæ Religionis penitùs abominata eſſet, Anno verò 1546. abominationem ſectæ Evangelium crepantis, & à Thoma Thiliano ebucinatæ præpoſtera aliarum Imperii civitatum imitatione explicato ſinu ſuſceperit, recentíque Religioni ipſa novitate ſuſpectæ, ut quæ anguſtam ad cælum viam contra expreſſum Chriſti verbum largiſſimè dilatat; ſed ſpecioſo Auguſtanæ Confeſſionis nomine, & Magnatum eidem accedentium exemplo cohoneſtatæ ſacramentum dixerit; quo factum, ut urbs & Magiſtratus ad tenorem Inſtr. Pac. Cæſ. Suec. art. 5. §. Deinde &c. per ſimultatem Religionis parificatus fuerit, ac etiamnùm ſit: dolétque hodiedum primævæ Eccleſiæ puritas, quòd ab hac cultûs paritate, ſeu potiùs diſparitate temerata, & compulſa ſit Lutherum in eodem RR. PP. Carmelitarum templo hoſpitare, quamquàm illi hoc jam ab anno 1349. ſibi ſoli poſſederint, ad exercitium unicæ Religionis Catholicæ uſurpaverint, atque adeò præſcripſerint. Verùm prævalente Proteſtantium ſuffragio, quorum lex in manibus, non ſolùm atticos advenas patienter tolerare; ſed adhuc timere debent, ne hoſpes indigenam extrudat. Porrò ex dicta Religionis ſimultate puſillus orthodoxorum grex ſemper magis magísque minoratus jam olim poſt Religioſos excubitores Capucinos ſuſpiravit, qui urbem ab univerſali infectione tutarentur. Diſpoſuítque mirabilis Dei providentia, ut pii evaderent voti ſui compotes.

Wangæ

Wangæ in Allgoja die 20. Septembris 1611. diem ſuum obiit piiſſi- III.
ma fœmina Domina Barbara Lenzin, D. Georgii Neſer Wangenſis quondam Archigrammatæi amantiſſima Conjux; quæ tum honoris divini, tum ſalutis animarum zelo pro Cœnobio Capucinis Wangæ ſtruendo opiparum legavit peculium, rogato in ultimæ voluntatis executorem, ac vindicem Perilluſtri D. Jo. Jacobo Vogt ab Altenſummerau, Domino in Prasperg, & Grüenenberg &c. Nil hâc teſtamenti curâ viro in id propoſitum pro inſigni in Capucinos affectu propenſiſſimo gratius, atque jucundius accidere potuiſſet; qui idcircò ardore perfungendi officio ſuo æſtuans Magiſtratum Wangenſem convenit, & expoſita adventûs ſui cauſa cum eo de conſtruendi Monaſterii fundo pacturus multa in hujus commendationem peroravit, atque ejus promotionem ſuis impenſis ſe adjuturum promiſit. Sed quòd ejusmodi inducenda Religioſorum colonia altioris videretur eſſe indaginis, pluribúsque incommodis obnoxia; Wangenſes ea vice ad conſenſum, & cooperationem adduci non potuerunt; ut exinde Perilluſtris D. de Prasperg Auguſtiſſimum Imperatorem Matthiam I. glor. record. tanquam ſupremum omnium ad pias cauſas legatorum executorem implorandum duxerit: qui, ut ipſemet hoc ædificii opus promotum vellet, ad id urgendum Illuſtriſſimum DD. Dapiferum de Wolfegg Commiſſarium inſtituit; cujus dexteritate Wangenſes nonnihil mitiores redditi ſe huic propoſito non refragaturos intra certas tamen clauſulas explicârunt; quapropter tum D. Commiſſarius, tum D. de Prasperg ea explicatione læti illicò Capucinos advocârunt. Verùm his comparentibus Wangenſes dati verbi pœnitere cœpit; qui igitur mille difficultates cauſati reſilierunt, pudefactis Illuſtriſſimis rerum geſtoribus, quòd murem pro leone oſtendiſſent Capucinis; qui actis ubique gratiis nolentes ſe nolentibus obtrudere ad ſua remeârunt.

Licèt hominis voluntas uſque ad poſtremum vitæ articulum ambula- IV.
toria; poſt mortem verò immobilis eſſe debeat; tamen intervenientibus legitimis cauſis, & ſuprema authoritate nonnunquam etiam ſecuta teſtatoris morte, ſalva ſubſtantia diſpoſitionis, de loco ad locum ambulaſſe, & ambulare poſſe in hac narratione deprehenditur. Videntes enim Illuſtriſſimi DD. Henricus de Wolfegg, & Jo. Jacobus de Prasperg, ſe apud Wangenſes Anthericum meſſuiſſe, in eam ſententiam condixerunt, ut vellent legatum erigendo apud Ravenspurgum Cœnobio Capucinorum impendere, ſiquidem Auguſtiſſimus Imperator huic Legati translationi conſenſurus eſſet. Quia aliquorum Senatûs Ravenspurgenſis arbitrium acceſſit; ideò bini Illuſtriſſimi Auguſtiſſimo Imperatori Ferdinando II. qui Matthiæ mortalibus exempto ſucceſſerat, conſilii hujus utilitatem, atque etiam neceſſitatem pluribus expoſuerunt, ſupplicantes ut ſua Cæſ. Maj. authoritatem, & clementiſſimum aſſenſum conferre dignaretur, quò Legatum Nesericum ad figendam pro Capucinis propè Ravenspurgum habitationem Regularem applicari valeat. Nec diu pulſandus fuerat piiſſimus Cæſar; ſed mox de dato Oedinburgi 8. Jul. 1622. gratioſiſſimo Reſcripto Illuſtriſſimorum Oratorum piam cogitationem encomiis extulit, eísque ad hanc perſequendam ſtimulos addidit, Legati

transferendi, ac rei propoſitæ impendendi aſſenſum præbuit, Illuſtriſſimum D. Dapiferum negotii Commiſſarium conſtituit, huic in laboris ſocium Jurisconſultiſſimum virum D. Albertum Eberhard Monaſterii Weingartenſis Cancellarium adjunxit, modum, quo Legatum è Wangenſium manibus repeti debeat, ſuggeſſit, aliáque præſcripſit, quibus optatos inſtituti ſui exitus aſſecuturus eſſet. Ad horum ergo omnium regulam DD. Commiſſarii die 5. Septemb. ejusdem anni ad arcem Wolfeggenſem convenientes vocatis ad ſe Wangenſium Deputatis in præſentia quoque Perilluſtris D. de Prasperg litteras credentiales primò exhibuerunt, deinde mentem Sac. Cæſ. Maj. expoſuerunt, denique Legatum Neſerianum ab eis extradi poſtulaverunt: quod DD. Wangenſes nil tergiverſati in ſubmiſſiſſimum Cæſarei mandati reſpectum ſe ad nutum cum adjungendo quodam ſubſidio rei intentæ opportuno extradituros eſſe promiſerunt.

V. His ita præjactis anni inſequentis die 30. Jan. DD. Commiſſarii cum Ravenspurgenſibus tractationem exorſi Imperatoris nomine fundum ab iis ſtruendo cuidam Monaſterio congruum, juſtóque pretio redimendum efflagitant. Ravenspurgenſes autem ſpatio ad deliberandum petito tandem reſponderunt, per majora, & promiſcua Magiſtratûs utriusque Religionis vota concluſum fuiſſe demiſsiſſimè deprecari onus Monaſterii religioſi ſeu admittendi, ſeu ædificandi eo potiſſimùm tempore, quo bellicis exactionibus, & aliis calamitatibus in eam rerum inopiam deducti eſſent, ut ad Religioſorum ſolo mendicatu viventium alimoniam nil conferre poſſent, & Acatholici numero, & nummis potiores aliàs nil præbituri eſſent. Inque hac ſententia adeò obfirmârunt animos, ut ad novas perſuaſiones, demonſtrationes, & argumenta, quibus DD. Commiſſarii eos in alium ſenſum traducere conabantur, immobiles nec unguem preſſum ab illa recedere vellent: ſed neque Celſiſſimus ac Reverendiſſimus DD. Princeps & Epiſcopus Conſtantienſis ab Illuſtriſſimo D. Dapifero, ceu germano fratre, in ſocietatem negotiationis exoratus omni adhibito paſtorali zelo, & peroratione à Ravenspurgenſibus nec mel nec apes volentibus quidquam impetrare potuit. Quapropter DD. Commiſſarii Auguſtiſſimo Imperatori per litteras ſignificârunt, ſe omni opera ſua tantumdem egiſſe, ac ſi cribrô aquam hauſiſſent; & impoſterùm ſe nihil obtenturos, niſi ſua Sac. Cæſ. Maj. altiori tono authoritatem ſuam interponeret. Tunc enimverò Auguſtiſſimus Cæſar pro ſua, quâ tenebatur, ſervandæ, & ampliandæ Religionis Catholicæ, curâ clementiſſimum Reſcriptum, armatam clementiam, & gratias pipere conditas complectens ad Senatum Catholicum emanavit; quo huic ſolitariè prælecto is quaſi è lethargo expergefactus ſaniora capeſſivit conſilia, ſéque nil Acatholicorum proteſtatione moratus promptum exhibuit ad Cæſaream voluntatem quantocyùs adimplendam.

VI. De novo igitur conventum, contractus de area futuri Monaſterii initus, reciprocis Autographis roboratus, & Capucini in his omnibus negativè ſe gerentes ab Illuſtriſſimo D. Dapifero advocati fuerunt; qui tamen veriti,

riti, ne Ravenſpurgenſibus ingrati hoſpites advenirent,& comparere,& loci poſſeſſionem capeſſere diſtulerunt, uſque eò, ut ipſemet jam docilior Senatus erroneas perſuaſiones dedoctus tardantes Capucinos quàm humaniſſimè, & iteratiùs invitaverit, & ad fabricam accelerandam ſerió animaverit. Videntes ergò Provinciæ ſuperiores, rem judicatò ſucceſſuram, impellente inſuper Illuſtriſſimo D. Dapifero tandem die 1. Octobr. 1625. præſentes ſe ſe ſtiterunt, & actis iis, quæ intra eorum in hujusmodi negotiis ſphæra agi poſſunt, Contractus Executionis intervenerunt. In electione areæ nondum omnibus conveniebat. Altiſſimus autem monſtraturus, quòd ſibi hoc opus probaretur; & ubinam complaceat illud in effectum deduci, portento uſus eſt; cujus vir Acatholicus & ſpectator, & aſſertor eſſe debuerat, Lutheranis Catholiço nullam fidem adhibituris, ſed narrationem inter fabulas abjecturis.

Is erat ſpectabilis D. Jacobus Paulus Senator Auguſtanæ Confeſſioni addictus, qui impellente æterna veritate ſub allegato conſcientiæ teſtimonio, virique honeſti fide publicè, & privatim, iterato, & conſtanter enarravit, PP. Capucinos in viſu de nocte ſibi præſentatos Ravenſpurgenſi Areopago conveniſſe globis inſtructos igneis, quos directè in unum locum jaculati ſint: locum is, qui viſum retulit, digito monſtravit; quibus auditis invaluit apud omnes tam Catholicos, quàm Acatholicos interpretatio, Capucinos ea figura meteoricâ divinitùs artificiatâ, & objectatâ, locúmque fundandi Cœnobii deſignatos fuiſſe: quare in eam ſententiam ab omnibus; etiam DD. Commiſſariis, & Capucinis itum fuit. Exinde fiunt præparatoria, ac optima etiam Lutheranorum pace à Reverendiſſimo D. Abbate Albaugienſe committente Celſiſſimo D. Ordinario circumſcripta benedicitur area, crux in locum præmonſtratum ſtatuitur, & areopagus Capucinis in poſſeſſionem ceditur; poſitio autem primi lapidis ob exortas novas differentias integrum annum perendinatur; deinceps ad majorem pompam ab ipſomet Celſiſſimo ac Reverendiſſimo S. R. I. Principe, ac DD. Joanne, Epiſcopo Conſtantiens. 3. nonas Octob. 1626. peracta.

VII. Mox ad Fabricam ipſam proceſſum, quæ Illuſtriſſimo Dapifero urgente, & quà verbis, quà nummis, ſeu prompta mercede ex legato Neſeriano elicita operarios ſæculares animante tanta celeritate incrementata fuit, ut intra biennii ſpatium perfectionem omnibus numeris adæquatam habuerit, atque à Seraphicis hujusce novi tabernaculi Cultoribus Dedicatio, & Conſecratio templi apparata fuerit: quæ die 26. Jun. 1629. ita contigit, ut Reverendiſſimus & Ampliſſimus DD. Joannes Antonius Epiſcopus Tiberiadis, & Suffraganeus Conſtantiens. Altare inferius ex latere Evangelii impenſis Illuſtriſſimi DD. Henrici Dapiferi de Wolfegg: & aliud ex latere Epiſtolæ ſumptibus Illuſtriſſimi DD. Hugonis de Tettnang-Montfort: die 17. Maji verò 1630. Celſiſſimus ac Reverendiſſimus DD. Joannes Epiſcopus Conſtant. totam Eccleſiam, & princeps altare à ſe ſtructum ſpectabili Pontificalium perfunctione, qua & ipſi Acatholici in venerationem ob dignitatem, & devotionem Officiantis rapti fuerunt, perfectam conſecravit, & dedicavit. Præter legatum

gatum Neſerianum, quòd unà cum collectis interim cenſibus quinque millia florenorum conficiebat, horum urbe Wangenſi tria millia, & Perilluſtri D. Alberto D. de Prasberg, ſupradicti Joannis Jacobi Filio, duo millia conferentibus, Illuſtriſſima D. Comitiſſa de Hohen-Ems in Kislegg mille florenos: Prænobilis virgo Barbara Teſchlerin trecentos, alii hinc inde plus minus ſuperaddiderunt. Quos omnes beneficentiâ ſuperat Auguſtiſſimus Imperator Ferdinandus II. qui licèt nil æris contribuerit; tamen authoritate ſua tantum egit, ut præfatæ Eleemoſynæ, & legata huc pro honore Dei, & Religionis Catholicæ bono impendi valuerint. De hoc piiſſimo Cæſare alioquin fertur, quòd tanto animarum Cælo lucrandarum ardore flagraverit, ut centies centena millia hominum ejus operâ, & procuratione ad Eccleſiæ Catholicæ gremium reducta fuerint; & ſub Auguſto Diademate Religioſum pectus; ſub regio ſceptro ſacerdotis manum abſconditam geſſerit.

Quamquam Capucini novo huic hoſpitio impoſiti intentioni illorum, qui eos huc collocatos voluerunt, ex aſſe ſatisfacere ſtuduerint; ut adeóque omnibus ſe ſe commendabiles reddiderint: attamen flagrans etiam belli Suecici flamma eos diuturnâ pace, & tranquillitate frui non ſuſtinuit. Nam vix expleto incolatûs biennio Ravenſpurgum præter alias urbes, & Oppida jugum Suecicum ſubire coactum fuit, leve quidem, & ſuave ejusdem ſectæ Conſortibus, utpote ab his vix non ambitum; ſed tantò durius, & acerbius Catholicis, quòd his, Auguſtanæ Confeſſionis Alumnis benigniùs à Sueco habitis, propè totum calamitatis pondus incubuerit.

VIII. Anno 1632. Ravenspurgô à Suecis occupatô, & milite diſtrictiùs in Orthodoxos ferociente & noſtri Fratres, & Conventus Ravenſpurgenſis plurimis adverſitatibus, & vexationibus defungi debuerunt, odio Religionis ſub ſpecioſo belli politici tegmine adhuc delitescente, omnibus cornibus effuſo. Fames paſſim in Suevia invalescens eam in rabiem Suecos adegit, ut hi laribus inhiantes, & veluti canes circum inteſtina tandem turmatim ingreſſi annonam penitùs abſumpſerint, nec tantum reliqui permiſerint, ut fratres veſpertinam refectionem parare potuiſſent. Incænati ergò dum exercitiis ſuis inſiſterent, ecce tibi! portæ tintinnabulum pulſatur. Janitori velociter ad portam properanti, & aperienti duo viri leproſos mentiti, aliàs nunquam viſi integram, & grandiorem panis paſtam recenter quaſi coctam, & candidiſſimam porrigunt. Stupuit frater, & undenam inſolito hoc tempore talis commeatus, interrogavit? cui alter illorum: ceſſa quærere, & Deo gratias age: quo dicto uterque abiens videri deſiit. Fratres igitur in gratiarum actionem effuſi eò lautiùs hoc pane cænati ſunt, quòd hic inſperatior, & fortè Angelicis manibus fuerit allatus.

Anno 1634. octo millia Suecorum, & Gallorum urbem ingreſſura catervatim in Monaſterium irruerunt; cujus mundities cùm eis arrideret, hánceque uxoribus ſuis deprædicarent, inde laſcivis ardelionibus animus accenſus eſt clauſtrum quoque intrandi: quæ eapropter nec quidquam valente Capucinorum deprecatione frequenter in clauſuram

penetrârunt. P. Guardianus fratribus ſuis preces ad Deum, divúmque Antonium indixit, quibus cycladatus mulierum grex ab introitu Conventûs arceretur; tantúmque juſta precantium vota potuêre, ut dum Colonelli cujusdam uxor ingratam Capucinis, ùt vocant, viſitam impertiri conſtituiſſet, & in plurium comitatu ad Aſceterium veheretur, jámque carpentô levata profanis pedibus tecta Seraphica ſubire vellet, derepentè nervis contractis pedum uſu cum immani dolore deſtitutam ſe animadvertens in quadrigam reponi, domúmque quantocyùs revehi clamavit, extincta Religioſam terram deinceps calcandi libidine. Sub eadem tempora milites quidam pabulaturi in Monaſterium accurrerunt, & dolium vini unicum, & parvum ſuperſtes prædæ addicunt, bibunt, vaſis excipientes foràs exportant; nec noſtri etiam feriati hauriunt, ut vacui apparerent indicia. Nihilominùs tamen benedicente Domino longo adhuc tempore dolium iſtud ſufficientem fratribus potum effudit. Alia vice alius prædæ cupidus cum ſociis ſub noctis crepuſculum Monaſterio infuſus aſperitate, & lemniâ manu armatus Sacriſtiam reſerari mandavit. Capucini nolentes, volentes obtemperant, & lumine accenſo lavernionibus præcedunt: iſti verò divinitùs exoculati calices, quibus inhiabant, in conſpectu poſitos non viderunt oculis apertis; ſícque re infecta manus citra propoſitum à ſpolio innocuas retulerunt. Amotis ſubinde caſtris aliquos annos ab hujusmodi timoribus, ac periculis immunitas, ſpatiúmque omnia redintegrandi, & in ordinem redigendi concedebatur.

VIII. Anno autem 1646. redierunt infeſti hoſpites à Roberto Duglas adducti, qui in Catholicos ſævìùs graſſati Capucinis quoque extrema quæque illaturi timebantur. Igitur Superiores Conventûs ſecuritatem procuraturi Ducem Duglas in Leukirch ſtativa habentem adeunt, & oleribus ac herbis in qualecunque delinimentum oblatis ejus protectioni Monaſterium commendant. Ad ſpem reſpondit conſilium. Hoc enim auctoramento adeò captivatus fuit homo Acatholicus, ut mox ſcripto, ſtrictiſſimóque mandato Capucinorum, & Conventûs ſaluti proſpectum voluerit, transgreſſoribus dira quæque, ipsámque mortis pœnam comminatus. Licèt verò nonnulli rapacitatem exercituri, quibus Monaſterio in hoc propoſito ingruentibus P. Guardianus ſcriptam ut vocant ſalvam Guardiam objectabat, nulla hujus obſervantia tangerentur, ſed expilando Monaſterio intenti jam trunco adhibito Eccleſiæ fores vehementiùs arietarent, tamen & hac vice ſpolio vacui abſceſſerunt. Nam Capucinis ad venerabile Sacramentum Numini pro templi, & Cœnobii indemnitate ſupplicatum coëuntibus en inſperatò Suecus urbis Gubernator advolat, qui viſo iniquo ſuorum molimine in eos verborum primò acredine invectus; ſed hac nil proficiente immorigeros ſtricto gladio diſſipat, & damnum à Conventu avertit.

IX. Anno 1647. D. Colonellus Caſperius Cæſareo-Catholicus Suecico Præſidio urbis deditionem extorquet, & tranquillatis rebus nonnullam ab agonibus quietem affert. Annus verò 1648. per famoſam illam Religionis pacem Weſtphalicam Germaniæ quidem lætus; ſed ut plurimis

aliis ; ita & Conventui noſtro Ravenspurgenſi exitialis extitit. Lutherani enim illud prædictæ pacis articulum tam altè imbiberant, támque ſollicito cordi habebant, qui in cauſa Religionis omnia in eum ſtatum redacta voluit, in quo Kalendis Januarii Anno 1624. fuerant : atqui, inferebant plus juſto ſcrupuloſi pacis zelatores, præfato anno nondum extitit Ravenspurgi Capucinorum Conventus : ergò deſtruendus, abolendus, & Barbati incolæ exulatum mittendi ſunt ; quod non ſolùm in ſuis conciliabulis, privatísque diſcurſibus ratum, fixúmque fuerat ; ſed & Magiſtratûs Acatholici Primores uſurpatâ exequendi memorati articuli poteſtate Capucinos Monaſterio proximè demoliendo emigrare juſſerat. Hi verò, prout à Majoribus ſuis erant inſtructi, proteſtationis remedio hujusmodi attentatis obſiſtebant, & ad altius forum provocabant, eò maximè, quòd penès Ravenspurgenſes articulorum pacis explicandorum, & exequendorum, qui adhuc controverſiæ obnoxii ſunt, Authoritas necdum conſiſteret, & in pacis inſtrumento nulla ſpecifica Conventûs Ravenspurgenſis mentio habeatur ; ſed potiùs ejusdem articulus 11. & 16. textum, & interpretationem Capucinis favorabilem præſeferat ; cùm Anno 1624. tam Catholici quàm Acatholici in horum receptionem conſenſerint, & urgentibus Catholicis, ſibi ante, & poſt annum 1624. liberum fuiſſe, ac etiamnùm eſſe templa, & Cænobia ſtruere, & ad pias cauſas legare ; dummodò per hæc nil offendatur intruſum Religionis Acatholicæ exercitium, quod Proteſtantes per dictæ pacis cautelas unicè intendebant.

X. Cauſa hæc Commiſſioni Cæſareæ, quæ Lindavii inſtrumenti pacis executioni tum vacabat, incidenter dijudicanda offerebatur ; quæ prævalentes genio Lutheri ſub obtentu exactæ pactorum obſervantiæ Conventui excidium, Capucinis exodum decrevit. Paruêre hi in puncto emigrationis. Conventûs autem exterminium per reſolutionem à Conventu Norimbergenſi emanatam ſuſpenſum, ac prohibitum fuit ; cùm circa mixtæ Religionis urbes res hæc decisa non ſit ; utpote primùm poſt maturiorem indaginem decidenda. Verùm non decisâ finaliter controverſiâ, nec exſpectatâ eorum, ad quos pertinuit, ſententiâ, privati cujusdam Principis Acatholici juſſu, & authoritate (prout in ſubvertendis aris Catholicis quilibet ſibi quodlibet audendi libertatem arrogat, & ille majoris zeli meritum oſtentare ſolet, qui prior, & violentior legitima ſacra profanatum venerit) Suecus miles Ravenspurgum redux die 15. Auguſti aſſumptæ in cælum Deiparæ ſacro, voluntariè ſacrilegii ſocietatem offerente cive Acatholico, Catholico autem vi coacto, manus impias demoliendo Cænobio applicuit, ejulantibus bonis omnibus, gratulantibus verò heterodoxis, & ſtrenuè laborantibus hujusmodi Lutheri ſtipendiariis, atque factum hoc inter præclara bello geſta recenſentibus. Vix Cænobium in rudera conſedit, quum protinùs juſta ad aulam Cæſaream gravamina delata ſunt ; quibus, & rei indignitate commotus Imperator Ferdinandus III. ſecundi nuper extincti, glor. mem. ſucceſſor factum improbavit, & ad inſtantias tum Celſiſſimi ac Reverendiſſimi DD. Epiſcopi Conſtantienſis ; tum Catholici Magiſtratûs,

tûs, & Communitatis Ravenspurgenſis in remediationem contraventæ pacis religioſæ iterùm iterúmque ſub pœnarum graviſſimarum interminatione utriusque Religionis Magiſtratui, & civitati diſtrictim mandavit, ut miſsâ omni tergiverſatione PP. Capucinis Ravenspurgum reſtituendis, & reſtaurando eorundem Monaſterio operam navarent. Manliana hæc invitis imperia videbantur, quibus tum utpote armatis cùm apertè refragari non auderent; ſexcentis tamen cauſationibus, & mæandris paritionem protelârunt, Catholicis ad nutum morigeris: quia tamen & Acatholici cooperari tenebantur, poſt duorum annorum cocionaturam res primùm ad otium deducta, Capucini Ravenspurgum revocati, & in commoda quadam domo hoſpitati fuerunt; in qua ad regularem habitationem nonnihil conquadrata, & in ſacello inibi præparato divina pariter, & ſpiritualia exercitia obeuntes tanto orthodoxis civibus ſolatio, & auxilio, quanto heterodoxis odio, ac faſtidio ipſos quatuor annos commorati ſunt. Denique autem Anno 1660. mandante Commiſſione à Celſiſſimo S. R. I. Principe, & Epiſcop. Conſtant. & Sereniſſimo Wirthenbergiæ Duce, ceu circuli Suevici Directoribus inſtitutâ circa initium Auguſti propè diruti Monaſterii aream crux denuò erigitur, lapis novæ ſtructuræ à Reverendiſſimo, & Ampliſſimo DD. Bartholomæo Abbate Albaugienſi reponitur; ad populum confertiſſimum doctè ac devotè perorante Plur. R. D. Matthia Barth loci Parocho, & Decano Rurali; feſtum autem inſigniter magnificante heroico actu Reverendiſſimi, & Illuſtriſſimi DD. Philippi Alberti à Bernſtorff Archi-Commendatoris Altshuſani, quem alibi debito elogio celebrabimus. Cùm materialia deſtructi Cœnobii providè ſervata fuerint; ideò hæc accelerando, & minoribus expenſis peragendo ædificio opportunè inſervierunt; cùm die 21. Junii Anno 1661. à Celſiſſimo & Reverendiſſimo DD. Franc. Joanne à Prasberg &c. Epiſcopo Conſtantienſi Eccleſia ſacris cæremoniis initiata, & dedicata fuerit, & fratres incolatum iniquiſſimo fato interruptum reaſſumpſerint, & uſque hodie feliciter, ac religioſè proſecuti ſint. Reſtaurationem hanc egregiè adjuvârunt Prænob. D. Nicolaus de Deüring in Ilmensée & Erckheimb, Sac. Cæſ. Maj. Conſil. Comes Palatin. & Conſul Ravenspurg. qui mille ducentos: Honeſtiſſima virgo Magdalena Gengin, quæ mille: Joannes Ganter, trecentos quinquaginta; Reverendiſſimus D. Abbas Weingarthenſis, qui centum: & Reverendiſſimus D. Philip. Albertus de Bernſtorff Archi-Commendator, qui centum florenos contribuerunt. Acta Proceſſûs circa demolitionem, & reſtitutionem Monaſterii Capucinorum Ravenspurgi ſummariè exhibet Continuator Cruſii Annal. Suevic. uſque ad ann. 1733. Sect. 15. referens concluſa à Judicio Aulico Imperiali ſub dat. 9. Junii An. 1651. 26. Jun. ejusd. anni. 4. Jul. ejusd. ann. 11. Sept. 1652. &c. &c. emanata.

§. XXIII.

Monaſterium Rhenofeldenſe.

1. RHenofelda urbs, quaſi Rheni campus, ùt ethymologizat Franc. Hotomann in Not. ad Commentar. 4. Jul. Cæſ. de Bell. Gall. quòd tot cataractis, boſphoris, & rupium, ſcopulorúmque ſyrtibus eluctatus hic fluvius poſt oppidum Rhenofeldam latiùs meandi ſpatium, placidiorémque curſum versùs Baſileam nactus ſit. Urbs, inquam ad Rheni ripam, & in finibus Rauracorum, incompertum à quo, & quando, collocata, & à parte Meridionali in Helvetia adhuc ſita; ſed per validiſſimum pontem Allemanniæ versùs Aquilonem, ſylvámque nigram juncta, ad Occidentem reſpiciens Auguſtam Rauracorum habet, cujus antiquiſſimi ſcriptores Julius Cæſar, Cornel. Tacitus, Ptolomæus, & alii meminerunt, quòd ibi olim Colonia Romanorum locata fuerit, cujus metropolis urbs Auguſta, ab Octavio Auguſto nomenclaturam ſortita ſtatuebatur, ùt indicat antiquiſſima ſcriptura lapidi Caëtæ, urbe retrò Romam propè Neapolim conſtituta, hodiedùm præſenti inciſa: *Luc. Munatius Plancus Luc. Fil. Luc. Nep. Luc. Pronep. Coſ. Cenſor. Imp. Iter. VII. Vir. Epul. Triumph. ex Rhætis. Ædem Saturni Fil. de manubiis. Agros diviſit in Italia Beneventi. In Galliam colonias deduxit Lugdunum, & Rauricum.*

In fundo, & campo præfatæ urbis Auguſtæ eruuntur adhuc veteres ruinæ turrium, cloacarum, aquæductuum, pyramidum, munimentorum, numismata aurea, argentea, & ærea. Ab Hunnis creditur vaſtata urbs: alii ab Alemannis ſub Valentino III. everſam contendunt. Habuit quondam Epiſcopatum, qui ſubinde Baſileam translatus eſt. Rauracos ſubegêre Romani; Romanis eripuêre Alemanni. Durante hac dominatuum varietate pro varia militaris fortunæ aleâ à tempore Julii Cæſaris, uſque ad Honorii Imperat. ævum, nempè quadringentis quinquaginta annis famoſiſſima illa urbs in humilem decrevit pagum, qualis hodiedùm eſt. Nomen verò, *Rauracus*, quo etiam Rhenofelda comprehenditur, cùm ſit vetuſtiſſimum, & Julio Cæſari Commentar. 7. de Bell. Gall. jam uſitatum, nemo ejus originem, & rationem divinaverit. Opinantur aliqui, eam viciniam olim ab Allemannis propter impetuoſum Rheni ſupra Rhenofeldam ſcopulis conſtricti, & aſperati decurſum, hodie adhuc *tartari uncum*, Höll-Hacken / compellatum, Rauhen-Rachen, *ſalebroſæ fauces*, dictam fuiſſe; & Romanos pro more ſuo ex eo mutilato nomen *Rauracus* conflaviſſe. Porro Romanos, Allemannósque extruſerunt Burgundiones: hos Franci: ab his ea Regio ad Auſtraſiæ Reges tranſiit: quorum regno deficiente varii exinde Comites ſucceſſêre; è quibus potentiores extitêre Comites Frickgovienſes, ſeu Frickenſes, poſteà Rhenofeldenſes dicti. Tanti nominis, atque potentiæ fuêre hi Comites, quorum Genarcha

Cuno

Cuno Carolo Duce Lotharingiæ prognatus fertur, ut horum ultimus, Rudolphus (fratre ejus Adalberto Cucullum in S. Galli Monaſterio amplexo, inde Auguſtæ Vangionum Epiſcopo) Ducatum Sueviæ; tandémque Romanorum Regis dignitatem adeptus ſit in locum Henrici IV. à Gregor. VII. P. M. Faſcibus Imperii exuti, electus; ſed Anno 1082. ab eodem Henrico in prælio ad Martispurgum ſaxoniæ commiſſo occiſus. Unicam hic filiam, Agnetem, ſuperſtitem habuit; quæ cùm Bertholdo Duci Zähringenſi nupſiſſet, Ducatu Sueviæ in Comites Stauffenſes translato, Comitatus Rhenofeldenſis Zähringenſibus permanſit; quem tamen non niſi centum triginta ſex annis tenuêre, ſtirpe ſiquidem Zähringenſi in Bertholdo V. Anno 1218. extincta urbs Rhenofeldenſis Imperio: Caſtrum verò Steinenſe, Comitum quondam ſedes rupi è Rheno eminenti, & Inſulæ ſpeciem referenti impoſita, Rudolpho Habspurgico ceſſit. Centum poſt annis Rhenofelda Domui Auſtriacæ oppignorata: Anno 1323. à Ludovico Bavaro Imperatore repignorata: Exin Anno 1444. ab Alberto Auſtriaco armis ſollicitata; & ab ipſo contiguo Caſtro acriter oppugnata; ſed non expugnata fuit. Poſt plurima verò certamina, velitationes, mutuásque hoſtilitates ſtratagemate per Joannem de Rechberg, & Thomam de Falckenſtein capta, ac Domui Auſtriacæ aquiſita fuit, cui hodie usque paret, & Præfecturam habet Regimini Anterior-Auſtriacæ Friburgi ſubordinatam, quæ Lauffenburgo, Frickgaudiæ, cæteríſque Comitatûs locis jus dicit; in Spiritualibus Epiſcopo Baſileenſi ſubjecta. III.

II. Terra circumvicina fertilis, vini quoque delicatioris feraciſſima jucundo, & ſalubri utitur aëre; odiosâ tamen Lutheri, & Calvini vicinitate infelix, illo Marchionatum Durlacenſem trans Rhenum: hoc verò Baſileam occupante. Hæc urbs Baſilea quò celebrior ſitu, magnitudine, opibus, potentiâ, Epiſcopatu, & quondam ſanctorum incolatu; eò infortunatior, viliórque Zvvinglii, Æcolampadii, aliorúmque Novatorum Sectâ; qua ſe corrumpi paſſa eſt, cùm adhuc Catholica alios, ne ſimilium Creporum, Graſſatorúmque deliriis ab antiquæ Religionis tramite abduci ſe ſuſtineant, non minùs Apoſtolicè, quam fraternè dehortata ſit; prout hujusmet argumenti epiſtolam Senatus Rhenofeldenſis à Baſileenſi ad ſe exaratam hodiedum inter ſeria urbis monimenta ſervare dicitur: ut adeóque Baſilea aliis proſpiciens, non ſibi cùm valeret, recta, ne ægrotet Rhenofelda, dederit conſilia, quorum ipſamet, illa his feliciter utente, oblita communi errorum infectione afflata fuit: facta deinceps Rhenofeldæ à Vicinitate execrabilis, quæ illi priùs fuerat exoptabilis. Stabilita enim ibi Fanaticorum ſuperſtitione tanquam ex equo Trojano inde Zvvinglii Emiſſarii prodierunt vicinos in hæreſis complicitatem perſuaſuri; quod cùm nonnullis rei Catholicæ probè induſtriis periculoſum videretur; ideò publicæ ſaluti Religioſe intenti in deliberationes coiverunt, quibus potiſſimùm remediis venenum quomodocunque demùm in urbem ſuam derivandum arcerent. Facilè autem unanimi conſenſu in Capucinos Religioſos huc advocandos condixerunt, poſtquam Apoſtolica horum ſtudia iis innotuiſſent. Quapro-

pter participatis conſiliis cum Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo D. Hartmanno ab Hallvveil Ord. Teut. Equite, & Commendatore in Beüggen; Reverendiſſima D. M. Urſula Ciſtercienſis Parthenonis in Oehlspurg Abbatiſſa; M. R. D. Joanne Rüedelbaum Parocho & Decano Rhenofeldenſi; Conſultiſſimo Viro D. Bartholomæo Hüglin Archi-Grammatæo, & Senatus populíque Rhenofeldenſis Arbitro R. P. Ludovicum Saxonem Provinciæ Definitorem, & Guardianum Badenſem humaniſſimis litteris de 10. Jul. 1594. ad colloquium hac ſuper re inſtituendum invitârunt.

III. Reſponſi vice ipſus P. Ludovicus R. P. Provincialem cum Fabricatore ſocio Rhenofeldam adduxit; ubi habita inter conſcios rei conſultatione, locíque ſitu coràm judicatô Capucini, quantum in ſe fuerat, petentium votis ſe perlibenter acceſſuros fore, ſi & eorum, quorum intereſt, approbatio æquè præſtò fuerit, promiſerunt, aſſerentes, ſe in nomine Provinciæ conceſſum P. Generalis ſollicitandum ſibi ſervare. His ad vota dictis P. Provincialis cum ſuo comitatu aliò diſtractus negotium Rhenofeldæ ædificandum totius deinceps Capituli examini ſubjecit: & cùm omnium Conventuum Superiores, & Deputati concordi ſuffragatione locum acceptandum fuerint arbitrati; ideò P. Generalis de his, ſitûs commoditate, & inſigni ad animarum ſalutem præſtandi opportunitate edoctus gratanter & ipſe conſenſit. Celſiſſimus ac Reverendiſſimus DD. Jacobus Chriſtophorus Epiſcopus Baſileenſis, ex illuſtri Blarorum de Wartenſée proſapia oriundus pariter Ordinariatûs conſenſum rogatus & hunc gratioſiſſimè indulſit, & tum Rhenofeldenſes, tum Capucinos ad hoc opus multis encomiis dilaudatum impigrè aſſumendum, atque proſequendum diſtinctis litteris cohortatus eſt. Quamquam facultas Sereniſſimi Archi-Ducis Auſtriæ jam impetrata fuerit; hæc tamen nil profuit inſtituto; utpote in Sereniſſimo Archi-Duce ea tempeſtate vivis ereptô extincta: hinc ab ipſo Imperatore de novo exoranda negotio prolixiorem, quàm ardentia Rhenofeldenſium deſideria ferre poterant, moram attulit; qui interim ſacellum, & hoſpitium quoddam Capucinis qualitercunque recipiendis apparabant; & omnium nomine Plur. R. D. Parochus de 17. Octobr. Anno 1596. Patres Provinciæ ad realem fabricæ aſſumptionem argumentis ad perſuadendum conglobatis excitabat. Et cùm per eosdem dies arbitrium Cæſareum quoque ſupervenìſſet, eo adhuc autumno fabricatores Rhenofeldam abire juſſi fundamenta eruerunt, & id egerunt, ut M. R. D. Joannes Rüedelbaum à Celſiſſimo ac Reverendiſſimo D. Ordinario deputatus Dominicâ I. Adventûs Anno 1596. initialem lapidem cum conſuetis cæremoniis depoſuerit. Anno 1597. Opus fabricæ magnis incrementis perficitur, & Reverendiſſimo, ac Illuſtriſſimo D. Commendatore Beüggenſi inſigniter auxiliante; præfato autem Plur. R. D. Parocho labores animante Anno 1598. regulare pariter ſynæcium, & templum ad faſtigium perductum ſtetit, cui ipſemet Celſiſſimus ac Reverendiſſimus DD. Jacobus Chriſtophorus Epiſcopus Baſileenſis beneficium Pontificalis Conſecrationis, ac Dedicationis die 25. Octob. ejusdem anni feſtiviſſimè impendit.

Con-

Conſtituti tandem in nova hac ſpecula Rhenofeldenſi novi ſpecula- IV.
tores Capucini pro grege Domini ſolicitas agere curas cæperunt. Non otiatus eſt orcus, quò religioſæ huic Coloniæ irreligioſam opponeret, & Rhenofeldæ inveheret. Nonnemo væſanis Anabaptiſtarum erroribus fætus ad hanc urbem à primævo ſemper orthodoxam irrepens eos ibidem parere, & hinc inde ſpargere nitebatur; quò ſic humanæ ſalutis adverſarius per hunc proxenetam everteret, quod noſtri pro inſtituti ſui ratione curatum advenerant. Non diu latuit inter tot vigiles unius impoſtura: apparente quippe lolio, quod in agro dominico ſeminare præſumpſerat, Magiſtratus id gladio evellendum duxit. Hæreticum enim in vincula datum, criminis convictum, ſed nullis Theologorum argumentis ad ſaniora docilem, falſitatibus ſuis inhærentem capite damnat. Ut verò id genus hominum diaboli præſtigiis eò uſque faſcinatum eſt, ut aſperrima quæque pro dogmate ſuo ſubire non vereatur; ſic neque hunc fatalis ſententia multum terruiſſe viſa eſt: conſtanter enim ſua propugnans lætum ſe pro veritatis aſſertione ad necem properare gloriatus eſt. Tandem in loco ſupplicii conſtitutus omnibus P. Cypriani Lotharingi Rhenofeldenſium Capucinorum Superioris adhortationibus, ac obteſtationibus aures obſtruens ſe verum docuiſſe, ſana credere; imò pro fide ſua caput ſecuri ſubditurum; quin verò Deum ipſum poſt feralem executionem innocentiam ſuam manifeſto omnibus ſigno teſtaturum fore proterviſſimè affirmare auſus eſt. Riſit tota hominum panegyris obſtinatam miſeri ſtultitiam; qui ita impænitens gladiatorio animo cervicem carnifici amputandam præbuit. Feriit lictor, & ferro impium demeſſuit caput. Sed ecce! truncum corpus mox è ſedili in pedes ſe erigens manibus demeſſum caput à terra levat, non ſine omnium, qui aderant, horrore. Stabat hinc præſtigioſum phantaſma; clamabant illinc rei novitate ſtupefacti ſpectatores, dubii jam in fide ſua hujus, ùt opinabantur, Martyris legitimi doctrinæ applauſuri, niſi P. Cypriani oratione morati tragædiæ exitum præſtolari fuiſſent juſſi. Ne enim ſpectatorum animos hæc dæmonis impoſtura diutiùs ſuſpenderet, P. Cyprianus divino ſpiritu excitatus priùs eos de diaboli artibus commonuit; dein quinquies Pater, & Ave unà ſecum comprecari poſtulat; ſic enim fore, ut Deus hæc atria inferni præſtigia diſſolvat. Procumbunt ergò in genua cuncti, Deúmque impensè invocant; quibus ea comprecatione occupatis en! ſubitò malefici cadaver validiſſimè corruit; & quò evidentiùs fallaciam veritati cedere appareret, omnibus contuentibus inuſitatæ magnitudinis, & fœditatis bufo prorupit è corpore, ut nemo jam porrò dubitaret animam venenô hæreſeos intoxicatam fuiſſe, cujus corpus tam virulenti hoſpitis receptaculum extitiſſet.

Ob loci ſolitudinem Patres Provinciæ eum Novitiorum inſtructioni V.
idoneum judicârunt. Cùm ergò ibi inter alios ad vitam religioſam inſtruendos etiam F. Narciſſus moram traheret, ſtygius artelogus miras ei technas ſtruere compertus eſt. Semel enim Tyro hic in cellam ſuam redux diabolum in figura tabellarii ſibi familiaris præſentem conſpicit; qui mortem parentis allegans eo nomine ſe illuc miſſum fuiſſe mentitus eſt,

ut eum domum reduceret, quò ſubſtantiam portionis hæreditariæ ad tenorem Regulæ inter pauperes diſtribueret. Diſſimulavit juvenis, & abeunte avernali nuntio hujus curam, & cogitatum omnem abjecit. Alterâ vice ſathanas eodem habitu per cellæ feneſtram irrumpens ſe rurſùm Novitio ſpectabilem præbet, priora urgens. Ad quem Narciſſus: quomodo huc intrâſti? per januam, inquit dæmon. Neutiquam, reſpondit frater, cùm ego te per feneſtram illabentem viderim. Cui nugiparus: porta inferior erat obſerata. Monet ergò ſeriò, ut ſecum diſcedat; id enim ſummè, ajebat, eſſe neceſſarium, exſpectante illum omni cognatione ſua. Id impoſſibile eſſe, infert Novitius, januis nunc omnibus clauſis. Sed verò omnes apertas eſſe, pſeudologus affirmat. Ah bone JEſu! ait alter, non poſſum modò. Hoc ſanctiſſimo nomine pronuntiato larva illa infernalis momentò evanuit: primúmque nunc, quocum locutus fuiſſet, Narciſſus advertit. Quia is verò contyronibus ſuis rem narrâſſet, & Magiſtro reticuiſſet; ideò unitis conſiliis ab ordine dimiſſus eſt, ne quondam deteriora contra eum, neſcitur, unde talibus obnoxium, tentator auſurus eſſet.

VI. Triginta ſex annis Conventus hic incolumis ſtetit. Sed quòd Rhingravius Regi Sueciæ fœderatus adducto milite urbem Rhenofeldam etſi probè munitam, vi tamen expugnatam Anno 1634. ſub juga miſiſſet, haud vanè Monaſterium excidii ſui augurium cepit. Urbanum ſe initiò Suecus miles Capucinis exhibuit. Verùm clade apud Nördlingam à Cæſare accepta Rhingravius adeò efferatus eſt, ut bilem primò in urbem; tunc & in Cœnobium Capucinorum effuderit, & prout in Prædic. Paſſion. explicatiùs dicetur illud flammis abſumpſerit. Capucini intra urbem hoſpitio ſuſcepti, & variorum caſuum adverſorum participes haud deſtiterunt ſolatio, & auxilio pro viribus eſſe; præſertim ubi mutata belli ſcena hoſtes collectis animis prævaluerunt, & Duce Vinmarienſe per vallem Delemontanam erumpente ſubactis Waldishutto, Lauffenburgo, & Seckingâ Rhenofeldam præſidium ibi ſuum aucturi properârunt. Quamquàm Cæſareani huic propoſito fortiter reſtiterint, & cùm ad manus ventum fuiſſet, hoſtem inſigni ſtrage affecerint, caſtriſque ſimul, & urbe Rhenofeldâ exuerint; quòd tamen noſtri hoſtem fugientem inſecuti prædæ cupidine, & victoriâ plus æquo freti ſine ordine effunderentur, inimicus hoc viſo in ſeipſum coiens prælium tam validè reſtauravit, & Cæſareanos aggreſſus eſt, ut intra mediæ horæ ſpatium plerisque cæſis, plurimis fugatis, unico Illuſtriſſimo D. Friderico Fürſtenbergio ſcaphâ per Rhenum elapſo, cæteros belli Primores omnes, vivósque captivos abduxerit: ſicque Rhenofelda propè intra horam tres Dominos: Suecum, Auſtriacum, ac denuò Suecum habuerit.

VII. Pace publica Anno 1649. rebus afflictis remedium aliquod afferente, & alienigenis hiſce hoſpitibus Rhenofeldâ exeſſe compulſis, Magiſtratus, & populus Rhenofeldenſis quaſi ſui recolligendi obliti ante omnia de reſuſcitando Capucinorum Monaſterio curas ſuas intenderunt. Cùm verò ob futura calamitatum diſcrimina nemini probaretur, ut deſtructi Cœnobii ruderibus nova imponatur fabrica; ideò conventum fuit, ut intra

urbem

urbem Capucinis opportunum ſtruatur domicilium : & quidem per authenticum Senatûs Conſultum ædes quædam belli injuriis concuſſæ de dato 29. Martii 1650. futuro ædificio deſtinabantur. Die 1. Aprilis 1655. in loco deſignato Labarum Seraphicum terræ infigitur ; primus ſtructuræ lapis ponitur, ac deinceps opus profertur ; atque die 4. Octob. 1657. templum à Reverendiſſimo & Ampliſſimo D. Thoma Henrici Epiſcopo Chryſopolitano, & Suffraganeo Baſileenſi ſolenniter conſecratur. Nova, ſeu renovata hac ſtatione potiti jam Capucini ſtudiis ſuis, quibus hactenùs in domo minùs commoda pro ſalute, & utilitate proximi incubuerunt, nunc renovato quoque zelo, & quòd regulariùs locati eſſent, inſtiterunt quaſi omiſſa temporum iniquitate geminatâ induſtriâ compenſaturi.

VIII. Anno 1678. Rex Chriſtianiſſimus Sereniſſimæ Domui Auſtriacæ nunquam amicus huic denuò arma intulit, & confiſto in ſpeciem juſtitiæ titulo bellum Reunionis intentavit, pluráque jam loca Domui Auſtriacæ erepta idolo ſuo, rationi ſtatûs immolavit, proximè jam quoque Rhenofeldam devoraturus, quem in finem Crequius copiarum Gallicarum Polemarchus cum valida ſuorum manu quaſi inobſervatus accurrens urbem arcta obſidione conſtringit. Primo hoſtium ardore per obſeſſorum alacritatem efficaciter repreſſo, & aquis extincto, quorum plus mille è ponte in Rhenum dejecti, ſubmerſique ferebantur, Crequius injuriam ab aquis illatam ignibus expiandam cenſuit. Quare tormentis grandioribus, mortariis, & balliſtis igne fætis in aggeres collocatis horrendùm in urbem graſſatur, ut per ipſos tredecim dies, noctésque continuas ab injiciendis pyrobolis, ſeu ùt vocant, granatis, aliísque focis miſſibilibus nunquam ceſſaretur, ultrà nonaginta ædes in cineres deciderent, ipsúmque cælum à perpetua domuum conflagratione ardere videretur. Non territa hac ædium ſtrage Rhenofelda damna damnis compenſavit nil impunè paſſa, nec ſuorum calamitate ad faciendam deditionem permota ; ſed inanefacto hoſtium furore, repreſsóque acherontico conatu obſidionem ſolvere eos tandem potenter compulit, præſidiario milite, & cive à pulvere nitrato, fumo, & igne nigricantibus ; Gallis verò erubeſcentiâ rubentibus.

IX. Quòd hoſtis ſuſpicaretur, potiores præſidii Officiales in Monaſterio noſtro latitare ; ideò ab initio obſidionis plurimis ignivomis globis eò directis ejus petebatur jugulum. Cùm autem P. Guardianus divino prorsùs conſilio locum ſuum patrocinio S. Agathæ Virg. & Mart. commendâſſet, & totius Conventûs nomine quot diebus obſidionis ſacrum in divæ patrocinaturæ honorem litare voviſſet, hujus, ùt conſtanter creditum, ope, & interventu accidit, ut nullus pyrobolorum, nulláque phalaricarum Monaſterii ſepta attigerit, ſed extra langueſcens delapſa ſit. Similem à cæleſti hac Tutatrice favorem magna forſan ædium ſuarum parſimoniâ experti fuiſſent Rhenofeldenſes, ſi in concepta in eamdem fiducia perſeverantiores extitiſſent. At enim quia Pyrobolario cuidam igneos globos compeſcendi artem jactanti potiùs crediderunt, dubio procul deſertæ in divam fiduciæ pœnam tot ædium ſuarum ruinâ

nâ exſolvere, & oſtentatæ artis vanitatem luere debuerunt. Meliùs Eccleſiæ ſuæ Collegiatæ, ædibúsque Canonicalibus proſpexit Reverendiſſimus D. Melchior Zieglerus Præpoſitus; qui videns totam Civitatem voracibus flammis expoſitam S. Antonio Paduano ſupplex factus dictam Eccleſiam ſuam cum Domibus Eccleſiaſticis ejusdem protectioni commiſit, nuncupato inſuper voto, ſi ab excidio immunes evadant, unà cum picto anathemate rei hiſtoriam exhibituro certam pecuniæ ſummam in pauperes erogandi, & ſolenne miſſæ ſacrificium in Capucinorum Eccleſia, & Thavmaturgi arâ cantandi. Quantum hæc pietas profuerit, effectus docuit. Siquidem accenſa phalarica domui præpoſituræ illapſa, ac omnium timida opinione huic exitialis futura, quaſi cælitùs nocere prohibita in aquæ vaſculum decidit; ita ut ſine ulteriori damno diſrupta ſolam aquæ amphoram confregerit. Sic & Eccleſia Collegiata; ſicque Domus Canonicales in tanta & proxima exuſtarum, ſeu ardentium domorum ſocietate præter minutas quasdam læſiones nil nocumenti paſſæ fuerunt, omnibus hanc immunitatem ceu miraculoſam ſervatrici S. Antonii protectioni tribuentibus. Meritò igitur Crequius ab urbe porro anguſtianda deſtitit, advertens, quod illi militet æther. Capucini & his angoribus defuncti exinde exercitationum ſuarum tramiti reinſiſtentes usque hodie iis inhærere ſtuduerunt.

§. XXIV.

Monaſterium Riedlinganum.

1. Riedlinga urbs ad fluenta Danubii locata, & olim Tarodinum, ùt opinatur Cruſius, appellata, Romanis quondam propugnaculum, adversùs irruptionem Allemannorum præbuiſſe credita fuit; deinceps tempore Valentis, & Valentiniani à Romanis in urbis formam ampliata: Anno 828. à Ludovico Pio Monaſterio diviti-Augienſi donata longo annorum tractu in hujus dominio perſtitit. Exinde verò ad Duces Sueviæ devoluta in conſpectu quaſi horum Principum in monte Buſſo longè latéque per Alpes conſpicuo, & Riedlingæ proximè adjacente frequentem ſedem habentium ſorte ſua delectabatur. Ducum Suevorum ſtirpe in Conradino extincta Ducatus feudi nomine Archi-Ducibus Habspurgo-Auſtriacis accrevit, & Riedlinga cum aliis in ea vicina regione urbibus ab Archi-Duce Alberto Auſtriaco Comitibus Lupfenſibus: poſt Ellerbacenſibus; ſubinde Dynaſtis de Bodmann; ac denique Comitibus de Helffenſtein oppignorata fuit: à quibus omnibus Hypothecariis ſe Riedlinga toties quoties poſt Dominum ſuum, ſeu Domum Auſtriacam clamans proprio ære redemit; ita ut tantæ fidelitatis intuitu Leopoldus Auſtriacus Anno 1397. Riedlingæ Privilegium de non ampliùs oppignorando conceſſerit. Verùm non attento iſthoc Privilegio Anno 1406. Comitibus de Sonnenberg, & conteſſeratis cum his Imperii Dapiferis de Waldpurg fiduciata fuit; quamvis alii velint, quòd longè priùs, ſcilicet à Joanne Truchſeſſio Eberhardi filio

filio aquiſita fuerit ſeu emptionis, ſeu pignoris nomine; qui inter quatuor ſucceſſivas Conjuges etiam ſibi in thorum accerſivit Catharinam Comitiſſam de Cilli; à qua tantam accepit dotem, ut ſibi inde Waldſeam, Riedlingam, Sulgoviam, Mengam, & Munderkingam comparare potuerit. Obiit verò Joannes die 11. Jun. 1403. ſepultus Iſnæ. Quidquid horum ſit, ab eo tempore usque ad Annum 1679. Dapiferis de Waldpurg oppignorata manſit; quo Anno demùm ſe pariter propriis ſumptibus repignoravit, & in gremium Sereniſſimæ Domûs Auſtriacæ rediit. Hæc de Dominis Riedlingæ.

Situm ejus quod attinet, is amæniſſimus eſt frumenti abundantiâ vini carentiam compenſans. Ab Ortu per continuum viretum Mengâ urbe tribus horis propagatum acceditur. Ab Occaſu Wirthenbergiam: à Meridie Möſkirchium, & retrò hoc Hegoviam: à Septentrione autem prædictum montem Buſſum, & perennantem poſt hunc Sueviam reſpicit, Danubii, uti præfati ſumus, alluitur curſu; & cùm ſolus Conventus noſter Riedlinganus ab hoc prætereunte famoſiſſimo Germaniæ fluvio ſalutetur, operæ pretium & æquum dignúmque eſſe cenſuimus hujus ſcaturigini, & defluxioni nonnihil prolixiùs immorari. Danubius, qui & Iſther omnibus antiquis ſcriptoribus notiſſimus in ſylva nigra primordium ſuum oſtentat. Cornelius Tacitus è monte Abnoba oriri docuit; quem tamen montem noſtræ ætatis Geographi ſollicitè quæſitum invenire nullibi poſſunt, niſi montem dicere velint, qui collis eſt vix trium orgyarum altus. Plinius tam obſcurè de Danubii ortu loquitur lib. 4. c. 12. ut dubites, num Danubius in Plinio; an verò magis Plinius in Danubio reperiendus ſit. Longiùs abſcedit Strato, qui à montibus ſupra mare Adriaticum ſcaturire ſomniat. Imò is ipſe in hoc flumine perſcrutando & ſuum, & Iſthri caput perdidiſſe videtur: quippe qui ſui oblitus alibi Danubium è montibus Appenninis promanare putaverit. Felicior Herodotus; qui è Celtis oriri affirmat. Proximior Solinus, qui Germanicis Iſthrum jugis è monte in ſcauros Galliæ aſpectante effuſum aſſerit. cap. 22. Quamquam verò is cæteris propinquiùs ad rem acceſſerit; ipſum tamen originarium fluminis exordium cùm ſignatè deſignare nec ipſe, nec alii poſſent: ideò Romani ſolius ejus fontis, ſeu ſcaturiginis antra contemplandi ſtudio nonnunquam in Germaniam peregrinati feruntur; licèt credibile non ſit, multos ad eum tunc invium locum metu Allemannorum perveniſſe. Ipſum Tyberium Cæſarem deſiderio naſcentis Danubii incunabula viſendi eò penetrâſſe aliquorum ſententia eſt: quem fortè ſolum Danubius ſe dignum; nec alium olim ſpectatorem admiſit. II.

Oritur ergò Danubius in colliculo gracili, qui arce ſplendidiſſima ſuperimpoſita ſic contectus eſt, ut in media ambientis caſtri area tum dives aquarum proruat, qui molendino indubiè rotando mox par eſſe queat. Repagulis, & obicibus tamen frænatus intumeſcit, & in ipſis cunis ſtagnum exhibet; quo inde egreſſus Orientem versùs curſum arripit; à quo caſtrum illud, & oppidum adjacens Doneſchingæ nomen derivavit; quod Illuſtriſſimorum DD. Landgraviorum, hodie Sereniſſimorum S. R. I. III.

Principum de Fürſtenberg-Stüehlingen ſedes cùm ſit ; an majorem Iſther ab Oppido, an vice verſa iſthoc ab illo honorem fæneretur, problema ſit.

Vix à ſuo fonte prorumpens Berſchium amnem deglutit, & inde, quocunque iter ſuum reflectit, valles eas mira ubertate honeſtat. Leucam unam emenſus primam in littore urbem Geiſingam, arcémque Warthenbergenſem alluit : mox relicto poſt ſe pago Immendingen Möringam versùs curſum proſequitur. Inde Müllhemium urbem properat, & poſtquam plurium adhuc Urbium, Oppidorum, Pagorum, & Monaſteriorum proſpectus adventu ſuo recreâſſet, Riedlingam allapſu celebrem reddit : inde Ulmam à navibus ibi onerariis exſpectatus celeri meatu devolat, ubi Blavio, Ilarâ fluminibus, aliisque fontibus, & rivulis auctus navigia onuſta, & rates abducens reliquam Sueviam, Bavariam, Auſtriam, & Hungariam emetitur, ac ſexaginta navigabilium fluminum acceſſu grandeſcens per ſeptem oſtia, quæ Solinus commemorat, Ponto denique Euxino ſe ſe infundit, quamquam per tractum quadraginta millium paſſuum æquori non miſceatur, dulcémque hauſtum incorrupto ſapore conſervet. Veteres hunc fluvium navigatione Argonautarum, quam Jaſon in Colchidem pro aureo vellere aſſumpſerat, ſacratum fabulabantur. Sed veriùs eum victoriâ Heraclii Imperatoris, & ſanguine infidelium in ponto Danubii effuſo, & S. Crucis, totiúsque Orientis redemptione, & multorum millium Paganorum in Danubio baptizatorum Hiſtoria conſecratum invenimus in ſpec. Hiſt. l. 24. c. 11. & 12.

IV. E longinquo, quo à Danubio abrepti ſumus, pedem Riedlingam referimus domeſticam narrationem retexturi. Quemadmodùm Riedlinga pluribus per circuitum diverſi Inſtituti Monaſteriis : ut Zwifaldenſi Ord. S. Bened. virorum : Marchthallenſi Ord. Præmonſtrat. virorum : Crucis-Thallenſis Ord. Ciſter. nobilium fæminarum : Utenvvilerano Ord. Eremit. S. Auguſt. virorum : Buechovienſi Parthenone Illuſtriſſimarum Canoniſſarum &c. aliisque hinc inde ſanctimonialium coronam in morem cincta eſt : ita locis iſtis ſpiritualem hanc felicitatem piè invidens & ipſa aliquod Religioſorum contubernium intra mænia ſua implantatum concupivit. Licèt autem jam priùs aliqui alii amænitate, & commoditate loci haud parum allecti à Magiſtratu ſuſcipi petierint : poſtquam tamen Admodùm R. D. Jacobus Schueler Parochus zelo Apoſtolico, & authoritate præſtantiſſimus pro Capucinis Orator interveniſſet ; poſt unam alterámve repulſam ægrè tandem in ejus poſtulata condeſcendit : utpote quem Inſtituti Capucinorum tum adhuc ignarum erronea quædam perſuaſio morabatur ; quaſi hujusmodi Religioſi bonorum temporalium capaces, ſive helluones reipublicæ præjudicio potiùs, quàm emolumento forent, utpote unum prædium poſt alterum emptione, vel alia aquirendi methodo civibus erepturi. At ubi Riedlingenſes à Prænob. & Clariſſimo viro D. Jo. Michaële Schaz de Liebenfeld J. U. D. præcipuo Capucinorum Fautore errorem hunc dedocti, & quoad res circa Capucinos inſtructi fuiſſent, utróque pollicè in horum admiſſionem ſubſcripſerunt ; móxque per litteras inſtantiſſimas Provinciæ capita implorârunt ; uti apud ſe per-

perpetuandum deinceps domicilium eligere, atque acceptare dignarentur: quibus Patres in reſponſoriis ſpem fecerunt, ſe utique curaturos, ut eorum poſtulata incaſsùm non ſint futura, ſi res penès eos quoque, ad quos de more, & jure ſpectat, parificata fuerit. A. R. D. Parochus hoc reſponsô ſupra modum recreatus, quò Capucini Riedlinganis magis innoteſcerent, copiam illis fecit ſpiritualia ibi obſequia exercendi; qui ſubinde per decem, aut plures dies illic eo fine morati, doctrinæ, vitæque religioſæ illicio adeò tum optimatum, tum civium animos ſibi devinxerant, ut hos non ſolùm factarum inſtantiarum non pœnituerit; ſed creſcentibus in id, quod rogaverant, deſideriis ſub dato 18. Aprilis Anno 1644. preces ſuas ad Patres tum Conſtantiæ capitulariter conſcriptos iterandas arbitrati ſunt; ad quas hi juxta majores Capitularium fabas affirmativè reſcripserunt, à P. Generali interim conſensum negociati; qualem & Celſiſſimus & Reverendiſſimus DD. Ordinarius Conſtantienſis jam præbuerat. Exin deputati ſunt idonei Patres qui Riedlinganis verbi nomine Provinciæ dati experimentum facerent, & domicilium ſibi aſſignandum actu occuparent; quod poſt loci inquiſitionem eis obtigit in ædibus ſuburbanis futuro quondam Monaſterio conquadrandis: in quibus urbis munificentia reparatis Religioſos hoſpites ipſos undecim annos ſuſtinere oportuit temporum bellicorum ſævitie, & conſecuta inde civium egeſtate negotium fabricæ uſque eo protelante; licèt jam die 18. Octob. 1645. Crucis vexillum præfixum, lapis angularis ſolenni ritu in profundum demiſſus, areáque naſcituri regularis hoſpitii à Reverendiſſimo & Ampliſſimo DD. Udalrico Zwifaldenſi Abbate pontificali benedictione fuerit luſtrata.

V. Dum noſtri in memorato ſæculari Chalcidio moras traherent, honeſta quædam vidua, Eliſabetha Vetterin ligneum Chriſti Crucifixi ſimulacrum eisdem dono dedit; munus tantò pretioſius, quantò majoris miraculi argumento illud quondam reſplenduiſſe comprobatum eſt. Erat in urbe domus inhoſpita, in qua inſolens juvenum, & juvencularum plebs nocturno tempore inhoneſtos, & quod conſectarium eſt, impudicos cætus celebrare conſueverat. Cùm igitur Anno 1633. quadam diei veneris nocte ea petulantium fæx ibidem convenisſet, & propudioſam ſynodum ageret, quantùm ſibi hæc, & comitantia ad eam peccata horrori, tormentóque eſſent, Chriſtus in ſimulacro ſuo è pariete pendulo palàm ſignificavit. Ea enim Crucifixi imago derepentè magno cæpit ſudore diffluere, adeò, ut guttæ per parietem ſtillantes in pavimento collectæ per aliquot pedes versùs januam diffuſæ fundum humectarent. Adverterunt id aliqui, quorum impudicitiis hic Chriſto ſudor expreſſus fuerat; & gravioris vindictæ metu eurô velociùs ſe inde proripuerunt. Ejus miraculi veſtigia in perenne veritatis teſtimonium oblitterari nunquam potuerunt, quamdiu domus illa ſteterat. Hanc ergò imaginem Capucini gratanter ſuſceperunt, & in Refectorio Monaſterii deinceps ad perpetuam rei geſtæ memoriam piè collocârunt, viſuram quaſi ſacratiores Capucinorum functiones, aut certè illos ad has quotidiè

vel aſpectu ſuo hortaturam, quàm quas olim in prædicta domo vel prodigioſo ſudore deteſtata fuerat.

VI. Anno 1649. pace Monaſterienſi armis finem imponente Monaſterio Riedlingano tandem fundando initium datum eſt ; quod opus per largas Benefactorum, & induſtrias laboratorum manus egregiè promotum fuit, ipſo cælo inter Benefactores numerari ambiente. Dum enim uſque eò perventum fuiſſet, ut hortus muro circumdaretur, anguſtiæ ærariæ vix non inducias huic complemento indixerunt. Itum ergò fuit ad divum Antonium Paduanum, illéque à fratribus ardenter comprecantibus ſubſidium rogatus. Et ecce ! tam largæ ultrò citróque eleemoſynæ affluxerunt, ut & opus perfici potuerit, & poſt perfectum tantumdem rei pecuniæ ſuperfuerit, ac ſi gratis laboratum fuiſſet. Clauſtro intra triennii ſpatium per omnes numeros abſoluto Anno 1655. fratres gaudenter immigrârunt, eo ad ſuam, & plurimorum aliorum ſalutem uſuri. Die 30. Aprilis 1656. Reverendiſſimus & Ampliſſimus D. Georgius Sigismundus Epiſcopus Heliopolitanus, & Epiſcopi Conſtant. Suffraganeus, R. P. Stanislai Capuc. Rottenburg. Germanus Frater Eccleſiam plauſibili ſolennitate, in qua Reverendiſſimus D. Abbas Zvvifaldenſis Udalricus, & ipſe amantiſſimus Capucinorum Evergetes Miſſam cantavit, dedicabat, & conſecrabat. Quantum verò ſtudium, & liberalitas à Riedlinganis ſtruendo huic Cænobio impenſa fuerit, nobis tacentibus, area, lapides, muri, & omnia alia deprædicabunt. Plur. Rerverendus D. Jacobus Schueler loci Parochus, hortum ceſſit ; qui cùm operi incongruus eſſet, elicitum ex eo pretium à centum viginti florenis, præter plurima alia, quorum & dexteram ſuam ignaram voluit, contribuit. D. Michaël Krämer urbis Conſul lapidicinam propriam fabricæ donavit ; campanam ære ſuo fundi curavit ; quosdam operarios tecto, lecto, mensáque ſua donavit ; ac his numeratæ pecuniæ ducentos viginti florenos ſuperaddidit, ac in amplioris horti uſum jugerum agri ; D. Georgius Baiz Conſul & ipſe prioris exemplo toto fabricæ tempore quosdam fabricatores aluit, & quinquaginta florenos : D. Joannes Mezger civis agrum pro fundo Monaſterii : D. Martinus Müller Senator Mechanicos laboratores, binósque equos ſuſtentavit, & inſuper ducentos florenos contulit. D. Georgius Sommer Mercator ſexaginta florenos. Nec ea Riedlingenſium munificentia ſine præmio fuit. Ante Capucinorum illuc adventum agri illius regionis, cui modò inſidet Monaſterium, paſſim pro vilioribus, frugum parcis, ac præterea grandini, & vaſtationi ante alios obnoxii habebantur. Poſt ſtabilitos autem inibi Capucinos à primorum ſtatim, & conſequentium annorum experientiâ compertum fuit, arva illa circum Capucinos ſita ab omni deinceps grandine, aliisque deſolationibus immunia ; quin & pinguiora evaſiſſe, in tantum, ut quodlibet jugerum ſexaginta, ſeptuaginta, & ampliùs florenorum pretio alia ſuperaviſſe, ac æſtimatos fuiſſe ; id quod hodiedum in gratiam Capucinorum ipſi teſtantur gratulanter Riedlingani.

VII. Inter fundati Conventûs Riedlingani Benefactores recenſeri meritoria

toria æmulatione geſtierunt Illuſtris D. Colonellus Adamus Henricus Keller de Schleitheimb, qui ducentos: Vidua Excellentiſſimi D. Generalis vigiliarum Magiſtri de Winterſcheid, quæ centum: Prænobilis quidam miles Francus, lauter nomine, & Religione Lutheranus; ac Illuſtris ejusdem D. Conjux Schenckia de Stauffenberg: qui, cùm unicum haberent Filiolum, in extremum adducti ſunt mærorem, quòd is infelici caſu in aquas lapſus, omnium opinione, ac naturaliter ſubmergendus eſſet. In hoc articulo Maritus voto ſe obſtringit Catholicam amplexandi Religionem: Conjux verò quinquaginta florenos in fabricam Riedlinganam profundendi, ſi prolem Deus ab interitu ſervaret. Voto vix enuntiato filiolus ex altera foſſæ ripa incolumis prorepit; & uterque voto ſuo ſtetit. Reverendiſſima & Illuſtriſſima Domina Abbatiſſa Principalis Collegii Lindavienſis octoginta florenos: præ omnibus aliis verò largiſſimum ſubſidium, nempè mille ſeptingentos florenos è Sileſia ſubmiſit Reverendiſſimus, & Nobiliſſimus DD. Joan. Balthaſar Lieſch de Hornau in Zündel, Epiſcopus Nicopolitanus, Suffraganeus, & Præpoſitus ad S. Jo. Bapt. Uratislaviæ, & Adminiſtrator Neiſſenſis, Germanus frater R. P. Rudolphi de Hornau Capuc. cujus memoria ſuo tempore occurret. In juvando ædificio, ſubminiſtrandis materialibus, & Eccleſiæ picturis, altaribus, & ſtatuis exornanda certatim eminuerunt Reverendiſſimi & Ampliſſimi DD. Abbates Zwifaldenſis, Sorethanus, & Salemitanus: Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus DD. Uratislaus Landgravius de Fürſtenberg &c. Perilluſtres ac Generoſi DD. Balthaſar Ferdinandus L. B. de Hornſtein. L. B. de Stein in Emerkingen, Reverendiſſima & Illuſtriſſima DD. Abbattiſſa Principal. Collegii Buechovienſis in gratam memoriam illius, quod & noſtris, & alienis narrare conſuevit, ac publicis Monimentorum Collegialium tabulis conſignatum eſſe aſſeruit. Anno 1632. Sueco immaniùs in Sueviam graſſante Illuſtriſſima Domina Abbatiſſa cum toto Canonicali Gynecæo ad tutiora ſe recepit, Pathenone ſuo Dei, & S. Antonii tutelæ commiſſo. Paulò poſt diſceſſum ex inſperato adveniunt duo Capucini, qui totum Collegium more nobis conſueto ſacerdotali benedictione circumquaque luſtrando proſequuntur. Negotio hoc finito Æconomus Capucinos affari volens eosdem accedit; qui tamen ſubitò ex oculis evaneſcentes virum ſtupore abſorptum reliquerunt. Hanc vero benedictionem perutilem fuiſſe, eventus, nimirùm omnimoda Collegii incolumitas inter tot exterminii pericula comprobavit. Quinam verò exorciſtæ hi fuerint, cujuslibet devotæ interpretationi relinquitur.

VIII. Denique & Reverendiſſima D. Abbatiſſa in valle S. Crucis in ſtudio promovendæ fabricæ non poſtrema fuit. Illuſtriſſima autem D. Comitiſſa uxor Ottonis Dapiferi in Dirmadingen centum: Nobilis virgo Euphroſyna Schvveizerin præter quinquaginta florenos vaſa Argentea præbuit: alii alia, quorum nomina, & Beneficia Deo remuneratori nota ſunt.

Quamvis Riedlinga variis calamitatibus per temporum, bellorúmque injurias preſſa, Anno 1688. à Gallis Friburgo excurrentibus, to-

tam Sueviam pervagatis ad ſe maximo lytro redimendam ab exuſtione vix non enervata: Anno 1702. ab exercitu Bavarico iteratò & perniciosè ſalutata: Anno 1703. à Gallico Bavaris ibidem juncto inundata: Anno 1704. à Cæſareo-Imperiali exercitu meſſe, fænicidio, & aliis, quibus ea in regione vita, & proventus conſtat, deſtituta, ac propè exhauſta fuerit: attamen ſemper in fide erga Sereniſſimam Domum Auſtriacam integra: & in beneficentia erga Capucinos conſtantiſſima perſtitit, & in hunc usque diem perſiſtit.

§. XXV.

Monaſterium Rottenburgenſe.

1. ROttenburgum urbs antiquitus Lands-Kron: ſeu ut Codices vetuſtiores indicant: Lands-Korn / à fertilitate arvorum: ſive à Guardiæ ibidem collocatæ fortitudine Lands-fort compellata ad Niccari Fluvii ripam accubat. Aliqui à Francis tempore Pharamundi conditam fuiſſe autumant. Veroſimiliùs tamen antiquiora ipſi natalia tribuunt Hiſtorici, cum Beato Rhenano, Münſtero, & Cruſio ratiocinati, quòd ſæculo tertio Valerius probus ad tractum Niccari fluminis ad coërcendos Allemannos plurima ſtatuerit munimenta, & Præſidia, intérquæ & Rottenburgum, vel quomodocunque eo ævo nuncupatum, unum fuiſſe ex eo colligunt cùm varia ibidem Romanarum antiquitatum veſtigia reperta fuerint; quorum adhuc aliqua extra portam Aquilonarem in lapidibus vetuſtiſſimâ, & non legibili ampliùs ſcriptura ſignatis cernuntur. Niccarus autem quamvis Cornelio tacito, aliàs non tacitò, ſed loquaciſſimo, ut eum vocat Tertullianus, incompertus, Romanis tamen notiſſimus fuerat; utpote cujus curſum Valentinianus Imperator Anno 373. per ſumnam violentiam, immenſos ſumptus, & adhibitum totum fermè exercitum aliò derivare conatus eſt, ne ejus rapacitate munimenta ponè illum collocata abriperentur. Scaturiginem Niccari indicat ſcriptura lapidi cuidam ad hoc aſſumpto, & à Ludovico Wirthenbergiæ Duce Anno 1581. terræ infixo litteris, & verbis teutonicis inciſa: *hic eſt origo Niccari.* Viſitur autem hic lapis cum ſcaturigine ligneis cancellis ambita in pago Schvveiningen leucâ ſupra Rottvvilam ſito. Inde igitur prodiens per prata Rottvvilana devolvitur, & aliquorum amnium ſocietate augeſcens intra montium anguſtias, pérque amænas ſubinde & ſpatioſas valles Horbam urbem alluit, & versùs Aquilonem deproperans Rottenburgum attingit: ubi medius inter urbem, & urbem Ehingam, ſtrato ſuper eum ponte; ſicut & politicè junctas Tubingam ſinuoſo anguis in morem proceſſu vehitur; atque deinceps Eſslingam, Stuttgardiam, Canſtadium, ubi ad ferendi naves capacitatem adoleſcit, cùm retrò, & ab ejus origine ex ſylva nigra rates duntaxat & prolixas, & frequentes patiatur. Poſteà fluviorum Enzii, Kocher, Jaxt, aliorúmque minorum illapſu incrementatus

Be-

Beſinhemium, Heilbrunnam, Wimpfam, & Myrtiletum itinere ſuo ſalutat, ac tandem intra Spiram, & Auguſtam Vangionum Rheno ſe abſorbendum præbet.

II. Rottenburgum frequentatis ruinis propè magis, quàm fortunatis ſucceſſibus Urbi innotuit; ut quibus in eam parvitatem, licèt parvum non ſit, abbreviatum, vel potius è ruderibus ſuis ſuſcitatum fuit, qua hodie conſtat. Antiquitùs enim hæc urbs ſe ſe cis, & trans Niccarum longiſſimè protenderat; adeò ut una ex parte, & Meridionali montem veterem, ubi nunc fanum B. V. M. ſacrum, intra mænia ſua receperit: quemadmodùm nonnulla per aliquot jactus lapidis ultrà dictam Eccleſiam etiamnum exſtantia rudera, & inſcriptiones id clarè innuunt. Ex altera verò, & Aquilonari parte ad lævum Niccari latus longè in campos exſpatiata fuerit; ubi hucusque templum, Silcha nunc dictum, olim urbis Parochiale; modò ſolitarium in ampla planitie exiſtens mortuos ibi ſonum tubæ exſpectantes hoſpitat. Veterem ergò urbem, ſeu prædictum montem inter, & Eccleſiam Silchenſem cùm juſtum horæ dimidiæ ſpatium recto itinere interſit, inde primævam urbis magnitudinem conjicias. Anno 1112. propè ad finem eunte, ſcilicet in ipſo Nativitatis Dominicæ feſto plura Germaniæ loca, urbes, templáque frequentibus chasmatiis concuſſa, & ſubverſa fuerant; ſanguineæ item nubes per aërem volitantes ingentem mortalibus horrorem incuſſerant. Præ aliis autem die 3. Januarii 1113. tempore Henrici Rom. Imp. V. civitas hæc Landsfortenſis undarum alluvionibus, ventorum turbinibus, terræque motibus quaſſata, ac demùm funditùs everſa ſuam inter rudera ſibimet ſepulturam conſecuta eſt. Ultrà ſæculum unum, alterúmve dimidium urbs intra ſe ipſam convulſa jacuit; quam tandem Albertus Comes Hochbergenſis Anno 1271. é tumulo reſuſcitavit, quamquam multoties minorem, quam abolita prima compellatione Rottenburgi, id eſt, Burgi, ſeu urbis ruptæ vocabulo baptizandam duxit Reſtaurator; qui ut redivivæ urbi Numen magis propitium redderet, Anno 1276. præter alios cives, cives etiam Sanctorum, & domeſticos Dei: RR. inquam, PP. Carmelitas eò introduxit, & celebre illis ſui Ordinis Monaſterium excitavit. Manſit exinde civitas uno ſæculo in poteſtate, & dominio Comitum de Hohenberg; qui per ea tempora divitiis, fortitudine, gloria militari, affinitate cum Rudolpho I. Rom. Imp. & aliis prærogativis celebres Sueviæ Protectores, ſuſtentaculum Romani Imperii, potentiſſimis Wirthenbergiæ Comitibus ſuppares, hoſtium ingruentium repagula dicebantur. Horum ultimus Rudolphus Comes de Hohenberg Rottenburgum cum toto, quà latè extenditur, Comitatu, Archi-Ducibus Auſtriæ Anno 1371. vendidit; tum quòd non haberet maſculum hæredem; tum quòd hac venditione illatam ſibi à Conjuge, & filia ſua injuriam vindicare vellet; tum denique quòd ipſius ex Patruo Nepotes Rudolphus & Henricus Comites de Hohenberg, Germani fratres, partem, & jus ſuum, quo in Haigerloch, & alibi fruebantur, contra voluntatem ejus pariter venditione alienaverint. Uti præfati Comites luculenta alia pietatis, & religionis

ſuæ argumenta ediderunt : ita hujus æterno teſtimonio exiſtit quoque Eccleſia Collegiata Ehingæ, ùt præfati ſumus per pontem Rottenburgo connexa ; quæ propriam, & à Rottenburgenſi diſtinctam habet Parochiam. In hac Fundatores, quorum nomina, ſcuta, & lapides ſepulchrales ibidem exiſtunt, Mauſolæum ſuum elegerunt.

III. In edito urbis Rottenburgenſis colle eminet Caſtrum à murorum craſſitudine æternitati ſtructum ; quod ſedem præbet Provinciali Præfecto Auſtriaco. Ut hæc urbs priſcæ Religioni ſemper addictiſſima fuit ; ita non absque intimo cordis dolore vicinæ Wirthenbergiæ ; præſertim Tübingæ, ubi florentiſſimum Athenœum Eberhardus Barbatus Dux Wirtenbergiæ Anno 1472. fundavit, defectionem, atque luctuoſam ad ritus Lutheri reformationem aſpexit ; nec immeritò timuit, ne ex infecta adeò vicinia ſibi quoque graſſantis hæreſis toxicum ullo modo afflaretur. Interim tam Eccleſiaſticus, quàm civilis Magiſtratus omnî Argô oculatior optimas quasque cautelas adhibuit, quibus ea errorum contages à finibus ſuis arceretur. Inter alia in hunc finem opportuna conſilia agitabant Rottenburgenſes, quòd ad majorem aſſerendæ avitæ Religionis ſecuritatem Capucinos, velut ſtationarios milites conducere, & in urbem ſuam ſuſcipere vellent. Placuit per gyrum omnibus hoc propoſitum, cujus mox executioni incumbentes litteras de die 23. Novembris 1603. ad Provinciæ moderatores direxerunt, ac per eas ſumpto à conſervanda Religionis incolumitate argumento illos ad figendam intra gremium ſuum manſionem non minùs anhelanter, quàm inſtanter invitârunt. Cùm verò ea ætate nullus in Suevia ultrà Conſtantienſem adhuc Conventus exiſteret ; & inter hunc, & Rottenburgum nimia intercapedo mediaret, qua viſitatio provincialis admodùm redderetur difficilis ; ideò ex impertita à P. Provinciali repulſa Oratores preces ſuas irritas fuiſſe doluerunt ; & undecim ex poſt annis de negotio penitùs ſiluerunt, creſcente autem Conventuum in varias, hinc inde urbes, & loca propagatorum numero, Rottenburgenſibus animus, zelúsque ſuccrevit intermortuas reaſſumendi inſtantias ; quod quidem per iteratas litteras rationibus, ac motivis validis munitas tam dextrè, ac convincenter præſtiterunt, ut Patres inde commoti Patri Generali Miniſtro Paulo de Cæſena pro facultate Rottenburgenſibus gratificandi ſupplices hanc etiam absque tergiverſatione evicerint. Tum temporis Rottenburgo, & Comitatui Hohenbergenſi principatus Sereniſſimus Archi-Dux Auſtriæ Carolus, Marchio Burgovienſis ; cujus eapropter conſenſus in rem propoſitam pariter exorandus fuerat ; qui tamen vel ad primam ſupplicantium tum Capucinorum, tum Rottenburgenſium pulſationem impertitus eſt, Sereniſſimo Principe non ſolùm opus approbante, ſed inſigne etiam ſubſidium offerente.

IV. Utcunque autem horum conaminum primordia quaſi Procridis telo metam ubique attigiſſent, Patribus Provinciæ novis Rottenburgenſium litteris de 12. Sept. Anno 1616. prorsùs in vota traductis ; interveniens tamen Sereniſſimi Archi-Ducis obitus, moleſtæ belli turbæ, & ſubſecuta gravis annonæ cariſtia intenti executionem ad ulteriorem

octo

octo annorum comperendinatum rejecerunt. Illuceſcente verò meliori viciſſitudine Rottenburgenſes inſuper quadam cum aliis urbibus Capucinos adeptis æmulatione ſtimulati ſub die 8. Aug. Anno 1622. Patres Solodori capitularitet conſedentes provocârunt, atque in ſpem erexerunt, fore ut, licèt cum defuncto Marchione de Burgau promiſſum ſubſidium exſpiraverit, Sereniſſimus Princeps, & Archi-Dux Leopoldus, ceu bonorum temporalium æquè ac defuncti propoſitorum hæres, idipſum, & fortè auctius pro nota ejus in hujusmodi pias fundationes indole, ſit collaturus. Hiſce inſtantiis Patres vinculati protinùs fabricatores Rottenburgum ablegârunt tum expeditam deferendi promptitudinem coràm ſignificaturos, tum loci toties oblati poſſeſſionem capturos. Prænobilis D. de Hugg tum celſo Principis Miniſterio, tum patritio ſtemmate, virtute, & conſummatâ litteraturâ clariſſimus fundum extra portam Meridionalem urbis Ehingæ ultrò contulit; in quo menſe Octobri ejusdem anni 1622. poſt ſtatutam crucem ædiles fundamenta jecerunt; móxque machinam ſtruendi Cænobii auſpicati ſunt.

V. Inflammato ſtudio in fabricam hanc incubuerunt tam oppidani, quàm pagani; in cujus proſecutione accidit, ut pueri tegulas contegendo templo in altum ſucceſſivè de manu ad manum efferentes quandóque plures, quàm tabulatum ferre potuerit, eidem inſederint; quo factum, ut id aliquando ſuo pondere fatiſcens inſiſtentes omnes præcipites demiſerit, ac inter lateres, lapides, tabulata, multámque rei cæmentariæ congeriem obrutos quaſi ſepeliverit. Omnes, ſed vel maximè Capucini caſu ſatis infauſto nimiùm quantùm exterriti ſupremum Numen, Jeſum, Mariam, & S. P. Franciſcum inclamant, accurrunt pueros quaſi ſuffocatos ex ruderibus levaturi; ſed ſalvos, & incolumes omnes attolunt, uno ſolo, qui quaſi cruore ſuo miraculi dignitatem impunè deſcriberet, leviter ſecundùm unam auriculam læſus vix modicum è vulnere ſtillabat ſanguinem; cæteris aſtantibus, & magnam nimis Dei miſericordiam collaudantibus. Sed aliud quoque manifeſtum ſtructuræ hujus a Deo comprobatæ, & promotæ ſignum evenit: dum nempè fabricatores Capucini quaſi titubantes, & in arcto poſiti Primores Dicaſterii adierunt, vetuſtam quandam arcem Monaſterio, & ruinæ proximam in præſentem lapidum defectum expetentes. Rogati DD. Officiales ſuam id excedere poteſtatem cauſati ſupplices ad ipſam Archi-Ducis curiam Oenipotanam ſupplices remittunt. Sed ecce! quibus auxilium humanum in promptu defuerat; cæleſte, & divinum arriſit. Eadem quidem nocte tempeſtas ingens, validiſſimíque turbines cùm exorti eſſent, in arcem illam irruentes eam convulſam, haud absque ſupernæ potentiæ indicio, dejecerunt, ac totam ferè ſolo æquârunt. Quo inde Proceres apertam Numinis diſpoſitionem admirati ultroneam lapidum colligendorum, & ædificio aptandorum facultatem conceſſerunt audacter, & ſecurè de ſupremi Domini voluntate præſumentes voluntatem Numinis eo prodigio edocti.

Favente igitur eatenùs cælo, & labores fabrorum ſecundante circa finem Aprilis An. 1625. ſtructura omnium numerorum perfectionem, &

acroterium aſſecuta eſt : unde die 4. Maji anni prædicti templum ſub innumera hominum Illuſtrium, civilium, paganorum &c. concione à Reverendiſſimo D. Suffraganeo Conſtantienſi (cùm locus Epiſcopatui huic ſubditus ſit) ſpectabili feſtivitate dedicatum ; Religioſi autem hoſpites in paratum ſibi domicilium locati ſunt ; cujus ſtructura ex piis innominatorum collatitiis eleemoſynis peracta eſt. Cænobium hoc Nicarum ſecùs murum horti, templique atrium, viâ regiâ vix mediante, quietum, & absque ſtrepitu placidas undas inter utramque urbem devolventem habet ; cui cùm ex altera fluvii ripa vineta per montem gradatim aſcendentia reſpondeant, elegantem id proſpectum efficit.

VI. Id autem, quòd Conventum hunc ſpecialiter commendat, eſt fontium acidorum frequentia, & maxima his utendi commoditas. Horum in pago Niderau hora à Monaſterio diſtante ſcaturientium aqua cryſtallina ubertim ſaburrando ebullit, & ſulphuris præſertim odorem latiùs ſpargit ; quæ variorum mineralium temperaturâ dives multis humani corporis infirmitatibus medenti eximia virtute pollet, celebrior, & curandorum acceſſu frequentatior, niſi Medici Wirthenbergici in medicatos Provinciæ ſuæ fontes elogiis liberaliores & quæſtui Patriæ intenti cum horum extollentia illorum famam, & frequentationem forcillarent.

Regio hæc, urbs, & Conventus quidem belli Suecici acerbitatem frequenti hoſtium tranſitu haud mediocriter experti ſunt, præſertim Würthenbergiæ armorum Suecorum ſociæ nimiùm quantum vicini : potiſſimum tamen anno 1643. graſſantium furori quaſi in prædam patebant. A Ducé enim Weinmarienſi violentè occupata ; à Cæſareanis liberata : à Weinmario recuperata, & Anno 1644. flammis correpta urbs vix non tota in cineres annihilata fuit, Ehingâ indemni. Miles Suecus Gallo mixtus barbarum in morem adversùs calamitosos deſæviit, diripiens, quæ flamma non devoravit, & vi tormentorum extorquens, quæ Cives in enthecas abdiderunt. Urbe expilatâ vulturias manus Monaſterio Capucinorum intulêre prædones ; in quod irruentes omnia exſpoliant ; parietes interiores tigneis interſtinctos diruunt, menſas, ſcamna, ſcabella, ciſtas, & ſpondas, & quidquid præterea è ligno erat, ad focum alendum exportant. Et cùm Capucini ſacram Hierothecam, & calices propè altare ſummum in quoddam receptaculum occultâſſent, depeculatores ſacrilegè his inhiantes apprehenſum quemdam Civem myſterii ignarum angariaverunt, ut eis Capucinorum revelaret calices. Hic torturâ conſtrictus deteriorum metu prodidit Georgium Eblin, clauſtralem Capucinorum Ammanuenſem, & omnium Monaſterii rerum conſcium. Illo ergò dimiſſo hunc pœnali quæſtione ad indicanda Calicum latibula pertentant ; qui tamen negat, ſe de his quidquam ſcire. Minantur harpyæ tergiverſanti atrociſſimam mortem : is verò ne hac quidem territus negare perſeverat : quem igitur feroces ſune collo ejus injecto è ſcala quadam ſuſpendunt. Mirabilem verò, ponè ac propitium ſe Deus huic miſero præſtitit ; cùm reſti feliciter disrupta hic à ſuſpendio liber evaſerit : qui deinceps complures annos

in

in Fratrum ſervitiis fideliſſimè perſtitit. Interim Raptores omnia ſtudioſiſſimè disquirendo eò jam devenerant, ut reconditos calices proximè attingerent: divina tamen virtute eluſcati patentia, & detecta latibuli indicia non adverterunt; hinc lardum in canis nido quæſiiſſe arbitrati ea vice diſceſſerunt. Succeſſivè autem indagationem reſumentes Monaſterium tandem penitùs evertiſſent, niſi exercitûs Cæſarei ſuperventu in præcipitem fugam abacti fuiſſent.

VII. Poſt conceſſam ab hoſtium inſolentia quietem Capucini confracta reſtauraturi, & ablata compenſaturi hinc inde ad Conventus noſtros mendicatum iverunt, ſæcularibus plerumque eadem damnatione punitis nil conferre valentibus. Imperialium Copiarum Duces Merſius, Verdanus, & Rauſchenbergius ſortem Cænobii noſtri miſerantes liberalem pietatem ſuam eidem in hanc formam, in qua modò eſt, reſtituendo impenderunt. Anno 1692. Rottenburgum denuò de ſui excidio periclitabatur Gallis per Sueviam Phalaridis imperium exercentibus; à quibus lachrymabilis urbs ingenti lytro indemnitatem ſuam emere debuit. Anno 1706. iterato incendio, & aliquarum domuum conflagratione minutam: & Anno 1707. nova interitûs comminatione à Gallis territam; ſed ſtipulato tributo condonationem pactam iniquior ſors admodùm malè habuerat; quas tamen minas & tributi penſionem præcipitatus hoſtium exceſſus feliciter abſterſit. Sed vel maximè tanta commemoratione, quanta commiſeratione dignum eſt incendium die 4. Martii 1735. in horreo quodam mænibus circa portam Aquilonarem contiguo, ſive alicujus culpâ, ſive quomodo aliàs excitatum, neſcitur. Adeò ignis exardeſcebat, ut Cœlum, plana camporum, atque etiam remotorum cacumina montium longè latéque relucerent. Conſertæ undique, coactæque ex omni regione flammæ, reciprocante ventorum flatu, agitatæ, ac velut exaſperatæ de ultimo excidio Civitati inferendo conſpirâſſe, & certare inter ſe videbantur, utræ graviorem præclariſſimis quibusque ædibus, ut Hochbergianis, Curiæ, magnificis hoſpitiis &c. ruinam afferrent; ita ut intra quindecim horarum ſpatium plus quingentæ ædes partim eadem ſerie, partim variante ventorum impetu, aliquibus transmiſſis per intervallum in lamentandos cineres deſederint. Inter has etiam inſigne PP. Carmelitarum Cænobium; quo plures pretioſa ſua tanquam in Aſylum collocaverant; ſicut & opiparum Hoſpitale cum refertiſſimo Commeatûs promptuario crepitantibus flammis pretioſo pabulo non ſatiatis, voracioribus redditis in eſcam abierunt; quin concurrentes vicinæ Regionis Communitates, Cives, Eccleſiaſtici, Religioſi, & promiſcua hominum turba immenſa aquarum per ſitulas, & ſiphones incendiarios affuſione, aliisque auxiliaribus machinis furentis Elementi proceſſus cohibere potuerint. Augebant periculum accenſæ tectorum ſcandulæ ventorum vi in urbem Ehingam, & ipſum quoque Monaſterium Capucinorum perlatæ, atque incendium eò etiam usque derivaturæ; in quorum tecta grandinis in morem, denſè quidem; ſed Dei miſeratione impunè decidebant. Videbantur tamen ædes, & Parochialis Eccleſia ignibus paulò firmiùs obluctan-

luctantes, quæ ruinæ jam proximæ, & opinione omnium deſtinatæ dolorem, commiſerationémque ſpectantibus movebant. Pro harum ſalute Reverendiſſimus & Zeloſiſſimus Paſtor D. Joſeph. Ignatiús Werz &c. in Eccleſia Capucinorum coram venerabili Sacramento afflictiſſimè deprecatus tantum obtinuit, ut tum Eccleſia ſua, tum Domus Parochialis in media ruentium ædificiorum ſtrage, & flammarum circum circa graſſantium tyrannide ſalvæ conſtiterint. In ea calamitate Capucini Rottenburgenſes, quotquot Monaſterium capere poterat, hoſpitio, menſa, tecto, & lecto qualicunque ſpectabili, ac debita charitate ſuſceperunt, eorum res ad ſe in tutum allatas chriſtiana fidelitate curârunt. Eodem anno ad finem Julii Niccarus inſolitis imbribus auctus, & violenter exundans ligna ſacello B. Mart. Fidelis ſtruendo parata abripere tentavit. Poſt horum tamen ad triginta paſſus abductionem ſedato fluminis impetu ligna propè Monaſterium hæſerunt, damno in emolumentum converſo, quod auctius quoque in eo fuerat, cùm torrens tantum arenæ advexerit, quantum promovendæ dictæ fabricæ ſufficerat.

§. XXVI.

Monaſterium Rottvvilanum.

1. QUi Rottvvilam S. R. I. urbem, quaſi rubram villam ſcribunt, Erythropolin vocandam arbitrantur, uti Henricus Glareanus in Panegyrico. Secùs, qui eam à cohortibus ibidem habitandi cauſâ confluentibus coaluiſſe opinantur. Sic enim illam Taxgetium, quod habitationem cohortium ſignificat, germanicè **Rottweiler** nuncupandam veteres cenſuerunt; quòd Cimbri gens Germanorum antiquiſſima, mari Aquilonari finitima, ubi nunc Northvvegii, juxta alios Dani, & Holſatii degunt, ùt quorum Provinciæ etiamnum cimbricè Cherſoneſi nomine veniunt, à Romanis repulſi in Hercyniæ latibulis ſe ſe reparaturi conſederint, & habitacula fixerint; qua occaſione etiam urbs Rottvvilana ſuum etiam exordium habuiſſe creditur; ídque ea quoque ratio perſuadet, quòd ab antiquiſſimis temporibus in ea regione inclaruerit Illuſtriſſima familia Baronum, poſteà Comitum de Zimbren, quæ eadem ipſa arma gentilitia oſtentabat, quibus hodie Northvvegia utitur: Leonem nempè aſciam ungulis tenentem: accedit, quòd plura circa Rottvvilam loca Zimberen vocabulo hodiedum nota ſint. Illi autem homines tempore Machabæorum, anno poſt Romam conditam 640. ante Chriſtum circiter 113. moleſta maris exundatione patriâ excedere compulſi alias à Romanis ſibi aſſignari ſedes popoſcerunt. Verùm ab iis contemptim habiti ſupplicantium geſtu in ferociam converſo armis extorquere conſtituerunt, quod negabatur precibus. Quapropter gregatim locuſtarum inſtar erumpentes, accitis in belli ſocietatem Allemannis, Tigurinis, & Ambronibus, hodie Beronati-

natibus tum Gallorum nomine comprehenſis, Italiæ ſe ſe infuderunt, ut inuſitata pugnatorum multitudine, & virorum fortiſſimorum truculentiâ Roma jam contremuerit, & de republica ſua actum fore timuerit; præſertim ubi inito certamine octoginta Romanorum millia occubuerunt. Poſtquam tamen Jugurthâ Numidiæ Rege à Romanis profligato Marius Conſul afflictis rebus auxilium attuliſſet, in binis conflictibus Cimbrorum ducenta millia cæſa, & octoginta millia in captivitatem abducta fuerunt, vix tribus millibus fugâ dilapſis, aliquibus in agro Tugienſi remanentibus; reliquis in Hercyniæ ſaltibus latibula quærentibus: à quibus Rottvvilam conditam fuiſſe conſtans fert ſcriptorum traditio.

Hæc verò urbs temporum proceſſu ſemper magis ab augeſcentibus incolis aucta varios, funeſtósque caſus devorandos habuit. A primævo cùm trans Niccarum ſtatuta fuiſſet, fluvii cataractis intumeſcentis eluvie ingentibus damnis afflicta fuit, ut incolæ cis Niccarum coloniam tranſtulerint. Sed pluviam evitantes in carbones impegerunt: Nam haud diu poſt ea colonia ignibus exuſta fuit. Igitur loco illo, qui hodie adhuc veteris urbis nomen retinet, deſerto in proximis collibus civitatem fundârunt; quæ ſucceſſivè inſigniter communita fuit. Versùs Niccarum, qui ſubtùs profundas urbis radices præterfluit rupibus, & præcipitiis horrens, inacceſſa eſt. Quà verò planis coæquata eſt agris, foſſas profundas, elatos aggeres, valla, turrésque fortiſſimas hoſtibus objectat. Anno 1125. cùm Lotharius Saxo, & Conradus III. Suecus de Imperio contenderent, utroque ſe ut Cæſarem gerente, hic illô viribus inferior à Rottvvilanis aſylo donatus, & contra inſequentem æmulum validè defenſus eſt: adeò ut cùm integrum annum Lotharius urbem obſidione exagitâſſet, cum obfirmatis Allemannis à bellicoſa ſtirpe Cimbrorum progerminatis ſibi rem eſſe intelligens motis caſtris obſidionem ſolverit. II.

Anno 1138. Lothario vivis exempto Conradus legitimè ſubrogatus Rottvvilanis in præſtitæ olim tutelæ antipelargeſin magnifica privilegia conceſſit, urbémque aulico Dicaſterio, ſive curia Imperiali decoravit; cujus ea dignitas, atque jurisdictio eſt, ut appellationes admittat, contra Imperii rebelles decreta publicet, leges ferat, forum ſuum in Franconiam, Sueviam, & Rheni tractum extendat; cujus Præſides hæreditarii fuerunt Comites de Sulz, & his extinctis ſunt Principes de Schvvarzenberg, qui hoc officium jure feudi ab Imperio recognoſcunt; & ex vicina Equeſtri Nobilitate Præſidem ſubſtituere ſolent: In eo duodecim Ordinis Equeſtris Aſſeſſores; aut in horum defectu hodie cives conſtituti ſunt. Hujus Judicii abrogatio quidem in deliberationem Comitiorum rejecta fuit per inſtr. pacis Suec. p. 5. §. 20. circa finem. Attamen etiamnùm viget.

Anno 1330. Rottvvilani ab Equite de Clingenberg in arce Tuellio dominante laceſſiti eum bello petierunt, ac cum eo aperto Marte congreſſi multis hoſtium deſideratis ipſummet Equitem occiderunt. Anno III.

1338. urbs flammâ cælo lapſâ pænè tota conflagravit, ſexaginta hominibus miſerè combuſtis.

Anno 1463. ab Eberhardo Barbato Wirthenbergiæ Duce armis provocati Helvetorum auxilia feliciter evocârunt ; quibuscum deinceps Anno 1464. fœdus inierunt : & cùm id ſibi in diverſis hoſtium vexationibus utile comperiſſent, illud Anno 1519. in perpetuum valiturum renovârunt, priùs Anno 1499. Confœderatis ſuis contra Suevici fœderis aſſeclas dimicantibus mutui auxilii præſtatione fidelitatem ſuam teſtati.

Anno 1529. ſerpente per Germaniam novi dogmatis veneno, illud ipſum in malecredulos Rottvvilenſium animos admiſſum adeò inibi firmas radices egit, ut de abolendo ritu Catholico jam jam conſilia, & clamores miſcerentur. Tantum ea res terruit ſaniores urbis proceres, uti aſſerendæ priſcæ Religionis, & adulterinæ averruncandæ zelo, vocatis in urbem ad ſui ſecuritatem ſubditis paganis, quibus in tumultu malignantium uterentur, quadringentos eorum, qui Luthero aſſenſiſſe comperiebantur, urbe, & territorio proſcripſerint. Nec tamen ſic arva malis fruticibus omninò liberata ſunt, quin hæreſis reliquiæ aliquorum mentibus inhærerent, fovente eas, ut perhibetur, ipſo mendaciorum archi ſatore dæmone, qui larvatus per urbem graſſari, & ad ſuos divertere conſpectus, & agnitus eſt ; quem tamen unà cum hæretico viperarum genimine tam ſpirituali, quàm materiali gladio orthodoxa poteſtas efficaciter eliminavit. Tunc demùm Eccleſiaſticus, & ſæcularis Magiſtratus collatis conſiliis, atque viribus eò omnem curam ſuam intenderunt, ne alicubi in urbe ſua adeò ſemper Catholica recens fidei commentum pedem figere, aut ſtabulari permitteretur ; ad quem finem ſacros quosdam Præſidiarios milites conſcribere, & intra mœnia ſua hoſpitare conſtituerunt.

IV. Cùm Anno 1623. quispiam Capucinus Miſſionario nomine pro majori hebdomade ibidem à ſpiritualibus obſequiis exiſteret, & hiſtoriam Dominicæ Paſſionis, ac, quæ ex illa fluunt, doctrinas tum morales, tum polemicas ſummâ ſpiritûs contentione explicâſſet ; adeò his Auditores in Dei amorem, Chriſti compaſſionem, & propenſionem ergà viros Capucinos commoti fuerunt, ut omnium civium votis Capucinos advocare, & ſtabiliter horum operâ Apoſtolicâ frui ratum fixúmqne fuerit. Itaque cùm eodem Anno die 26. Auguſti Provinciale Capitulum celebrandum veniret, ne Senatus populúsque Rottvvilanus occaſioni deeſſet, clariſſimos viros D. Lucam Wernerum J. U. D. & D. Vincentium Gribelium ſupremum plebis tribunum rerum geſtores eò ablegârunt : qui provinciâ ſuâ fideliter defuncti tantum obtinuerunt, ut PP. Capitulares unanimi ſuffragio in acceptationem loci Rottvvilani conſpiraverint ; ac paulò poſt nonnulli fratres Rottvvilam deſtinati fuerint, qui legaliter poſſeſſionem prehenderent, & in domo ſibi aſſignanda Miſſionariis functionibus incumbentes ulteriorem Ordinem præſtolarentur. Ardente comprimis Plur. Reverendo D. Jacobo Khuon loci animarum quæſtore in Conventûs erigendi acceleratione, ac ideò commodum negotio fundum conferente præparatoria colliguntur, fundamenta fodiuntur, & die 2. Jul. 1627. Reverendiſſimo, & Ampliſſimo DD. Abbate S. Georgii (nunc à Duce Wirthen-

thenbergiæ occupati) Ord. S. Bened. pontificaliter cooperato, initiale ſaxum terræ immittitur. At deficiente re nummaria lentos fabrica progreſſus habet. Advertens id honeſtiſſima & Prænobilis virgo Barbara Bluemin, filia D. Jo. Wolfgangi Bluem in Dicaſterio ibidem aſſeſſoris, mox mille quingentos florenos contribuit. Hoc liberalitatis exemplo ſtimulatus Prænob. D. Ferdinandus Wentler de Bregenrott, & Marſtätten mille & ipſe ſuppeditavit: nec etiam alii ſuis partibus defuerunt. Præ aliis ſummo ſtudio, atque fervore, quin & nummis, ſic ubi deſiderabatur, opus hoc proſecutus eſt nunquam ſine gratitudine, & veneratione nominandus D. Parochus. His adjumentis fabrica impoſterùm magnis ſucceſſibus promovetur. Capucini cùm & ipſi impigrè manibus collaborarent, *una manu ſua faciebant opus; & altera tenebant gladium.* 1. Eſdr. cap. 4. quo nimirùm ad profliganda hominum peccata, tutandam Religionis integritatem, arcendásque vulpeculus parvas vineam Domini demolituras apoſtolicè utebantur.

Inter hæc ædificium iſtud feliciter excrevit, & Regulares Inquilini eò illati maximo civium ſolatio, & ædificatione ſacra ſua ad normam Ordinis Capucino-Seraphici peregerunt.

V. Vix autem Conventus ille ultimam manum acceperat; quum ecce jam denuò illum fata demolitum voluerunt. Dux enim Wirthenbergiæ fœderato ſuo Suecorum Regi gratiam præſtiturus Rottvvilam armis tentatam, & aliquamdiu fortiter reluctantem expugnavit. Prout autem exercitum habebat ex inſolente Ruricolarum, calonum, atque lixarum fœce conflatum; ſic & ejusdem farinæ Præſidiarios urbi impoſuit, quibus nil adeò cordi, curæque fuerat, quàm ut eliminatis Ritibus Catholicis nuper exorti dogmatis vanitatem ſubſtituerent. Huic eorum conamini cùm Capucinorum coloniam adverſari crederent, eam extinguendam, & Monaſterium prorsùs evertendum cenſuerunt: quod ubi malignantes pro hæretica ſtrenuitate alacriter peregiſſent; & ipſos demùm Capucinos loco proſcriptos voluerunt; in quo tamen fruſtrati ſunt Capucinis in diverſorium, quo ante fabricam fruebantur, receptis, & Plur. Reverendo Domino Parocho plurimam pro eorum in urbe permanſione operam adhibente: qui præterea, ne urbs viribus opibúsque exhauſta in reſtituendo Capucinorum Cœnobio animum deſponderet, pro nova novi Conventûs area eximium obtulit ſubſidium. Accedente inſuper aliorum piorum munificentia; & cùm pleráque diruti Monaſterii ferramenta, feneſtræ, lateres, tegulæ, & ſaxa ſui uſum exſpectarent; ideò urbis armamentarium pro fundo reſtaurandi Cœnobii comparatum, atque deſignatum fuit. Magiſtratus quidem de 13. Novemb. Anno 1633. Patres Provinciæ ad aſſumendam fabricam vehementer exſtimulârunt. Verùm quia civium aliqui domos ſuas ad areæ complementum cedere debuiſſent, id verò vel juſtum etiam pretium detrectantes nullo pacto facere conſtituerint; Capucini auditis eorum querelis, & tergiverſationibus, ut palàm facerent, ſe nemini nocumento, aut gravamini fore, de loco penitùs deſerendo cogitationes admiſerunt.

VI. Nil eo Capucinorum conſiliô Plur. Reverendo D. Parocho, inclyto Magiſtratui, & potiori Populo Rottvvilano triſtius, aut acerbius accidere, vel nuntiari ingratius potuiſſet. Qua propter viros eloquentia, & authoritate graves ſubmiſerunt, qui Provinciæ Majores ab ea mente diverterent, & ad reſtaurandum Cænobium non ſolùm perſuaderent; ſed omnem quoque opem, ſiquidem commune Ærarium per manſuetiora tempora nonnihil accreverit, conferendam eis pollicerentur. Ea ſpe, & humanitate convicti Patres ad reſuſcitandum Rottvvilæ Domicilium perſuaderi ſe paſſi ſunt; ardoríque Rottvvilanorum inſiſtentes diſpoſuerunt, ut die 25. Maji 1636. areæ novæ à Plur. Reverendo D. Parocho ſolenniter benedictæ novum ædificium imponi valeat. Impigrè aliquamdiu in operis promotione deſudatum fuit; cujus tamen progreſſum recrudeſcentis belli injuria reſtinxit. Anno ſiquidem 1643. Copiæ Gallicæ Vinmarienſibus ſociatæ Duce Guebriano Rottvvilam funeſta obſidione preſſerunt, & acerrimè impugnârunt, conatibus tamen in irritum cadentibus, cùm Miles Præſidiarius, & Civis tam ſtrenuam urbis defenſionem geſſerint, ut hoſtis haud absque dedecore vaſa colligere, & abſcedere coactus ſit. Guebrianus verò impactam à Rottvvilanis ignominiam felicioribus auſibus abſterſurus, eodem anno ſub initium hyemis redit, & deſperato furore urbem denuò exagitat, tantísque belli cruditatibus divexat, ut Magiſtratus, & Populus Rottvvilanus attentâ virium rarefactione, & reſiſtendi porro invalentiâ P. Januarium Worblingenſem Capucinum, & Superiorem Rottvvilæ, virum utique prudentiâ, facundiâ, & inſigni religioſitate præſtantem ceu faciendæ deditionis internuntium funè per muros demiſſum in caſtra ablegaverit: qui & multis in favorem urbis dextrè impetratis rediit. Igitur die 20. Novembris admiſſus in urbem fuit Victor Guebrianus; ſed morte victus, quam ei vulnus ab expugnatis inflictum attulerat, in loco trophæi tumulum invenit. Haud tamen ultrà tredecim dies hoſtis urbem tenuit. Cùm enim ſub iisdem diebus exercitus Sueco-Gallus à victricibus aquilæ ſignis ingenti apud Tuttlingam clade attritus fuiſſet, miles Cæſareo-Bavarus die 27. Novembris accurrens Rottvvilam obſidet, & poſt nonnullam reſiſtentiam hoſti potenter extorquet. Hisce ergò, & conſequentibus belli exactionibus fellitata Civitas, cùm propoſito Capucinorum ædificio ſuppetias ferre non poſſet; magis propitium ſydus exſpectari opportuit.

VII. Bello tandem finaliter per pacem toties jam, at ſemper ob damnificatam exinde Eccleſiam cum nauſeâ memoratam finem impoſuit annus 1649. quo mox propagatio fabricæ reaſſumpta, hæcque tam velociter provecta fuit, ut Religioſi milites in conſumato hoſpitio abruptam regularium exercitationum telam retexere, & functionibus miſſionariis incumbere de novo potuerint. Templum die 19. Septembris Anno 1655. à Reverendiſſimo, & Ampliſſimo D. Georgio Sigismundo Episcopo Heliopolitano, & Suffraganeo Conſtantienſi cum maxima feſtivitate, ac populi Rottvvilani acclamatione dedicatum, ac conſecratum fuit.

Affulſit

Affulſit, atque enituit mira Dei providentia in eo, quòd optimis Rottvvilanis fermè ad incitas redactis Benefactores tamen emerſerint, quorum ultronea liberalitate non ſolùm fabrica Rottvvilana; ſed etiam Marchdorffenſis, & Sulzenſis geſta, atque adjuta fuit. Pro armamentario in Monaſterium convertendo Sereniſſimus Princeps Willhelmus Marchio Badenſis mille florenos expendit; & Plur. R. D. Jacobus Khuon Parochus ampliſſimum hortum, cui primum Monaſterium incubuit, cujúsque dominium ipſe ſibi reſervaverat, urbi ceſſit; Illuſtris D. de Liebenfels centum: Illuſtriſſimus D. Wolfgangus Fridericus Schenck à Stauffenberg ſexaginta: Illuſtriſſima Domina à Gemming quinquaginta, Illuſtriſſima Domina de Stuben in Oberhauſen ducentos: Prænob. Virgo Anna Maria Geiſtin à Wildegg argenti non ſignati inſignem quantitatem: D. Philippus Fetinger Legum Doctor Legatum à trecentis: D. Matthæus Lindau trecentos: D. Wolfgangi Bluem Hæredes quadringentos: Domina Barbara Göblin trecentos florenos: alii alia contulerunt. Præprimis autem commendabilis eſt ſumma quinque millium ducentorum florenorum, quos ad primum Monaſterium teſtamentô deſtinaverat Perilluſtris Domina Baroniſſa de Pirrhingen generoſi militis Colonelli de Wiez amantiſſima conjux; cujus legati executionem opportunè Illuſtriſſimus D. Ludovicus Wiez, affinis, & Hæres prædictæ Teſtatricis, Capitaneus, ad ſecundi Monaſterii ſtructionem diſtulit. Inclytus Magiſtratus, Populúsque Rottvvilanus materialia, vecturas, alimenta, aliáque non aſpernanda ſubſidia benevolentiſſimè contribuerunt. Sed neque RR. PP. Dominicani, optimo ad ſæculares Religioſæ charitatis exemplo, in juvanda, provehendáque Capucinorum Colonia poſtremi eſſe voluerunt; qui & ipſi auxiliares, atque beneficas manus operi præbuerunt, renovatâ in filiis Fratres minores taliter diligentibus S. Patris Dominici ad S. P. Franciſcum ſincera, & fraterna charitate. Ipſi RR. PP. jam Anno 1282. in urbem ſuſcepti feruntur. Chorum primævæ Eccleſiæ ſuæ S. Albertus Magnus, Ordinis ſui, & Suevorum gloria condidit. In ea religioſè colitur Imago quædam B. V. M. de Roſario nuncupata, miraculis coruſca, quorum unum tempore obſidionis Suecicæ contingens recenſet R. P. Guilelmus Gumpenberger Soc. Jeſ. in Atlante Mariano &c.

§. XXVII.

Monaſterium Stauffenſe.

STauffa urbs Brisgojæ ad radicem montanæ Hercyniæ, qua à latere partim Aquilonari, partim Orientali penitùs incluſa, & quaſi validiſſimo munimento protecta eſt, accubat; extra urbis portam Occidentalem proſtat mons vinetis cum eo quaquaversùm aſcendentibus ſpeciosè cinctus, in quo diruti caſtri rudera magnifici quondam Palatii veſtigia exhibent. In eo monte oculos adversùs Occaſum, & 1.

Meridiem conjicientibus munita Friburgi caſtra, Briſacum, plurimi vicinæ Brisgojæ pagi, Rheni unâ leucâ hinc fluentis tractus; & trans hunc Alsſatiæ, & Suntgoiæ pars amæniſſimum præbent ſpectaculum. Quatuor milliaribus per Marchionatûs Durlacenſis, aliorúmque Dominatuum loca generoſiſſimi, & toto orbe notiſſimi vini ubertate celebria Baſileam pervenitur. Adversùs Ortum via per viridantem partim vallem interfluo amne Nümaga fæcundatam; partim per horridos ſcopulos in obſtruſam ſolitudinem incedentes abducit; timidósque, ne ferarum cubilibus illatos ulterior deinceps ſemita deſtitueret, in celeberrimam S. Trudperti Abbatiam, Ord. S. Bened. invehit, quæ à ſolitario S. Trudperti regio Scotorum ſanguine prognati, & Germani S. Ruperti Bojorum Apoſtoli, ac Salisburgenſium Epiſcopi fratris incolatu, vitæ ſanctimonia, & martyrio originem traxit, & fundatoribus Ottoberto, Ramberto, Leutfrido, Herimfrido, Hugone, & Ermentrudâ Comitibus Habspurgicis in *ornatiſſimum*, ut habet Epitaphium illic, *Monaſterium*, excrevit poſt initium ſæculi ſeptimi. Ex hoc conjicere pronum eſt, hanc Regionem à vetuſtiſſimis temporibus ad dominium Habspurgicum pertinuiſſe; præſertim quòd ex monimentis S. Trudpertenſibus liqueat, ſupradictum Ottopertum S. Trudperto Eremicolæ ſpatium illud, quo eremus circumſcribebatur, dono dediſſe: veróque ſimile eſt, Illuſtriſſimos Barones, ſive Comites de Stauffen, qui urbem hanc condidiſſe, vel ampliâſſe, & in præfatâ Acropoli ſedem habuiſſe creduntur, ex eodem Habspurgicorum ſanguine deciſos fuiſſe, hásque terras ſeu hæreditate, ſeu dote in proprietatem accepiſſe. Dixi, Barones; ſic enim habet R. P. Bucelinus in ſcrutandis antiquitatibus ſcriptor maximè induſtrius, qui è Monaſterio ſuo Weingartenſi poſtulatus in S. Trudpertenſi Aſceterio Anno 1624. Benedictinam tyronibus aſceſin inſtillavit, in Topographica germaniæ notitia fol. 151. & Gerard. de Rho. Hiſtor. Auſtriac. lib. 1. fol. 6. Comites verò de Stauffen nominat Stumpfius, qui recenſens Genealogiam Comitum de Habspurg aſſerit, Rudolphum III. Alberti divitis Patrem, & Avum Rudolphi Roman. Regis, Agnetem Comitiſſam de Stauffen in Conjugem habuiſſe. Et Cruſio Annal. Suev. tom. 1. p. 3. l. 12. c. 10. notus adhuc fuit Antonius Comes de Stauffen, litteris, & linguarum peritiæ à juventute deditiſſimus, & Anno 1520. in lucem natus, quem Pantaleon. part. German. 3. diſtinctè Comitem de Stauffa Brisgojæ celebrat. Extinctâ autem horum proſapia urbs cum omnibus ei adhærentibus ad Jus Auſtriacum, probabiliùs ad ſuum primigenium Dominum potiùs rediit, quàm aliâ viâ devoluta fuit.

II. Circa præcedentis ſæculi initium Illuſtriſſimi DD. Barones, nunc Comites de Schauenburg pignoris titulo Stauffam aquiſierunt manente penès Dicaſterium Anter. Auſtriacum Friburgi tota Jurisdictione. Annis retrò plus viginti viâ reluitionis ad Auguſtiſſimam Domum Auſtriacam etiam in Cameralibus revocata: ſed Anno 1739. celeberrimo Monaſterio S. Blaſii Ord. S. Bened. feudi nomine totus Dominatus Stauffenſis, & Kirchofenſis pro ingenti pecuniæ ſumma divenditus eſt, relictis civi-

civitati, & confirmatis, quibus ab antiquo fruebatur, privilegiis, & hebdomadarii præſertim emporevmatis, & nundinarum jure. Ad urbem hanc ſtatis per annum feſtis Capucini è Conventu Neoburgenſi Apoſtolandi gratiâ excurrere conſueverunt; quo obſequiorum ſpiritualium genere adeò civium illorum; præprimis autem Plur. Reverendi D. Parochi localis, ad cujus ſubſidium, & petitum ea præſtabantur; & Illuſtriſſimi D. Baronis, ſeu Comitis de Schauenburg, Domini Hypothecarii animos devinxerunt, ut à multo tempore Religioſorum hujusmodi concivium ſtabile ſodalitium in urbem ſuam exoptaverint. Quòd verò Capucini ad hujusmodi conſilia propter aliorum Monaſteriorum vicinitatem pro impracticabilibus reputata incurios ſe, ſurdósque gererent; id ſubodorati quidam alii commoditate loci, & regionis allecti protinùs ſe ad locandum Stauffenſibus operam ſuam, & coloniam urbi inferendam promptos exhibuerunt; quin ſummô ſtudiô egerunt, uti Capucinis ſive nolentibus, ſive volentibus ſtationem hanc præriperent; támque ſtrenuè patrocinio, & auxilio amicorum freti rem ſuam proſecuti ſunt, ut Sereniſſimus Archi-Dux Ferdinandus Carolus, Ditionum Anterior-Auſtriacarum Dominus Anno 1650. Reſcriptum Friburgenſi Dicaſterio ad executionem direxerit; vi cujus urbi Stauffenſi non concedebatur duntaxat; ſed & præcipiebatur, quatenùs ſupplicibus Religioſis attentâ rei utilitate Monaſterium fundet, ac fundando pro viribus ſuis cooperetur. Simile Reſcriptum Illuſtriſſimo quoque D. Comiti Schauenburgio conſignatum fuit.

III. Quia verò in utroque ſcripto Archi-Ducali ſupponi videbatur, quaſi Stauffenſes ipſimet pro tali Religioſorum colonia permittenda Sereniſſimo Principi Territoriali ſupplicaſſent, & illos Religioſos ſuâpte benevolentiâ ad ſe invitâſſent: ideò valida prudentibus ſuſpicio enata eſt, ne præfata Reſcripta obreptitiis machinationibus fuerint impetrata. Ad periclitandam igitur veritatem tam Illuſtriſſimus D. Comes, quàm Magiſtratus ſubmiſſiſſima relatione Sereniſſimum Archi-Ducem edocuerunt, quod res erat: ſibi nempè eam cogitationem nunquam adveniſſe, ut Religioſos quæſtuatione vivere Suetos ea tempeſtate in urbem ſuam alendos ſuſcipere vellent, aut poſſent, qua Cives diuturnitate belli, hoſtium, quorum furori ipſi omnium primi expoſiti ſint, rapacitate, frequentique expilatione ad cutem usque fellitati ſunt: deprecari ergò ſe hanc gratiam; quæ, cùm in præſenti rerum ſtatu ad Communitatis diſpendium vergeret, præſumitur non eſſe de clementiſſima Principis mente. Sereniſſimus Archi-Dux de his certior redditus finem reducturus mox Decretum prioris Reſcripti ſuſpenſivum edidit, quousque res per Commiſſarios examinata fuerit. Cauſa igitur ad forum Epiſcopale Celſiſſimi ac Reverendiſſimi DD. Ordinarii Conſtantienſis, cujus Diœceſi Stauffa cum adjacente regiuncula ſubdita eſt, devoluta, & Reverendiſſimi D. Sebaſtiani Villinger SS. Theologiæ Doctoris & Eccleſiæ Friburgenſis Rectoris, quà Commiſſarii Epiſcopalis diligenti diſquiſitioni demandata eſt; qui auditis Civibus Stauffenſibus, & aliis rerum participibus; horúmque adverſùs Religioſorum

coloniam ſibi obtrudendam exceptionibus ; perpenſô gravî præjudiciô Capucinis per ampliùs quadraginta annos tam præclarè de hoc loco meritis afferendô ; viſâque Civium tum inopiâ, tum mente, qua in caſu poſſibili magìs in Capucinos, quàm alios Religioſos ad ſe ſuſcipiendos propendebant, ut quorum auxilio in afflictiſſimis rebus utiliter uſi fuiſſent ; horum omnium fidelem, & Capucinis per omnia favorabilem relationem Celſiſſimo ac Reverendiſſimo D. Ordinario exhibuit ; qui & ipſe in eamdem cum Domino Commiſſario ſententiam concedens Capucinis in antiqua loci hujus apoſtolicè obeundi poſſeſſione ſtabilitis adventitios Candidatos receptui canere juſſit.

IV. Quin ipſemet Sereniſſimus Archi-Dux ſubinde de genuina cauſæ periſtaſi ; de Capucinorum meritis tam à Celſiſſimis ac Reverendiſſimis DD. Nuntio Lucernenſi, quàm Epiſcopo Conſtantienſi legitimè informatus ſententiam Epiſcopalem, ceu æquiſſimam dilaudavit, atque effectus ſuos ſortiri imperavit. Ut verò futuris de hoc loco contentionibus præverteretur, viſum Capucinis fuit firmiorem Stauffæ ſedem figere Illuſtriſſimo D. Comite Schauenburgio opportunam huic conſilio domum Eccleſiæ Parochiali proximè vicinam unà cum hortulo in hoſpitium temporale noſtris conferente ; in quo ad ſpeciem Regularis domicilii attemperato Capucini per intervalla illuc ventitantes divertere poſſent. Conventu Neoburgenſi exitialibus Gallorum flammis abolito Capucini inde exules, partímque Schliengam, & partim Stauffam profugi parato hìc diverſorio commodiſſimè frui potuerunt ; ac etiam permanenter fruiti ſunt, minimè invitis Stauffenſibus ; utpote quibus Religioſi hi municipales in caſibus deſperatiſſimis præſidio, & anchoræ extiterunt. Anno 1676. rapinæ inhiantes Galli in Stauffam irrumpentes totam civibus ad ſecuriora digreſſis vacuam bonis quoque omnibus vacuârunt deteriora auſuri, niſi Capucinorum deprecatione rapaces manus cohibitæ fuiſſent. Anno 1677. ſimiles è fæce Gallici exercitûs pabulatores urbem iterùm, iterúmque funditùs diripuerunt, ne Capucinis quidem propitii, utpote quibus præter comeſtibilia omnia, etiam utenſilia, lectorum tegmina, veſtes, & quidquid famelicorum manibus occurrebat, eripuerunt. Ter, ne urbs incenderetur, Capucini precibus de genu ad incendiarios factis impetrârunt. Denuò urbs infelix juſſu, vel indulgentiâ Generaliſſimi Mareſchalli, Ducis de Crequi flammis exurenda fuerat, quam denuò Capucini Crequio in caſtris adgeniculati ab interitu ſervârunt : ſemel jam incenſam primi ſiphonibus, ſitulísque incendiarjis indemnem reddere properârunt.

V. Salutaribus hiſce Capucinorum obſequiis ſat ſupérque victi Stauffenſes, ut aliquod Capucinis redhoſtimentum facerent, ſibíque ipſis pro futuro conſulerent, eisdem hortatores acceſſerunt, quatenùs formale quoddam hoſpitium ſuſcitarent, cooperaturi hujusmodi ædificio ſecundùm omnes, quotquot ſibi ſupereſſent, vires ; pondus huic conſilio ſupperaddidit Authoritas Illuſtriſſimi D. Hannibalis Franciſci Comitis de Schauenburg idipſum à Patribus Provinciæ urgentis. Placuit hoc tantò magis, quòd aliàs nulla ſpes, nullâque Patribus mens eſſet Conven-

ventum Neoburgenſem reſtituendi. Cùm ergò Anno 1683. ea loci, & Monaſterii ibidem ſtruendi oblatio, civiúmque ardor Patribus conſedentibus in forma exhiberetur, protinùs in poſtulata ſe condeſcenſuros reſcripſerunt, ſi ſupremi tum territorialis, tum Eccleſiaſticus, Domini id rati habituri ſint. Quo percepto Communitas Stauffenſis, Illuſtriſſimus D. Comes, ipſúmque adeò excelſum Regimen Anterior-Auſtriacum Friburgi primò Sereniſſimi Lotharingiæ Ducis exercitûs Cæſarei Polemarchi, ac Ditionum Superior-& Anterior-Auſtriacarum Gubernatoris; tunc & Celſiſſimi ac Reverendiſſimi DD. Ordinarii conſenſum tanto argumentorum apparatu, precúmque inſtantiâ exorandum ſuſceperunt, ut altefati Dominatores conſiderata rei æquitate, & utilitate in poſtulata gratanter conceſſerint, liberúmque propoſitis curſum indulſerint. Verùm non ita res apud inferiores integra ſtetit; cùm mille contradictiones venerabilis circum circa Cleri à nonnullis Adverſariis ad has ſubornati curſum ſtituræ viderentur, & eidem Ven. Clero aures vellicarentur, ac ſi Capucini præter Monaſterium Stauffenſe Neoburgenſis reſtaurationem, & alterius Schliengæ fundationem ad ingens populi, aliorum Religioſorum, Dominorúmque Parochorum in ea regione præjudicium meditarentur. Attamen ut primùm hujuscè rumoris falſitas innotuit, Plur. & Admodùm Reverendi DD. Decanus, Camerarius, Deputati, Parochi, Capellani ſubreptitias ſuggeſtiones palàm facientes, palinodiam canentes, & renitentias ſuas deprecati pleno, & uno ore conclamârunt, ſibi omninò probari propoſitum erigendi Stauffæ Cœnobii ad uſum Capucinorum; ad quod inſuper omne ſubſidium ſe collaturos polliciti ſunt. Quin & Reverendiſſimus & Ampliſſimus DD. Romanus Abbas S. Trudperti Ord. S. Bened. publico ſcripto hanc Religioſorum coloniam ſibi gratulatus eſt, applaudentibus quoque aliis in vicinia Regularibus &c. Majoris momenti obſtaculum emerſit a Venerab. Clero, Senatu, Populóque Neoburgenſi: ut qui ægerrimè ferentes Capucinorum, tanto tempore Neoburgi hoſpitatorum migrationem querelas deſuper Celſiſſimo, ac Reverendiſſimo DD. Ordinario depoſuerunt; cauſati, quòd horum Religioſorum tranſitus ad locum Stauffenſem, & permanentis ibidem manſionis conſtructio ſibi non ſolùm maximo dedecori; ſed plurimo quoque diſpendio futura eſſet. Compertum ſubinde fuit, quòd Neoburgenſes ad has querelas ab iis inducti fuerint, qui jam olim pro loco Stauffa procati nunc Capucinos inde avertere hoc medio intendebant, ut tenerentur Neoburgenſem Conventum reſuſcitare; econtra Stauffenſem vacuum relinquere; ſed victrice veritate, & æquitate neutrum obtentum; at verò ſententia Epiſcopalis effectum ſuum ſortita eſt.

Ad cujus executionem progreſſi Patres materialia conquiri, aream VI.
aſſignari, crucem erigi, lapidem fundamentalem poni, ac deinceps fabricam incipi, & provehi mandârunt: quæ die 17. Septemb. 1683. Reverendiſſimo, & Ampliſſimo D. Abbate S. Trudperti actum pontificalem exercente, & in lætitiæ conteſtationem totum fermè Conventum ſuum ſecum trahente: A. R. D. Willhelmo Sandherr Parocho in Munzingen fautore ſpecialiſſimo è roſtris plauſibiliter ad populum dicente; præſen-

tibus, & ſolennitati congratulantibus univerſi diſtrictûs DD. Parochis, ipsísque etiam RR. PP. Conventualibus è Conventu ſuo Heitershemiano: Domino urbis Præpoſito Joanne Seiler hortum ſuum; hujúsque filio vineam in fundum ædificii conferentibus, reliquum ſpatium ex donatione horti à Joanne Keſslero facta reſarcitum fuit. Exinde igitur ſuppetentibus piorum Benefactorum eleemoſynis, fabricæ incumbitur, & felicitante Deo operantium conatus lætè profertur: nec abs re fuerit unicum protectionis divinæ admodùm ædificio opportunæ paradigma recenſere. Ingens arbor conficiendis Eccleſiæ ſubſelliis deſtinata per montis præcipitium ad ſerram erat devehenda. Cùm ecce! ruptis ſubitò funibus, & cæteris, quibus alligata fuerat, jam libera boves, & equos cum vectoribus in præſens exitium curſu præcipitato, ac pondere ſuo erat abreptura. Quo vix animadverſo F. Joſue Laicus rei ædilis curam gerens ſanctiſſima JEſu & Mariæ nomina inclamat; quorum virtute prægrandis ille truncus quaſi venerabundus curſum ſiſtit, & in prærupti montis declivi, velut in extenſo plano, firmiſſimè hæret, tanquam exſpectans fortiùs alligari, ne tale vectoribus periculum ampliùs intentare queat, comitibus ex terrore, & trepidatione in ſtuporem, & gratulationem, dignásque Dei laudes traductis. Hoc virgulæ divinæ oſtento edocemur, unde victoria nuper contra fabricæ adverſarios relata provenerit. Anno 1685. ædificio ad faſtigium promoto die 24. Junii Capucini devotiſſima proceſſione ex priori ſuo hoſpitio in recens hoc pandocheum introducuntur, & altero die in forma ſolennis Te Deum Laudamus Reverendiſſimus & Ampliſſimus DD. Romanus Abbas S. Trudpertenſis Miſſam in Eccleſia hanc cantavit, Muſicam exercentibus ferè cunctis Conventûs ſui A. RR. DD. Patribus, & fratribus; & poſt hac cerealem hoſpitibus, & Capucinis cœnam ſubminiſtravit pro tenero ſuo in Ordinem, Provinciam, & Conventum Stauffenſem, benevolentiſſimóque affectu in eo celeberrimo Monaſterio, & Religioſiſſimis Capitularibus; quin & Reverendiſſimis DD. Succeſſoribus, & Abbatibus uſque in hunc diem perennante; in ſuavem fortè memoriam illius obſequii olim à Capucinis S. Trudperto præſtiti.

VII. Primo Regiminis à Reverendiſſimo D. Abbate Romano ſuſcepti anno ſtygius Alaſtor infenſiſſimus Aſceticarum exercitationum adverſator Monaſterium hoc iniquiſſima vexatione, neſcitur, cujus malefici præſtigiatoris operâ uſus penitùs expopulari conſtituit; dum nimirùm omnes propè Reverendi Patres Aſcetæ graviſſimis morbis obruti viva referrent funera, plerisque etiam præmaturâ morte abreptis, ſolísque ab iſthac hæreditaria mali contage exemptis, qui foris ad Parochiales functiones morabantur. Reverendiſſimum DD. Abbatem, trésque Scholares, poſteà in ſpem exaltandi Cænobii habitu religioſo, & profeſſione donatos, venenum illud intactos reliquit. In tanta ergò afflictione Capucini Neoburgô in auxilium evocati, Reverendiſſimo D. Abbate mille aliis negotiis occupato, partem oneris impigrè ſuſceperunt: infirmis Patribus miniſtrando, morientes officiis pietatis proſequendo, defunctos ſepeliendo, cubilia emundando, hortum colendo, alia Cænobitica opera perficiendo;

Chorum

Chorum, quem Reverendiſſimus D. Abbas unicè cupiebat propagatum, frequentando, horas canonicas ritu Benedictinis uſitato cantando, ſacras Conciones, & miſſas ſtatis temporibus celebrando, &, cùm jus Parochiale in loco, & extra in quibusdam ad Monaſterium pertineat, ad montes, vallésque vicinas pro infirmis, ac moriturientibus Sacramentorum porrectione ad mortem parandis excurrendo, aliáque omnia agendo, quæ pro circumſtantiarum ratione expoſci videbantur; ídque per aliquot menſes, quousque Eccleſiaſticis noſtrarum remediis, ac benedictionibus, Reverendiſſimíque curâ, & providentiâ locus expurgatus, & priſtinæ incolumitati reſtitutus eſt. Præ aliis hoc in genere ſe gnavum exhibuit P. Gebhardus Conſtantienſis, cui Reverendiſſimus, ſi foràs exiret, etiam claves Monaſterii concredidit.

Prædictum immigrationis feſtum condecoravit quoque Plur. R. D. Michaël Wüeſt loci Parochus, & Ven. Capit. Briſac. Camerarius ſermone ad leges eloquentiæ limato, teſtatus hoc officio, ſe ex Saulo in Paulum erga Capucinos migrâſſe.

Cùm loco huic ceu hoſpitio ſuperior duntaxat præfuiſſet, Anno 1686. ei in Guardianiam elevato primus Guardianus: & Choro alternatim ſymphoniâ noſtrâ cantando initium datum eſt. Die 9. Junii 1699. tandem Eccleſia à Reverendiſſimo, & Ampliſſimo DD. Conrado Ferdinando Geiſt à Wildegg Epiſcopo Tricallenſi, & Suffraganeo Conſtantienſi pontificalibus cæremoniis dedicata, & conſecrata fuit. Cæterùm optima urbs Stauffenſis in funeſtis belli revolutionibus ab hoſtium inſolentia nunquam indemnis manſit; de quibus alibi mentio fiet. Anno autem 1690. die 21. Octob. excitato per aliquorum incuriam incendio Eccleſia Parochialis cum viginti ædibus, & duodecim horreis in cineres redacta eſt. Anno 1720. exorta ſæviſſima tempeſtas, & ſubſecutus horribilis grando omnem copioſæ meſſis & vineæ ſpem ad inexplicabile Incolarum lamentum, & damnum abſtulit. Conventus Stauffenſis à ſitu, horti amplitudine, & decore jucundiſſimus compluribus annis ad multorum fratrum ſtragem incurabilis genere febris infectus, ac propè infamis ferè horrebatur aliis, qui illum incoluerunt, aut ad illum incolendum à ſuperioribus deputati ſunt. Nunc autem antiqua ſalubritate gaudet. VIII.

§. XXVIII.

Hoſpitium Stockacenſe.

STockachium magnitudine tenuis; ſed antiquitate, & Poſſeſſorum dignitate; Judicio Provinciali, dicaſterio Auſtriaco, Poſtarum Imperialis, & Auſtriacæ frequenti per eam tranſitu celebris versùs Orientem unâ horâ à lacu Podamico diſtat: versùs Occidentem in Wirthenbergiam: versùs Aquilonem in Sueviam: versùs Meridiem in Hegojam, Schaffhuſium, & Helvetiam reſpicit, in edito nonnihil colliculo ſtatuta, hortísque frugiferis, & arvis frumenti copioſè I.

piosè fæcundis, ſylvis, & pratis circumdata. Urbeculæ hujus origo, & Conditor ad ejusdem commendationem ignoratur; enimverò Judice Puteano lib. 1. Hiſtor. *Illuſtre antiquitatis ſignum eſt, originem neſcire; nec pulchriori monumento durat memoria, quàm cùm quæri ea debent, quæ ſecretiori loco temporum lapſus abſtruſit.* Hæc antiquitatum ignoratio à priſcorum Allemannorum ruditate, & amuſia nata eſt, cùm nemo illorum aut litteras ſciverit, aut geſta adeóque in tabulas referre potuerit, ùt teſtatur Cornel. tacitus, qui circa Annum Chriſti ſeptuageſimum, aut octogeſimum cum Veſpaſiano Imperat. Germaniam peragravit, addens Allemannos manſiones ſuas à Goviis-Gäw compellâſſe. Hinc Julius Cæſar jam ævo ſuo notitiam de his Goviis Allemannorum refert, ſcribens lib. 1. *Ager à ſiniſtra ripa allemannis Turgovia; qui à dextris jacet Hegovia dicitur.* Hinc ſicut primum poſt tempora Clodovæi Francorum Regis ad Chriſtum converſi, & rerum in hac etiam Regione potiti litterarum ſtudiis initium datum eſt, uti Cluverius tradit ſic litterarum adjumento ſucceſſivè Hiſtoria antiquiſſimorum ſtemmatum, Comitum, Equitum, illuſtriúmque bello, & pace geſtorum innoteſcere cæpit. Sic enim litteris commendatum reperitur, quòd Anno 720. Sindislaus Comes Turgoviæ, qui S. Pirminio Augiam donavit, in Caſtro Sandegg floruerit: Anno 757. Allemanniæ Duces Warinus Comes Turgoviæ, & Ruthardus Comes Hegoviæ, vel viciſſim per captivatum Bodmannæ S. Otthmarum innotuerunt: Anno 773. Comites de Nellenburg jam Landgravii in Hegeu, & Madach dicti tantæ apud Carolum Magnum, & Hildegardin Reginam extiterunt, ut ab hac Monaſterii Campidonenſis à ſe conditi præter Duces Saxoniæ, & Bavariæ, Comitésque Montfortios Advocati, & Tutores conſtituti fuerint. Anno 890. toto orbe nominis, virtutis, & ſanctitatis claritudine notiſſimus fuerat Eppo, Dietburgæ Matris S. Udalrici frater germanus, civis Orientalium partium Sueviæ, & Turgoviæ Comes appellatus, Pater B. Eberhardi Comitis de Nellenburg ex matre Hedvvige, Toxonis, ſeu Viconis, poſt ſuſceptam fidem chriſtianam Stephani nuncupati Hungariæ Regis filia progeniti; qui Anno 1064. in Oppido Schafthauſen Monaſterium omnium Sanctorum Ord. S. Bened. fundavit, ac ipſe in eo Monachatum profeſſus eſt, Conjuge ſua Idda Comitiſſa de Kirchberg, ſive de Teck exemplum pii Mariti ſecuta, velúmque inter Moniales Cænobii pariter à ſe Schaffhuſii conditi indutâ. Ipſe Comes Eberhardus miraculorum gloria illuſtris ab Eccleſia Beati prærogativam conſecutus eſt. Horum filius Burckardus Comes de Nellenburg piiſſimorum parentum fundationem auctariis donationibus ampliavit, Anno 1104. magnificam Schafthuſii Baſilicam ædificavit, & illato huic cadavere Beati parentis ſui eam ſpectabili Mauſolæo cum Epitaphio decoravit. Hic ex Conjuge Hedvvige Duciſſa Saxoniæ genuit Henricum non degenerem majorum ſuorum filium, ac nepotem; qui Anno 1140. Confraternitatem S. Spiritûs in loco Rorgenvvis, Thavmaturgæ Virgini Deiparæ ſacro, & prodigiis celebri, erexit. Ut horum Landgraviorum proſapia non tantùm Sagô, ſed etiam Togâ ſe commendabilem reddidit: ita

quo-

quoque Metropolitanis, Epiſcopalibus, & Abbatialibus Infulis præclariſſimè fulſit. Ex pluribus unum Uthonem, ſeu Othonem Landgravium Nellenburgium referimus; quem B. Eberhardi, digniſſimum tanto Patre filium, Henricus IV. Imper. Trevirenſibus in locum B. Cunonis ab his immaniter trucidati Anno 1063. ſub his verbis in Archi-Epiſcopum dedit: *Trevirenſes! miſi vobis Paſtorem innocentem, atque mitiſſimum, & illum crudeliter occidiſtis: ecce! talem vobis Archi-Epiſcopum dabo, qui veſaniæ veſtræ poſſit reſiſtere.* Sæculo decimo quarto claruit Conradus Landgravius de Nellenburg, qui hæreditatæ pietatis Nellenburgicæ veſtigium aliquod relicturus Caſtello ſuo Nellenburgenſi Reliquias S. Sebaſtiani Mart. intulit, quæ uſque hodie Religioſo cultu frequentantur ad effectum, ut earum virtute morbi epidemici à loco, & regione arceantur. Hoc autem Conrado antiquiſſimæ ſtirpis ultimo mortalibus exempto Sophia Comitiſſa Landgraviatûs, in defectu maſculini ſexus, hæres Joanni Baroni de Thengen matrimonio juncta in dotem attulit Nellenburgum cum omnibus prærogativis, & emolumentis circa annum 1430. ſed his quoque Dynaſtis de Thengen deficientibus Anno 1465. à Sereniſſimo Archi-Duce Auſtriæ Sigismundo Landgraviatus hic emptionis titulo comparatus eſt: digniſſima ſanè Nellenburgicorum proſapia, quæ ſummos mundi Principes, Imperatores, Reges, Ducésque conſanguinitate, & affinitate contingens, & ſanctitate aliquos coæquans, aut ſuperans, non inferiores, quàm ſit Auguſtiſſima Domus Auſtriaca, terrarum, bonorum, nominisque ſui ſucceſſores pati voluit.

II. Veroſimile eſt, prælaudatos Landgravios ſicut Arcis Nellenburgenſis: ita & urbis Stockacenſis Conditores fuiſſe; cui & illatum eſt Tribunal Provinciale olim à Landgraviis cum ſuis Libertinis, & Equitibus ad decidendas cauſas tum contentioſas, tum voluntarias, tum etiam criminales frequentari ſolitum pro diſtrictu Hegeu, & Madach conſtitutum, quod quidem uſque ad annum 1560. in ſua antiqua forma perſeveravit; deinceps autem à Ferdinando Archi-Duce Auſtrio nonnihil reformatum, & decretum fuit, ut locò Liberorum, & Equitum alii viri honeſti ex urbe, & Landgraviatu in Aſſeſſores aſſumantur; uti habent Judicii Provinc. ſtatuta p. 1. tit. 1. & 3. & p. 2. tit. 2.

Plurima hæc urbecula per ætatis ſuæ decurſum perpeſſa fuit. Anno 1291. Albertus Auſtriacus, poſt Adolphum Cæſarem profligatum, eam cum Acropoli Nellenburgica expugnatam ſui juris fecerat; quæ tamen ex poſt ad Dominum ſuum rediit.

Anno 1499. ab Helvetorum duodecim millibus acri obſidione preſſa, haud tamen occupata fuit, Marchione de Baden cum milite præſidiario, & civibus ſtrenuam defenſionem agente, hoſtésque obſidionem ſolvere cogente, Helvetorum abſceſſu in Octava Corporis Chriſti uſque in hodiernum diem quotannis ſolenni, & Euchariſtica proceſſione rememorari, ac celebrari ſolito, ut eadem Octava Corporis Chriſti Helvetorum feria nuncupetur, Anno 1633. Copiarum Suecicarum Generaliſſimus Guſtavus Hornius cum exercitu Stockachii ſtativa habuit; urbsque inde uſque ad annum 1640. ab hujus, & Præſidii Duellenſis frequen-

quenter hinc inde prædatum graſſantis ferocia, atque inſolentia continuo agoni obnoxia; demùm & lue peſtiferâ habitatoribus, civibúsque ferè vacuata fuit.

III. Verùm majora his, atque deteriora hoſtis Catholicus; imò Chriſtianiſſimus perferenda præbuit Annis 1703. & 1704. tempore belli Gallo-Bavari; cùm præter exitiales, eósque iteratos hoſtium tranſitus, & direptiones die 5. Jun. 1704. decretoriis flammis penitiſſimè abſumpta fuerit; à quo excidio vix unquam dedolendo ne quidem elegans Parochiale Fanum Anno 1412. ædificatum immune permanſit. His aliísque urbis concatenatis calamitatibus juſtè perpenſis mirum cuipiam videri debet, quòd ulli Religioſorum cogitatio, ſeu cupido de ſtruendo ibidem regulari diverſorio illabi potuerit: ſed tamen illapſa eſt, viâ, quam modò commemorabimus.

Fuerat Stockachii civis, D. Joan. Caſparus Neupert, natione Styrus, religione Lutheranus, profeſſione miles, conditione Epidemeticus, variæ fortunæ homo; cui ad conſcribendum militem Stockachium ſortè delato loci opportunitas, & ſpes ſpectatæ cujusdam viduæ hoſpitiſſæ ad Crucem nuptiis potiundi adeò arriſerat, ut Lutherum, Cingulúmque militare exutus ſimul Eccleſiæ Romano-Catholicæ, & Civitatis gremio ſuſcipi rogaverit, & utrumque obtinuerit. Præfatæ dein viduæ deſponſus præter cauponariæ exercitium, ùt erat ingenii magna, & plura audentis, variis quoque negotiationibus ſe ſe implicuit, ex quarum alternante ſucceſſu modò res ſuas immensùm auctas, modò ad triarios reverſas habuit. Anno 1694. Commiſſarii militaris nomine annonæ Copiis Imperialibus advehendæ curam gerens cùm manticam pecuniis probè gravidam, & equo impoſitam ferret ſub itinere illum capiendi ſomni animus inceſſit, invitante ad hunc ſolitaria quadam nemoris planitie viridantibus arborum brachiis opacata. Equô igitur ad proximam arborem revincto ipſe dormiturus in viride gramen procumbit. Eo autem ita ſecurè ſecubante equus capiſtro ab arbore ſoluto in fugam abripitur, liberóque curſu hac illac in longinquum divagatur. Expergefactus bonus vir binam; & equi, & pecuniarum jacturam deprehendens, atque lamentans quid ageret, diu anceps hæſit. Equum curſu perſequi, aut indagare non permittebat ocrearum pondus, & ignoratio, in quam partem declinâſſet fugitivus. Certitudinem articuli fidei de invocatione, & auxilio Cælitum, cujus eidem forſan ex reliquiis Lutheri adhuc dubium inſederat, periclitaturus, mentem, manúmque ad Cælum porrigit, & S. Antonium de Padua, ceu rerum perditarum Curatorem obnixè deprecatur. Interim conducto in proxima villa equo domum redeundi conſilium capit. Vix paululùm progreſſus en! equum ſuum integræ pecuniæ bajulum in via frequenti militum aliorúmque hominum tranſitu intutâ ſibi obvium habet; quo lætus conſcenſo iter ſuum, & moram compenſaturus velociter avehitur; hac gratia, ùt interpretabatur, à S. Antonio miraculoſè profecta inſigniter in Religione, & devotione erga divum hunc Auxiliatorem roboratus; quin etiam tantâ in Capucinos ſtatis per annum vicibus

Uber-

Uberlingâ Stockachium ad ſubſidia ſpiritualia ventitare ſolitos propenſione captus eſt, ut præter eximia charitatis officia, quibus eos toties quoties proſequebatur, eis, quatenus ibidem ad figendum ſtabile domicilium animum adjicerent, frequens author, & importunus propè hortator imminuerit. Quia verò Capucini ob nimiam aliorum Conventuum ſuorum vicinitatem id fieri non poſſe obſtinatè cauſarentur, iteratâ repulsâ offenſus, & propoſito ſuo tamen inſiſtens alios accerſere Religioſos firmum ſibi fixúmque habuit, atque in cauſæ complicem aquiſivit Prænob. & ſtrenuum D. Joannem Chriſtophorum Spohn Dicaſterii Nellenburgici Archi-Præfectum; qui collatis conſiliis impensísque omnibus nervis rem usque eò perduxerunt, ut illi Religioſi eorum ſtudiis cooperati, in quos Stockachium inducendos collimabant, recommendatitiis à Sereniſſima Electrice Palatino-Neoburgica emendicatis valido harum ſuffragio ipſius Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi I. conſenſum jam jam elicuerint; quo freti Celſiſſimum ac Reverendiſſimum DD. Epiſcopum Conſtantienſem ceu loci Ordinarium Joannem Franciſcum acceſſerunt erigendi in oppido Stockach Conventûs facultatem humiliter, & inſtanter flagitantes.

IV. Verùm hi optimi Patres ad ſcopulum nullis precibus, nullâque Principum interceſſione ſuperabilem ſe alliſiſſe experti ſunt. Conſiderans enim æquiſſimus æquè ac ſapientiſſimus præſul nullam eſſe neceſſitatem admittendi in loco Stockach Religioſorum coloniam; econtra enorme præjudicium quatuor Capucinorum Conventibus in circumferentia proximè locatis afferendum, negotium hoc altioris indaginis, & Juridicè trutinandum forè oratoribus reſpondit, eósque dimiſit. Re igitur ad Curiam Epiſcopalem delata: præmiſſa citatione edictali omnium intereſſe habentium: termino triginta dierum ad comparendum, & proponendum dato: lectis triginta ferè opponentium Clericorum, Religioſorum, & variarum Dynaſtiarum ſcripturis: viſo libello Gravatoriali PP. Capucinorum: exceptione, replica, duplica per utramque partem cum ſubmiſſione in cauſa præſentatis: ſumpta oculari inſpectione, & inquiſitione apud incolas ejusdem oppidi per Commiſſarios Epiſcopales ſpecialiter ex officio ablegatos ad meliorem Judicis informationem juxta Bullas Pontificias hauriendam ſententia tandem lata eſt Conſtantiæ die 24. Mart. 1702. quòd amodò inhibitum Religioſis prætendentibus Monaſterium in loco Stockach erigere; idque ex cauſis relevantibus, quæ in actis continentur.

Cùm verò Prætendentes hac ſententia ſe injuſtè gravatos quererentur, ideò ab hac ad quemcunque ſuperiorem Judicem provocârunt: cui appellationi in reſpectum duntaxat Superioris Judicis delatum fuit.

Interim dum cauſa Romam pertracta fervidè ibidem agitaretur, Celſiſſimus ac Reverendiſſimus DD. Ordinarius per litteras tam excelſum Regimen Oenipontanum, quàm ipſum Auguſtiſſimum Imperatorem de genuino rei ſtatu fideliter edocuit, rationémque renitentiæ ſuæ adhibitæ, & inalterabiliter adhibendæ reddidit: cujus adducta argumenta, & motiva veritate, & æquitate ſubnixa ſummis illis Tribunali-

bus adeò illuxerunt, ut Reverendiſſimi D. Epiſcopi zelus maximè probaretur.

Nec ſegniori pede res Capucinorum in Curia Romana proceſſit. Ut enim Sac. Congregat. Epiſ. & Regular. in hujusmodi cauſis Bullas Pontificum, præſertim Gregorii XV. & Urbani VIII. velut cynoſuram, & normam agendi acie irretorta ſuſpicere ſolet, quibus cavetur, ne in aliorum Religioſorum præjudicium nova Monaſteria erigantur: ita poſt acceptam notitiam, quòd Capucini è Conventu Uberlingano tribus tantùm horis Stockachio diſtante jam centum propè annos fataliſſimis etiam temporibus Apoſtolandi causâ agrum illum frequentare, & in hujus diſtrictu quæſtuationem habere conſueverint: præterea quòd tres alii Capucinorum Conventus in ſimili diſtantia Stockachium ambiant; quibus omnibus per aliorum Religioſorum ſuperventum graviſſima damna enaſcerentur, horúmque jus quæſitum peſſumiret, eadem Sac. Congregatio horum contemplatione Decretorum Pontificiorum apici inſiſtens, & Capucinos in hac poſſeſſione quæſtuandi per Monaſterii fundationem porrò turbari nolens de die 1. Julii 1702. & de die 20. Novemb. 1705. ac de die 1. Jul. 1712. judicialiter, & ſententialiter pronuntiavit: *non eſſe locum Patribus N. N. erigendi Monaſterium in Oppido Stockach.*

V. Tantus autem ſalutis animarum, ædificandæ domus Dei, & proferendorum limitum Provinciæ ſuæ zelus optimos iſtos viros comederat, ut non attentis ſupradictis ſententiis conſenſum Leopoldinum, licèt ab Auguſtiſſimo Joſepho primo Imperat. de dato Viennæ 20. Aug. 1710. ac poſt hujus obitum ab Auguſtiſſimo Carolo VI. de dato Barcellonæ 15. Aug. 1711. ex convincentiſſimis rationibus revocatum, & ob alteratum rerum ſtatum ceu nullum declaratum, urgere non deſtiterint. His ergò litigiis finem alaturi Patres Provinciæ duos Viennam ablegârunt, qui auxiliantibus Excellentiſſimo D. Comite de Seileren Aulæ Cancellario, & Illuſtriſſimo D. de Buol Referendario obtinuerunt, ut Auguſtiſſimus per decretum illos loci Candidatos in perpetuum à loco Stockach excluſos: emerſura autem aliqua futuris temporibus quosdam illuc ſuſcipiendi Religioſos neceſſitate, aut poſſibilitate, Capucinos præ aliis ibidem hoſpitandos voluerit. Prætereà ad ſecuriorem hujus decreti manutenentiam, juríſque Romanô Oraculô aſſerti uſurpationem de clementiſſimo tum Auguſtiſſimi Cæſaris, tum Celſiſſimi DD. Ordinarii conſenſu Capucini domunculam quandam ſibi comparârunt, in qua Miſſionarii Uberlingani divertere, hácque per modum Hoſpitii temporarii uti valeant. Sed cùm neque hoc remedium ſopiendis tricis ſufficeret, aliquibus prætendentium fautoribus his ſpem victoriæ facientibus boni viri omnes aleas jacere, ſaxum quodcunque volvere, ac tandem perrumpere conati ſunt. Quapropter ut denique omnis porrò litigandi occaſio penitùs abſcindatur, & altercationibus in ſcandalum vergentibus prævertatur, compendiariam Capucini viam aggreſſi per Reverendiſſimum P. Michaëlem Angelum de Raguſa Miniſtrum Generalem Viennæ tum exiſtentem Auguſtiſſimo Imperatori Carolo VI. pro gratioſiſſimo conſenſu domicilii regularis, & perpetui in loco concertato Stockach excitandi ſupplicârunt: quibus precibus

bus cùm explorata cauſæ merita patrocinarentur, & præter arbitrium tum excelſi Regiminis Oenipontani, tum laudab. Dicaſterii Nellenburgici aliarum interceſſionum ſuffragia accederent, Auguſtiſſimus ſub die 30. Aug. 1718. clementiſſime annuit, & aſſenſum decreto ſtabilivit; ſimul atque per ſuum Romæ Oratorem Excellentiſſimum D. Comitem de Gallas cætera, quibus Capucini ad ſcopum ſuum juvarentur, requiſita ab Aula Romana ſollicitavit. Nec minùs Celſiſſimus ac Reverendiſſimus S. R. I. Princeps, & DD. Jo. Franciſcus Epiſcopus Conſtantienſis illud extricandi ſe ulterioribus controverſiis remedium æqui bonique conſulens de unanimi Reverendiſſimorum Conſiliariorum curiæ Epiſcopalis voto oppidum Stockach Capucinis regulariter occupandum adjudicavit, & cauſis, ob quas alii Religioſi ab ea gratia excludebantur, reſpectu Capucinorum non ſubſiſtentibus, actu poſſidendum contradidit, tanta omnium Venerab. Cleri, Civitatis, & Communitatum ruralium gratulatione, ut tota affixarum edictalium duratione nemo quidquam contra hanc Capucinorum coloniam Stockachio invehendam opponeret, præter ſæpè dictos competitores, quorum tamen utpote extra terminum Canonicæ diſtantiæ, & juſtæ contradictionis exiſtentium proteſtatio admiſſa non fuit.

His, uti præfertur, geſtis Celſiſſimus DD. Ordinarius de dato 4. Jan. VI.
1719. decretum immiſſionis edidit, ac pro hujus executione Plur. R. Nob. ac Clariſſimum D. Joann. Adam. Henricum Hyppenmayr J. U. Doct. Prothonot. Apoſtol. venerab. Capit. Stockacenſis Decanum, ejúsque loci Parochum ceu Commiſſarium conſtituit; qui die 8. Febr. ejusdem anni comparentes in hunc finem Stockachii Reverendos Patres Provinciæ authentico, & publico, minimè tamen ſplendido actu in poſſeſſionem immiſſi ſunt. In aream autem futuri hoſpitii pretio redempta fuit præfata domuncula cum adjacentis horti parte, & contiguo ſacello S. Archangeli Michaëlis; in quibus tum ſtabiliter perſeverabant deputati Patres; tum ſpiritualia officia exercebant. Quoniam verò nec domus illa clauſuræ expers Religioſæ vitæ ſatis commoda; nec ſacellum triginta hominum capiendorum capax eſſet: ideò ad inſtantias laudab. Dicaſterii & venerab. Capituli Stockacenſis Celſiſſimus D. Ordinarius formale hoſpitium de novo erigi, & Eccleſiam ampliorem fieri clementiſſimè indulſit. Tali ergò fabricæ Anno 1722. initium datum, ac eo ſucceſſu inſudatum eſt, ut ad initium Aprilis 1723. Religioſi hi coloni novum hoc domicilium ſuum incolere cæperint. Inde ad ponendum conſtruendæ Eccleſiæ primarium lapidem proceſſum fuit; quam functionem de juſſu Celſiſſimi ac Reverendiſſimi DD. Ordinarii Plur. R. D. Decanus ſupranominatus obivit, ſequentem lapidi ſcripturam affigens:

Quod Felix fauſtúmque ſit.

Ex Commiſſione Celſiſſimi ac Reverendiſſimi S. R. I. Principis, ac DD. Jo. Franciſci ex Perilluſtri Familia Schenckiorum de Stauffenberg Epiſcopi Conſtant. Domini Augiæ-Maj. & Oehningæ &c. ac Coadjutoris Auguſtani,

Primum lapidem poſuit hujus Eccleſiæ in honorem Omnipotentis Dei, & S. Michaëlis Archangeli erectæ,

Plur. Reverendus, & Excellentiſſimus D. Jo. Adam Henricus Hippenmayr, Parochus in Stockach, & ejusdem Rural. Capituli Decanus Anno 1723. die 21. Julii.

Regnantibus Innocentio XIII. ſumm. Pontifice,
Et Carolo VI. Roman. Imperat. ſemper Aug.
Toto Romano Imperio in pace compoſito;

Landgraviatûs Nellenburgici Satrapa Excellentiſſimo D. Carolo Guidobaldo Comite de Wellsperg &c. Perilluſtri D. Joſepho Antonio L. B. de Roſt &c. Adminiſtratore.

Strenuis & Prænob. DD. Willhelmo Andrea Sartori Oberambtmanno, Franciſco Antonio Mayr Landſcriba, Joſeph Antonio Gagg, Provinciali Judice. Dominico Benedicto Sebold Regiſtratore. Rural. Capit. Stockac. Camerario A. R. D. Georgio Rapp. oppidi Stockac. Stattammano D. Joſepho Clas. D. Jo. Baptiſta Specht Vice-Stattammano. DD. Jo. Reiſer, & Joſepho Feſsler Senatoribus.

Præſente ex Commiſſione R. P. Marci Jacobi Biberac. Provincialis R. P. Alexio Conſtantien. Definit. Cuſtod. & Guardiano Conſtantiæ &c. Superiorem agente A. V. P. Januario ex Achen. Et Familiæ Patribus Maximino ex Ludeſch. Generoſo ex Webr. Beato Bludentino Conc. Laico F. Fridolino Wangenſi. F. Onuphrio Cellenſi Architecto. F. Nazario ex Vandanz Scrinario &c.

DEUS T. O. M. exaudiat preces ſervorum ſuorum in hoc loco orantium, & cuſtodiat omnes habitantes in eo. Amen.

VII. Aſſumpta deinceps Eccleſiæ ſtructura tantis progreſſibus excrevit, ut otioſis etiam ſpectatoribus admirationi eſſet, & vel dormientibus operariis incrementa nunquam interpolata accepiſſe videretur. Nam trium menſium labore tota res acta, ac omnibus numeris abſolutum fuit templi ædificium; prout iſtud ejusdem Anni die 12. Octobris à Reverendiſſimo & Perilluſtri DD. Joann. Franc. Antonio de Sirgenſtein, Epiſcopo Uthinenſi, & Suffraganeo Conſtantienſi maxima rituum pontificalium pompa dedicatum, & conſecratum fuit.

Hujus operis principem ſe Benefactorem exhibuit Auguſtiſſimus Rom. Imperator Carolus VI. qui præter clementiſſimum conſenſum ex reditibus Nellenburgo-Cameralibus tam ad ædificium, quàm futuram Fratrum alimentationem ſubſidium haud aſpernandum conferri mandavit. Quin & Anno 1736. ad humillimas preces R. P. Maximiliani Wangenſis ad commodiorem Religioſorum ſuſtentationem præfatæ Eleemoſynæ notabilem in vino, frumento, lignis &c. adjecit mantiſſam deinceps quotannis præbendam.

Porrò fabricam ſtrenuè adjuvârunt munificentiâ ſuâ Illuſtriſſimi Excellentiſſimi Perilluſtres & Generoſi DD. Dionyſius, & Joſephus Antonius, Pater, & Filius L. L. B. B. de Roſt &c. &c. nec non Carolus Guidobaldus Comes de Wellſperg. Item Dynaſtæ Joann. Adam. & Joann. Joſeph LL. BB. de Bodman, in Bodmann & Espeſingen. Prænob. & Stren. DD. Officiales Nellenburgici. Venerab. Capit. Stockacenſe &c. Senatus, Populúsque ibidem, & Communitates per circuitum paganæ &c.

qui

quì omnes pro ſuo in hoc pium opus ardore, & facultatum ſuarum menſura inſigniter cooperati ſunt ſeu Eleemoſynas pecuniarias, ſeu victualia, ſeu materialia, ſeu vecturas, operásque publicas ſubminiſtrando; quorum nomina, cùm plura ſint, quàm ut recenſeri omnia inſtituti noſtri brevitas patiatur, albo viventium illata gratulamur, aut inferenda precamur.

Firmato igitur hoc regulari Pandocheo ſublatus eſt tandem offenſionis diuturnæ lapis, & disjecta ſcandali petra; cùm tot annis Religioſi Cauſidici pro eo contenderint, victoriâ Capucinis ab æquiore Themide adjudicatâ. Nec ſperamus ab aliquo deſuper invidendos, minùs injuſti arguendos nos fore, cùm qui jure ſuo utitur, ſeu uſus eſt, nemini injuriam facere, aut feciſſe cenſendus ſit. Cap. cùm Eccleſ. de Elect. &c. &c.

Stat ergo hæc Seraphica Colonia proximo in ædificationem, animabus in ſalutem, Benefactoribus in benefaciendi occaſionem, divertere volentibus in hoſpitationem, S. Michaëli Arch-Angelo in clientelam, oppido in ornamentum, Deo, B. V. M. S. Joſepho, S. P. Franc. S. Antonio Pad. S. Fideli Mart. in ſempiternum honorem, & gloriam.

§. XXIX.

Hoſpitium Stüehlinganum.

STüehlinga urbs ambitu quidem modica; ſed Dominatûs magnificentiâ celebris poſſeſſori ſuo Landgravii prærogativam affert; cujus regiuncula, olim Abnobia montana dicta, nunc communi vocabulo Baar innotuit à Meridie Kletgojam, aliàs agrum Latobrigum: ab Occaſu ſylvam nigram, & Brisgojam: ab Aquilone Rottvvilam, & Wirthenbergiam: ab Ortu Hegoviam, quatenus ad Rhenum, & lacum Acronium declinat, reſpiciens. Hujus terræ Indigenæ quondam à Ptolomæo Tab. Europ. 4. Vargiones; ab aliis Tulingi compellabantur; quorum vel Julius Cæſar lib. 1. meminit, quòd eorum triginta ſex millia egreſſa Cimbris, Suevis, & Helvetis ſociata contra Romanos dimicatum conceſſerint. Veroſimile eſt, natâ, & præpoſitâ litterâ S. loco huic nomen Stüehlinga adveniſſe; quamvis pagus præprimis hoc nomine inſignitus ab antiquo fuerit, urbe à pago nonnihil diſſita, alitérque vocata: hodie tamen caſtrum extra urbem versùs hercyniam in monte edito ſpectandum, urbs, & pagus unam Stüehlingæ nomenclaturam gerunt. Landgraviatus hic vetuſtiſſimis retrò temporibus Comitum Lupodunenſium, ſive Lupfen Dominio pleno addictus fuit: Equidem Anno 1030. Eberhardus ab Alramo Taurinatium, & Eporegiæ Duce, primóque montis Ferrati Marchione deſcendens Baronem de Lupfen ſe ſcripſit. Andreas de Lupfen Anno 1042. Dynaſtam Lupodunenſem: Eberhardus Andreæ Filius Comitem: hujus au- I.

tem Filius Anonymus Landgravium Stüehlingenſem primò ſe nominavit : ita quidem Bucelinus in Rhæt. ſac. & prof. Cruſius autem jam Anno 796. Comites de Lupfen extitiſſe , & Anno 920. Willhelmum Comitem Lupodunenſem claruiſſe contendit, nixus relatione Genealogicâ à Matthia Welper Secretario Illuſtriſſimi D. Conradi Comitis de Pappenheim Engâ ſibi communicatâ , quam iſte à Reverendo D. Wolffgango Keller Parocho Engenſi ſe accepiſſe teſtatus eſt. Juxta quam relationem poſt ſupradictum Willhelmum Georgius de Lupfen Anno 931. Henricus Comes & Abbas Enſidlenſis 1074. Rudolphus 1123. idem ibidem. Joannes de Lupfen Prior Equitum Melitenſium 1288. Willhelmus Comes de Lupfen Anno 1311. Henricus Comes 1314. Abbas S. Galli. Wolffgangus Comes Anno 1374. Joannes Comes 1392. Willhelm. 1403. Henricus junior 1524. in Hiſpania mortuus. Joannes Epiſcopus Conſtantienſis Anno 1532. ſed Anno 1537. reſignato Epiſcopatu in Caſtrum Engenſe ſecedens ibidem Anno 1551. mortuus, &c. & alii exinde usque ad Ann. 1582. celebres extiterunt.

Quòd verò etiam priſcis temporibus Comites Fürſtenbergii ſe Landgravios Stüehlingenſes dixerint , id aliquam in prædicta Lupfenſium ſerie interruptionem indicat. Ita enim Conradus de Fürſtenberg , qui Anno 1240. Landgraviatum Stüehlingenſem adminiſtrâſſe à Lazio de migrat. gent. c. 8. ſcribitur : & ante hunc Egon Fürſtenbergius Stüehlingæ Landgravius intitulatus eſt ; niſi forſan ex familiarum conteſſeratione , & Dominatuum vicinitate , aut etiam adminiſtratione tutelari nomine Fürſtenbergio Landgraviatus Stüehlinganus ſubinde communis evaſiſſe dicatur. Conſtat autem, quòd caſtrum Fürſtenberg , in prælto vertice , Landgraviatus Baarenſis meditullio, collocatum haud procul ab alia acropoli , Lupfenberg nuncupata diſſitum ſit, à qua Comites de Lupfen nomen ſuum hauſiſſe creduntur : hanc verò Rottvvilani juſſu Sigismundi Imperatoris devaſtârunt.

II. Utcunque demùm ſit, familia Lupodunenſium in Henrico Illiberi Anno 1582. extincta ; & ad Imperii Mareſchallos Pappenhemios devolutus eſt Landgraviatus. Opinantur aliqui, ultimos Lupodunenſes à Novatorum deliriis faſcinatos omnem ſtemmatis ſui gloriam à tot Anteceſſoribus partam turpiſſimâ à ritu Catholico defectione offuſcâſſe , & plurimos ſubditorum exemplo ſuo in errorum ſocietatem traxiſſe ; Stüehlingam tamen ſemper in avitæ Religionis tramite perſtitiſſe. Devolutio autem Landgraviatûs ſic contigiſſe fertur : Conradus de Pappenheim , qui Maximiliani II. Imp. ſatellitio præerat , & aliàs de Ferdinando I. ac Rudolpho II. Impp. optimè meritus erat , in horum meritorum remunerationem à Maximiliano litteras , ceu vocant , exſpectatorias in feuda Lupfenſia , quæ complectebantur Landgraviatum Stüehlingen , caſtrum , & Dominium Hövven , arcem Althorn , cum juribus ac pertinentiis in Oppido Engen , obtinuit : datóque mortis præfati Henrici ultimi Comitis de Lupfen caſu propria authoritate ea feuda prehendit : ſed miſſa contra eum armatorum cohorte Wirthenbergica inde dejectus , & Enga captivus in caſtrum Tübingenſe abductus eſt , adverſatis ipſi Duci Wirthenbergiæ , Carolo Comite de Zollern ,

leren, Petro Barone de Mörsburg, & Befort Margarithæ Comitiſſæ de Lupfen Conjuge. Ubi tamen is in captivitate ſua Apologiam An. 1594. Imperatori, & ſtatibus Imperii Ratisbonæ congregatis exhibuiſſet, hánc-que in litteris Maximiliani Cæſaris fundâſſet, dimiſſus pro ſe, & ſuis deſcendentibus à Rudolpho II. Inveſtituram in præmemorata feuda accepit: qui eadem deinceps in filium ſuum Maximilianum, unicum hæredem transmiſit. An Conradus jam Lutherum profeſſus fuerit, non adeò liquet: conſtat autem de filio Maximiliano, qui Osvvaldo Croll Lutheranæ ſectæ Archi-Synagogo Præceptore uſus eſt: in ejus tamen laudem id quoque certum eſt, quòd neminem ſubditorum vi ad Lutheri dogmata compulerit. Ex conjuge tertia Urſula Maria Leiningenſi filiam habuit Maximilianam Mariam, quam Friderico Chriſtophoro Comiti Fürſtenbergio elocavit: ex hac Maximilianus Franciſcus Comes de Fürſtenberg genitus eſt, hæres non ſolùm Patris ſui Anno 1655. defuncti in bona vallis Kinzinganæ: ſed etiam in Landgraviatum Stüehlingenſem, & quæ ad hunc pertinent, Succeſſor deſignatus. Nam Maximilianus Pappenhemius in teſtamento ſuo die 6. Dec. Anno 1638. condito hunc ſuum ex filia Nepotem Maximilianum Franciſcum hæredem ſcripſit. Agnati quidem enormiter ſe hoc teſtamento læſos conqueſti hæreditorum Judicio Imperiali Aulico litem intentârunt, fundantes jus ſuum in Landgraviatum Stüehlingenſem in ſupradictis Maximiliani Imperat. litteris &c. Deo tamen dirigente corda Judicum, & ſuffragantibus aliis Juſtitiæ titulis Landgraviatus Fürſtenbergio adjudicatus fuit ea lege, ut prætenſiones Pappenhemiorum quinquaginta millibus florenorum redimirentur. Hac igitur via omnium bonorum ſolatio, maximóque rei Catholicæ bono Stüehlinganus Landgraviatus Illuſtriſſimæ Domui Fürſtenbergicæ, participatâ hinc quoque diſtinctione Lineæ Stüehlinganæ à Blombergica, ſeu Möſskirchenſi, aquiſitus eſt. Hujus, nunc Sereniſſimæ, Familiæ inter alia eximia decora, quæ unà cum origine, & ſanguine cum Möſskirchenſi communia habet, id quoque peculiare eſt, quòd nullo unquam peregrini dogmatis errore à via veritatis Catholicæ abduci ſe paſſa ſit; ſed avitæ, Romanæque Eccleſiæ fideliſſimè æquè, ac devotiſſimè adhæſerit: quapropter &, ſi quod hæreſis venenum alicubi in Landgraviatum irrepſit, aut ſectarii Præcones admiſſi ſunt, his ejectis, reſtitutis legitimis animarum Quæſtoribus, abolitis Lutheri ſuperſtitionibus, & redditis Eccleſiaſticis officiis Landgraviatus penitiſſimè expurgatus eſt; prout hodie, ſi ullus alius Dominatus immaculato Numinis, & cælitum cultu fervet, huic certè, licèt Calvini, & Lutheri vicinia contacto, ea laus tribuenda eſt.

III. Ille verò, cujus potiſſimùm ſtudio, ac ordine hæc geſta ſunt, centies meritus eſt, ut ex debitæ gratitudinis nomine, in ejus præconia nonnihil ſolvamus calamum. Fuerat is præclariſſimis naturæ donis, optima educatione excultis cumulatiſſimè dives, non procerâ ſolùm, eximiáque corporis ſaturâ; ſed præterea tanta in ejus inceſſu, totóque habitu dignitas eminuit, tantus in ore, atque geſtu lepor eluxit, & in oratione tam urbana feſtivitas, nequaquam adſcita, ſed nativa, ut vel

ex ipſa ſpecie facilè cuivis fuerit exiſtimare, fuiſſe illum familiæ ſplendore perilluſtrem, generoſáque ſtirpe progenitum. Ut erat ingenii acutiſſimi, memoriæ capacis, & indolis ad quæque ſumma proclivis : ita inſigni litteratura, Jurisprudentia, politica, & militari, linguarum etiam Gallicæ, Italicæ, & Hiſpanicæ peritia in regionibus hiſce peragratis hauſta nulli longè latéque ſecundus fuerat. His pari & felicitate, & perfectione addidit exercitiorum, quibus magnatum filii inſtruuntur, culturam. Arte equinæ domituræ peritiſſimos quosque vicit : tam peritè item gladiatoriam exercuit umbratilem ; imò & decretoriam, tam bellè, atque decorè ſaltavit, ut nihil ſupra. Pictura, Muſica, aliíſque artibus liberalibus vel eos ſuperavit, qui his quæſtum occupari ſunt. Neminem unum Europa tulit, qui tot tantíſque circumfluxerit corporis, animíſque dotibus, ob quas Auguſtiſſimo Imperatori Leopoldo I. ſummis Regibus, & Principibus non ſolùm in magna æſtimatione ; ſed etiam in amore fuerat. Cùm tantus eſſet, mirâ tamen modeſtiâ, & humanâ affabilitate ad omnes, etiam infimæ ſortis homines, atque ſubditos utebatur, cuilibet acceſſibilis ; & in pauperes, maximè Capucinos perquàm liberaliſſimus. In bello Gallico circa An. 1677. Imperio illato Legionem Equitum Cataphractorum à Catholicis circuli Suevici Ordinibus conſcriptam ductavit. Uxorem ſibi elegit ex Equeſtri proſapia Mariam Magdalenam a Bernhauſen : ex qua genuit Antonium Mariam Fridericum, Canonicum Eccleſiarum Metropolitanæ Salisburgenſis, & Cathedralis Eyſtadianæ, virum ad ſcrupulos uſque pium, & Proſperum Ferdinandum, vivam Excellentiſſimi genitoris imaginem, ac Auguſtiſſimi Romanorum Regis Joſephi I. ocellum ; quem tamen in expeditione à Rom. Rege Anno 1702. ad expugnandam Landaviam aſſumpta Generalis campi Vice-Mareſchalli munus gerentem, dum Rhedâ veheretur in caſtra, ferreus tormenti bellici globus urbe emiſſus infortunatiſſimo caſu tetigit, atque disrupit. Excellentiſſimus verò D. Landgravius Franciſcus Maximilianus Anno 1681. Argentoratum profectus, dum ad conſpectum Regis Galliæ urbem recens occupatam ingredientis inconſideratè feſtinat, per pronos ſcalarum gradus, in caput præceps ruit, tam gravi lapſu, ut poſtridie, nil valente vel regii chirurgi in ſalutem Comitis accurrentis peritia, etiam cum Chriſtianiſſimi, & inimici Regis, qui multâ tanti viri æſtimatione tenebatur, luctu exſpiraverit ſacris Catholicis ritu Chriſtiano munitus, & vel in morte excelſi animi argumentum præbens ; dum curis domeſticis liber diſpoſuit, ut poſt mortem habitu Capucinorum tectus in horum Engæ Eccleſia tumularetur, mortuus eorum contubernio inſeri affectans, quorum vivus Benefactor, amicus, fautórque maximus eſſe inter delicias ſuas computaverat. Huic ergò diſpoſitioni obtemperatum fuit, ſuſcipientibus Capucinis tanto mærore, quanto amore tantum funus, habitúque ſuo contectum in fratrum cryptam deponentibus, quidquid Menippus ille, altérve Lucianus, Roterdamus lib. 25. in Epiſtol. ad Nicol. mallarium oblatret, & chriſtianum hunc, piúmque, maximorum Principum, Regum, & Comitum morem, quo ſe habitu S. Franciſci poſt mortem veſtiri, & inter Religioſos hujus Ordinis ſepeliri curârunt, ſcomatibus proſcindat.

Porrò

Porrò altefatus Excellentiſſimus D. Proſper Ferdinandus ex Con- IV.
juge Illuſtriſſima Comitiſſa de Königsegg præter alios utriusque ſexûs liberos hæredem reliquit Joſephum Willhelmum Eberhardum, qui juventutem ſuam Muſis manſuetioribus, ac etiam ſeverioribus eô cum profectu conſecravit, ut vel inter eruditiſſimos de omni facultate litteraria diſputans lauream primatûs reportaret. Anno 1716. extincta in Antonio Egone Adminiſtratore Electoratûs Saxoniæ lineâ Principali de Fürſtenberg-Heiligenberg unà cum Sereniſſimo Principe Frobenio Ferdinando Landgravio de Fürſtenberg-Mößkirch &c. Sac. Cæſ. &Reg. Cath. Maj. Caroli VI. Rom. Imp. Conſiliario Intimo, Aurei velleris Equite, ejusdem compluribus annis ad Diætam Ratisbonenſem Principali Commiſſario &c. ab eadem Cæſ. Maj. ſolenni axiomate S. R. I. Princeps renuntiatus, atque hoc modo inſtitutus eſt, uti ſemper utriusque Familiæ ſenior, & primogenitus ea principali dignitate fulgere cenſendus ſit. Idem Sereniſſimus Princeps Joſephus die 6. Jun. Anno 1723. Mariannam Comitiſſam de Waldſtein ſibi matrimonio junxit; ac poſtquam Sereniſſimus Princeps Frobenius Ferdinandus ſupradictam Principalis Commiſſarii provinciam, utpote viribus exhauſtus, ac ſenio gravis deprecatus eſſet, eâdem auctus, & usque ad obitum Auguſtiſſimi Imper. Caroli VI. perfunctus eſt. Ut nunc tandem ad Rhombum Hoſpitii Stüehlingani dilabamur, oportet, ut rememoremus, qualiter jam ſupralaudatus Excellentiſſimus DD. Franciſcus Maximilianus Landgravius &c. Sereniſſimi Principis regnantis Avus eam cogitationem volverit, ut vellet adhuc unam præter Engenſem, & Neoſtadienſem Capucinorum Coloniam infra Dominatûs ſui diſtrictum, ac ſpecialiter quidem Stüehlingam invehere; cujus tamen conſilii etiam in hæredes ſuos propagati executionem tum violenta Illuſtriſſimi D. Landgravii mors; tum graves, ſempérque ſibi ſuccedentes temporum injuriæ impedierunt.

Cùm autem ſubditorum grex è multiplicatis nuptiis oppidò creſ- V.
ceret, & domicilia hinc inde etiam in abſtruſis regionis angulis, vallibus, locísque montanis multiplicarentur, evenit, ut labores quoque animarum Curatorum à proportione de die in diem augeſcerent, & in eam difficultatem aſcenderent, ut debitè curandis, paſcendisque ovibus ſuis Paſtores absque Cooperatorum ſubſidio evaderent impares; econtra reditus Parochiales Cooperatoribus alendis haud admodùm ſufficerent: ideò ſereniſſimus Regnans aliquoties etiam querelis deſuper pulſatus de locandis Stüehlingam Religioſis colloquia miſcere cæpit. Ne verò aliis præter Capucinos Religioſis ea ſors, locúsque obtingeret, Patres Provinciæ cordi habentes, quòd itinerantibus Engâ Waldshuttum, & econtra per hoſpitium Stüehlingæ fundandum pararetur commodum, atque intermedium regulare diverſorium, paritérque Conventus Engenſis multo, moleſtóque labore ſublevaretur; cùm inde ſtatis per annum feſtis determinatus quispiam Miſſionarius, non attento tempeſtatis rigore, & itinerandi difficultate Stüehlingam à tempore antiquo excurrere conſueverit, pro eodem loco, & ſorte jam Anno 1724. Sereniſſimo ſupplicârunt oretenùs, ac paulò poſt de die 1.

Jun. 1724. per Memoriale ſcriptum in eum ſummariè ſenſum inſtantias ſuas duplicârunt ; ut in caſum, quo Religioſi Stüehlingam eſſent ſuſcipiendi, ſua Serenitas præ aliis Capucinos hac gratiâ dignari vellet : Cui Memoriali ipſe Sereniſſimus de dato Doneſchingæ 3. Jun. 1724. propria manu Decretum ſubſcripſit, vi cujus Capucinis eventualis exſpectatio in locum Stüehlingen regulariter poſſidendum aſſeritur.

VI. His ita præparatis Anno 1736. R. P. Maximilianus Wangenſis Miniſter Provincialis rem hanc urgendam ratus Sereniſſimum Doneſchingæ moras trahentem ſupplex adiit factæ jam olim gratiæ executionem demiſſiſſimè rogans, ac domicilii figendi neceſſitatem, utilitatem atque opportunitatem pluribus exaggerans : cui & Sereniſſimus viva voce reſpondit, ſibi etiam videri tam utile, quàm neceſſarium fore, ut Religioſi Stüehlingam in ſpirituale ſuorum ſubditorum juvamen, & ſolatium ; ſéque omninò inclinare in Capucinos præ aliis aſſumendos ; ſe proinde mandaturum eſſe Miniſtris ſuis, ut eo meliori modo, quo fieri poterit, collatis conſiliis formam, & normam ſtabiliant, qua ejusmodi fundatio in opus deducatur. Huic gratioſiſſimæ reſolutioni inſiſtentes tum Principis Officiales, tum Provinciæ Patres facilè in ſacellum Laurethanum uno lapidis jactu ab urbe diſſitum, tanquam in locum, & fundum futuri hoſpitii condixerunt. Habet autem id ſacellum annexas ædes Capellano ad curam ejusdem conſtituto habitandas ; quæ Capellania unà cum ſacella quondam ab Excellentiſſimo D. Franc. Maximiliano, Landgravio Stüehlingæ ex voti Religione, & tenera erga B.V.M. devotione fundata, & eatenùs erecta fuit, ut nullo authentico ſcripto liqueat, quòd illa voti Religio ad poſteros tranſire debeat ; ſed viciſſim manifeſtum ſit, eam fundationem ad nutum revocabilem, & Capellanum nulla Canonica inſtitutione indigentem, tanquam Beneficii manualis Proviſorem amovibilem eſſe ; conſequenter cuilibet Domino licere ejusdem Sacellani locò Religioſos quoscunque citra alicujus Juris Epiſcopalis læſione illuc introducere. Propoſito Capucinorum ſuffragabatur voluntaria R. D. Sacellani jam grandævi, & alibi de commodo habitaculo, ac vitalitio proviſi reſignatio tum ædium tum obligationum eidem Capellaniæ annexarum ; quæ adeóque cum onere & emolumento in Capucinos transferendas cenſuit Sereniſſimus Princeps ; quo conſenſum de novo in forma oſtenſibili exhibente, & Celſiſſimo ac Reverendiſſimo DD. Ordinario Conſtantienſi pariter annuente in feſto S. Michaëlis Archangeli Anno 1737. illud ſacellum cum ædibus Capucinis in poſſeſſionem legitimè traditum, & conſignatum fuit.

VII. Sequentis Anni 1738. die 1. Jul. Celſiſſimo, ac Reverendiſſimo DD. Ordinario committente Reverendiſſimus & Excellentiſſimus DD. Franciſcus Abbas S. Blaſii Ord. S. Bened. primordialem ſtructuræ lapidem pontificali ritu ſacravit, & poſuit additâ ſcripturâ ſequentis toni.

Auſpice Deo Trino, & Uno

Ad majorem Omnipotentis Dei gloriam, ad Deiparæ Virginis Mariæ, S. Joſephi, S. P. Franciſci, S. Antonii de Padua, ac B. Mart. Fidelis Sigmaringani honorem, atque Eccleſiæ Catholicæ incrementum &c.

Anno

Anno 1738. die 1. Jul. Dominica 1. poſt Pent. ceu in ipſo feſto SS. Trinitatis. Clemente XII. ſummo Pont. regnante. Carolo VI. Romanorum Imp. ſemp. Aug. Jo. Franciſco Epiſcopo Conſtant. & Auguſtano. Joſepho &c. Principe de Fürſtenberg, Landgravio Stüehlingano &c. S. C. & Reg. Cath. Maj. actuali intimo Conſil. Ejusdémque in Comitiis Imper. Ratisbonenſ. Principali Commiſſario &c.

Reverendiſſimus & Excellentiſſimus S. R. I. Prælatus, ac DD. Franciſcus Ord. S. Bened. Almæ Congreg. S. Blaſianæ, Dominus in Bonndorff, & Stauffen, S. Cæſ. & Reg. Cath. Maj. intimus actualis Conſil. ad hanc pauperem Stüehlinganam Frat. Min. S. Franc. Capuc. Provinciæ Anter. Auſtriæ Eccleſiam, ſacræ ædi B. V. M. Lauretbanæ, quæ à Sereniſſima domo Fürſtenbergica jam dudùm erecta, & iisdem PP. Capucinis legitimè conceſſa, ex piorum Benefactorum eleemoſynis ſuperædificatam, conſuetis ſolennibus S. Matris Eccleſiæ Catholicæ ritibus, ac cæremoniis primum hunc lapidem benedixit, poſuit, variisque ſacris Reliquijs, ceris Papalibus munivit, infra ſcriptis perſonis ad ſolennem hunc actum ſpecialiter invitatis, rogatis, ac reſpectivè vocatis à M. R. P. Maximiliano Wangenſe, ejusdem Ord. ac Provinciæ Miniſtro Provinciali præſente; unà cum R. P. Franc. Antonio Conſtant. actuali Definit. Cuſtod. & Guardiano Friburg. Encomiaſte, ejusdémque fabricæ Syndico Apoſtolico Prænob. ac ſtrenuo D. Franc. Antonio Michel, ejusdem Sereniſſimi Princip. Conſiliario, & Archi-Præfecto in Stüeblingen, totius hujus operis devoto Promotore.

(L. S.).

Excellentiſſimus, ac Reverendiſſimus DD. *Franciſcus Abbas S. Blaſianus.*

Plur. RR. DD PP. Columbanus Reble &c. Romanus Endel. Laurentius Gump. Udalricus Agricola. Bonaventura Tröndle. Joſephus Madame &c. Capitulares, & Profeſſi ad S. Blaſium.

S. T. D. Carolus Albertus Clodomirus de Braunegg. Conſil. & Cancellar. S. Blaſ. Plur. RR. DD. Franc. Joſephus Gabriel Benz Decan. Cap. Neo-Kirch. & Parochus Ober-Egging. Caſparus Dutlinger Decan. Cap. Stüehling. & Parochus in Füezen. Ludovicus Chriſtoph. de Dürrheimb Parochus in Degernau. Franciſcus Hesler Paroch. in Schuvaning. Caſpar Heimb Parochus Stüehling. Joſephus Frey Sacerdos. Antonius Baur Paroch. in Wizen. D. Jo. Michaël Dietrich Secretarius D. Oberambtmanni.

R. P. Franc. Anton. Conſtant. Ord. Fratrum Min. S. Franc. Capuc. Defin. Cuſtos & Guard. Friburg. A. VV. PP. Sigismundus Veldkirch. Gualbertus ex Kiechelsperg. Iſaias Munderkingan. Longinus ex Gallenkirch. Magnus Engenſis. Leopoldus Veldkirch. Theodor. Conſtant. Romanus Conſtant. Capuc. &c. &c.

F. Maximilianus Wang. Prov. Ant. Auſt. Ord. Minor. S. Franc. Capuc. Miniſter Provincialis.

VIII. Solennitatem hanc tanto Officiatore dignificatam, à R. P. Franc. Antonio Conſtantienſi Definitore eleganti ſermone decoratam, ipsóque ſanctiſſimæ Trinitatis Feſto ſanctificatam Excellentiſſimus ac Reverendiſſimus D. Abbas opiparo, & planè pontificali convivio coronavit. His omnibus conſummatis ad templi ædificium proceſſum fuit, quod Sereniſſimi Principis ſumptibus ex ea parte, qua ratio peregrinationis majorem ornatûs ſplendorem Capucinis non uſitatum, nec permiſſum in amplitudine, & altarium multitudine exigit, celeriter proceſſit; ac pro parte Capucinis competente pariter ſucceſſivè abſolutum fuit. Exinde manus ad Hoſpitii fabricam translatæ ob rei pecuniariæ anguſtiam lentiores habuerunt ſucceſſus; cùm temporum, bellorum, & aliarum calamitatum ſævities non pateretur eleemoſynas, quibus ſolis negotium gerendum eſt, niſi ſtillatim affluere, ditioribus in ea vicinia Calvino addictis, adeóque parca manu ſacris hujusmodi operibus auxilia conferentibus. Excellentiſſimus, ac Prænobilis D. Guidobaldus Balbach à Gaſtel Celſiſſimi ac Reverendiſſimi S. R. I. Principis & Epiſcopi Conſtantienſis Aulæ Cancellarius ampliſſimum horti ſui ſpatium gratis in uſum ædificii contulit. De aliis Benefactoribus nil hactenùs conſtat, ſtructurâ hac lentè admodùm feſtinante, & aquæ motum; ſeu largiores piorum manus exſpectante; ſine quibus fruſtrà operarii finem moliuntur.

§. XXX.

Monaſterium Uberlinganum.

I. UBerlinga urbs Imperialis Illuſtre antiquitatis, & coævæ celebritatis teſtimonio gloriatur ex eo, quòd jam ante S. Galli Abbatis tempora ſub nomine Iburninga inclaruerit, ac Duces Allemanniæ ſeu Sueviæ ejus amænitate, & munitionum oppurtunitate allecti aulam, & domicilium in ea habuerint: prout Anno 451. Bodon Carius primus Dux, Pater, & Genearcha Sueviæ Ducum Uberlingæ ſedem fixit, quam ſucceſſores ſibi propriam, & quaſi ordinariam fecerunt. Ab hoc creditur lacus Acronius nomen ſuum Boden-See ſortitus. Cruſ. Annal. Suevic. p. 1. lib. 10.

Anno 470. Fridbodus Dux Sueviæ Uberlingæ moras traxit. Superſtitioni paganæ addictus, & Theodorico Bernenſi, Italiæ, & Gotthorum Regi tributarius. Anno 504. Eſſuerus, vel Eyſuerus Dux Sueviæ Uberlingiæ ſedem habuit, & arcem in monte Hille propè Campidunum ſtruxiſſe fertur, cujus rudera ſub nomine Burghalden etiamnum noſcuntur, ubi corpus S. Magni tumulatum fuiſſe aliqui putant.

Hubingus Dux Sueviæ etiam Uberlingæ moratus familiæ Huebingerorum originem dediſſe autumatur.

Nebingus Dux Sueviæ Uberlingæ curiam ſuam tenuit.

Circa eadem tempora Ermeridus Dux Sueviæ in conflictu ad Thulbacum à Clodovæo Francorum rege ſuperatus, cum omni ditione ſua, etiam

etiam Uberlingâ Dominio Francorum addictus, primúsque ad Chriſtum converſus fuit.

Imandus Dux Sueviæ Uberlingæ floruit poſt Ermeridum.

Anno 588. Landfridus Dux Uberlingæ habitans ab Hildeberto Francorum Rege Ducatu pulſus; & Ucelinus, Theodorici Francorum Regis Major Domus ei ſubrogatus fuit. Creditur Ucelinus à nomine Conradus ortum habere, dicunt, quod veteres Gunzo abbreviarunt. Ab hoc deſcendit Cambalinus, qui cum Harpino contra Theodobertum movens Campaniam, Sequanos, & Alſatas ſubjugavit, Aventinum vi occupavit, & omnia usque ad montem Juraſſum igni, ferróque vaſtavit. Poſt hunc Gunzo Sueviæ Dux Agilolphingici ſanguinis Princeps Theodoberti Regis Francorum Conſanguineus Iburningæ circa annum Chriſti 600. Regiam ſuam tenuiſſe tum ab omnibus rerum Germanicarum ſcriptoribus; tum præſertim à maximæ fidei, & authoritatis Hiſtoriographo Walafrido Strabone Abbate Diviti-Augienſe pluribus memoratur: quòd nimirùm Gunzo S. Gallum deprecatoriâ epiſtolâ ex arbore felice, ſeu arbonâ Iburningam invitaverit, & in ſalutem filiæ ſuæ à ſtygio hoſpite inſeſſæ advocaverit: S. Gallus autem viri gentilis, & crudelis acceſſum detrectâverit; tamen à ſuis perſuaſus ex Rhætica quadam ſolitudine, quò arbonâ fugiens Principis aſpectum declinaturus ſe abdiderat, regreſſus Iburningam perrexerit, & Frideburgam Gunzonis filiam, virginem lectiſſimam, Chriſto devotam, & Sigeberto Auſtraſiæ Regi deſponſandam in conſpectu Patris, totiúsque Aulæ precibus ſuis ab inſeſſore Cacodæmone liberaverit, magnificis à Duce donariis præmiatus; quæ tamen vir Dei Arbonæ inter pauperes diſtribuerit. Walafr. ſtrab. in vit. S. Gall. c. 15. 16. & 17. Uberlinga ex Iburninga temporis decurſu nata ex navium ſtatione ad transfretandum utramque nuncupationem traxiſſe, militúmque collectaculo longè ante Gunzonis tempeſtatem in urbem coaluiſſe creditur. Orientem, & Aquilonem versùs, qua Sueviæ jungitur, montem acclivem, & ea proportione altum habet, qui urbi quodammodo in antemurale, nî potiùs in utilitatem, & jucunditatem creatus videatur: utpote majori parte viridantibus palmitum comis cæſariatus oculo, odoratui, guſtuique in delicias natus. Quà autem vineæ deſinunt, in vertice montis paſcua, fæcundæ ſegetes, arborúmque frugiferarum ſeries paſſim hinc inde viſuntur. Urbs foſſis, aggerribus, turribus, aliisque ad ſecuritatem deſideratis probè munita, nec facilè ſubterraneis cuniculis obnoxia eſt; cùm ſolidiſſimæ rupi undequaque recta inſideat, ut crederes naturam de induſtria eam rupem in urbis fundum, & munimen admolitam eſſe. Ex parte meridionali ſecundùm longitudinem lacus eam Bodamicus alluit, qui ventis leniter criſpatus optatiſſimum longè proſpectum exhibet, & ſaxeos urbis pedes abluit; cujus irritati fluctus minimè Civitatem terrent, cùm clauſtris non revellendis vano conatu illiſi ſe ſe ipſos confringant, & repercuſſi nolentes volentes miteſcant. Inermem hanc hoſtilitatem multo fœnore compenſat Acronius, tum lucroſâ, atque delicioſâ piſcium capturâ, tum quæſtuoſâ frumenti mercaturâ; utpote

quod è Suevia illuc tanquam in Emporium quot ſeptimanis convehitur, & navium obſequio in Helvetiam promovetur.

II. Circa annum 1267. urbis Imperialis prærogativam adepta eſt, & conſequenter, quia Imperio, & Imperatoribus in turbulentiſſimis etiam occaſionibus inſuperabili ſemper fidelitate adhæſit, multis, & magnificis privilegiis donata fuit. In præmium quoque rei viriliter in bello ruſtico Anno 1525. geſtæ, óbque alia inſignia, & heroica facinora ab ipſis ſummis Imperatoribus, Regibus, & Auſtriacis Archi-Ducibus præclariſſimis Encomiis celebrari, & præter alias gratias ſcuti gentilitii auctarium à Carolo V. promeruit. Magnam huic urbi contumeliam facit Joannes Hübnerus, quando in ſuo ſtatûs lexico aſſerit, Uberlingam eſſe mixtæ Religionis, & Lutherum ponè Papam in gremio ſuo hoſpitare. Sed ipſa rei veritas impactam ſpongiat calumniam; cùm, quòd ad perennem urbis commendationem facit, nullo adulteræ Religionis ut ut paſſim infeſta explicantis vexilla apoſtemate fædari, nulla graſſantium novitatum peſte afflari; nullo aliarum Civitatum vel ex parte vel in toto Lutheri dogmata amplectentium exemplo ad ſequelam trahi; nullísque pſeudo-Apoſtolorum lenociniis, aut perſuaſionibus ad ſequiora perduci ſe ſuſtinuerit; ſed priſcæ Religionis tenaciſſima Apoſtolica ſanè ſollicitudine eas omnes cautelas adhibuerit, quò minùs urbis antiquo-Romanæ Catholicæ prædicatum ulla irrepentis hæreſis ſuſpicione, vel contage labefactetur: quin & Uberlinga vel Conſtantiâ conſtantior exulantem Conſtantiâ religionem; Cathedrale nempè Capitulum, & venerabilem Clerum inde à tumultuante Zvvinglii Evangelio, & victrice apoſtaſiâ ejectum Chriſtiana charitate collegerit, & hoſpitio ſuſceperit. Habet prætereà opulentum Hoſpitale, & Eccleſiam Collegiatam, vetuſtiſſimæ, nec minùs conſummatæ Architectonices opus quadrato lapide uſque ad faſtigium exædificatum. Anno 1609. Authoritate Celſiſſimi, ac Reverendiſſimi DD. Jacobi Fuggeri Epiſcopi Conſtantienſ. & conſilio inclyti Magiſtratûs Uberlingani copiosæ admodùm præbendæ, & Beneficia Eccleſiaſtica nonnihil contracta, & in unum Collegium octo Canonicorum cum Præpoſito, & quatuor Capellanis Cooperatoribus redacta fuerunt. Cùm ea urbs non ſolùm de exactæ Juſtitiæ, ſed etiam pietatis, & Religionis zelo toto orbe ſe commendabilem reddiderit, ideò etiam præclariſſimos ſui laudatores conſecuta eſt, prout Anno 1562. à D. Georgio Sigismundo Sölden S. R. I. Vice-Cancellario his encomiis celebrata fuit: *optarem* (ſic ille ad D. Leonardum Baronem de Büehleren ſcripſit) *ut tibi duos tantùm dies Uberlingæ morari contingat: ad videndum qualis hic politia, & ordo etiam in religione vigeat. Fallar, niſi mecum faſſurus eſſes, omnes alios alibi &c. &c. in ſtudio Religionis, & adminiſtrandæ juſtitiæ erudiendos Præceptoribus Parocho, & Magiſtratu Uberlingano uti debere, ac poſſe.* Ita tantus vir; atqui magnis, & principibus viris placuiſſe non ultima laus eſt.

Huc plurium locò pertinet elogium à viro Juriſconſultiſſimo Udalrico Zaſio carmine pæonico Uberlingæ acclamatum.

Con-

Conſulis integritas, Paſtoris cura, Senatûs
Indefecta fides civica Jura fovent.
Hinc venit Uberling celebretur jure beata,
Et nimiùm felix, quæ tribus his vigeat.
Quippe hanc exornant prudentia Conſulis, alta
Cura Patrum, vigilans plebica Paſtor alit.
Adde fidem populi, qui juſſa capeſſere promptus,
Seu jubeas pacem, durâve bella velis.

III. Tanta cùm ſit Uberlinga, licèt jam ab Anno 1300. Religioſos S. Franciſci Conventuales in gremio ſuo complexa ſit, & aliud Veſtalium ejusdem Ordinis, & habitûs Aſceterium, olim ſupra urbem in memoriam beneficii à S. Gallo Frideburgæ Gunzonis Filiæ præſtiti inſtitutum, unde ea regio etiamnùm audit mons Galli: der Galler-Berg. in quo religioſæ Beguinæ piè convixerant, lapſu temporis ad regulam S. Franciſci attemperatum in urbem ſuſceperit, attamen auctarios adhuc Religioſos Capucinos hoſpitio donare diu multúmque exoptavit, & animo conſtituit. Quapropter longioris moræ, & latentis deſiderii impatiens die 15. Maji Anno 1613. litteras humaniſſimas tam Romam ad Capitulum Generale; tam ad Provinciale Lucernam ſub 7. Sept. ejusdem anni emanavit, quibus inclytus Magiſtratus multo argumentorum apparatu PP. Capucinos ad ſtabiliendum intra mænia ſua domicilium incitavit, atque invitavit. Univerſali omnium Capitularium ſuffragio litteræ, & contenta inibi fuerunt excepta; atque in ea condicentes Provinciæ majores ob aliarum fabricarum ea tempeſtate vigentium onus, moram uſque ad Annum 1618. rogaverunt. Vix is annus illuxit, cùm ecce Uberlingani initæ moræ terminum allegantes propoſiti, & promiſſi executionem urgere inſtiterunt. Horum ergò inſtantiis delaturi ex ordine ſuperiorum adveniunt idonei fratres, qui locum oculis judicarent, & aſſignatam quandam ſtructuræ opportunam acceptarent aream. Amæniſſimus is locus eſt, à civitate Divo Franciſco in fundum dicatus, lacui Acronio maritimus, & ſuburbanus, qui Capucinis ſummè probabatur; adeóque haud mora Anno 1619. Crux, in capeſſitæ poſſeſſionis ſymbolum, erecta, fundus eruderatus, ædificium incæptum, idque tantis paſſibus prolatum fuit, ut Anno 1621. integrè erectum ſteterit Fundatoris nomen ferè omne merito ſpectatiſſimo D. Jacobo Unger Ammano Hagnauenſi, qui pagus ſupra Marispurgum lacui finitimus ea tempeſtate inter amplas Uberlingæ ditiones numerabatur. Ipſe igitur D. Unger opum potens, hærede autem carens quatuor millia florenorum fabricæ Uberlinganæ contulit: ſed præterea paulò poſt morituriens adhuc tria millia addidit, infinita horum uſura in æterna beatitudine, ùt piè ſperandum, fruiturus. Die 8. Sept. anni ejusdem Reverendiſſimus & Ampliſſimus DD. Jo. Jacobus Mergelius Epiſcopus Sebaſtenus novo huic ſphæriſterio pontificalem benedictionem: templo verò conſecrationem impertitus eſt.

IV. Toto ſubinde ſpiritûs impendio Capucini iis functionibus ſe applicuerunt, quarum exſpectatione Uberlingani eos adſciverunt; ſed in ipſo benè geſtorum conatu, pluriúmque gerendorum propoſito; decimo quin-

to nimirùm habitati Conventûs anno moleſtiſſimas æquè ac funeſtas Belli Suecici rabies attulit ferias. Guſtavius namque Hornius ignominiam nuper Conſtantiæ acceptam abſterſurus Uberlingæ capiendæ armorum ferociam intentavit ; ut qui per paradyſum (locus is erat ſuſceptæ adversùs Conſtantiam expeditionis) eam urbem intrare victus non poterat ; ingreſſum ſibi per infernum (porta enim Orientalis , qua Hornius obſidionem adornaverat , inferni porta dicitur) quo cum , juxta Iſaiæ cap. 28. verba , pactum feciſſe credebatur , Uberlingam pararet victori. Die ergo 23. Aprilis 1634. militem ad urbem adducit ; eique ſui deditionem denunciat , ſecùs præſentiſſimum excidium experturæ. Reſpondentibus autem Uberlinganis auxilio ſuperno virorum Eccleſiaſticorum , Religioſorum , ſexúsque inermis precibus evocando , urbis fortitudine , militis præſidiarii , & civis animoſitate fretis : ſe Imperio Romano Sacramentum dixiſſe , nec commiſſuros , ut ſolo comminationis ariete pulſati muri ſui , multò minùs animi corruerent , ipsíque adeò alieni jugi , cui nullum in ſe jus eſſet , probrum ſubirent : arma ſibi , & pectus eſſe , quibus pro aris & focis dimicare , & injuſtum quemque aggreſſorem potenter repreſſuri eſſent : experturum Hornium , ſe non impunè occubituros , ſtragem ædium civiúmque ſuorum obſidentium militum ſtrage ulturos ; eúmque non niſi vacuam civibus urbem ingreſſurum eſſe. Quo quidem reſponſo Hornius in rabiem actus acerrimè in urbem deſævit , tótque eam tormentis quatit , ut tremula civitas ſolo tonitruum boatu ruitura timeretur. Magno omnis generis apparatu , diverſo , & ſupra , & infra terram molimine , innumeris nocendi artibus , omnibúsque ingenii militaris , furentibúsque machinamentis præliatur & acerrimis impreſſionibus urbem coarctat hoſtis ; pari tamen animo obfirmato , ſtudióque indefeſſo ubique retruſus fuit , ut inde etiam irritatus Hornius labrum ſibi morderet , quòd ſubſidia aperto lacu urbi adventantia intercludere non poſſet. Inter hæc Uberlingani inter arma etiam Cælitibus intenti feliciori conſilio , quàm olim Tyrii , qui ab Alexandro obſidione preſſi Apollinem à ſe fugiturum aureâ catenâ devinxêre , aræque Herculis inſeruêre vinculum , quaſi Deum ſuum pia hac violentia retenturi , votum Deo , & B. V. M. nuncuparunt , & per interpretem ſuum P. Stanislaum Concionatorem ordinarium coram expoſito venerabili Sacramento una mente & voce renovârunt : ſe illum diem , quo divina , & B. V. M. ope ab hac anguſtia liberandi eſſent , perpetuis temporibus cum ſolenni per urbem proceſſione , & Te Deum Laudamus ſanctè feriaturos eſſe. Quo facto iterùm ad arma. Hornius , cui Uberlingenſium ſtrenua defenſione fænum in cornu creſcere videbatur infernales quoque furias in urbis interitum evocâſſe creditus nihil inexpertum omittere conſtituit. Verùmtamen in mænia ferrea , non terrea , atque viros adamantinos ſe impegiſſe , vires autem ſuas & cæde , & deſertione minui advertens , ne fruſtra diutiùs in lipſydrio pugnaret , utcunque irritum , victúmque diſcedere pudebat , die 16. Maji propudioſo abſceſſu urbem glorioſam reddidit , atque angonibus exemptam læto ſemet recolligendi , atque reſpirandi negotio occupavit : Quapropter

pter & à plurimis ſtatibus ; ſed vel maximè ab Auguſtiſſimo Imperatore Ferdinando II. eximiis laudibus celebrata fuit. Quanti autem votum prius memoratum extiterit valoris indicat devota R. P. Joannis Nadaſi in Anno cœleſti ad diem 16. Maji precatiuncula : *S. Maria, qua Anno 1634. ſupra obſeſſam per plures hebdomades ab hoſte hæretico Uberlingam, fidelem tuo Ferdinando II. Civitatem, ſublimis in nubibus à Civibus ex conſpecta, & hoſtis re infecta hoc die obſidionem ſolvit, Civitas verò votum exſolutura ductâ publicâ ſupplicatione, ad tuum in Heremo Helvetiæ ſacellum profecta eſt &c.*

Civitate igitur hoc diſcrimine perfuncta, & futurorum ſollicitâ, cùm Monaſterium hoſti redituro ad expugnandam urbem opportunum, atque pernicioſum judicaretur, ipſimet Cives ex ordine Majorum illud è fundamentis diruendum, exurendúmque ſuſceperunt, Capucinis interim in urbem migrare, & fatum ſuum ſuſtinere juſſis.

V. Quamquam autem humanitùs loquendo Civitate belli ſumptibus admodùm exhauſtâ, nulla ſpes appareret, quòd Capucini Conventum ſuum reſtaurare, & ibidem ſubſiſtere poſſent : attamen conſilia deſerendi loci volventibus Numine mirabiliter providente tam copioſa hinc inde media emerſerunt, ut horum adjutorio poſt ſopitos nonnihil bellorum timores de ſuperiorum tum Civitatis, tum Provinciæ arbitrio ruderibus antiquati Conventûs novus ſuperimponi potuerit, ac cæperit. Et cùm ſequeſtrati diruti materialia à potiori ad manum eſſent, tantò celeriùs fabrica ſucceſſit ; ut quæ Anno 1636. initium ſumpſerat, Anno 1638. poſtremam jam manum conſecuta, templúmque à Celſiſſimo ac Reverendiſſimo DD. Joanne Epiſcopo Conſtantienſi die 29. Aprilis Anno 1640. dedicatum, atque conſecratum fuerit, plurium beneficentiâ operis velocitatem promovente, quorum aliquorum catalogum grati pectoris natura manifeſtari his in rerum anguſtiis deſiderat. Perilluſtris itaque D. Joannes de, & in Bodmann quinquies mille : Prænob. D. Conſtantinus ab Eſchlinsberg quingentos : Prænob. D. Rudolphus ab Ebingen in Schlatt quingentos : Prænob. Domina Eliſabetha Unzin nata de Beſſerer trecentos : D. Thomæ Weibell Hæredes ſexcentos : & alii quamplures in centum & centum florenos accenſuerunt. Non ſolas verò impenſas ; ſed ipſum ferè pectus in fabricam hanc dedicâſſe viſus eſt nobilis D. Eraſmus Bez, ſpiritualis, ùt vocant, imò temporalis Pater Capucinorum. Quamvis magna pars memoratorum ſubſidiorum in ſpe potius quàm in ære proſtaret ; ea tamen ſumma conflata eſt, qua non ſolùm ædificium Uberlinganum abſolvi ; ſed etiam aliis aliorum locorum indigentiis ſuccurri potuerit. Gratulante igitur Provincia, applaudente urbe, totáque in diſtans porrecta nobili, & plebejâ vicinia animitùs tripudiante Religioſa hæc Colonia ex devaſtatæ cineribus revivixit.

VI. Sed quàm fluxum, curtúmque fuerit hoc gaudium, rediviva temporum iniquitas luculentum pariter, & truculentum ſpecimen edidit. Uberlingani nuperâ victoriâ plus juſtô ſoporati, perſuaſique omnem rem ſuam in vado eſſe, ſéque jam extra fumum, & undam tutò navigare

 eucha-

euchariſtici voti, quo ſe obſtrinxerant publicam peregrinationem ad B. V. M. Eremum in Helvetia ſuſcipiendi, ſolutionem ſeu viarum, & ſumptuum difficultate, ſeu nimiâ ſecuritatis præſidentiâ, ſeu oblivione ad calendas græcas rejecturi videbantur. Commonefacti à P. Stanislao Guardiano Capucinorum, & Concionatore Uberlingano, ut promiſſa Deo, & Tutelari Deiparæ exſolvant: rogati bis térve è ſuggeſtu, ut ſegni perendinatione caveant novum allicere hoſtem, tandem minis, & deteriorum vaticinio oſcitantibus imminuit, præſagiens, fore, ut ſuperventuro hoſti urbs nuper victrix in deprædationem fiat, niſi quantocyùs rúptáque morâ vôti religionem ex aſſe præſtituri ſint. Verùm neque ſic commoti ad faciendum debito ſatis evigilârunt. Quàm veridicum autem fuerit Præconis illuminatiſſimi præſagium, triſti eventu didicerunt. Udalrico Wirthenbergiæ Regulo gratiam Cæſaris, è qua exciderat, arcis Tuellii deditione licitato venia omnium malè geſtorum data fuerat; qui tamen illiéio gallico ineſcatus repudiatâ Cæſaris gratiâ Tuellio immoratus, huic Widerholdium præfecit, juſsítque omnia ea agere, quæ in odium, damnúmque Cæſaris vergere noviſſet. Huic mandato obtemperans longè latéque Sueviam infeſtam reddit. Cúmque hic per exploratores ſtatum urbis Uberlingæ ſecuritati ſuæ indormientis accepiſſet, ejus capiendæ conſilium capit. Quapropter evocatis Briſaco auxiliaribus Gallorum copiis die 29. Januarii 1643. ſummo manè ad urbis mœnia inobſervatus conſiſtit, perruptáque urbis portâ impunè civitati infunditur, atque penitùs expilaræ præſidium gallicum imponit ſpoliis pretiosè onuſtus Tuellium reverſus. Galli ergò diuturnam loci poſſeſſionem meditati. Aſceterium Capucinorum ex eadem, qua cives nuper uſi ſunt, belli ratione, utpote ſibi nociturum, flammis injectis denuò ad fundum uſque everterunt, triſtésque exules gallicâ indemniſationis ſpe lactantes priorum annorum ſumptus, & profuſas Benefactorum impenſas diruto Cœnobio conſepelierunt, ſequente anno Bavaricarum Legionum Dux Merſius Uberlingam, juſta quidem expugnatione recuperavit, ejectóque Gallo in fidem Romani Imperii ſuſcepit, ſed Bavaro ipſo ferias armorum Cæſari funeſtas ineunte Anno 1647. optima civitas iteratò ſub jugum gallicum miſſa fuit, donec per pacis Religioſæ tractatum juris ſui, ac omni alieno dominatu libera evaſit. Uberlingâ tot belli injuriis fatigatâ, tot exactionibus emunctâ, direptione fellitata, tot aliis, aliísque vulturibus in tantum emedullata, ut pinguiſſimam Ditionum ſuarum partem, Ittendorffenſem Vogteiam, Ahauſium, Reütin, Hagnovium, Kippenhuſium, Immenſtadium, Kippenhornium, aliósque pagos, prædia, villas, & bona qualicunque pretio, non dignitati, ſed neceſſitati contemperato divendere compulſa ſit, Capucini res ſuas ad reſtim rediiſſe lamentati, nec quidquam ultra ſperare, multò minùs rogare auſi Monaſterii ſui reſtaurationem in abandorum propè poſuerunt.

VII. At longè alia Religioſiſſimæ civitati mens fuerat; ut quæ curam reſtituendi Capucinorum Cœnobii indemnitatis propriæ ſtudio vix non potiorem habuit, quapropter ipsámet Capucinos rebus acciſis dejectos ſpe meliorum erexit, & Patres Provinciæ Conſtantiæ die 12. Maji 1650. conſcrip-

ſcriptos ad animum, manúsque reſuſcitationi Monaſterii admovendas exſtimulavit, confidere jubens, non defuturos, qui pia liberalitate conatus adjuvarent : intra mœnia autem urbis, ne deinceps Capucinos ullo iniquorum contigentium occurſu elocari accideret, ſuſcipiendos, & Monaſterium ſtruendum fore Senatum Populúmque Uberlinganum ſtatuiſſe. Benevolo huic excitatorio caput inclinantes Provinciæ Patres indilatè opus aggreſſi, & affluente protinùs inſigni pecuniarum vi ædes quasdam pretio comparatas in aream fabricæ converti, fundamenta erui, & Monaſterium jam tertium conſtrui curârunt. Aſſumptô igitur ſtructuræ negotiô altè cincti fabricatores impigrè collaborantes intra triennii ſpatium operi faſtigium impoſuerunt, erectúmque, & ponè Acronii maris alluviem ſtatutum recens Hoſpitaculum Seraphicos oppidanos ſuſcepit. Anno 1658. die 27. Octobris Celſiſſimus ac Reverendiſſimus DD. Franciſcus Joannes Præſul Conſtantienſis Eccleſiam ſacra cæremoniarum feſtivitate dedicavit.

Quæ verò nervum rei adeò difficili gerendæ parem ſuppeditavit, fuit Prænobilis Domina Barbara ab Eſchlinsberg, nata ex patritio Reitlingerorum ſtemmate, quæ ipſos novies mille florenos ſumma generoſitate, & pietate expendit ; ut meritò gentilitia Reitlingerorum inſignia, tanquam perenne habitatoribus phylacterium muro propè princeps Altare in cornu Evangelicum incluſum proſtet, quibus ad omnidialem tantorum fundatorum in ſacris memoriam excitentur. His mille florenos ſupperaddidit ſecundi, & tertii Monaſterii Benefactrix Prænob. Domina Eliſabetha Unzin ex pervetuſta Beſſerorum proſapia oriunda, paritérque ſempiternam grati animi teſtificationem à Capucinis merita. Sed & tota inclyta civitas, laudabilis urbis Quæſtura, ac Hoſpitalis Præfectura à primævo uſque huc in Capucinos ſemper beneficentiſſima, velut larus in paludibus, in omni indigentiæ genere vix rogata pleno modio, & pinguiſſimâ menſurâ eleemoſynis Conventum fovet, juvat, & obruit ; non ſolùm quæ ad vitalitium ; ſed & quæ ad rem ædilitiam pertinent, liberaliſſimè ſubminiſtrans requiſita : prout, dum novum extra Eccleſiam cæmeterium eſſet ſtruendum, tum Hoſpitale, tum ſpecialiter Prænobilis D. Eraſmus de Schultheiſs Conſul tum pia quædam mulier in ære centum florenos contribuerunt Anno 1718. Nec minùs Anno 1731. in condendo B. Martyr. fidelis ſacello, nova, antiquo cæmeterio abolito, mortuorum crypta, & Monaſterii ampliatione, quæ in augendis cellulis, & provincialatu conſiſtebat, ſe benevolos exhibuerunt. In Benefactorum catalogum amplis largitionibus promeruit inſeri Prænobilis familia de Koleren in Sandholz, & Zunderberg. Reliquorum in prædic. ſubſtant. memoria incidit.

VIII. In Altari B. V. M. exſtat modica Deiparæ Virginis ſtatua nigri coloris capſulæ incluſa, vitróque pellucido à pulvere defenſa ; quam ſemel RR. PP. Bonaventura Hauxin, & Generoſus Ruremondanus Celſiſſimo, ac Reverendiſſimo DD. Joanni Franc. S. R. I. Principi, & Epiſcopo Baſileenſi in Xenium obtulerunt ; ab eodem deinceps Reverendiſſimo Præſule, incertum, qua occaſione, Eccleſiæ Capucinorum Uberlingæ in de-

corem, & ſolatium afflictorum donata ; omni ſanè cultu digniſſima, ut quæ è miraculoſa arbore B. V. M. excisa & ipſa prodigiis inclaruit Anno 1661. Teſtimonium originis dedit R. P. Coſmas Montanus Capucinus Guardianus, & Provinciæ Wallonicæ Definitor in ſequentem tenorem : *Hæc imago Deiparæ Virg. Mariæ ſculpta Dionanti, ubi propè eſt ad unum milliare locus, & templum celebris, & miraculoſæ Virginis, quam vocant Dominam fidei (de qua R. P. Guilelmus Gumpenberger in Atlante Mariano) eſt ex primo veriſſimæ arboris ligno, in qua inventa eſt imago celebris, & maximè miraculoſa imago Virginis Dominæ fidei. In cujus rei fidem hæc manu mea ſignavi, & ſigillo mei Officii munivi. Dat. Tornaci in Conventu Frat. Capucinor, 2. Octob. 1651.*

F. Coſmas Montanus &c. &c.

IX. Liberariam Conventûs ſuppellectilem potiſſima ex parte ſubminiſtrârunt Plur. R. D. M. Jo. Chriſtophorus Ullanus Parochus Uberlingæ. A. R. D. Michaël Ainhart Parochus in Altheimb. & Reverendiſſimus, ac Prænob. D. Joachim. Joſeph. Geiſt à Wildegg, Præpoſitus Eccleſiæ Colleg. Uberlingæ. Quatenùs etiam fratres tum domeſtici, tum ex aliis Conventibus allati calamitoſi curandæ ſanitatis opportunitatem haberent, inſignem fontis medicati portionem inclytus Magiſtratus in Monaſterium noſtrum derivari per tubos conceſſit. Hoc autem fonte, ſeu aquâ balneari, quæ ſulphure, aliiſque mineralibus dives, atque ad remediandos variis afflictos morbis, & affectibus ſalutaris expertiſſimorum medicorum teſtimonio, laudibus, & encomiis commendata fuit, jam ante nonnulla ſæcula urbs Uberlinga inclaruit, & reſtaurandæ valetudinis cauſâ frequentari conſuevit. Ut adeóque mirari nemo debeat, quòd Capucini adeò tenaciter loco huic Uberlingano inhæſerint, ut neque ignis, neque aqua eos inde abigere quiverit : non ignis, quo nimirùm Suecus urbi ſeu interitum afferre, ſeu illius deditionem extorquere nitebatur : aut quo Cives, non quidem ea de cauſa, & motu, quo Anno 1332. trecentos Judæos in ædes quasdam muratas confugientes ob immaniter trucidatum parvulum, Udalricum Frey unà omnes combuſſerunt : ex quo tempore perfida Appellarum gens æternùm urbe proſcripta eſt ; ſed in urbis ſalutem, & cum propoſito æſtimatiſſimos ſibi, & Religioſos Incolas alio ſuſcipiendi hoſpitio, primum Capucinorum Monaſterium ; aut quo Galli ſecuritatis prætextu ſecundum exuſſerunt. Non aqua ; illa nempè, quæ Anno 1636. die 31. Auguſti manè hora tertia ruptis Cæli catarractis inter horrendos tonitruum boatus, & ſcintillantia fulgura violenter decidua in vinearum anguſtis vallibus collecta, denſóque imbrium affluxu incrementata tanto impetu urbi ſe infundebat, ut proceræ etiam arbores evulſæ, & abſtractæ, hiſque velut arietibus pons lapideus diſruptus fuerit. Cùmque profunda licèt urbis pomæria capiendis, continendisque aquis non ſufficerent, exundantes, & aliarum è ſuperno torrentis in morem decurrentium ſocietate creſcentes inferius ſuburbium penitùs inundârunt, loricam muralem funditùs ſublatam ad aliquos paſſus abripuerunt, ſimul atque validam urbis portam nuper primùm fabricatam allatarum arborum, ſaxorúmque vi unà cum ferris,

ſerris, & vectibus disjecerunt. Conclamabatur undique, tanquam ſi decretorio urbs cataclyſmo mergenda eſſet. Hypogéa aquis plena, ſupernatantia vini dolia, infima ædium penetralia alluvione ebria, inque caſum jam jam nutantia Incolis auffugium præcluſerunt, & natus inde interitûs timor ad ſuprema eos domuum adegerunt. Demum autem miſeros aliud infortunium diſcrimine, metúque exemit; dum mænia verſûs Acronium quadraginta ſeptem orgiis longa, craſſa, & alta eluvionum truncorum lapidúmque ſatellicio comitatarum rapacitate è fundamentis diruta, & corruentia opportunum aquis egreſſum ſtraverunt, quo lacui Acronio infuſæ magnum huic, ſed innocens augmentum, quin & luridum longo tractu colorem attulerunt.

Hujus calamitatis Capucini etiam participes afflictis ſolatio, auxilióque poſſibili eſſe contenderunt. Nullo, inquam, horum adverſorum caſuum Capucini ad deſerendam hanc commodam, atque beneficentiſſimam urbem, & locum adduci ſe paſſi ſunt: ſed attentâ ſpiritualibus ibidem exercitiis æquè, ac Miſſionariæ inibi, & circum circa profeſſioni utiliter incumbendi opportunitate prompti, gratíque Beneficiarii usque huc ſtabiliter Uberlingæ inhæſerunt.

§. XXXI.

Monaſterium Veldkirchenſe.

1. VEldkirchium urbs, aliis Fanopolis, Roris campus, vallis circum, quod montibus circum circa ſit ambita; aliis quondam aliter nominata, longè ante Chriſti geneſin metropolis Eſthionum, gentis germanicæ fuerat; quæ gens tum Veldkirchenſem, quàm valles interiores usque ad Arulam montem incoluit, & Brigantinis deorsùm contermina extitit. Memoriam præfatæ gentis usque huc æternavit, ac deinceps æternabit proximè impendens altiſſimus mons, Eſthionum dictus. Anno Chriſti 51. S. Petrus princeps Apoſtolus regioni huic, & urbi Evangelium prædicâſſe traditur; confirmátque traditionem vetuſtiſſima ab Apoſtolorum tempore loci nomenclatura, quâ ampliſſima Veldkirchium inter, & Ranckvvilam, atque Rhenum planities noſtro adhuc ævo Campus S. Petri cognominatur; extátque antiquiſſimum ejusdem honori, & nomine propè Ranckvvilam templum; & mediâ planitie ſacræ ædes ejusdem Apoſtoli filiæ, S. Petronillæ virginis honori dicatæ; quod longè vetuſtiſſimum Rhætiæ univerſæ, omníque veneratione digniſſimum monimentum habetur. Epiſcopus Curienſis à primævo ſpiritualem hîc Jurisdictionem exercet: in temporalibus autem multa ſucceſſivè fuit dominatuum viciſſitudo. Poſtquam longa temporum ſerie Romanis Rhætiæ Ducibus, & Principibus paruiſſet; proprios obtinuiſſe Comites fertur: à quibus deficientibus vel hæreditate, vel emptione Civitas in Comitum de Monfort dominium devolura eſt. Ab his generatione adeò multiplicatis, ut ad diſtinctio-

nem vexillo ſuo, quo pro armis gentilitiis utuntur, alios, & alios colores tribuerent, & aliqui Montfortii de rubro : alii, ùt Veldkirchenſes de nigro vexillo dicerentur, variæ hinc inde arces conſtructæ, & jam Anno 1022. præter caſtrum altum Montfortium nuncupatum, Cluſinum quoque, Toſterſium, & Schattenburgum, urbi proximè imminens, condita ſunt. Tunc autem Veldkirchium maximè ſtructuris, & opibus creviſſe veroſimile eſt. Erat tamen ea tempeſtate longè alius primariæ urbis ſitus ; cùm ad pagum, qui eapropter etiamnùm urbis veteris nomen retinet, tectorum ſeries porrigerentur, & in urbis formam collocatæ eſſent. Primùm enim poſt caſtri Schattenburgici ædificationem aliqui gratiam Comitis aucupaturi ad arcis radicem, & circum eam ædes ſuas plantârunt ; cúmque hos alii & alii ſequerentur, ſucceſſivè abolita vetere civitas nova concrevit. Rudolphus Comes Montfortius cùm improlis eſſet, Veldkirchium, & quidquid huic annexum eſt, Anno 1365. ſive, ùt alii volunt, 1376. Sereniſſimo Archi-Duci Leopoldo II. pro triginta ſex florenorum millibus vendidit ; quod Anno 1417. Erneſtus Archi-Dux Auſtriæ rerum ſatagens fratris ſui Friderici à nummorum difficultate de pera vacua dicti, & metuens, ne Veldkirchium ab aliis vi eriperetur, pro certa pecuniæ ſumma fiduciario jure Friderico Comiti de Doggenburg ceſſit, id cùm poſtea Fridericus Archi-Dux improbaret, & Doggenburgium, qui ſtipulatam pecuniam jam adnumeraverat, Dominio exueret, offenſus hinc ille armis ſua perſequenda ratus Veldkirchium, & caſtrum quatuordecim dierum impugnatione recuperavit. Anno 1436. mortuo Friderico Doggenburgio Veldkirchium reluitionis viâ ad Domum Auſtriacam rediit, ſub cujus manſuetudine etiamnùm aquieſcit ; quæ huic ſemper viros è prima nobilitate adſcitos ad jus adminiſtrandum præficere ſolet.

II. Jam Anno 1218. Hugo Comes Montfortius Equitum Melitenſium Generalis Prior & Veldkirchii Dominus pro meliori ſacræ militiæ ſucceſſu Monaſterium S. Joannis Baptiſtæ fundavit, eidem ampliſſima Privilegia, Immunitates, largúmque bonorum tractum elargitus : Anno 1611. locus cum Eccleſia, omnibúsque eò pertinentibus emptus fuit à Reverendiſſimo & Ampliſſimo DD. Abbate Imper. Monaſt. Weingartenſis pro ſexaginta duobus millibus florenorum, & in membrum, ac Prioratum Cœnobio prædicto incorporatus ; quem uſque ad annum 1696. poſſeſſû deinceps celeberrimo Monaſterio Ottoburano, etiam Ord. S. Bened. emptionis contractu tranſcripſit, in ſacris, & profanis non modicum urbis ornamentum. Porrò urbs ſitu admodùm opportunó eſt, mercaturæ accómoda, perenni in Italiam, & hinc inde tranſitu frequens, ſoli non minùs, quàm ingeniorum bonitate laudata, & celebris, belli gloria illuſtrium Heroum, quorum Martinus Zeillerus recens, & nobilis Topographus ſuo ævo ultra triginta bellicoſos Officiales Veldkirchio ſatos ſe noviſſe teſtatur : nec non præclarorum patritii generis virorum longô decurſu ſæculorum Genitrix, & Nutrix, & hoſpitatrix, qualium R. P. Gabriel Bucelinus Aſceta Weingartenſis, & Prior Veldkirchenſ. integros Catalogos ſtemmatographicos recenſet. Felix pectore ! piſcium delicatiſſimorum, altiliúmque undique illatorum copiâ dives, Ilam fluvium mœnia ſua allambentem, tectóque

ponte

ponte transmeabilem habet ; qui medii milliaris intervallo fluviorum Cæſari, Rheno à Meridie urbem ſalutanti ſe ſe immergit. Et cùm huic fluvio tam propinqui ſimus, injurii eidem fuerimus, ſi illius adventum non aliquo etiam commentariolo perſtringamus ; quod tamen & Danubio, & Nicetaro præſtitimus.

III. Antiquiſſimi ſcriptores Rheni mentionem faciunt ; nullus ſcaturiginem ejus acu tetigit, quia ipſis ignotam. Plinius l. 3. c. 20. hoc ſolo : *Sarunetes Rheni Ortum accolunt*, totam deſcriptionem abſolvit. & lib. 4. Oſtiorum Rheni meminit ; originis nihil. Tacitus nonnullis verbis longior Plinio ita habet : *Rhenus Rhæticarum alpium inacceſſo, & præcipiti vertice ortus modico flexu in Orientem verſus Septentrionali Oceano miſcetur.* Omnium propinquiſſimè Strabo l. 7. & 4. cum Julio Cæſare ſentiens ait : *Rhenus autem oritur ex lepontiis*, ubi etiam populos, lacus, accolas, iter, longitudinísque terminos commemorat. Veriſſimum autem de Ortu Rheni ab Ægidio Tſchudi didicimus, quem compendio damus. In monte S. Gotthardi ſummæ ſunt alpes, quibus Adulas mons ab Ortu connectitur continenti quidem jugo, ut ſummarum alpium velut brachium, ſeu cornu dici queat. Rhenus igitur initio ex his alpibus ſumpto, ab Orientali quidem earum parte, ubi populi leopontii, vel lepontii habitant, duobus naſcitur fontibus, unius ut minimùm diei itinere propter montium juga diſtantibus. Altero magis occiduo, magísque ſeptentrionali haud ita longè à Ticini fontibus. Ad eum Ætuarii, hodie Tavetſch, pertingunt. Per quorum vallem rectâ ad Ortum currit. Sub oppido Iliantum, Ilanz, quod allambit, Glenner flumen ex valle Lugnitia deſcendens, ab hoc Rheni fonte à dextris ſuſcipitur. Hic fons anterior Rhenus vulgò nominatur. Altero magis Orientali, magísque Auſtrali ex Adula monte, è regione fluminis Mueſæ, quod ad Miſaucorum vallem abluit, & paulò ſupra Bellizonam Ticino conjungitur. Hic fons poſterior Rhenus ab incolis dicitur. Labitur etiam rectà in ortum, & ad inſignem pagum ſpeluncam, deinde ad Schams, & ad aliam Rhætiam propè pagum Tuſcanum, ubi fluvium Abellam ab Ortu contrario curſu lapſum à dextris ſuſcipit. Vallis inſignis ſub eo confluente eſt Tumiliaſca. Abhinc prorsùs in ſeptentrionem convertitur, currítque Rhenus ad Rhætium arcem, ubi anteriorem Rhenum ſuſcipit. Hîc ambo jam unum flumen curiam Rhætorum petunt. Sub ea Rhenus tortuoſior ingreſſus ciceres pagum adit. Ibi ad viginti millia paſſuum rectà in Occaſum tendit, & aſſumpto in ſocietatem Langaro fluvio per campum Majum, Ragazium, aliáque loca percurrens ad Elthiones properat, atque jam adultior, párque ferendis ratibus Benedurum, Benderen perveniens velociori curſu deorsùm tendit in lacum Brigantinum, nósque Veldkirchium reſpicientes ulteriori ſui ſpectaculo deſtituit.

IV. A Rheni fluentis versùs Ortum regredientibus in valle pervenuſta, hortis, vineísque utrinque conſita occurrit Veldkirchium urbs ædificiis olim, ac divitiis celeberrima, quam ad dexteram mons vitifer Ardetius obmunit, à vini, quod fundit, præſtantia commendatiſſimus. Licèt verò civitas ob omnis fortunæ affluentiam thaſſus bonorum in adagio dici

potuerit ; & capram cæleſtem orientem conſpexiſſe viſa ſit ; attamen calamitatibus ſuis non caruit ; quarum præter plurimas alias à Bucelino, & aliis relatas non minima fuit maſſa ignea magnitudine modii menſuralis in mediam plateam primo noctis crepuſculo paulò ante paſchales ferias Anno 1344. ad maximam populi Veldkirchenſis conſternationem, & horrorem cælo lapſa ; quæ ſat diu omnium obtutui pervia in ſublime denuò evolans videri, ſed non timeri deſiit, ſubſecutâ variorum malorum lliade. Anno 1439. immane incendium adeò in urbem debacchatum eſt, ut nihil ejus, præter unicam plateam, ſupereſſet, reliqua omnia buſtum, rudera, cineres, à quo excidio ſenſim iterùm urbs in eam, qua hodie eſt, formam redintegrata fuit. Sed denique ad rem noſtram.

Quemadmodùm urbs Veldkirchenſis pietatis, & avitæ Religionis nunquam non ſtudioſiſſima fuit ; ita viros Religioſos huic propagandæ addictos ſumma veneratione ſuſpiciebat. Sic enim cùm P. Seraphinus Altſtettenſis Miſſionario nomine ad Miniſterium Cathedrale per Quadrageſimam Veldkirchii deputatus pro data ſibi cælitùs evangelizandi gratia hoc munere zeloſiſſimè fungeretur, tanta ejus, & Ordinis Capucinorum æſtimatione, & affectu Primores, & cives capti fuerunt, ut de unanimi non ſolùm venerab. Cleri, & Senatûs Populíque Veldkirchenſis ; ſed etiam Officialium Auſtriaci ibidem Dicaſterii Conſilio decretum fuerit hujusmodi Religioſos in urbem ſuam ſollicitare perpetuo ibi hoſpitio donandos. Quapropter litteræ de dato 6. Aprilis Anno 1600. ad Provinciæ Moderatorem exarantur, quibus unicum omnium Seraphicos virtutum ſectatores, & pædagogos intra mænia ſua complectendi votum, ac deſiderium exponebatur : cúmque hoc primo fune parum ad vota traxiſſent, geminabantur litteræ, quæ ut majus obtinerent pondus, Toparchiæ Veldkirchenſis Præſides iisdem quoque ſe ſubſcripſerunt ; & unà cum civitate ſentientes favorabile ad petita reſponſum, maturámque hujus executionem urſerunt.

V. Capucinis verò negotii acceleratione deprecantibus, quòd à P. Generali, & Provinciali Definitorio res dependeret, Veldkirchenſes ſtimulis moræ impatientibus excitati ſuomet calamo, & quidem non una duntaxat vice, ad P. Generalem ſupplices excurrerunt : à quo poſtquam requiſitus Conventus adventâſſet, Patres Provinciæ iteratis inſtantiis, flagrantiſſimi in opus ardoris, ac propè impatientiæ nuntiis ad aſſumendam denique fabricam perurgentur ; quâ pia importunitate victi Patres quosdam ablegârunt, Veldkirchium, qui locum cernerent, fundúmque inſtaurandæ Religioſæ habitationis deligerent. Hi ergò obviis ulnis excepti Crucis ſimulacro areæ aſſignatæ præfixo Veldkirchenſibus in tantum in quantum ſatisfecerunt, nihilque ultrà moliti ad ſua remeârunt. Hoc verò, & quòd res à Capucinis comperendinanda timeretur, haud contenti Veldkirchenſes novas precum machinas adhibuerunt, Patrésque ad reale auſpicandum ædificium obnixè evocaverunt ; quibus denique gratificaturi majores Provinciæ advolârunt, inſpectáque, & approbatâ ſtructuræ extra urbem areâ primarium lapidem poſuerunt, & cùm ab ardentibus civibus præparatoria, & materialia jam fuiſſent com-

comportata, & à Benefactoribus paulò poſt nominandis ſufficiens ædificio ſpatium gratis collatum ſuppeteret, in nomine Domini fabricæ incumbi diſpoſuerunt; quæ Anno 1603. incæpta qualisqualis ſtructuræ moles concurrentibus variis piorum eleemoſynis Anno 1605. ad pinnaculum uſque progreſſa eſt, civibus tantô ſtudiô rei promovendæ intentis, ut, dum ſub id tempus excitatum in urbe incendium aliquorum ædes abſumpiſſet, illi damnorum ſuorum quodammodò incurii operas manúsque ſuas ad Monaſterii undequaque perficiendi opus unicè dedicâſſe viderentur. Templo Epiſcopalem conſecrationem eodem Anno 1605. die 30. Novembris Celſiſſimus ac Reverendiſſimus DD. Joannes Flagius Epiſcopus Curienſis contulit.

Quanto fervore Aſceterii hujus ſtructura à Benevolis non ſolùm exoptabatur, ſed & adjuvabatur; tanto livore alaſtor ſtygius illi adverſabatur, eámque ſi non annihilare, certè odioſam reddere nitebatur. Nob. D. Nicolaus Capitel, Domina Magdalena Zollerin, Dominica Veronica ab Hummelberg, Domina Catharina à Grenzing hortos, & pomaria habuerant in regione, ubi Conventus eſſet ſtruendus. Senatus juſtum obtulit pretium à poſſeſſoribus in redemptionem hortorum, pratorúmque exigendum. Verùm hi cæleſtis potiùs, quàm lucri terreſtris cupidi ea gratis uſui Capucinorum ceſſerunt. Nil minùs piam hanc molitionem plena manu proſecuti ſunt Reverendiſſimus D. Bartholomæus Mezler Eccleſiæ Cathedral. Conſtant. Canonicus, qui paratæ pecuniæ trecentos ſexaginta: Dominus Nicolaus Capitel, qui præter ſupradictam fundi partem nongentos: Dominus Chriſtophorus à Furtenbach, qui quingintos: & honeſtiſſima virgo Catharina à Furtenbach, quæ quingentos & ipſa florenos impendit. VI.

Econtra nonnemo Civis, David Brunner, cùm hortum Conventui proximum haberet, in eo ædes ad maximum religioſæ tranquillitatis diſturbium conſtruere aggreſſus eſt; & Capucinis eum dehortantibus, atque deprecantibus quodammodò illudens propoſitum ſuum continuavit. Tunc demùm Magiſtratui pro parte Capucinorum ſupplicatum fuit, ut quoniam ex his ædibus ſtruendis liber in hortum, cellas, & officinas Capucinorum, & hinc in illas proſpectus eſſet aperiendus, Civi ſuo inhibitionem faceret. Sed cùm magiſtratus ex zeli & beneficentiæ ſuæ præcocitate Capucinis deferret, Civis Magiſtratum violatæ Jurisdictionis alienæ, & ſuperioris ad Toparchiæ Veldkirchenſis Præſides reum agit; qui & cauſam ad ſummum tribunal Ænipontanum devolverunt; indéque Decretum præfatæ Inhibitionis Caſſatorium elicuerunt; quæ res moleſtum ſanè obſtaculum ſtructuræ Capucinorum afferebat, Brunnero facta ſibi libertate freto opus ſuum proſequi parante. Quamquam verò Sereniſſimus Archi Dux Maximilianus cauſas contradictionis Capucinorum edoctus, & inſuper ab his ſupplicatione pulſatus Dicaſterio Veldkirchenſi clementiſſimè reſcripſerit, ut prohibeat Brunnerum à molitione Capucinis nociva; aut ad ineundam cum his compoſitionem perſuadeat; ipſe tamen quorumdam officialium auxilio ſuffultus, & odio in preces, quibus Capucinos ad ſibi condeſcendendum

inſtantiſſimis litteris rogaverat, converſo, intentum ſuum aſſecutus eſt, ceſſantibus à querela Capucinis, & per quasdam reverſales ex charitatis, humilitatis, aliísque reſpectibus pacificatis.

VII. Amolito hoc offenſionis lapide ædificium, uti præfertur, Capucinorum colophonem accepit; in quo conducti hoſpites ad regulæ tramitem, afflictis in ſolatium, civitati in gaudium, omnibus in omnia ſpiritualiter convivere occæperunt, & usque huc conati ſunt. Conventus hic inter alios Archimandritas habuit quoque illud Provinciæ Decus, Patriæ gloriam, Sueviæ lætitiam, & honorificentiam populi noſtri B. Fidelem Sigmaringanum, Miſſionarium Apoſtolicum, & Sac. Congreg. de Propag. Fide Protho-Martyrem, cujus ſacrum Cranium Eccleſiæ huic noſtræ in ornamentum, calamitoſis in ſalutarem anchoram, & Conterraneis in venerationem obtigit. Tametſi autem hæc veneratio intra licitos terminos conſtiterit; aliqui tamen neſcio quid humanorum paſſi Capucinos Romæ cultûs publici contra Pontificum decreta exerciti, aut permiſſi reos denuntiârunt; quapropter à Sac. Rit. Congregatione per Proceſſum Canonicum *ſuper non cultu* ſe ſe purgare juſſi ſunt. Licet autem Capucini à ſiniſtra hac impoſitione per dictum Proceſſum Anno 1686. legaliter ſe vindicaverint; per ſententiam tamen vaticanam ſacrum B. Martyris caput ad ſecuriorem Decretorum obſervantiam abſcondi, muróque includi debuit: tribus tantùm Patribus myſterii conſciis, & ſub jurisjurandi religione cuipiam alteri revelare prohibitis. Anno 1710. Proceſſus Canonizat. ſeu Beatificat. Venerabilis ſervi Dei Fidelis, jam olim Anno 1622. ſub Urbano VIII. incæptus, cum Conſenſu SS. D. N. Clementis XI. Pont. Max. Veldkirchii, ſeu in Parthenone Monialium S. Dominici in Altenſtatt reaſſumptus fuit, de quo alibi. Anno 1729. die 7. Sept. Veldkirchii Capitulum celebratum; & pariter feſtivitas Beatificationis B. Fidelis ſolenniter acta fuit; de qua etiam in parva Chronologia, ſeu Prædic. ſitûs, &c. plura.

Adhæc Illuſtriſſimus D. Comes Carolus Fridericus de Hohen-Embs caput S. Siſinii Martyr. Diaconi, cujus acta Bollandi tom. 2. die 11. Maji. & Laurent. Surius mentionem faciunt, cum authenticis teſtimoniis Eccleſiæ huic noſtræ in ſplendorem, & devotionem donavit.

§. XXXII.

Monaſterium Villinganum.

VIllinga urbs ſatis ampla in finibus ſylvæ nigræ haud procul à Danubii ſcaturigine ſita, arte & naturâ ſatis munita foſsísque duabus, muro duplici, ac vallis, & propugnaculis ad leges militaris Architectonices fabrefactis figuram habet ovatam. Vici urbis ſunt diametrales ad quatuor portas adeò linealiter collocatas, ut ab una ad alteram pateat proſpectus, rectiſſimè porrecti, quos rivi Brigiæ urbem allambentis intró derivati haud absque Civium emolumentó, &

& civitatis decore percurrunt ; qui & peracto officio urbem egreſſi in Brigiam refluunt , ceu futuram deinceps Danubii auctariam. Regio vicina frumenti , vix autem aliorum fructuum ferax eſt. Armentorum ingens numerus ; ferarum tum terreſtrium , tum altilium larga venatio. Bertholdum IV. Zäringiæ Ducem urbis Conditorem fuiſſe plures exiſtimant ; cui ſtruendæ , aut veroſimiliùs ex villa præexiſtente in urbem amplificandæ Anno poſt reparatum Adamum 1119. initia fecit. Aliquorum ſententia multitudo pagorum , & locorum circùm circà ſitorum, & in *Ingen* deſinentium ethymologiæ *Villingen* occaſionem dedit : quamvis alii à viro Villing vocato , qui primus ibi monetam cuderat, nomenclaturam urbi adveniſſe opinentur. Anno 1218. extincta in Berchtoldo V. Zärengenſium ſtirpe Agnes de Zäringen Egoni Fürſtenbergio Comiti matrimonio juncta Villingam ditioni Fürſtenbergicæ adjecit : prout & eodem ſæculo Illuſtriſſimus D. Henricus Comes Fürſtenbergius Villingæ Dominus non ſolùm inſignem quamdam Equeſtris ordinis Melitenſis Domum , ùt vocant , Commendatariam de propriis facultatibus ſuſcitavit , & ampliſſimis privilegiis , bonisque temporalibus dotavit : Sed & RR. PP. Ordin. S. P. Franc. Conventualibus religioſam habitationem conſtruxit. Anno 1328. à jure Fürſtenbergico, eodem titulo, quo Friburgum , Villinga , ceu acceſſorium principale ſuum ſequens, egreſſa florentiſſimo Domus Auſtriacæ dominio accrevit ; cui intemeratam fidem , animúmque addictiſſimum nunquam non ſtrenuè probavit.

II. Cùm enim Anno 1632. ſæviente in Patriam noſtram Sueco gladio Dux Wirthenbergiæ poſt repulſam Rottvvilæ acceptam Villingam ſolo feciali Nuntio capiendam fore confideret , ex generoſo Civium reſponſo didicit , arctiori eos vinculo Sereniſſimo Auſtriadum nomini adſtrictos eſſe , quàm ut procatione cujusdam perduellis , aut armorum vi ab eo ſe avelli patiantur. Gravem id contemptum interpretatus Wirthenbergius ſerveram urbi obſidionem intentat ; à qua tamen Succis alibi anguſtias paſſis auxilio venire juſſus ſuperſedere debuit. Hornio interim in Brisgoja armorum ſuorum ſucceſſus proferente , & Wirthenbergiæ Duci Villingam , ſed prius capiendam in expeditionis brabéum deſtinante , redit hic fortunam ſuam jam ſecundò in Villinga proſecuturus , poſtquam feliciori conatu Rottvvilam expugnâſſet. Incurſat igitur Civitatem die 11. Jan. 1633. cum copioſo bellatorum agmine , tantóque furore in eam deſævit, ut orci catarractas concitâſſe videretur ; his tamen omnibus cives, militésque præſidiarii fortiores Commilitonum , domorúmque ruinam reciproca hoſtium cæde ulti ſunt, ac die 24. Januarii manipulatim egreſſi hoſtem profligatum , atque in propudioſam fugam conjectum ab urbe obſidenda diverterunt. Igitur Wirthenbergius converſa in Bloquadam obſidione remotiora ſtativa fixit , à quibus tamen à Cæſaris milite etiam dejectus auffugit : ſed Sueco Epicrate Rauchio auxiliares copias adducente iteratâ , & priori longè acerbiori aggreſſione urbem infeſtavit. Suecus adventitius pro genio hæretico , ſacra extra urbem loca devaſtans ſimulacrum Chriſti aſello inſidentis producit, & in quodam vallo conſtitutum horrendis blaſphemiis , jocisque

inſectatur, & aſinum ſtimulis impellens Chriſtum Equitem vigilias agere jubet. Tandem inſolentior unus ignem ſtatuæ ſupponit; quem cùm non conciperet, ille moræ impatiens in ea verba dæmonis ore nata prorupit: *Diabolus iſte non vult ardere.* Tunc tandem Jupiter Dyphteram inſpexit. Ecce enim globus urbe ejectus maledicum proſternit occiſum. Hoc habet blasphemia ſtipendium. Ut autem omnibus manifeſtum evaderet, quo alterius ſæculi loco ſputatrix in cælum anima ſit hoſpitata, factum eſt, ut noctibus ſubſequis gyrovagum in eodem loco phantaſma ignem ſpuens paſſim ab omnibus videretur, & eadem verba, *diabolus iſte non vult ardere*, lugubri ejulatu ingeminare audiretur; quo viſu hæretici etiam horrore concutiebantur, rem geſtam, non fabulam à Papiſtis confictam fateri coacti. Interim hoſtis impigra Villingenſium defenſione probè attritus rursùs aliquantùm recedit: ſed ab ultimo Julii repetito furore urbem urgere cæpit, tantáque pyrobolorum, ferrearum glandium, & phalaricarum igne fætarum grandine inſtitit, ac ipſos tredecim dies ſine intercapedine, muros, turrésque conquaſſavit, ut in poſtremum urbis excidium truculentior Mars animum obfirmâſſe crederetur. Hornius etiam, Comes Palatinus de Birckenfeld, Schafalizchius, & Degenfeldius expeditionis complices, & auxiliatores cum validis militum globis accurrerunt, qui Wirthenbergenſium ab opere languentium vicem ſubeuntes ferocitatem proſecuti ſunt; ac die geneſi Virginis Deiparæ ſacro continuis tormentorum explosionibus muros arietârunt, ut hi per aliquam partem miſerùm lacerati decretoriæ impreſſioni ſatis largam ſtraverint viam.

III. At his omnibus inſuperhabitis cives permixti præſidiariis, ac periculis efferatiores damna rependunt damnis, obſtinatóque patriæ tutandæ propoſito inſiſtentes hoſtium conatus bellica virtute potenter repreſſerunt. Sed & mulieres viris cooperatæ bullientem in lebetibus aquam parant, amylum, picem, & alia hujusmodi coquunt, calcem aquis incendunt, lapides comportant, quæ omnia in hoſtes irrumpere auſos projecta eos ingreſſu, & vitâ deſtituerunt. Inuſitato ingenio Villingani circulos tormentarios pice imbutos, ollas pulvere nitrato refertas, funéque accenſo colligatas in obſeſſores jactârunt tantâ horum ſtrage, quanta illorum defenſione: Apiaria etiam in hoſtium caſtra ejecerunt; quibus disruptis, vel everſis examen apum, novum militum genus, irreconciliabili furia proruens aculeis ſuis & viros, & equos graviſſima moleſtiâ affecit. Cùm igitur hoſtis igne nil profueret, aquâ rem agendam arbitratus aggeres præaltos paulò infra urbem accumulat, Brigiæ fluvii alveum concludit, eum interceptum intumeſcere, & in juſtum lacum grandeſcere cogit: jamque intra mænia ita exaltabantur aquæ, ut naviculis ferendis ſufficerent. Sed neque hæc machinatio hoſti è ſententia fluxit. Nam civium nonnullus noctu audaciſſimè ad aggerem uſque natando penetrans argenti vivi maſſam undis injecit; quod ſubitò valli illius radices arrodens tranſitum aperuit, ut aquæ idem foramen ingreſſæ, ac dilatantes maximâ vi aggerem perrumperent, & hoſtile ingenium eluderent. Cúmque eadem tempeſtate Suecus ad Nördlingam internecione

necione deletus undequaque auxilium expoſceret, Wirthenbergius cum ſummo dedecore obſidionem ſolvit ſeptem millibus ſuorum mulctatus. Villingani herculeis hiſce laboribus defuncti ad gratias Deo, & B. V. M. Protectrici ſuæ agendas convertuntur; ut quibus per innocentium, pauperum, & inermium ad Eccleſias conductorum preces omni obſidionum tempore ſupplicatum, & victoria in acceptis relata fuit. Durante altera obſidione igneus circulus ſupra urbem volitare, in eóque Chriſti Crucifixi Imago expreſſa, & ante illum mulier conſiſtens à permultis eſt viſa. Nil minùs in tertia, dum aſſultum hoſtis pararet, mulier ſereniſſima veſtibus albis amicta circumiens mænia etiam ab hoſtibus conſpecta fuit; quam cùm tormentis, & globis in eam directis non poſſent abigere, blasphemiis, & ſacrilegis dicteriis impetierunt. Deiparam eam fuiſſe, nemo Catholicorum addubitavit, cujus conſpectu cives animati, auxilio urbs firmata hoſtes territi, & re infecta in ignominioſum abſceſſum præcipitati fuerunt. Extat Mercurius Villinganus, ſeu genuina Relatio omnium à Villinganis tempore obſidionum Sueco-Wirthenbergenſium geſtorum Authore Jo. Baptiſta Steidlin J. U. Doct. Anno 1634. excuſus. Item Lydius Auſtriacus, ſive hiſtorica narratio Belli Sueco-Gallici, in ſubverſionem magnifici, & venuſtiſſimi ædificii; id eſt laudabiliſſimæ Domûs Auſtriacæ, ſuſcepti: item fidei juratæ honos, qua Villingenſes inter tot adverſos caſus eidem Sereniſſimæ Domui Auſtriacæ velut hædera arbori tenaciſſimè adhæſerunt, in hoc lydio lapide, ſive bello probatæ, operâ Anonymi Rottvvilanis litteris Anno 1634. in lucem editus.

Nec minùs religioſa, quàm militariter animoſa Villinga demonſtratur ex eo, quòd necdum dedolitis, minùs reſtauratis belli ruinis & damnis, de advocando Capucinorum Collegio conſilia agitaverit; & quæ ſibi indemniſandæ quorumcunque onerum immunitatem exoptare debuiſſet, de onere Religioſorum cenſu precario viventium inducendorum cogitare, inſtare, & tractare cæperit, ipſúmque etiam Celſiſſimum ac Reverendiſſimum DD. Ordinarium Conſtantienſem, qui illuc locorum Epiſcopaliter dominatur, in negotii fautorem, promotorémque exoraverit, inducta exemplari converſatione, & Apoſtolica prædicandi methodo P. Hypolithi Friburgenſis, qui Anno 1651. & *ſeqq.* aliquoties è Conventu Rottvvilano Villingam accerſitus tanto zelo, & facundia è roſtris peroravit, ut totus Magiſtratus, & populus Villinganus ab hujus, ſimiliúmque ſibi virorum linguâ pendere, atque ad vitam beatam erudiri geſtierit: quin & poſt nonnullas in Senatu deliberationes omnium ore conditum fuerit coloniam Capucinorum in urbem quocunque modo aſſumere. Prout Senatûs, Plebísque Conſultô præfatus P. Hypolithus rogatus fuit eam Villingenſium mentem, ac propoſitum Patribus ſuis majoribus ſignificare; quo mandata executo id Patribus Provinciæ haud abs re videbatur, viam, & civium animos in eam urbem patulos ſummoperè ſibi gratulatis. Potiſſimo rei ſtudio flagrabat Clariſſimus vir D. Franciſcus Lipp J. U. D. urbis tum Syndicus, & Archigrammatæus, qui tum Senatorum, tum Civium mentes penitiùs exploravit, & repertam IV.

harum ſinceritatem in promovendi negotii argumentum uſurpavit. Nulli autem in hoc ardore ſecundus erat ſpectatiſſimus D. Thomas Engiſſer, urbis Conſul, qui P. Hypolithum per urbem circumducens areas ſtructioni commodas inquiſivit, earúmque unam magis opportunam deligendi optionem fecit.

V. Nec verò per internuntium duntaxat operi incumbere Senatus voluit; ſed adhibitâ propriâ manu litteras ad perſuadendos Patres, & eliciendum ab his conſenſum compoſitas de dato 8. Decemb. 1653. Provinciali Capitulo per eosdem dies Friburgi Brisgojæ celebrato, cui Reverendiſſimus P. Fortunatus à Cadoro Miniſter Generalis ipſe præſederat, direxit; in quibus cùm rationum momentis,& flagrantiſſimi deſiderii teſtimoniis promiſſa quoque ſubſidia juncta eſſent, Patres Provinciæ, accedente P. Generalis facultate ſe locum acceptâſſe per reſponſorias declarârunt; & ut Villingani ſerium eis gratificandi animum oculis cernerent, die 16. Aug. 1654. in area intra urbis muros portæ Meridionali proxima crux in altum erigitur. Quo tamen actu completo Patres ad hunc deputati Villingâ Rottvvilam ſeceſſerunt,certis per annum Feſtis Miſſionarias illuc digreſſiones exercituri. Eo tamen Villingani necdum adæquatè contenti ſtabilem Capucinorum manſionem novis inſtantiis urgendam rati litteras litteris accumulant,Patrésque ad actuale moliendi domicilii initium exagitant. His verò manum admovere parantibus ecce! Non nemo utilitati ſuæ intentus, & metu, ne hac nova Religioſorum colonia ſibi damnum aliquod accreturum eſſet, aperta proteſtatione propoſito obicem injecit. Quapropter Celſiſſimus ac Reverendiſſimus DD. Epiſcopus pro paſtorali ſollicitudine cauturus, ne quispiam è Capucinorum ſuperventu in ſuo gravetur, negotium delegatæ Commiſſioni examinandum remiſit, atque edictales partium intereſſatarum & citationes publicavit. Comperto autem, quòd opponentium Argumenta velut infirmiora Villingenſium rationibus ſuccumberent, Celſiſſimus D. Ordinarius die 31. Jun. 1655. Epiſcopalem Conventûs erigendi licentiam impertivit; ſimul atque Reverendiſſimo & Ampliſſimo D. Abbatti S. Georgii; ſed occupato à Wirthenbergenſibus, ac profanato Monaſterio ſuo cum toto Conventu Villingam recepto Ord. S. Bened. commiſit provinciam primarium ſtructuræ lapidem ponendi; quam functionem Reverendiſſimo Abbate infirmitate impedito alius quispiam Conventûs ſui Religioſus die 15. Aug. ejusdem anni obivit.

VI. Fervore illo, quo Villingani, ùt præfati ſumus, in habendos apud ſe Capucinos ferebantur, paulatim in teporem, ac denique vix non in odium degenerante, ſegniùs proceſſit fabrica, quod eorum opus, & machinatio fuerat, qui coloniam ipſam ſuppreſſam cupiebant; atque adeò Cives, & Primores in alienum prorſùs ſenſum traducere, atque difficultates ex difficultatibus nectere ſatagebant. Proceſſit tamen, quamvis ægrè, ariolantibus Villinganis, imò adverſantium ingenio propè contra Capucinos ad pileum vocatis. Magiſtratu nihilominus verbis ſuis conſtante, atque rei favente tandem Anno 1662. ſtructura finem accepit. Verùm novos Incolas nova adverſitate oportuit encæniare habitaculum ſuum. Proxima noſocomii, & publicarum thermarum vi-

cinia

einia Conventui tam moleſta, quàm ſanitati, & religioſæ tranquillitati inimica videbatur, ut eam Capucini meritò elongatam cuperent; quam autem Villingani communis utilitatis ſtudio immotam voluerunt. Supplicârunt Capucini Sereniſſimo Archi-Duci Sigismundo Franciſco pro opportuno remedio; qui & Dicaſterio Friburgenſi in mandatis dedit, ut omni meliori modò juſtis ſupplicantium poſtulatis fiat ſatis. At ut Cæcias nubes; ita hoc fune Capucini malum ſibi attraxerunt: Villinganis nempè ſuſpicatis, & indignè ferentibus, quaſi Capucini eos iniquo detuliſſent calamo. Meliora tamen, atque veriora edocti mitiorem quoque ſenſum reſumpſerunt, atque Capucinis ad temporalem patientiam rogatis promiſerunt, ſe eorum commodo, & tranquillitati proſpecturos fore. His freti, quæ in fabrica reſtabant, ad finem perduxerunt, & Eccleſiam conſecrationi apparârunt.

VII. Die igitur 29. Jun. 1664. Celſiſſimus, ac Reverendiſſimus DD. Franciſcus Joannes Conſtantienſis pro more ſuo clementiſſimo Templum ipſumet pontificali ritu conſecrandi, & honori S. Windelini Confeſſoris initiandi provinciam ſuſcepit, eò quòd à compluribus annis Villingæ in prædicti ſancti cultum inſtituta ſodalitas viguerit. Hæc autem contraternitas, judicante ſic Senatu, & populo Villingano, & admittentibus intra certas leges, quibus eorum ſtatutis conſultum eſſet, Capucinis, unà cum ſtatua S. Wendelini, & officiorum celebrandorum obligationibus in eorum Eccleſiam fuit translata. Die S. Wendelino ſacra fit proceſſio ſolennis, & poſt concionem in hoc ipſo templo cantatur Miſſa: prout & per annum frequentiora ibidem ſacrificia juxta ſodalitatis leges celebrantur, & oblationes peraguntur, quarum adminiſtratio pii Cætûs officialibus relinquitur. Ex eo igitur tempore Capucini inſigni hac epiſtathmia perfruuntur, profuſæ Venerab. Cleri, Magiſtratûs, Communitatis, ac præſertim Religioſiſſimi aſceterii Benedictini beneficentiæ quotidiani uſufructuarii; Villingâ eos, quos ſequiùs perſuaſa olim pro pane lapides Capucinis præbebat, aut præbitura timebatur, multiplicatis bonorum muneribus, atque largitionibus cum plurimo Capucinorum fænore compenſante. Cæterùm molitio Conventûs iſtius carò admodùm ſtetit; quorumdam Benefactorum pietate partem rei nummariæ gratis, reliquam verò partem Provinciâ ex legatis piis, & ſpontaneis Eleemoſynis hinc inde affluentibus ſubminiſtrante.

VIII. Cùm verò prætacta Noſocomii vicinitas neque tolleretur, neque Conventui incommoda eſſe deſineret; ſed potiùs moleſtia cum tempore accreſceret, Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus DD. Franciſcus Carolus Comes à Fürſtenberg tandem remedium attulit. Habuerat is ædes, quas Capucinis largiſſimè ceſſit: In has ergò ad formam Xenodochii æquatas translati ſunt leproſi. Leproſorium verò per viam commutationis in ſpatium ampliati regularis horti evaſit Anno 1693.

Anno 1703. Villinga iteratum atticæ fidei in ſereniſſimam Domum Auſtriacam ſpecimen præbuit cùm intentata Gallis obſidione acerrima generoſo, quo præſtat, militari ſpiritu victrix defuncta ſollicitanti hoſti reſpondit, malle ſe furore bellico penitùs annihilari, quàm non eſſe

Auſtriacam. Quapropter ſe ipſam ſtrenuè defendens hoſtium conatum conatibus feliciter inanefactis Gallum tentatorem longo ſuſpenſum naſo abire compulit.

§. XXXIII.

Monaſterium Waldishuttanum.

1. WAldishuttum urbium Sylvaticarum prima id nominis ab officio, quod gerit, aſſecuta creditur. Stumpfio ſi habenda fides, jam ſæculo quarto, Conſtantini Magni temporibus Waldishuttum contra Romanorum in Allemanniam irruptionem à parte transRhenana tentandam fortiſſimum munimentum, repagulum, ac ſylvæ nigræ à tergo imminentis quaſi tutamen extitit; hinc & urbis Inſignia pumilionem hercyniano amictu, & Galero tectum præſeferunt. Rhenus in loco Coblenz horâ ſupra Waldishuttum diſtante, Ruſæ, Limagi, Araríſque fluminum navigabilium ex Helvetia transmiſſorum conjugio grandeſcens urbem à facie Meridionali elevatiorem ſalutat, & quotidiano, jucundóque navium allatarum ſpectaculo recreat; atque deorſùm pacifico curſu navigantes Lauffenburgum usque, ad infamem illam Catarractam deducit; nec non Salmones, nobile piſcium genus, adverſô flumine natantes advehit urbi, quæ probabiliter illi fundo incumbit quem Ptolomæus Eremum Helvetiorum indigitavit; ubi nimirùm Helveti quidam convenientes magalia ſtruxerunt, quæ temporum ſucceſſu in eum numerum, & ſeriem incrementata fuerant, ut muris cincta denique in urbem evaſerint. A tergo clivos, & innumeras vites oſtentat, quæ hortis, ac pomariis hàc illácque clauduntur, & magis exornantur, diverſis, quorum regio ferax eſt, fructibus non minùs utilem, quàm delectabilem varietatem efformantibus. Quorum regimini, ac dominio Waldishuttum à primordio obnoxium fuerit, haud admodùm conſtat: nec enim ultra Dominatum Auſtriacum, jam aliqua ſæcula prævalentem porrigitur notitia; in quo urbs hæc adeò radicata fuit, ut quando Fridericus Auſtriacus Anno 1414. in Concilio Conſtantienſi ùt plurium aliarum, ſic & Ditionis Waldishuttanæ proprietate exuebatur, hæc tamen à fide, & officio Auſtriaco avelli ſe nulla Cæſaris authoritate permiſerit. Aliquamdiu unà cum Segginga, Lauffenburgo, Rhenofelda, Briſaco &c. Carolo Audaci Burgundiæ Duci pro pecuniæ ſumma Sigismundo Auſtriaco ſuppeditata pignoris nomine ſubdita; ſed denuò ad Auſtriacam fidem repignorata fuit. Cùm Anno 1468. Helveti paſſim in ditiones Auſtriacas graſſarentur, prolatis eis Rhenum ſignis Waldishuttum quoque petierunt, & à feſto S. Margarithæ Virg. uſque ad Bartholomæi pugnatorum ſexdecim millia urbem graviſſima obſidione arctârunt, ignéque & ferro ad deditionem ſollicitárunt: quam tamen præſidium militare, civium ſtrenuitate adiutum adeò validè tutatum eſt, ut hoſtis, quinque millibus ſuorum deſideratis, & Sigismundo Archi-Duce Auſtrio litis componendæ arbitros

bitros adhibente, ab obſidione proſequenda faceſſere debuerit; urbsque in gremio Sereniſſimæ Domûs Auſtriacæ manu ſe ſe tenuerit.

II. Ardente jam proximè Ucalegonte; vicina nempè Helvetia fædis Zvvinglii & Calvini erroribus per magnam partem correpta Waldishuttum quoque clandeſtini hujus furfuris Apoſtoli eadem hac contage inficere auſi, & conati ſunt; & eo quidem dolendo ſucceſſu, ut venenum in aliquorum animis jam ſuſceptum in reliquos etiam derivandum timeretur, & Pſeudo-Præconibus in templo S. Joannis è Cathedra Zvvinglii doctrinam commendandi campus permitteretur. Verùm civica Communitas non minùs priſcæ Religionis, quàm fidei Auſtriacæ tenax ſpuriæ novitati extremè obluctata aliquando ſeminiverbium Calviniſtam hæreticum dogma in præfato templo perſuaſurum aſcia ex ambone dejecit; ſeductúmque unum ex gremio civitatis; imò primorem ſceleris Architectum Auguſtiſſimo Imperatori in auxilium periclitantis Religionis implorato detulit: quem Cæſar officiô ſuô motum capitis damnavit, rogatô in ſententiæ executorem Marchione Durlacenſe tum adhuc Catholico. Alius nonnemo, qui ex munere ſuo lupos à grege debuiſſet arcere, primus cum ipſis ululans aſſumpta in ſacrilegum thorum Beguinarum ibidem habitantium Antiſtite Schaffhuſium dilapſus eſt, deinceps contra conſcientiam ſuam è Cathedra peſtilentiæ velut Legis Doctor crepiturus, de calcaria in carbonariam traductus. Civium igitur apprimè Orthodoxorum induſtriâ, ac zelo urbs ſectariis expurgata, & Religio legitima in urbe ſervata fuit: cujus peſſumituræ iteratum hæc periculum ſubiit, quando Dux Vinmarienſis ſubjugatis Rhenofeldâ, Seggingâ, & Lauffenburgô An. 1638. Waldishuttum quoque armorum ſuorum pernicitate ſubegit: ſub cujus jugo urbs magis de Religionis, quàm Regionis incolumitate ſollicita aliquamdiu gemens paulò poſt eò iterùm liberari promeruit.

III. Ut igitur civitas avitis Romanæ Eccleſiæ myſteriis ſemper fuit addictiſſima, ita in ampliorem hujus ſecuritatem pluribus annorum luſtris eorum virorum ſtabile conſortium exambiit, qui S. P. Franciſci habitum, & ſpiritum induti frequenter ibi transeuntes illi ſe familiares, & à Religioſiſſimo affatu commendabiles reddiderunt. Circa præteriti ſæculi initia ſedem ibi habebat Perilluſtris Domina Margaritha de Homburg, nata de Breitenlandenberg, quæ tanto pietatis affectu, & beneficentia Ordinis Capucinorum Religioſos complectebatur, ut ab his non niſi matris nomine compellari geſtiret, ac etiam mereretur, ut alibi ſummæ hujus Benefactricis enconium panximus. Hæc pro ea, qua apud Waldishuttanos pollebat, authoritate, & tum à perilluſtri ſtemmate, tum à præcellenti virtutum ſtudio comparata exiſtimatione conſilia de advocandis in urbem Capucinis piis ſuggeſtionibus fulcire non deſtitit; donec tandem Magiſtratus, & Communitas Waldishuttana Anno 1649. eadem in opus deducere unanimiter decreverit. Quòd verò hoc myſterium eâ cautelâ non diſſimularetur, quin rumor illius in publicum provolveretur; ideò ad quosdam alios diſtantiſſimi loci Religioſos perlatus hos licèt in his terris neque ab inſtituto, neque à prazi notos incitavit, uti urbem Waldishuttanam Capucinis præreptu-

ri Sereniſſimum Archi-Ducem Ferdinandum Carolum ſupplici libello in partem ſuam traxerint ; qui eapropter cùm Celſiſſimo & Reverendiſſimo DD. Epiſcopo Conſtantienſi , ceu loci Ordinario , tum Senatui Populóque Waldishuttano eosdem Religioſos præ admiſſione Authoritate commendavit , & tantùm non imperativè obtruſit utcunque nolenti.

IV. At verò intenſiori ad Capucinos affectu propendebant Waldishuttani , quàm ut vel armatis Sereniſſimi Archi-Ducis precibus à propoſito ſe ſuo dejici permitterent. Adeóque accitis confeſtim Capucinis fidem ſuam obſtrinxerunt , ſe illos pro nunc acceptatis habere , & habituros eſſe , eo quidem id reſpectu , ut Sereniſſimi Archi-Ducis clementiſſimo Ordini , & novorum Canditatorum inſtantiis prioritatem verbi Capucinis dati obtendere valeant. Interim litteras ad R. P. Ludovicum Lucernenſem virum prudentiâ , & hujusmodi rerum notitiâ præditum, ac pro eo tempore in Capitulo Generali Romæ exiſtentem ſub die 29. Maji 1650. exarârunt , quibus Provinciæ non ſolùm offerebatur locus quandocunque occupandus ; ſed & Patres urgente cauſalium exaggeratione impellebantur , ut omni moræ , & latenti in ea periculo prævertentes oblationi huic ſuæ ex arena conſentiant , atque conſenſiſſe declarent. Facilis Definitorii Generalis in rem aſſenſus fuit ; & P. Ludovicus Româ reſcribens Waldishuttanos edocuit , cauſam , & hujus deciſionem Definitorio Provinciali , ſimul atque Patres in Provinciam redierint , congregando remiſſam eſſe ; eos itáque , ſi illuc deſideria ſua perferri curaverint , reſolutione indubiè conſolatoria fore fortunandos. Vix Patrum Conſtantiæ conſeſſum intellexerant , cùm mox litteras ſuas de 12. Octob. ejusdem anni ad eos dederunt ; quibus amorem ſpirantibus ſequentem præfixerunt teſſeram , ceu futuri contextûs ſuiñam : *Sicut deſiderat Cervus ad fontes aquarum , ita deſiderat anima noſtra ad vos ſuaviſſimos fontes vivos noſtræ , omniúmque Catholicorom ſalutis.* Litterarum Portitores , rerúmque Geſtores Conſtantiam ablegârunt Plur. Reverendum Prænob. & Clariſſimum D. Caſparum Schnorff SS. Theologiæ Doctorem , loci Parochum : & providum ac ſpectatum virum D. Chriſtophorum Ulmer Senatorem , ac Ædilem : inſuper pro certiori rerum proceſſu Reverendiſſimus , ac Ampliſſimus DD. Franciſcus Abbas S. Blaſii celeberrimi illius in ſylvæ nigræ meditullio conſiſtentis Archiſterii Ord. S. Bened. pro gratioſa in Capucinos affectione Promotoriales ſuperaddidit ; quæ tantò majoris ponderis erant , quòd non ſolùm Jus collaturæ illi Monaſterio competat ; ſed etiam templum S. Joan. Baptiſtæ cum eximia domo , magnísque Waldishutti proventibus proprium ſit , adeóque non exiguum hac in re intereſſe habeat. Harum igitur litterarum comitatu , proprióque ſtudio , & facundia muniti Commiſſarii Waldishuttani terſa oratione cauſam ſui adventûs exponunt , & conſcriptos Patres ea argumentorum vi obruunt , ut hi DD. Oratoribus categoricè , ac de unanimi omnium , ad quos pertinuit , ſuffragio locum cum multa gratitudinis teſtificatione acceptarum ; Hoſpitium erigendum ; præparamenta proximè in eventum ordinanda ; ob aliarum tamen fabricarum

ſimul-

ſimultatem, quarum locis, & negociatoribus ob promiſſi præcedentiam poſſeſſionis quoque præcedentia deberetur, aliquantulùm adhuc pauſandum eſſe reſponderint.

Placuit ex una; diſplicuit ex altera parte Waldishuttanis iſthoc re- V.
ſponſum, quòd intelligerent, inter eos, quibus ex prioritate promiſſi coloniæ etiam prioritas obtingere deberet, Lauffenburgenſes computari. Cùm enim Waldishuttani, & Lauffenburgenſes à multis retrò annis aliqua neſcio unde nata, mutuáque colliderentur Antipathia, illi his præcedentiam invidentes hanc ſibi ignominiam fieri interpretati animo acerbiſſimo tulerunt, litterísque fermento plenis Definitorio contemptum exprobrârunt; quin & laceſſitis ſimiles aliam ſe quercum excuſſuros eſſe minitati ſunt; quos tamen Patres reciprocæ cum Lauffenburgenſibus ſimultatis ignoratione, aliísque rationibus mitigare ſtuduerunt; atque ut ſimultaneo cum iis honore gloriari queant, duos Patres temporaliter ibi permanſuros in qualecunque ſpirituale ſubſidium, ac veluti in prehenſæ poſſeſſionis vadem eò ablegârunt.

Waldishuttanis taliter pacificatis alia in ſuppreſſionem hujúsce propoſiti cudebatur tempeſtas; dum nimirùm à nonnullis ex tanta Capucinorum multiplicatione præjudicium ſibi exoriturum cauſatis querulatione ſua eò res adducta fuerit, ut rumor invaleſceret, alterutrum, ſive Lauffenburgenſem, ſive Waldishuttanum locum à Capucinis deſerendum fore. Cùm ergò utraque pars æquali in Capucinos ferretur ſtudio, & quælibet ex præfatæ æmulationis ſtimulo timeret, ne ſibi iniqua deſertionis ſententia contingat; ideò tam Lauffenburgenſes, quàm Waldishuttani Sereniſſimo Archi-Duci Ferdinando Carolo pro conſenſu ſtruendi apud ſe Conventûs Capucinorum ſupplicaverunt; quibus utrisque Sereniſſimus æquali ſummâ gratiâ ſub die 22. Septemb. 1651. clementiſſimam facultatem impertiit, qua non ſolùm prædicta tempeſtas ſedata; ſed aliorum etiam, qui interim in turbido piſcari volentes alterutri loco à Capucinis deſerendo inhiâſſe comperti ſunt, machinatio ſuffocata fuit.

Tametſi verò omnia ſic feliciter eſſent paria, Patres tamen aliarum VI.
fabricarum neceſſitatibus conſtricti Waldishuttanam accelarare non potuerunt; econtra Waldishuttani longioris moræ impatientes, ſempérque, ne à Lauffenburgenſibus prævenirentur, timidi, Compulſorias Patribus direxerunt; hísque obtinuerunt, ut ex ordine Majorum Materialia deſignatam ſtructionis aream accumulata, Crúxque à Reverendiſſimo, & Ampliſſimo DD. Abbate S. Blaſiano de Commiſſione Celſiſſimi ac Reverendiſſimi DD. Ordinarii die 14. Jun. 1654. ſolenniſſimo feſto benedicta, erecta, & lapis fundamentalis terræ commiſſus fuerit, Senatu, & populo Waldishuttano, nec non ingenti vicinæ populationis frequentia actum hunc, ceu inſignem victoriam, ſibi gratulatâ. Ab eo tempore alacriter, & certante cum Lauffenburgenſibus ſtudio fabricæ inſudatum fuit; quæ & deinceps ad faſtigium eluctata opportunum fratribus habitaculum præbuit extra occidentalem urbis portam collocatum; habens à Meridie præterfluum Rhenum, & Helvetiam; ab Occaſu Rheni deſcenſum cum tractu ſylvæ nigræ: ab Aquilone aſcen-

dentem ejusdem ſylvæ tractum, & Kletgoviam : ab ortu memorati fluviorum Principis adventum. Die 7. Septembris 1659. Celſiſſimus ac Reverendiſſimus S. R. I. Princeps ac DD. Franciſcus Joannes Epiſcopus Conſtantienſis (ut diſcas, quantum hæc regularium Domorum ædificia, Zelantiſſimo, noſtríque amantiſſimo præſuli cordi, quantóque in pretio fuerint) ſicut plures alias per Provinciam : ita & Waldishuttanam Capucinorum Eccleſiam in propria Perſona conſecraturus moleſtiſſimo itinere deſcendit, ac templum hoc pontificali Cæremoniarum pompa dedicavit.

VII. Inter benefactores ſtructuræ primò loco recenſeri meritus eſt Perilluſtris D. Franciſcus Ludovicus à Roll, Dominus in Ganſingen, & Bernau, Caſtro ſupra Rheni decurſum elevato, mediáque hora Waldishutto diſſito, hujúsque amantiſſima Domina Conjux Maria Agnes à Schönau, R. P. Marci Jacobi Cellenſis germana ſoror ; quippe qui ſtatim ab initio in parata pecunia mille florenos contribuit ; ſed & impoſterùm tam vecturis gratuitis, quàm materialibus : mox iterùm pecuniis tam liberaliter cooperatus eſt, ut quotiescunque aliqua difficultas emergebat, hanc iſtorum nobiliſſimorum conjugum munificentia protinùs ſublevaret. Prætereà hæc perilluſtris Domina in Conventum jam completum nunquam non profuſiſſima, & ſollicita Mater extitit, ut quæ ſingúlis ſeptimanis cocta cibaria fratribus ſubminiſtrare ſacroſanctum habuit ; quam propenſam in Capucinos beneficentiam Filiis, & Nepotibus, totique Poſteritati ſuæ cum lacte inſtillâſſe, ac hæreditatario indidiſſe credenda eſt ; cùm ea usque huc ab ea perilluſtri familia propagetur, cunctísque nominis, & ſtemmatis Rolliani Participibus ſingularis quædam in Capucinos propenſio ineſſe deprehendatur. Eadem Perilluſtris Domina Maria Agnes ſacra fide taſtabatur, ſe aliquoties ovem vivam ad Conventum, inſcio Domino Marito, in Eleemoſynam deſtinâſſe ; eumdem tamen Maritum poſteà oves recenſendo, numerum gregis ſemper juſtum, & integrum reperiiſſe ; quo illa diſpoſitionis divinæ prodigio majori indigentibus benefaciendi ſtudio incaluerit. Inſuper & Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus DD. Joſ. Antonius L. B. de Roll in Bernau Eccleſiæ Cathedral. Friſingenſis Scholaſticus Senior & Cuſtos Conventum Waldishuttanum inſigni librorum ſuppellectili ditavit.

Oleum, & operam quoque fabricæ impenderunt Reverendiſſimus & Ampliſſimus DD. Abbas Sant-Blaſianus ; nec non Illuſtriſſimus, ac Excellentiſſimus DD. Franciſcus Ludovicus Comes Sulz, Kletgoviæ Landgravicus, Dominus in Thiengen. Pariter quoque urbs Waldishuttana juxta facultatum ſuarum proportionem tum ſtructuræ olim ; tum deinceps fratrum alimentationi auxiliata eſt, ac etiamnùm promptiſſimè, & liberaliſſimè auxiliatur.

VIII. Quemadmodùm Celſiſſimus ac Reverendiſſimus S. R. I. Princeps, ac DD. Joannes Franciſcus Epiſcopus Baſileenſis, ex Perilluſtri lib. Baronum de Schönau proſapia Oriundus, atque altefatæ Perilluſtr. Dominæ Mariæ Agnetis de Roll, natæ de Schönau, & P. Marci Jacobi Cellenſis Germanus Frater, in hoc Monaſterio cum fratribus ſpiritualiter jucundari,

dari, & ſolitariæ aſcéſi vacare in frequenti more poſitum habuerat vivus; ita & mortuus quoad nobiliſſimam vitæ partem in eo collocari, & commorari conſtituit. Defuncti enim cor Bruntruto Waldishuttum funebri pompâ delatum, & ibi de licentia P. Miniſtri Generalis in pariete ad latus Epiſtolæ propè ſummum Altare honorificè conditum eſt; cui in marmore ſequens Epitaphium inſculpſerunt.

Heus Viator!
Breve momentum da Monumento
Non parvi Momenti
Joannes Franciſcus
E Nobiliſſima Schönavvienſium Proſapia
Virtuti natus
Cujus Circum maximum Romæ emenſus
Ad honoris adyta
Per Decanatum Eyſtettenſem, & præpoſituram Baſileenſem
hujus Epiſcopus,
Primum Vivens
Deo, Deiparæ, Cælitibus pietate dicavit,
Ultimum moriens,
Cor
Suis huc deoſuit,
Quos ſemper cordi habuit;
Ut ſcirent quo loco eſſet Theſaurus
Et tu te, ut ſcires
Pios tibi illius
Manes aD Cor LoqVI.

IX. Beneficentiſſima hæc urbs Anno 1726. luctuoſiſſimo infortunio defuncta eſt; dum die 7. Septembris ex incuria hominum cannabin in Cella quadam vinaria decorticantium ignis ſcintillæ caules ibidem diſperſas circa octavam veſpertinam arripuerunt, hisque tanquam opportuno ignis proferendi pabulo, excitatum incendium erupit, quod venti etiam validi auxilio ſufflaminabatur, & adeò atrociter graſſabatur, ut quadraginta ædes principis plateæ, cum ipſa etiam civitatis curia, & innumeris ſcripturis, ac documentis ad ingens Reipublicæ damnum; nec non pretioſis mercibus, ſuppellectili, aliisque bonis unà voracibus flammis in victimam, fumum, nihilúmque abierint. Tantus autem calor ex immani hac conflagratione emanavit, ut homines reſtingendo incendio occupati ei ferendo impares damnosâ à conatu ceſſatione vitæ ſuæ proſpicere, urbémque totam ſub cultro relinquere debuerint. Poſtquam verò loci Parochus cum venerabili Sacramento per plateas urbis diſcurrens Benedictionem oppoſuiſſet, ventus incendii promotor ſpirare nonnihil deſiit; ut denuò accurri, & cum inſtrumentis incendiariis ulterior ignis barbaries ſopiri potuerit, Capucinis in auxilium, & levamen qualecunque omni induſtria concurſitantibus, pretioſa quæque excidio ſubtrahere, hoſpitio deſtitutos in Monaſterium ſuſcipere, cibare, dejectósque verbis conſolatoriis demulcere conatis; quam quidem cha-

ritatem infinitis nominibus propenſiſſimæ, ac tunc afflictiſſimæ urbi debuerant.

§. XXXIV.

Monaſterium Wangenſe.

1. WAnga urbibus S. R. I. accenſita, & ad ſuperiorem Argam fluvium in Allgovia, ſeu Allemanngovia, quod ea regio conſueta Allemannorum contra Romanos dimicantium arena fuerit; ſive Alpengovia, prout alibi diſſeruimus, collocata, incertis Conditoribus, aliquorum opinione, vix tamen probabili, à Vangionibus & ortum, & nomen accepiſſe fertur, cùm Vangiones Rheno finitimi populi ex Julio Cæſare, & Ptolomæo Wormatienſes eſſe intelligantur. Urbs hæc antiquiſſima ab anno 1545. in Circulo Suevico comprehenſa avitis temporibus bellicoſa generoſitate celebris in urbium fœdere contra Appenzellenſes, & alios publicæ tranquillitatis hoſtes ſemper inter primas, quæ arma ſocia contulerunt, connumerari geſtiit, olim Abbati Sant-Gallenſi tributaria, poſtmodùm tamen ſui iterùm Juris facta à falcium, & telæ mercatu quondam ingentes opes, & latiſſimum nomen conſecuta eſt. Vinetis ea regio caret, fœcundior meſſe, altilium, aliorúmque animalium venatione, & piſcatione. Regia via ex Suevia in Italiam, aliásque diſtantiſſimas Provincias per hanc urbem vadit, & ex quotidianis rerum pretioſarum vecturis eadem viâ uti ſolitis emolumenta haud aſpernanda colligit. Anno 1538. urbs immanem ædium conflagrationem ſuſtinuit; quarum centum octoginta in lamentabile buſtum conſederunt.

Ad immortalem Wangæ commendationem vergit, quòd in medio graſſantis hæreſis incendio non combureretur, & ſicut lilium inter ſpinas priſci dogmatis candorem integrè ſervatum hodiedùm oſtentet; cùm tamen à quatuor mundi plagis urbes, & confinia loca procantem Lutherum pernicioſa credulitate admiſerint. Ab Aquilone namque Wanga urbem Imperialem Leutkirchium habet maximam ſui partem Auguſtanæ Confeſſioni addictam: versùs Orientem Iſnam, excepto celeberrimo S. Bened. Monaſterio totam iisdem novarum opinionum commentis irretitam: A Meridie Lindavium reſpicit; quæ urbs & ipſa quinti Evangeliſtæ doctrinam amplexa eſt: Ab Occaſu urbs Ravenspurgenſis vicinatur, cujus potior pars ipſiſſimâ Lutheraniſmi tabe infecta eſt. Sanè civitatem Wangenſem firmiſſimè in legitimis fidei Catholicæ ſacris radicatam, & ſingulari Numinis gratia munitam fuiſſe oportet, quòd in tanta aliarum urbium defectione, quibuscum illi frequens in commerciis, & negotiis politicis arcta neceſſitudo fuerat, ipſa à contagione immunis permanſerit, atque inter tot illuſtria ruentium exempla, quæ non perſuadendi tantùm, ſed & trahendi, atque præcipitandi virtute pollent, immota ſteterit.

Haud

Haud quidem inficiandum, quòd nonnulli Wangenſium jam jam nutare, verbi Miniſtellis, & Ranunculis per popinas, & compita ritus novos extollentibus, atque Lutheri ſancta, ſi ſuperis placet, ſtudia commendantibus aures præbere; quin imò apoſtatæ Islebienſis vitiatum Evangelium jam è Cathedra perſonare cæperit. Verùmtamen tum vigilantiſſimi animarum Quæſtoris paſtoraliter gregi ſuo incubantis, tum vigilantiſſimi, ac candidè orthodoxi Magiſtratûs zelo, & authoritate ſuperſeminata errorum zizania in partu extincta, maligni ſatores urbe proſcripti, atque ſuſpecta civium conciliabula exterminata fuerunt. II.

Quandoquidem ergò neque natura, neque hominum induſtria civitatem Wangenſem ſingulariter munierit; ideò ſaltem ipſimet Wangenſes ſe contra hæreſin quaquaversùm irrepentem potentiùs roborare, Capucinorúmque Conventum ante urbis mænia propugnaculi vice inferendis ſectariorum vexillis objectare, atque aggerare conſtituerunt. Opportunè ad rem honeſtiſſima Domina Barbara Lenzin Anno 1611. inſigne Legatum contulit, uti ſupra fuſiùs in Monaſterio Ravenspurgenſi retulimus, in Conventus ſtructuram deputandum. Verùm cùm poſt aliquas, quod ajunt, maturiores deliberationes, haud omnibus Wangæ Proceribus, & Incolis æquè probaretur, negotium hoc aliquamdiu acriùs, & per ſummam Cæſaris Authoritatem agitatum, prævalentibus Wangenſium gravaminibus, & potiorum contraria volentium ſuffragationibus in fumum abiit, legato ad conſtructionem Cœnobii Ravenspurgenſis translato. VI

Ultra viginti annos omnis Monaſterii Wangæ fundandi cogitatio utrinque interciderat; quo tempore intermedio cum reliqua Allgovia urbs quoque Wangenſis hoſtilis inundationis fluctibus, & communi calamitati ſe involutam gemuit. Et ecce! in medio funeſtorum Sueciæ armorum tumultu Wangenſibus conſilium, & ardens habendi in uſum, & conſpectu ſuo Capucinos deſiderium rediit; quaſi, cùm ad tragicum aliarum Provinciarum, urbiúmque exemplum Allgovia etiam exteri Dominatûs, & Religionis præmium, & acceſſio futura eſſe timeretur, deſperatísque temporalibus hos viros Religioſos ſervandis ab interitu animabus, manutenendæque avitæ Religioni opitulatores advocare voluerint, hinc Anno 1640. Primores urbis eam cogitationem ſemper magìs, magísque volutantes eam tandem publicæ conſultationis materiam fecerunt, atque die 14. Novembris ejusdem anni pleno Senatui deliberandam propoſuerunt. Cùm ij, penès quos perorandi primatus ſteterat, & qui ferventiùs pariter in rem ardebant, firmis argumentis orationem ſuam ſolidâſſent, facilè hac omnium cùm Senatorum, tum Civium animi in unam ſententiam adducti fuerunt. His ita præjactis, Magiſtratus ſub die 10. Decembris 1640. litteras ad Definitorium Provinciale conficit; quibus primò Anteceſſorum ſuorum Senatûs Conſultum pœnitendi erroris damnat; quòd nimirùm hujusmet propoſiti aſſequendi occaſionem, quam premere debuiſſent, & tam commodè potuiſſent, ex cauſis per Microſcopium inſpectis, atque ab imaginaria duntaxat utilitate menſis, neglexerint, &, ut verbo dicitur, omiſſis fontibus III. IV. V.

rivulos conſectari viſi ſint. Tunc & ipſum ſuum concors deſiderium concinno verborum apparatu exponit, eáque ſubmiſſione, quæ propriæ dignitatis oblita propè exorbitâſſe videretur, Patres ad accepiandum, ſtruendúmque ad urbem ſuam regulare tabernaculum perſuadere, imò exorare conatur. Denique & inſpergendis objectionibus, & obtendendis difficultatibus præoccupaturus omnem operam ſuam, auxilium omne, nil obſtante temporis, & belli calamitate, peragendo huic propoſito ſuffecturum pollicetur.

IV. Tam opportunæ Patribus hæ accidebant litteræ, ut, qui aliquando hunc locum ambierant, & amiſſum doluerant, nunc ſpontè oblatum minimè recuſandum arbitrarentur. Reſponſi igitur locò, & quaſi dati in poſtulata aſſenſûs obſides Wangam deſtinârunt ſpiritualiſſimum virum illum Patrem Stanislaum Wueteſchinganum & P. Rudolphum ex Hornau, cum poteſtate aream ſibi aſſignandam oculis uſurpandi, acceptandi, aliáque ad rem pertinentia cum Magiſtratu tractandi. Adeò hi optimos Wangenſes in opus hoc pronos, & æſtuantes repererunt, ut Conſultiſſimus D. Jacobus Wagner, urbis Conſul in præſentia Plur. Reverendi D. Jacobi Stehelin loci Parochi, & Rural. Capit. Lindavienſis Decani, qui & ipſe ſummo rei promovendæ tenebatur ardore, fundum pro Conventu gratis, & liberaliter contulerit, ſuòque hoc exemplo aliorum Contribulium munificentiam, ubi ubi deſiderandam, & impendendam provocaverit. Et cùm flagitati abs Celſiſſimo, & Reverendiſſimo DD. Ordinario Conſtantienſe, ad cujus Episcopatum Wanga refertur, nec non à P. Miniſtro Generali conſenſus ſuperveniſſent; ideò in Capitulo Provinciali die 30. Aug. 1641. Tugii Helvetiæ coacto non ſolùm conſonis Capitularium vocibus in Fabricam Wangenſem conditum; ſed & ad velociorem hujus incæptionem Canones & Decreta Pontificum promulgata; Patrésque, ac Fratres, tanquam futuri Wangenſium domeſtici, ac Religioſi concives deſignati fuerunt. Die 28. Septembris anni prædicti ad aream ſolenniter benedicendam proceditur, functionem hanc Celſiſſimi ac Reverendiſſimi DD. Ordinarii nomine Reverendiſſimo & Ampliſſimo DD. Joanne celeberrimi Monaſterii Iſnenſis, Ord. S. Bened. ſub immenſa hominum concione adminiſtrante, lapidem initialem in fundum deponente, eleganti peroratione rei agendæ dignitatem commendante, atque tam Seraphico Capucinorum Ordini, quàm Reipublicæ Wangenſi omnia quæque fauſta acclamante, ita quidem, ut in plerisque magnus eo die affectus erga Capucinos accenderetur.

V. Verùm ne ante lentem augeamus, ut proverbio dicitur, ollas, & negotio vix cæpto arbitremur rem nos habere confectam! Dum enim truculentior Bellona recrudeſcens toti Allgoviæ præſens exitium minitaretur, etiam Patrum ſtudia, quæ ad auſpicandam fabricam impendebantur, triſtes acceperunt ferias, & Sueco milite ad deſtruendum potiùs conducto nemini ædificare libuit. Nam eodem hoc Anno Wangæ alienum jugum fuerat ſubeundum, & Suecus Chriſtianiſſimo auxilio roboratus, urbíque infuſus civium plures ad præcipitem fugam convertit,

vertit, ut qui pannico timore vitæ ſuæ proſpecturi patrios lares hoſtium voluntati vacuos reliquerunt. Sed Capucini quoque minùs benè deſerta ſtatione ſua Brigantium ſe receperunt. Vanum autem hunc pavorem, virósque conſtantes dedecentem fuiſſe, eventus docuit. Nam poſt aliquos peregrinæ ditionis dies Colonellus Suecus, qui rebus ibidem moderandis præfectus fuerat, omnium Eccleſiaſticorum virorum fugam, & carentiam ægrè ferens, curſorem ad ſuum Brigantii Generaliſſimum Wrangelium ablegavit, & ab eo, ut Sacrificulos ad militum Catholicorum, quos in manipulo ſuo ſtipendiarios numeraverat, obſequia ſubmitteret, inſtitit. Vix id intellexerat Wrangelius, cùm mox Guardiano Brigantino in mandatis dat, quatenùs Operarios in agrum Wangenſem ad Catholicorum juvamen deſtinet. Committitur ea provincia P. Alexandro Friburgenſi, qui, ùt erat vir ſummâ prudentiâ, diſcretáque agendi dexteritate præditus, ſola benedictione Superioris, & obedientiæ merito fretus in aſſignatam ſibi ſtationem tantùm non volavit; ubi à civibus æquè, ac militibus utriusque ritûs, quin & ab ipſo Commendante Heterodoxo maximis honoribus exceptus, totóque eo tempore habitus fuit. Permagno urbis commodo pro ea, qua præſtabat authoritate, & virtute ipſis inimicis venerabili, & alloquii feſtivitate multa diſcuſſit pericula, damnáque, quibus inferendis accincta fuerat militum inſolentia, redemit. Dum è Cathedra diceret, ambarum, aut plurium Religionum homines attentiſſimos auditores, ſuíque admiratores habuit: ita quoque effecit, ut nullo unquam tempore Miniſtellis Lutheranis cathedræ aſcenſus permitteretur, aut templum adverſæ ſuperſtitionis exercitio profanaretur.

VI. Anno 1647. die 1. Aug. miles Cæſareanus Wangam ſubitò obrutam Suecis eripuit, ejectíſque inde, ac plerumque trucidatis hoſtibus, non tantùm urbis poſſeſſionem adiit, ſed inſignem quoque pecuniarum vim, rapinis, & exactionibus accumulatam, ſuam fecit, Wangenſibus, quibus hæ pecuniæ emulgebantur, harum dividundarum vacuos ſpectatores agere coactis. Quemadmodùm Capucini per eadem luctuoſa tempora converſatione, & præſentia ſua urbi, & Regioni præclarè ſe utiles, & commendabiles reddiderunt: ita illuceſcente à belli diſcrimine vacatione Wangenſes in primis curis habuerunt, utì tandem idæatum, tantóque tempore interceptum Conventûs ædificium reaſſumeretur. Obſtabat autem lex à P. Miniſtro Generali lata, qua cavebatur, ne Provincia multis fabricis occupata novis ſuſcipiendis occupetur, antequam Conventuum aliorum ædificia fuerint conſummata. Ex quo Wangenſes ingratum capiebant augurium, fore, ut diutiùs optatâ Religioſorum familiâ carere debeant. Ideò præverſuri tantæ moræ ipſimet proprio motu ſuppliciſſimas profectò litteras ad P. Generalem expedierunt, ac copioſa periculorum, quæ prolixior tarditas afferre poſſet, expoſitione Conventûs ſtruendi accelerationem efflagitârunt; quarum intuitu P. Generalis legem nuper ſancitam libenter relaxavit, atque ut ſervatis ſervandis deſtinatæ ibidem fabricæ admoveri manus poſſent, indulſit.

dulſit. Wangenſes hoc, quaſi magnarum fortunarum nuntio exhilarati vel ipſi ad operis aggreſſum Capucinos excitârunt.

VII. Quapropter ultimo die Junii 1654. ædificium templi in area pridem initiata ſtructura reaſſumpta, ac ſuppetentibus undequaque auxiliis manualibus, & nummariis poſt anni ſpatium propè conſummata fuit. Hinc Anno 1655. die 17. Octob. Celſiſſimus, ac Reverendiſſimus S. R. I. Princeps, & DD. Franciſcus Joannes Epiſcopus Conſtantienſis (jam iterùm tantus in tantillorum obſequia) Eccleſiam in tanta concurrentis populi multitudine conſecravit, ut eodem die mille ducentis quadraginta hominibus ſacrum Confirmationis Sacramentum conferri potuerit. His peractis Monaſterii quoque fabrica initium ſumpſit, quæ pari celeritate ſurrexit, ut Anno 1656. in feſto Portiunculæ venerabilis Clerus, Senatus, Populúsque Wangenſis novos Hoſpites per ſplendidam Proceſſionem in diverſorium ſuum deduxerit, atque cum tripudio, multísque acclamationibus inſtallaverit. Extat hic Conventus extra portam urbis Meridionalem, in colle nonnihil faſtigiatus, concertante aëris ſalubritate cum proſpectûs jucunditate. Urbs Wangenſis ſe imprimis ſummè Benefactricem in fabricam exhibuit, & propè materialia omnia contribuit. Hanc autem in ſubſidio pecuniario ſecundârunt: Dominus Maximilianus Müller ſenator, qui quingentos: D. Hannibal Schmid, qui centum: D. Jacobus Wagner Conſul, qui centum: D. Jacobus Stehelin Parochus loci, qui totidem: D. Jacobus Stüblin, qui totidem: Domina Vidua Excellentiſſimi D. Generalis Winterſcheid, quæ ducentos: D. Comitiſſa Vicethumb in Kislegg, quæ centum: Domina de Hundpiſs in Siggen, nata de Landenberg, quæ centum: D. Colonellus Caſpar Commendans Brigantinus, qui centum: D. Georgius Greiſing civis Conſtantienſis, qui centum florenos, & alii quàm plurimi pro fortunarum ſuarum ratione contulerunt. In ipſam verò fratrum ſuſtentationem præter Reverendiſſimum, & Ampliſſimum DD. Abbatem, ac Conventum Isnenſem &c. Excellentiſſimos, & Illuſtriſſimos DD. Comites de Wurzach, Kislegg &c. &c. uſque in hodiernum diem ipſa civitas Wangenſis beneficentiſſima extitit.

§. XXXV.

Hoſpitium Wilerſtadienſe.

I. Willa urbs Imperialis ſuâpte nominis ethymologiâ originis ſuæ cùm antiquitatem, tum nobilitatem oſtentat. Wello enim ex illuſtriſſimo Urſinorum ſtemmate procreatus, dum Romæ à morte Conſtantini Magni varia inter Filios ejus in imperio ſucceſſores diſſidia, & in plebe ſeditiones ferverent, Româ diſcedens, & circa Annum Chriſti 340. parte Hercyniæ ſylvæ occupatâ lucos exſcidit, terram habitabilem, & fertilem reddidit, & Wellonis urbem, à nomine ſuo ita nuncupatam, hodie Wilam, in eo Regionis tractu

ctu in uſum, & ſecuritatem ſuam condidit. Hinc eſt, quòd hæc civitas in vexillo ſuo illud elogium præſeferat : S. P. Q. R. Aliud quoque indicium huic aſſertioni ſuffragatur ; quòd nimirùm cum præfato Equite Romano Wellone alii inſuper Patritii Româ emigraverint, atque hunc ipſum comitati fuerint : inter quos fuiſſe nobiliſſimos Geminos, à quibus Perilluſtres Equites de Gemming derivati ſunt ; ut qui in eadem circa Wellonis urbem Regione primævas ſedes, Caſtra, & Ditiones ſuas habent. Fuit antiquitùs Wila, nunc Wilerſtadium, ſatis munita, inſignis ſtructuræ templo, curiâ, & aliis publicis ædificiis ad ſplendorem uſque exornata, cujus mænia Wirma amnis, ob continuos, quibus fluit, mæandros, ſic vocata allambit. Conſiſtit autem Wila propè in Ducatus Wirthenbergiæ umbilico, quæ regio à vetuſta haud procul Stuttgardiâ diſſita arce, quam Wertam, alii Wertenbergam nuncupant, nomen vendicâſſe ſcribitur ; cujus Provinciæ primos germanos incolas fuiſſe Intuergos Tſchudius putat. Beatus Rhenanus Vithungos, ſeu Virtingos in his locis ponit, qui Noricum, & Rhætiam quondam debellârunt, & Italiæ quoque minitati ſunt tempore Valentiniani III. Tectosages quoque partem harum terrarum tenuêre circa Nicrum, à quibus Arx, & Ducatus Teckenſis hodiéque nomen habet. Plurimas privatas ditiones in Wirthenbergia quondam videre fuit. Ibi enim erat Comitatus Calvenſis, Tübingenſis, Auracenſis, Zabergovienſis, Kreichgovienſis, Helffenſteinenſis, Zollerenſis, Achallmenſis, Neufenſis, Herrenbergenſis, Grüeningenſis, Veringenſis, Aſpergenſis &c. quorum Poſſeſſores cùm hæredibus carerent, tandem plerique omnes in unum Comitatum Wirthenbergenſem coaluerunt. Fuêre quoque urbes quædam, quæ poſt abolitionem Ducatûs Sueviæ à Wirthenbergenſibus fuerunt uſurpatæ : ſicut & Ducatus Teckenſis ; Principatus etiam Urſelingenſis, & Schiltachenſis &c. quorum intuitu Imperator Maximilianus in Comitiis Wormatienſibus Anno 1498. Wirthenbergiam in Ducatum erexit. Nobilium ſedes, & pagi in Wirthenbergia penè ſunt infinita : cujus aër eſt ſaluberrimus, urbes plurimæ, caſtra paſſim in montibus elevata ; Monaſteria, & templa frequentiſſima ; ſed à Luthero, proh dolor ! bonorum Eccleſiaſticorum helluone unà cum tota regione devorata : fertilitas tanta, qualis nulli alteri Germaniæ Provinciæ : Vini, frumenti, frugum terræ, armentorum cuncti generis, & omnium, quæ propè homo deſiderare poſſet, feraciſſima.

II. Ad nullam præfatorum Comitum, Ducum, Principum, aut Dynaſtarum ditionem Wila unquam pertinuit ; ſed ſemper ſui juris extitit à Conrado I. Anno Chriſti 914. vel ùt aliis placet, à Conrado II. Anno 1025. minùs probabiliter juxta Zeillerum à Friderico II. primùm Anno 1211. inter liberas Imperii civitates recenſita. Cives Wilani à primævo bello, armisque aſſueti partibus olim Alberti Auſtriaci ſtuduerunt contra Adolphum Romanorum Regem ; cujus juſſu decem eorum intercepti, & Anno 1292. trucidati ſunt. Acceſſit etiam Wila Anno 1377. famoſo illi multarum Imperii civitatum fœderi contra quorumdam Principum, Comitum, Nobiliúmque Germanorum violentam Dominationem icto :

hinc ea celebris Conſæderatorum ſtrages memoratur, quam Udalricus Comes de Wirthenberg, & poſt hunc occumbentem ejus parens Eberhardus in agro Wilano propè pagum Töffingen edidit Anno 1388. cùm quotannis occiſorum ſeu belli ſociorum, ſeu civium memoria Dominica ante S. Barholomæi Apoſt. è Cathedra Wilano-Parochiali recitetur : & temporum lapſu ſagittarum cuſpides in agris, & oſſa mortuorum aratris eruta fuiſſe dicantur. Quamvis autem Wila urbs infauſto Joannis Brentii civis ſui partu nonnihil devenuſtata ſit ; cùm hic talentorum ſuorum, quibus Patriam illuſtrare potuiſſet, gratiâ ad proferendas Lutheri ſuperſtitiones abuſus, & magnum inter Wirthenbergiæ Deformatores nomen conſecutus fuerit, tantum tamen abeſt, ut hæc urbs in priſca fide unquam vacillaverit, ut potiùs omnium lenociniis, perſuaſionibus, comminationibus, & conglobatis calamitatibus in odium fidei ſibi intentatis ſuperior avitæ Religionis tramitem conſtantiſſimè tenuerit. Ut autem in hac Romani dogmatis aſſertione firmiùs ſe ipſam tueretur, jam olim præſidiarios, & ſpirituales milites, Capucinos, in urbem ſuam conducere Senatus, Populúsque Wilanus conſtituit, inductus Capucinorum, qui Rottenburgi Conventum ; Stuttgardiæ, & Pforzhemii reſidentias habuerant, & nonnunquam Wilerſtadium Apoſtolandi gratiâ excurrere conſueverant, vitæ genere, converſatione, & rei orthodoxæ zelo.

III. Verùm quòd urbs variis belli calamitatibus fellitata, inops alendis Religioſis precariô victitantibus impar ; Regio tota Luthero devota, pinguiſſimæ in vicinia Abbatiæ Hirsaugienſis, Maulbrunnenſis, Albæ Dominorum &c. ejectis Religioſis ad Cameram Principis reductæ, & ad novitates heterodoxas reformatæ eſſent, Capucini de ſufficientia victûs conquirendi deſperantes optimis Wilanis omnem aſſequendi propoſiti ſui ſpem præciderunt, eósque cum Religioſis ſuis Ord. Eremit. S. Auguſtini Anno 1291. jam caſtra apud ſe metatis contentos eſſe juſſerunt.

Quamprimùm verò Suecus Anno 1634. internecione deletus, & Wirthenbergia à victricibus Cæſaris armis occupata, præfatis, & pluribus aliis Abbatiis legitimi ritus, & Abbates cum pleno, & antiquo jure, ac dominio reſtituti fuerunt, Wilani hanc occaſionem captantes novos animos induerunt inſiſtendi propoſito ſuo circa inducendam Capucinorum coloniam ; idque tantò magis, quòd Udalricus Wirthenbergiæ Dux à Cæſare aqua & igni interdictus, atque profugus ementitio ſupplicis habitu ſui in Ducatum, & gratiam reſtitutionem omnium Monaſteriorum hactenùs à ſe uſurpatorum reſtitutione mercari viſus ſit ; Cæſare conditionem adeunte ; ſed Duce à Gallis lactato ab ea reſiliente. Erat tum vir ſpectatiſſimus D. Joannes Holzing J. U. Doctor poſt geſtas ampliſſimas hinc inde aularum Præfecturas amore Patriæ Syndicus Wilanus ; qui nomine Magiſtratûs, & ſuo de 24. Jan. 1640. litteras urgentiſſimas ad Provinciæ Superiores emanavit, quibus hos ad ſuccurrendum periclitanti Religioni, figendúmque adeò in urbe Wilana domicilium ſtabile exoravit, reíque hujus tum ſummam neceſſitatem, tum alluceſcente meliori ſtatûs ſydere practicabilitatem pluribus expoſuit.

Non

Non potuerunt Patres non convinci ad porrigendam tantis argu- IV.
mentis, tantísque poſtulatis herbam; qui præprimis latiſſimum apoſtolandi campum præ oculis habentes ſupplicibus litteris litteras, quantum in ſe fuerat, categoricè favorabiles reddiderunt, atque ut ordine recto procedatur, à Celſiſſimo, ac Reverendiſſimo DD. Epiſcopo Spirenſi, cujus Eccleſiaſticæ jurisdictioni Wila urbs ſubdita eſt, neceſſariam facultatem efflagitârunt, hánceque etiam ſub 21. Mart. 1640. in authentica, & clementiſſima forma cum omnibus Privilegiis, & gratiis ad munus apoſtolandi ſpectantibus impetraverunt. Exinde ad ſolatium tam impensè ſupplicis Wilæ idoneos quosdam Religioſos temporaliter ibidem operaturos ſubmiſerunt Wilanis poſitivam de perpetua habitatione ſententiam à futuro Capitulo exſpectare juſſis, ad quod denuò litteras prioribus anhelantiores direxerunt, dictámque reſolutionem verbis, & ipſo opere præſtandam ſollicitârunt; quorum ardentibus votis Patres gratificaturi, cùm iisdem diebus ſupervenisſet etiam licentia P. Generalis, P. Alexandrum Friburgenſem deputârunt, qui peractis cum Magiſtratu agendis loci poſſeſſionem acceſſit, & cum puſillo Commilitonum ſtipatu domunculæ cuidam ſibi attributæ, & in qualemcunque tecti Religioſi ſpeciem converſæ immigravit, cui pro ſacrorum uſu ſacellum aliquod addictum fuit. Locati ſic operarii toto ſpiritûs, & corporis conatu vocationis ſuæ functionibus cum inſigni oppidanorum non ſatisfactione tantùm, ac ædificatione, ſed ſpectato etiam animarum proventu incumbere cæperunt; cujus intuitu Celſiſſimus, ac Reverendiſſimus DD. Ordinarius hiſce viris Apoſtolicis plenam in Epiſcopatu confeſſiones audiendi, abſolvendi &c. &c. facultatem, & approbationem de 16. Jan. 1644. contulit.

Duce Wirthenbergiæ, ùt præfati ſumus, Gallicis lenociniis ab au- V.
cupanda Cæſaris gratia diſtracto, copiísque adjutô bellum acriùs recruduit eo fine reſtauratum, ut clades armorum ſocio ad Nördlingam illata quocunque modo compenſetur. Igitur Dux pulſis denuò Abbatibus, & reſumpta Monaſteriorum, bonorúmque Eccleſiaſticorum uſurpatione adſcitis in Ducatum Suecis, & Gallis tota belli mole urbi Wilanæ incubuit. Hac ergò ſuccedentibus ſibi hoſtium exactionibus ad penitiſſimas incitas redacta Capucini ſe ibi porrò ſubſiſtere poſſe omnem ſpem abjecerunt, & vaſa ſibi colligenda fore præviderunt; cúmque Anno 1646. Reverendiſſimus P. Innocentius à Calatagyrone Miniſter Generalis in Provinciam delatus accepiſſet, fratribus Wilanis non ſuppetere media, quibus ad regulæ perpendiculum, & paupertatis apicem vitam traducerent, locum deſerere juſſit, demandata P. Matthiæ Augienſi Miniſtro Provinciali hujusce mandati executione. Hic ex officio Wilam profectus fratribus legem emigrationis denuntiat, Magiſtratui, & Comunitati Wilanæ rationem Decreti exponit, & cum Fratribus ſuis afflictæ urbi valedicens diſceſſum apparat. Quantum hic rumor mox in Civium aures vulgatus luctum excitaverit, explicari nequit. Dum igitur P. Provincialis cum ſuis pedem domo efferret, jam omnes, quotquot erant Catholici in urbe, ante januam conſiſtunt, ac ſimul humum provoluti ſupplici violentia, & erumpente oculis fletu diſceſſuro progreſſum ſiſtunt, ac ne ſibi tan-

ta in afflictionibus ſolatia, ſalutísque media eripiantur, per omnia ſacra rogant, & obteſtantur, preces cumulantibus fæminis, quæ liberos ejulantes objiciunt, atque per innocentes horum animas enixiſſimè ſupplicant, quò Capucini ſibi ſuperſtites permittantur: quo lugubri aſpectu optimus Senecio P. Provincialis in lacrymas & ipſe ſolutus pedem retraxit, & initis cum Magiſtratu novis conſiliis, ſe, ut fratres ſui Wilæ ſtabilirentur, cum P. Generali acturum eſſe promiſit, ac operariis interim remanere juſſis ipſe curſum ſuum ulteriùs promovit.

VI. Bello tricennali finem annus 1648. dedit, qui à ſui principio connexa antecedentium malorum ſerie non minùs, quàm anni priores, triſtium eventuum ferax, & perpetuatâ Reipublicæ lanienâ cruentus, præprimis autem opimæ urbi Wilanæ fataliſſimus extitit. Laverniones enim Gallici indictas, licèt indebitas ex ratione armiſtitii jam promulgati, collectas incendiarias importuniùs urgebant ex una: ex altera verò parte Cæſareani eas, utpote ſuo lucro deputatas pendere prohibebant, civitate ſic inter ſacri, & ſaxi anguſtias coactâ. Galli ergò poſtulata armis extorſuri urbem arcta obſidione premunt, quam præſidiarii Imperiales tuendam ſuſceperant. Hoſtis omni machinarum bellicarum atrocitate rem agit, muros conquaſſat, maximam pyrobalorum vim urbi injicit, quorum unus in ſtabulum quoddam lapſus arrepto ſtramine, & fæno immane incendium excitat, quo penè urbs tota conflagravit. Cives cùm ſe reſiſtendo impares cernerent, cùm hoſte paciſci aggrediuntur. Sed his in una parte tractatu occupatis ex alia Galli per ſcalas turmatim infunduntur in urbem, quæ tota expilationi addicta miſerandum ſpectaculum præbuit, hoſtibus, & flammis tyrannidem ſuam exercentibus; cùm, quæ cives inter ferrum, & ignem concluſi incendio ſubtraxerunt, hæc lari inhiantes ſua fecerint. Interim urbs cum Eccleſia Parochiali, Curia, & præcipuis ædibus in buſtum redacta tanta infelicibus lamenta excuſſit, quæ ſi non ſaxa, certè inanimas ex ligno ſtatuas ad collacrymandum flexerunt. Mæſtiſſimus fæminarum grex cum vivis prolium ſarcinis, quas ſolas ab igne, & ferro ſervaverant, in tenue Gurguſtium Capucinorum, & Oratorium, tanquam poſtremum ab interitu aſylum, ſed propè de fumo ad flammam confugit: omnium namque opinione hæc ex ligno materiata domus à proximè crepantibus flammis corripienda fuerat.

VII. Erat in domeſtica Capucinorum Capella ligneum B. V. Mariæ divinam prolem è collo pendulam ſuſtentantis ſimulacrum; in quo afflictorum Conſolatrix Mater tam flebiles ejulantium gemitus miſerata viventis in morem faciem ad triſtitiam componere, oculos inflectere, uberésque lacrymas fundere viſa fuit, quæ per ambas vultûs genas decurrentes ſui indicia hodiéque ſpectabilia ſtatuæ impreſſerunt; qua quidem commiſeratione pientiſſima Dei Genitrix lamentantium incolarum ærumnas deplorare voluiſſe credenda eſt. Oculati utriusque ſexûs teſtes numero quindecim hæc ipſa Notario jurato publicis tabulis conſignanda dictârunt: prodigioſis hiſce lacrymis cælum quoque ſuas affudit; ſed auxiliares, nempe largas pluvias, quæ ſopito ventorum flatu incendium extinxerunt, Hoſpitium regulare, ſacellum, contiguámque domum ſoſpitârunt;

tàrunt ; econtra ignem amoris erga miſericordiſſimam Dei Matrem in pia Catholicorum plebe mirabiliter accendit ; in tantum quidem , utì ab illo tempore, & hucusque devotio erga miſericordiæ matrem in illa ſtatua prodigioſam augmentum ſumpſerit , & perſeveret ; econtra religioſa eam colentium pietas ab hac gratiarum ſcaturigine varias , eásque magnas incolumitates hauſerit ; in cujus argumentum plurima anathemata, & donaria in templo Capucinorum proſtant. Cæterùm lugendam urbis exciſionem haud diu ante inuſitatæ ſpeciei volucres, columbas magnitudine referentes, verſicolores , neminíque ante hac viſæ divinâſſe feruntur : ut quæ agminatim Cænobium PP. Auguſtinianorum , domum , & eccleſiam Capucinorum circumvolitantes in aliqua horti noſtri arbore conſederunt ; & ignoto quodam garritu colludentes poſt aliquam moram alis ſursùm vibratæ videri deſierunt.

VIII. Deletâ ſic urbe, & civibus ad conducenda ſibi receptacula digreſſis Religionem quoque Catholicam inde extirpandam, ac Lutheri commenta illuc ſubſtituenda fore , nemo prudens dubitavit ; ut vel ipſe Sereniſſimus Marchio Badenſis deploratam Religionem ſuccollaturus ſummo Pontifici periculum litteris exponendum , & inſtantiſſimè ſupplicandum duxerit, quatenùs univerſalis Fidelium Pater pro paſtorali ſollicitudine tot perituris conſuleret, & ſaltem Capucinos Miſſionis Apoſtolicæ titulo ibidem ſtabiliri accuraret ; quorum operâ , tanquam valido munimine hæreſeos inundatio inde reprimatur. Idipſum Celſiſſimus , ac Reverendiſſimus DD. Epiſcopus Conſtantienſis ſoſpitandæ rei Catholicæ, licèt in aliena Dioœceſi, intentus litteris verè Apoſtolicis P. Superiorem Wilanum ad indefeſſam vigilantiam, ac ne ullis adverſis à ſua ſe ſtatione dejici patiatur de dato 12. Aprilis Anno 1649. adhortando præſtitit , ſimilem commonitionem idem Celſiſſimus compaſſionis affectu plenam civibus Wilanis direxit , atque periculi gnarus eis machinamenta Ducis Wirthenbergici, quæ ad infundendam Wilæ Lutheri coloniam diu jam meditaretur, aperuit ; qui quàm rei conſcius fuerit, eventus probavit. Civibus enim permittente rerum tranquillitate ad ſua reverſis , & è cinere quoque pro cenſûs ſui ratione habitacula reſuſcitare aggreſſis ecce! adeſt Commiſſarius Ducalis ; qui primò Megarenſium lacrymis ad novercæ tumulum flebat, verbísque compaſſionem mentitis afflictos ſuper ſuorum jactura ſolabatur ; tunc & eosdem ad urbis reſtaurationem animabat , ac Principis nomine magnifica omnis generis auxilia pollicebatur ; denique, ut appareat , quòd benevolus trucidator aurum offerat ſubæratum, conditionis vice eosdem ad ſuſcipiendos in urbem verbi Miniſtrum , & Pædotribam , ſi ſuperis placet , Evangelicos, ac, quod conſequens eſt , liberum Auguſtanæ Confeſſionis exercitium , & tollerantiam alliciebat. Suboluêre Capucini dolum ; cujus Magiſtratum, & Communitatem maturè commonefecerunt, & ne iniquiſſimis poſtulatis , quibus Religionis petebatur jugulum , in æternum nominis ſui dedecus, & ſubſequam Poſterorum perniciem ullo modo condeſcenderent, fortiter dehortati ſunt, habituros ſupernum, quod præſtaret humano, auxilium, in quo tutiùs

conſiderent, quàm quod incertum, ac periculoſum eſt, litúmque melle gladium continet.

IX. Subinde & è publico ſuggeſtu civibus clandeſtinum Principis ingenium, Lutheríque intrudendi ſtudium palàm fecerunt, illísque in officio continendis opportunè, & importunè incubuerunt, per æternam ſalutem ſuam eos obteſtantes, ut carnem Mendico auxiliantem reſpuerent. Quibus quidem adhortationibus roborati cives Commiſſarium, unde venerat, cum ſubmiſſa ſubſidiorum tam funeſtis conditionibus affectorum recuſatione, atque deprecatione, ac poſtulatorum denegatione, redire permiſerunt. Facta horum omnium Duci Wirthenbergico relatione in ea furibunda contra Capucinos verba prorupiſſe compertus eſt: *vah perditos Monachos! ſi impoſtores iſti Wilam nunquam fuiſſent ingreſſi, eam de facto eramus habituri poteſtate.* Quo quidem vituperio Religioſi homines ſuper omnes bonorum, honorum, & applauſuum humanorum blanditias magìs commendabantur, atque delectabantur.

Eluſis hiſce Ducis Wirthenbergiæ decipulis optimi Wilani novo, nec inani de emigratione Capucinorum rumore territi Magiſtraliter conſederunt, & compoſita ad avertendum hoc malum argumenta in litteras redigunt, quibus ad Capitulum die 29. Mart. 1649. directis Patres quàm inſtantiſſimè obſecrant, quatenùs afflictis ſibi non permittant novam, & prioribus omnibus majorem ſuperaddi afflictionem; ſed potius in harum medelam, & levamen, ſuámque in rebus turbatiſſimis anchoram, Capucinos, ſtabiliter, & inamovibiliter apud ſe commorari jubeant, & faciant. Perſpecto Wilenſium ſyncero, & rationabili fervore, horum petitis Patres deferendum rati eosdem favorabili perpetuandi Capucinorum Hoſpitii nuncio recreârunt, ſententiâ ſtabilitatis ab ipſo P. Generali impetratâ, & emanatâ. Ab anno igitur 1650. usque ad annum 1660. inter varias caſuum viciſſitudines, & acerbitates ſtabiliti ſub nomine Miſſionis operarii fideliter muneri Apoſtolatûs incubuerunt: quo Anno 1660. viſum fuit lapſabundam, propéque jacentem domum in commodiorem formam, & regularem commoditatem redigere, eccleſiam ampliare, hortum, & hoſpitium muro coronare.

X. Verùm ea res in tantos difficultatum ſcopulos alliſa eſt, ut in moleſtiſſimum diuturnúmque Proceſſum in Curiis Epiſcopali, & Romana agitatum deſierit. Poſt longas concertationes, ſcripturas plurimas, acerbas objectiones, & proteſtationes à Decretis Pontificum, & SS. Canonibus derivatas &c. quæ omnia in Monumentis, & Actis Provinciæ habenter, ſequens Decretum, in forma ſententiæ, à ſac. Congregat. de propag. Fide emanavit:

Ad relationem Eminentiſſimi D. Cardinalis Pallottæ S. Congregatio attentis narratis in ſupplici Libello, ac viſis Teſtimoniis Domini Epiſcopi Spirenſis, Oratorum inſtantiis benignè annuens, licentiam eisdem conceſſit reſtituendi ſupradictam domum ad formam Hoſpitii &c. quibuscun-

cunque contrariis non obſtantibus. Dat. Romæ die 8. April. 1667.
Cardinalis Barberinus.

H. Caſſanati Secretar.

Habito iſthoc Decreto jam nunc tandem impigrè noſtri ſe ſe operi accinxerunt, & materialia convehendo, aliáque præparamenta fabricæ auſpicandæ, & proferendæ neceſſaria accumulando; cui tamen propoſito, & ſtudio Antagoniſtæ nova proteſtatione injecta novam quoque remoram injecerunt; ita ut lis reſumpta, Annis 1668. & 1669. in competentibus Tribunalibus ventilata, & ad Annum 1670. protracta fuerit.

Senatus, Populúsque Wilanus harum controverſiarum magis ipſis Capucinis pertæſi, eísque finem facturi litteris demiſsiſſimis ad ipſum Auguſtiſſimum Romanorum Imperatorem Leopoldum I. excurrerunt; quibus hic emolumenta è Capucinorum Miſſione in rem Catholicam, & afflictam civitatem profecta edoctus Sereniſſimo ac Eminentiſſimo DD. Cardinali de Haſſia Germaniæ ad Curiam Romanam Protectori causam hanc, præfatæ miſſionis ſtabilitatem, & libertatem ſtruendi ſibi commodi domicilii de meliori, & pro clementiſſima in Capucinos dignatione, urbem Wilanam tot afflictionibus perfunctam, Eccleſiæ tamen, & Imperio Romano ſemper fideliſſimè inhæreſcentem commiſeratione commendavit. Denique in Curiis Romana, & Spirenſi pro Capucinis pronuntiatum; hique in opere incæpto firmati, & fabricam ad coronidem uſque proſecuti fuerunt. Quam verò amaritudinem Catholici Catholicis, & Religioſis in hoc negotio irrogârunt; hanc Acatholici, manifeſtâ Numinis diſpoſitione, & concepti de hoc ædificio beneplaciti ſignificatione, dulcorârunt.

XI. Enimverò Sereniſſimus Wirthenbergiæ Dux ea tempeſtate regnans ad inſtanter humillimas Capucinorum preces non ſolùm telonium ob vecturas multas per territorium ad ſtructuram neceſſarias gratioſiſſimè relaxavit; ſed & maxima in lignis ſubſidia contulit. Quin & ruricolæ Lutherani à Capucinis humiliter implorati certatim, ac libentiſſimè operas gratuitas, & vecturas exhibuerunt.

QUALITAS

Provinciæ Anterioris Auſtriæ.

ANALOGIA.

DIffer, Stagirites, in ſinum tuum ridere, quòd Provinciæ qualitatem adſcribamus philoſophicam, ſive prædicamentalem, cujus tamen ea vix capax eſſe dignoſcitur, cùm qualitas dicatur eſſe ordinata ad exornandam intrinſecè ſubſtantiam corpoream ſive ſpiritualem, ut convenienter ſit affecta in ſuo eſſe, vel virtute agendi; atqui Provincia abſtractivè ſumpta nec corporea, nec eſt ſubſtantia ſpiritualis: imò ne quidem in ratione entis ſuſtineri meretur. Non entium autem non ſunt qualitates. L. ſi ſervum mihi. §. de act. empt. Et ſi gratis eam ad dignitatem accidentis collocaremus, adhuc qualitatis erit incapax, cùm accidentis non accidens. Verùm ex antecedentibus jam liquet, Provinciam habere, & eſſe ſubſtantiam; ergò ei competit eſſe quantam: ergò etiam qualem eſſe eidem convenit, præſertim ſive eam geometricè ſpectemus ùt regionem, terræque diſtrictum alicubi locatum: tunc enim æquè nobis dicere licebit: qualitatem Provinciæ noſtræ contemplemur; ac Columellæ dicere licuit:

qua-

qualitatem littoris noſtri contemplemur. lib. 8. c. 17. ſive architectonicè illam conſideremus ; prout nimirùm viros qualitatis capaces in diverſis tabernaculis ubicatos hoſpitatur, à quibus multifariàm qualificatis eidem etiam variarum qualitatum prærogativa accreſcit, ea fermè ratione , quâ Romanum Imperium ideò aliquibus rerumpublicarum peritis dicitur ſacrum, ſive etiam ſacroſanctum, quòd multi Imperatores extiterint ſancti ; quamvis alii alias rationes hujus qualitatis aſſignent. Nos verò huic ipſi rationi immorantes Provinciæ qualitates tribuemus, quas nominabit

ECPHRASIS.

USitatiſſimum namque eſt, ut loca non ſolùm à climate , ſub quo ſunt, bona , vel mala, aut univerſim talia denominentur ; ſed etiam ab incolarum genio , moribus, & inſtitutis qualitates ſuas nanciſcantur : ſic enim, dum Auguſtiſſimus Romanorum Imperator Maximilianus II. Uberlingæ moras traheret, nonnemo Aulicorum variarum in Germaniæ urbium qualitates ab oppidanorum qualitatibus mutuatas indigitavit , ut diceret, quòd ſit v. g. Briſacum urbs bellicoſa : Baſilea , ſplendida : VValdishuttum, unanimis : Rhenofelda , ſpecioſa : Moguntia, principalis : Argentina, magnifica : Friburgum, Chriſtiana : Schaffhuſa, ſimplex : Conſtantia, opipera : Uberlinga, jucunda &c. Igitur etiam nos à viris ſanctitate conſpicuis, doctrina claris , geſtis functionibus , & exercitiis famoſis compellabimus Provinciam 1. *Sanctam.* 2. *Litteratam.* 3. *Commiſſariam.* 4. *Miſſionariam.* Quas quidem qualitates non ad injuriam , aut contemptum cujusdam alterius Religioſæ, iisdem attributis dignæ , aut etiam excellentis Provinciæ , deprædicabimus, virósque hujusmodi quondam Provinciæ alumnos ante & poſt diviſionem ad illam Ortu-vel Patria-tenùs ſpectantes ad excitandam Poſterorum ſequelam ordine Abecedario enumerabimus, ſalvis Decretis Pontificiis, contra quæ nullatenùs prærogativam ſancti ulli tribuere animus eſt.

§. I.

Provincia Sancta.

Litt. A.

1. P. Achilles Neoburgi ad Rhenum vitam, & optimam indolem ſortitus, & utramque virtutibus exornaturus Gymnaſium Capucino-Seraphicum ingreſſus eſt. Nec propoſito ſucceſſus defuit. Nam in virtutum cultura, legúmque cuſtodia adeò profecit, ut matùrè aliis ad eamdem perfectionem manuducendis præficeretur. Ut inſigni præſtabat evangelizandi gratiâ; ita ut huic unicè vacaret, immunitatem ab officiis impetravit. Aliquandò Curiâ Rhætorum, Sarganſium deſtinatus, poſtquam ibi munus Apoſtolatûs expleſſet, inde Curiam reditum parans videt ante ſe gradientem virum canitie, & veſtitu venerabilem, quem curſu aſſecutus poſt mutuæ ſalutationis officium ſe tardiorem retrò relinquens velocior anteceſſit Achilles, vix autem teli jactu remotior illo ecce! quinque alios viros, robuſtos Griſones habet obvios, qui rabidorum canum inſtar frementes Patrem, hujúsque ſocium circumſtant, criminationibus obruunt, funè unus, barbâ alter raptat, manus alii inferre pertentant; aliquis autem machæram exſertam in ejus viſcera adacturus retrocedens impetum parat; ad quos Achilles manſuetiſſimè: quid mihi, ait, & vobis viri optimi? ſi equidem Religio mea Romano-Catholica offendiculo vobis eſt, effundite hujus in me odium veſtrum: en paratam vobis victimam. Uno ictum jam jam tentante ſupervenit vir ille grandævus; qui fronte in rugas contracta, oculis fulgurantibus, voce in minas ſoluta, & authoritate plùs humanâ in graſſatores invehitur, indubiam, & inſtantaneam Numinis ultionem auguratus, nî ab injuriis faceſſant, virósque innocuos lædere deſinant. His illi perterriti fugâ celerrimâ abripiuntur. P. Achilles periculo liber de tutore ſuo circumſpicit, gratias ei pro vita redditurus. Sed ita iſte evanuit, ut nec euntem, nec redeuntem, nec alicubi conſiſtentem oculis aſſequi, aut verbis explorare potuerit. Quis autem is fuerit, jam diſce. Poſt temporis aliquod intervallum ſtygius Alaſtor per duarum Energumenarum organa Achilli omnia ordine recenſuit, quæ ipſi Sarganſium inter, & Curiam accidiſſent; faſſúsque eſt, ſe illum eſſe, qui viros iſtos in ſe armâſſet: ſteteras, ajebat, ad mortis limen; perieras, ni S. Achilles in ſenis habitu tibi ſaluti fuiſſet. Ex quo inſtruimur, quòd, utì vel apud Juriſconſultos ſolenne eſt, *non ſit inutilis nominis ferendi conditio.* L. facta. §. ſi in danda. ff. ad Trebell. Si enim L. hoc jure, §. ult. ff. de donat. jubentur dari ducenti aurei illi, qui ſpopondiſſet *alterius ferre nomen.* Quid ſancti nominum ſuorum bajulis, & operum ſectatoribus conferent? Ex hoc porrò liquet, ſacros P. Achillis conatus tantùm cælo gratos fuiſſe, quantùm inferno exoſi fuerant.

Poſt-

Poſtquam ergò P. Achilles 24. annis Ordinem ſanctis exemplis, & operationibus exornâſſet, die 19. Maji 1659. Conſtantiæ tranquillo agone ad S. Patroni ſui, omniúmque Beatorum ſocietatem migravit.

II. F. Adamus Cellenſis Laicus pietati magis, quàm labori natus, & in illius conatu felicior ceream Puſionis Jeſu ſtatuam impenſa devotione diſſuaviare ſolebat, fideliter tamen, ac devotè ea laborando, quorum capax erat, & obedientiam habebat, tempus à ſpiritualibus vacuum, utiliter impendens. A ſimplicitatis, paupertatis, ſilentii, aliarúmque virtutum cultu non ſolùm fratribus charus; ſed ſæcularibus etiam venerabilis extitit; cujus Religioſa, ac ſimplici converſatione ſingulariter Reverendiſſima D. Abbatiſſa Parthenonis S. Benedicti in Ambtenhauſen delectabatur; quæ narrare ſolebat, quòd aliquando poſt menſam regularem cum quibusdam ſororibus in hortum ambulans ad murum clauſtralem conſederit, & mutuò colloquentibus una Monialium ultra murum in viam publicam proſpiciens duos Capucinos rectà appropinquare viderit; quo audito Abbatiſſa pro notiſſima ſua in Capucinos beneficentia, eamus, ait & hoſpites noſtros gratiſſimos, quos inter fortè meus Fr. Adamus, conſueta hoſpitalitate excipiamus. Vix aliquos paſſus à muro aberant; cùm ecce! hic magno fragore corruit, omnes, ſi longiorem ibi moram traxiſſent, obruturus. Territæ caſu unà ſibi immunitatem à triſtiori gratulabantur, quam adventantibus Capucinis referebant in acceptis; tantóque avidiùs ad hos ſalutandos ferebantur, ſed fruſtrà. Nullus equidem Capucinus apparuit, nullus etiam ab extraneis hominibus deſuper interrogatis viſus, nullósque per emiſſos exploratores in ulla via reperer potiut. Divinabant ergò, quod res erat, ſub ea nimirum figura bonum Angelum in exhibitæ charitatis præmium, ac deinceps exhibendæ incitamentum Religioſas fœminas ab interitu divertiſſe. Ipſe Fr. Adamus ad ſummam ſenectutem pertingens cum puerulo Jeſu repueraſcens, nec minimum canus in illius amplexu animam ſacris Eccleſiaſticis viaticatam placidiſſimè emiſit Cellæ die 31. Jan. 1719.

III. P. Adjutum Montifontanum ſingularis in Deum pietas, Religioſæ integritatis candor, inſignis doctrinæ prærogativa, totiúsque vitæ ad inſtituta Majorum compoſitæ nitor Tyronibus Pædotribam; Conventibus Moderatorem dederat, dediſſétque altiorem Provinciæ Atlantem, niſi ampliorum dignitatum augmenta brevior vitæ terminus præcidiſſet. toto ſæculo dignus non niſi octo ſuper viginti annos habitum Seraphicum geſtavit, Cælo jam tum maturus, cùm huic rapiendo violentiores manus apparâſſet. Ei aliquando Molshemii Guardianiam exercenti advenit ruſticus ex Allgoja inſolito illuc itinere delatus, narravitque, quòd uno abinde anno in patria ſua ad proximum vicum paganalia frequentaturus conceſſerit, benéque pranſus, & potatus domum tetenderit: in ipſa autem via inſecutus ſe fuerit alius, ut putabat, ruſticus, ſibi perquàm aliàs familiaris robuſto inſidens equo, qui ei, ut velociùs domum remearet, ſimul cum eo equitandi copiam obtulerat, & fecerat. Verùm en tibi! dum vix binos equus ſeſſores haberet,

ipſe in altum eluctans per aëra euro velocior abripiebatur. Terruit ea pernicitas ſupernumerarium equitem; qui ideò S. Crucis ſigno ſe muniendi, Deúmque & Sanctos in auxilium vocandi cogitationem, & intervallum nactus ſenſit hoc facto equum blando deſcenſu in terram ſe demittere, ut inde ocyus deſiliret. Noctis profundum, & denſiſſima ſylva conſilii inopem excepit. Altero manè circumſpiciens videt ſe Argentorato, Alſatiæ Metropoli proximum. Stupor, timor, omniúmque rerum penuria hominem propè ad inſaniam redegerat; qui tandem vitam lucraturus ſervitio ſe addixit. Hunc P. Adjutus repatriare juſſum rebus ſacris munivit, atque ut damno ſuo edoctus Patriotas periculoſum Encæniorum ruſticanorum abuſum dedoceret, cohortatus eſt. Vir hic Religioſiſſimus præmatura ægritudine oppreſſus, cùm ad poſtrema ſe deduci adverteret, funè ad collum ligato, & oculis ubertim lacrymantibus veniam erratorum humillimè rogabat, tantáque ſpiritûs, & vocis energia fratres ad perfectam regulæ obſervantiam commonebat, quaſi è cathedra ſano ſibi perorandum ex officio fuiſſet. Dicendi ſimul, & vivendi finem fecit die 20. Septemb. 1677. Ravenſpurgi.

IV. P. Alexius Spirenſis poſt indutum Capucinum, & religioſiſſimi viri ſpecimina inſolito Martyrii ardore flagrans à P. Generali facultatem ad Indos pro infidelium converſione proficiſcendi obtinuit; quem tamen Provinciæ Patres ab hoc conſilio traductum Miſſioni Rhæticæ præfecerunt, etiam ibi, ſi Deo viſum fuerit, Martyrii laureâ potiturum; qua nuper B. Fidelis pariter decoratus eſt. Igitur glorioſi Anteceſſoris ſui veſtigiis propè adhuc cruentis preſſim inſiſtens nihil eorum reliqui fecit, quod ad fideliſſimi ſucceſſoris partes deſiderari potuiſſet. Adverſùs Rhætos ingenio hæretico iterùm tumultuantes decernitur expeditio; cui P. Alexius ante conflictum arma Catholico-Auſtriaca ſolenni benedictione luſtrans ſignum S. Crucis prætulit, militi hortator ad pugnam, & vates victoriæ. In pluribus velitationibus id ipſum ſemper impunè præſtitit. Armis ſubinde quiescentibus ipſe ſine requie per montes, & valles curſitando animabus ad ſalutem venandis operam indefeſſam dabat
III incurius periculorum, & inſidiarum, quas hæretici ei ſternebant, ſuimet reficiendi oblitum ſolus animarum zelus ſatiare videbatur. Tam ardua vitæ ratione oculorum cæcitatem ſibi accerſivit, ut maximâ ſpiritûs afflictione à Miſſione vacare debuerit. Collyriorum ope aliquam lucis uſuram adeptus priora ſtudia reſumpſit; & velut alter Matthatias gladio Spiritûs in facinoroſos, & graſſantia ſcandala invectus eſt. In quibusdam Helvetiæ abſtruſæ locis vitium carnis usque ad publica lupanaria invaluerat. Huic extinguendo bellum irreconciliabile indixit; & cùm ſacris invectionibus nil profeciſſet ad ingenium converſus in plateis parvulos munusculis, & blanditiis conduxit, & ex eis agmen inſtruxit. Cum hoc ergò in ea loca, in quibus quadrantariæ Schæmiculæ expudorata fronte venales proſtabant, proceſſit, & ad ſacellum S. Jacobi in via occurrens delatus juſſit Religioſus Archiſtratégus innocentem hunc exercitum inibi divertere, & pro felici expeditionis ſucceſſu quinque Pater, & Ave ſecum comprecari. Illud autem, quod ab inermi

hac

hac cohorte exigebat, hoc fuit, ut ubicunque meretricem habituri ſunt obviam, dato à ſe ſigno hanc emigrare juberent, nolentémque lapidibus perſequerentur, & luto conſpergerent. Puerile id quidem inventum videbatur; ſed cæleſte conſilium fuiſſe, effectus comprobavit. Nam hoc ſtratagemate, & exercitu intra octidui ſpatium infamia ſcorta in fugam; & Magiſtratum iis faventem in ruborem conjecit, locúmque illicito ganeo expurgavit. Peſtifera lue Cantonem Uranienſem poſtalios etiam corripiente hanc calamitatem vir Apoſtolicus in adipiſcendi Martyrii incruenti occaſionem aſſumpſit, cùm cruenti gratiâ ſe deſtitutum videret. Igitur laxatis charitati ſuæ, & animarum zelo habenis infectos incolumitatis ſuæ negligens Sacramentorum adminiſtratione, aliísque charitatis officiis juvare, ſolari, ad mortem ſubeundam animare inter lucra, & delicias ſuas computabat; donec & ipſe eadem peſte afflatus hilari vultu, & ſpiritu exultante glorioſa charitatis victima ceciderit Altorffii 19. Jul. 1629.

V. P. Aloyſius Veldkirchenſis opulentam mundi fortunam, & amplioris ſpem cum abjecta inter Capucinos ſorte commutavit, & gratiarum à Deo, & natura ſibi impenſarum abundantiæ fideliter cooperatus in conſummatum pietatis, & doctrinæ exemplar evaſit. Dono prædicandi verbi divini & zelum Apoſtolicum, & vitæ auſteritatem anachoreticam adjunxit: hinc eo feliciter ad commovendos auditores, convertendos peccatores, diſſipandas animorum ſimultates, lites publicas, & rancores uſus eſt. Guardiani, Definitoris, & Provincialis dignitatibus auctus minimus ſibi permanſit, & authoritatem non aliter, quàm ad manutenendas leges, ſervandam, urgendámque à ſubditis Regularis vitæ diſciplinam uſurpavit. In ipſo Provincialis Capitulo loco moleſtiſſimo ſingultuum, & ſpaſmi ſtomachalis morbo tortus invictæ patientiæ exempla præbuit. Poſt adhibita ſalutis remedia cùm ad poſtrema vergeret, juſſit ſibi S. P. Franciſci per omnia ſectator hiſtoriam Dominicæ Paſſionis ſecundùm Joannem, ſed morosè, prælegi, ut meditandi ſpatium haberet, & ubi lector ea verba attigit: *& inclinato capite emiſit ſpiritum.* Ipſe quoque meditatione abſorptus efflavit ſuum, in æternas delicias abſorbendum. Cellæ 20. Septemb. 1693.

VI. P. Ambroſius Altſtättenſis poſtquam Philoſophiæ, & Theologiæ Doctoratu in celebri Peripato Friburgenſi inſignitus præſtanti litteraturæ vitæ integritatem, morum probitatem, inſuper & Juris Canonici prudentiam ſociâſſet, omnium, qui eum noverant, judicio maximis dignitatibus paratus, & deſtinatus videbatur; prout & in Ampliſſimo Epiſcopatu Conſtantienſi Officio Fiſcalis curiæ potitus, & aliquamdiu laudabiliter perfunctus jam jam aſcenſum ad altiora facturus credebatur. Verùm ſanctiori ſydere afflatus pro aſcenſu deſcenſum in animo volutavit, mundóque titulos, honores, & proventus ſuos habere juſſo Fiſcum, & theſaurum ſuum in paupertate Religioſa proſequendum ratus Capucinis ſe aggregavit, ut cunctarum rerum egenus animi donis prædives efficiatur. Ut in eo nil mediocre, nil ſuperficiale; ſic & in virtutum ſtudio ad ſumma conniſus eſt, ut Provinciæ monimenta eum inter perfectiores

Capucinos collocent : quod quidem omnium aliorum encomiorum, quin & officiorum, Guardianatûs, & Definitoriatûs, quæ in Provinciæ utilitatem geſſit, maximum eſt. Die 21. Jan: 1663. Friburgi Brisgojæ religiosâ morte nominis ſui celebritatem poſteris, animam ſuperis tranſcripſit.

VII. P. Andreas Mengenſis odorem inſignium virtutum, quo à juventute imbutus fuit, uſque ad glorioſam mortem nobilior teſta ſervavit. Ea tempeſtate, qua Germania peſtifera lue innumeris habitatoribus vacuabatur, in Reſidentia Lindavienſi munus Superioris exercebat ; quò cùm ea febris contagioſa quoque pertigiſſet, continuò tabe afflatorum miniſterio ſpontè ſe conſecravit, maximáque charitate mortem timere neſcia morituris ad vitam profuit æternam. Tandem & ipſe apoſtemate correptus idipſum, & ſecuturam ex eo mortem ſuam P. Seraphino, quo ad obſequia utebatur, detexit, ſéque ad felicem obitum ſpectabili pietate paravit, biduo, antequam moreretur, è P. Seraphino pereontatur : Et quid, dicens, cum Prænobili Domicella de Sirgenſtein Canoniſſa Lindavienſi agitur ? cui ille nolens amantiſſimum Patrem nuntio mortis præfatæ virginis terrere, reſpondit : etiamnùm in vivis eſt. Ad quod P. Andreas : Ego autem certò novi eam mortuam : & tu, mi Pater, poſt mortem meam peſte corripieris : ſed vade ad D. Parochum Rockvvilensem, qui te ab hoc morbo indemniſabit ; id, quod ordine contigit. Exinde P. Andreas Crucifixi imaginem, & ſtatuam B. V. M. nuper Ravenspurgi à petulantia Sueco-hæretica horrendis injuriis laceſſitam ſibi afferri popoſcit. Inter has medius ipſe conſtitutus tanta animi teneritudine, tantísque virtutum actibus animam Deo Conditori, ac beatiſſimæ ejusdem Matri commendavit, & continua per tres horas lacrymarum profuſione in eo exercitio perſtitit, ut P. Seraphinus negotio piarum aſpirationum exemptus lacrymantem duntaxat, & ſtupentem ſpectatorem agere debuerit. Tandem vir religioſiſſimus iisdem virtutum actibus ſuaviter immortuus animam in ſempiternos Jeſu & Mariæ amplexus exhalavit Lindavii die 21. Sept. 1635.

VIII. P. Angelicus Wolfacenſis cum nomine legem Angelicæ puritatis, ſimplicitatis, & innocentiæ ſpecialiter ſibi inditam fuiſſe perſuaſus, adeò in eas virtutes per omnem vitam ſuam ultra annos octoginta tres protractam incubuit, ut nemo illius ſpectator eum non ceu virum Angelicum demiratus, atque veneratus ſit. In eo ſtudio religioſam juventutem exegit, & ad Angelicæ puritatis cuſtodiam omnia illa mortificationum genera adhibuit, quæ virtutum Aſceticarum Magiſtri in eum finem præſcribere ſolent, ipſemet earumdem virtutum Magiſter creatus, & tyrociniis, Conventibúsque moderandis præfectus. Cùm inter minores minimus eſſe geſtierat, ad maxima quæque Definitoriatûs, Provincialatûs, Definitoriatûs, & Vicariatûs Generalis munia trahebatur, ut non ſolùm Deo, Angelis, & hominibus Germanis ; ſed etiam Italis, Gallis, Hiſpanis, Belgis, ac omnium Provinciarum Teutonicarum Incolis ſpectaculum fieret ; quibus omnibus, cùm eorum terras ex ordinis officio peragraret, à ſtaturæ proceritate, canitie, & innocenti affabilitate, atque

que ubi res poſtulabat, ſeveriori authoritate ſe maximè venerabilem reddidit, & à ſummo Imperii Romani vertice, Leopoldo I. qui ejus Viennam viſitationis Generalis causâ delati converſationis ſuavitate admodum delectabatur, id elogium retulit, ut in corona Principum digitô P. Angelicum monſtrans diceret : *Ecce verus Iſraelita, in quo dolus non eſt.* Poſt depoſitam Vicariatûs Generalis ſarcinam denuò in ſupremum Ordinis Senatum aſſumptus Commiſſionem Generalem in Provincias Walloniæ, & Flandriæ ire, ac ſubire debuit, eáque præter arduos itineris labores etiam cum vitæ diſcrimine defunctus ad diu ſuſpiratam in Provincia ſua quietem properavit ; ſed vix Patriæ limen ſalutavit; cùm ecce! omnium Capitularium votis, & enixis precibus ad ſubeundum Provincialatûs munus expetitur, & vir grandævus, multísque corporis infirmitatibus fractus vix non cogitur. Triennali tandem officii curſu, quales omninò quatuor ſucceſſivè exantlavit, transacto Stauffam in ſolitarium Conventum ſeceſſit ; ubi prorsùs vitam nomini ſuo conſimilem auſpicatus ; veriùs proſecutus eſt, in Choro diurno, & nocturno primus ; in horis mentalis orationis aſſiduus ; ad alia exercitia ſpiritualia indefeſſus ; ad menſam velut heſternus Novitius ; in converſatione affabilis, & qui in virtutum ſtudio ſingulariſſimus fuerat, in cibo, potu, aliísque corporis lenimentis ab omni ſingularitate abhorruerat, ſummarúmque dignitatum, quas geſſerat, oblivione gratulabatur ſibi, ſi aut Clericus, aut Laicus frater eum alloquio dignabatur ; & quòd in Communitate Fratrum tolleraretur. Pudicitiam adeò coluit, ut ad retundenda viſcera ex geminæ ramicis irritatione erumpentia vix ægrè ſuum F. Servatium Laicum, quo compluribus annis in graviſſimis itineribus ſuis Chirurgô utebatur, admitteret. Et cùm hic aliquando Monaſteriô egreſſurus eſſet, vírque Angelicus ilia ſibi periculosè propendere animadverteret, in lectulum ſe collegit, potiùs moriturus, quod & contigiſſet, niſi præfatus frater aliis & aliis ex diſpoſitione divina domo adhuc retentus fuiſſet, quàm alienas manus partibus erubeſcendis adhiberi paſſurus. Tandem fatali obrutus rhevmatiſmo cùm ſibi poſtremam luctam inſtare opinaretur, ad eam ſe religioſiſſimè diſpoſuit, & perceptis Eccleſiæ ſacris oculis largiter flentibus à collacrymantibus fratribus ullius defectûs, aut injuriæ inſciis, injuriarum, ac defectuum veniam rogavit. Reliquos vitæ dies oratione, & contemplatione transegit. Die 15. Jan. manè horâ 2dâ interrogat aſſiſtentem ſibi, an necdum tempus, quo fratres ad intentionem matutinam excitentur ? & audito, quòd nondum, orare perrexit. Poſt horam denuò idem ſciſcitatur, & reſpondenti, quod necdum ; ſe autem velle eos excitare, repoſuit : ſinamus illos quieſcere ; nolim enim, ut mei cauſâ vel ſilentium, vel dormientium quies frangatur. Denique ſuſcitabuli ſtrepitu Religioſos pro more expergefaciente, & quaſi ad ultimum optimi ſenis agonem invitante, hic veluti de induſtriâ eò uſque exſpectâſſet, animam intra dentes habere cæpit ; quam & in ſitu orantis paulò poſt placidiſſimè efflavit. Poſt obitum ea vultûs amænitas, & roſaceus genarum, labiorúmque color perſeverans dubium fecerat, num mortuus, num verò ſuaviter dormiens

vivus eſſet. Et quamvis ultra 28. horas ſummo hyemis frigori expoſitum eſſet cadaver ; nil tamen facies decore ſuo dimota ; caro quoque mollis, & tractabilis perſtitit, digitorúmque articuli mansêre flexibiles ; quin & turgidas ſanguine gyrante arterias nonnulli obſervârunt. Ad hoc igitur ſpectaculum immenſus fit hominum confluxus, qui in oſcula manuum, & pedum certatim ruere ; pilos barbâ evellere ; petiolas habitûs abſcindere ; floſculos, quibus feretrum ornatum erat, rapere viſi ſunt, ut, ne nimietate religionis peccaretur, cadaver cuſtodiri debuerit. Itum deinde ad inferias, & corpus liberaliter fluidis parentantium oculis ſubtractum, tumulóque illatum fuit Stauffæ Brisgojæ die 16. Jan. 1713. omnibus virum beatum clamantibus. Quid ni vox populi, vox Dei ?

IX. P. Antonius ex Malterdingen Lutheranis parentibus, patre loci Parochó, ſeu Prædicante, editus cum lacte hæreſis venenum ſuxit ; in quo & enutritus, & educatus ; attamen ad annos diſcretionis pertingens ſupernæ gratiæ radiis perſtrictus illud averſari, atque Catholicis ſacris affici cæpit. Chirurgiæ addiſcendæ Profeſſori cuidam Lutheraniſſimo elocatus aliquoties animi ſui ad Papam propendentis indicia prodidit ; ſed acerbiſſimè luit, verberibus uſque ad mortem caſtigatur, ſemel etiam vir inhumanus prægrandem ſudem pueri cerebrô illiſit, ut inde propè exanimis de vita periclitaretur. Hanc verò barbariem ; maximè autem Lutheri caſſidem declinaturus Duce Deo Friburgum Brisgojæ auffugit ; ubi explicato animi ſui propoſito à Chriſtiana piorum charitate ſuſceptus, myſteriis orthodoxis initiatus, ejurato Luthero inter Catholicos aſſertus, ſtudiis humanioribus admotus, hísque inſigniter imbibitis à ſpiritu ſancto illuſtratus ordini Capucinorum ſe mancipavit ; inque eo morum probitate, humilitate, obedientia, aliísque virtutibus, quæ Capucinum efficiunt, omnibus ſe commendavit. Undecimo ſacræ profeſſionis anno lethali morbo intercipitur, in quo exultans ſpiritu poſtremis morientium ſacris refocillatus paulò poſt horrendùm tremere, in utramque partem ſe volvere, capite abnuere, & turbatiſſimi animi ſigna edere viſus eſt ; qui deſuper interrogatus reſpondit ; ſtygium tentatorem ſe validis argumentorum ſophismatis deſerti Lutheraniſmi redarguiſſe ; dubiis intricâſſe, & deſperationi involvere inſtitiſſe ; eum tamen diſſenſu ſuo, & aquæ luſtralis virtute abactum ; ſe verò jam ſerenatum libenter mori velle ; quod & paucis dehinc horis conſolatiſſimo ſimilis fecit Friburgi Briſ. die 23. Maji. 1693.

X. P. Apollinaris Sigmaringanus B. Fidelis glorioſi martyris ſanguine, & Religione germanus frater, minimè eidem pietate, & doctrinæ ſecundus ; ſed illi ad ſectanda divi Franciſci inſtituta in ſpiritu, & virtute præcurſor, pro donorum à Deo, & natura liberaliter ſibi conceſſorum amplitudine Ordinem, & Provinciam noſtram inſigniter decoravit, ut erat Concionator ſuo ævo præſtantiſſimus ; ita principaliora Provinciæ pulpita ei in exercendæ Apoſtolicæ facundiæ campum obtigerunt ſanctioris vitæ exemplis verbo præclaram perſuadendi vim, & authoritatem conferentibus. Anno 1622. die 24. Aprilis à RR. PP. Societa-

tis

tis Jeſu Conſtantiæ in feſtum Canonizationis SS. Ignatii, & Franciſci Xaverii panegyrin rogatus eadem hora, qua B. Fidelis Germanus ſuus à furentibus hæreticis in odium fidei immaniter trucidabatur, in Cathedra perorans ſub ipſo ſermonis curſu violento ſymptomate lingua, & voce intercipitur, immaníque capitis dolore, ac totius corporis puncturis inceſſitur, ut auditores id ex vultûs pallore animadverterent, & Concionator re imperfecta ſibi deſcendendum exiſtimaret. Poſt intervallum ſibi redditus, & dolorum liber, felici, ùt ſolebat, ſuadâ inceptam orationis telam proſecutus in fine tam inſoliti interſtitii cauſas expoſuit. Tunc autem primùm, ubi reſcitum fuit B. Fidelem eodem quaſi articulo ſub incude glorioſi Martyrii deſudâſſe, & agonem ſuum conſummâſſe, omnes admirati ſunt ſeu ſingularem Numinis diſpoſitionem, ſeu mirabilem ſympathiæ naturam moventis efficaciam. P. Apollinaris ob exactam religioſitatem multa rerum experientia ſtipatam ſæpiùs Guardiani, & Definitoris munere auctus poſt multa in Deum, & Provinciam merita tandem Altorffii peſte corripitur, hujúsque vi linguæ uſu deſtituitur, quod unicum plus cæteris ægrum afflixit. Acuit ergo neceſſitas animum B. Fidelis Germani ſui opem implorandi. Quis dubitet talem Fratrem à tali Fratre adjuvandum? Momento enim hic è Cælo demiſſus mira claritate ſe ſpectabilem exhibet, &, *Frater mi*, ait, *animæquior eſto, absque exhomologesi non diſcedes.* Hac fraterna epiphania, & voce recreatus Apollinaris glorioſo Fratri aſſurgere volens pronus extra lectulum in faciem corruit, humíque adeò illiſus fuit, ut multum per nares ſanguinem ſtillaret. Sed ecce in ſanguine vita! nam cruore copioſè profuſo vox, & loquela ægro redit: quo inde admodùm conſolatus, & Sacramentaliter confeſſus animam ſic probè expiatam exhalavit. Altorffii 2. Jul. 1629.

XI. F. Archangelus Schirmeniæ, Lotharingiæ Ducatûs oppido procreatus aliquamdiu manſuetioribus muſis operam dedit; inde cingulum militiæ indutus tantos paſſus fecit, ut ex gregario milite intra breve tempus belli ſtratégus evaſerit, non ſtipendiorum diuturnitate; ſed ingenii militaris felicitate in altum eluctatus. Proditum enim de illo fuit, quòd artificioſa ſtratagematum inventione inſignes victorias, & opima ſpolia ab hoſte retulerit; caſtra, & munita loca mira celeritate occupaverit; aliáque præclara geſſerit; quibus, accedente etiam oris elegantiâ, flavæ cæſariei per humeros fluentis decore, totiúsque corporis venuſtate Principum favores ſibi conciliaverat, ſummis provinciis potiturus ſi & Deo placuiſſet. Hoc enim verò aliter de eo ſtaruente contigit aliquando, ut alterius cujusdam Belli Ducis cum morte luctantis agoni præſens adeſſet, ſtygiásque larvas lectum ægroti circumdantes oculis videret; quibus adeò territus eſt, ut inſonante præterea voce cælitùs delapſa, qua nominatim ad Ordinem Capucinorum vocabatur, abjectam chlamydem cum detrito Capucinorum centone commutaverit, cælúmque Evangelicæ auſteritatis violentiâ rapiendum ſuſceperit. Quemadmodùm autem in expeditionibus ſæcularibus ſtupenda velocitate plurimum valuit: ſic & in ſpiritualibus eadem ad ſumma pertigit.

Vix enim biennio in caſtris Seraphicis exacto ad præmium cæleſte vocari meruit, pro ea, qua vocanti Deo, morem geſſit, obedientiæ, & eximiis vitæ Aſceticæ conatibus æternùm præmiandus obiit Altorffii 14. Jan. 1638.

Litt. B.

I. P. Balthaſar ex Blumenegg Sacerdos inuſitato exemplo ſingulari adhuc in ſæculo, & inter juvenum laſciviam pudicitia enituit. Immixtus aliquando condiſcipulis domum quandam non pudicam pudicus intravit; ſed inquinatus exivit. Erant ibi puellæ, quæ fractis in impuritatem cantilenis, procacibúsque verborum irritamentis, quod cæteri quærebant, pabulum & Balthaſaro in decipulam parârunt, cùm enim ſocios petulantiùs cum iis agere videret, & ab his, quin & ab amiculis ad imitationem pelliceretur, auſus eſt & ipſe nudata puellæ ubera attingere. Verùm tanta eum admiſſæ hujus levitatis pœnitudo inceſſit, ut è veſtigio ſe inde proripuerit, inverecundum lupæ tactum amaris lacrymis, & doloroſa exhomologeſi diluerit, & eò deinceps cautiùs ſibi, & pudori proſpexerit. Reipſa autem expertus eſt, quantum pædoris vel inchoatæ duntaxat veneri inhæreat; cùm poſt plurimum inde tempus manum ſenſerit fœtidè graveolentem, quin frequenti, etiam unguinoſa lotione fœtorem antiquare potuerit, prout cuidam familiarium faſſus eſt. Ut igitur tum hanc maculam penitiùs elueret, tum florem pudicitiæ in tutum collocaret, Capucinis ſe profeſſione adjunxit; & velut lilium inter ſpinas diſciplinæ, abſtinentiæ, aliorúmque rigorum vepres efflореſcere ſtuduit. Transacto autem in Religione non niſi ſexennio decumbere cœpit, ejúsque corpus adipale ægritudinis diuturnitate propè in leotrephidem decrevit. Paraverat Medicus pharmacum, quod in vaſe veneno illinito ægro pro vita mortem attulit. Lamentantibus cæteris errorem Pharmacopolæ ipſe ſine lamentis veneno intùs urgente antidoto cæleſti, & poſtremis emigrantium ſacramentis communiri ſe rogavit. Brevi moriturus fortiter ſuccłamat: Jeſus, Maria! Infirmarius propè eum quieſcens accurrit, & auxilium offert. Ille autem apertis oculis repetit: Jeſus, Maria! currit iſte lumen allaturus; quo facto hic ingeminat ſanctiſſima nomina, ſub quorum invocatione cum exſpirante anno & ipſe innocentiſſimè exſpiravit felicem æternitatis annum auſpicaturus. Lucernæ 31. Decemb. 1658.

II. P. Benedictus Conſtantienſis zeloſiſſimus ſua ætate Prædicator cùm aliis doctrinâ ad vitam æternam manuducendis ſtuduit, ſibi ipſi mortis vates extitit luculento ſanctioris vitæ exemplo. Poſtquam enim Brigantii concionum quadrageſimalium themata conſueto applauſu, & fervore inchoâſſet, ſubitò graviſſima, & lethali ægritudine ab hoc ſacro labore faceſſere compulſus eſt, Fratrum, & Medicorum ſuasu ſanctiſſimis moriturientium ſacramentis ad abitum viaticatus. Intra triduum tamen plenè ſanitatis iterùm compos cum ſtupore etiam Medicorum eam convaleſcentiam medicinæ plus naturali tribuentium interruptam concionum

num telam cum ſumma facilitate corporis, & ſpiritûs energia ad finem uſque perduxit. In ipſius autem majoris hebdomadis capite P. Benedictus integrè ſanus fratribus prædixit, Sabbathum ſanctum ſibi fore poſtremum vitæ diem, alterô verò Dominicæ Reſurrectionis ſe itidem cum Chriſto reſurrecturum eſſe. Jocum id fratres interpretati P. Guardiano hoc ipſum retulerunt, qui illud quoque gravi melancholiæ tribuens P. Benedictum ab ea cogitatione divertere conatus eſt. Ita eſt, mi Pater Guardiane, ait, ſed effectus comprobabit verba mea. Die igitur Sabbathi manè circa horam ſextam P. Benedictus ad lectulum compoſitus quaſi absque dolore moritur, fratrésque edocet, ſe non jocoſa, ſed ſeria locutum fuiſſe; qui & piè ſubintulerunt; ſi veridicus extitit vates mortis; ergo & talis extitit beatæ anaſtaſis. contigit Brigantii 24. April 1639.

III. P. Benedictus ex Vaduz in chariſſimis, piiſſimiſque Parentibus ſuis martyr extitit. Ipſi enim magiæ accuſati, multitudine teſtium convicti manu carnificis, ſed innocentiſſimè, capite plexi ſunt. Nam diſponente Numine qui innocentium accuſatores fuerunt, innocentiæ præcones agere compulſi ſunt, faſſi, Dæmonem in Epichoreis eorumdem perſonas exhibuiſſe. Re igitur ſic compertâ piiſſimi homines publico judiciô innocentes aſſerti, famæ redditi, & eorum corpora exhumata ſolenni pompâ honeſtiori inter alios loco condita fuerunt. Ea de cauſa modeſtiſſimus eorum filius in ordinem ſuſceptus eſt; cujus unicus conatus fuiſſe videbatur, ut ſe in ipſiſſimum S. P. Franciſcum transfiguraret. Menſam non comeſturus, ſed jejunaturus acceſſit. Vini abſtinentiſſimus, ſomni parciſſimus in contemplatione Dominicæ Paſſionis, hujúsque imitationis ſtudio cupedias, & delicias ſuas ſtatuebat. Cilicio loricatus, flagellationibus ſupernumerariis cruentus, ſilentii obſervantiſſimus, ac paupertatis ſtudioſiſſimus omnium ſententiâ in magnum Provinciæ Patrem deputabatur. Sed Deo viri hujus aliena à talibus vota benigniùs reſpiciente, ac humilitati ejus auxiliante diriſſima illum podagra, & chiragra omnium officiorum incapacem reddidit, ſimul atque gratiſſimam patiendi occaſionem præbuit. Doluit non tantùm Provincia; ſed mundus, quòd hæc ſiniſtra ſors hunc virum à cathedra cohiberet, in qua nudum Jeſum tanta impreſſione prædicare ſolitabat, ut nemo auditorum non compunctus, non melior è concionibus ejus regrederetur. Fatali morbo ſuperveniente toto virium impendio ad mortem tanquam ad nuptias ſe præparavit, nunquam lætior, quàm ubi à medico didiciſſet, de vita ejus conclamatum eſſe. Arrepto igitur Crucifixi ſimulacro animam piiſſimam in ſacratiſſima Chriſti vulnera meditabundus depoſuit, relicta fratribus pinguiſſima hæreditate: id eſt, nihil, quod vel obulum valeret; præter ſcripta doctiſſima, & unum tractatulum de modo ſecurè, & piè moriendi, ſecundum quem obiit Conſtantiæ 9. Mart. 1710.

IV. P. Bernardus Donavvertanus inter fratres minores de obſervantia dictos jugo Seraphico primùm aſſuevit, eósque in ſpiritu progreſſus fecit, ut illi novitiorum ad leges Franciſcanas figendorum cura concredita fuerit. In-

de cum debita diſpenſatione ad Capucinos tranſiit, qui priùs Magiſter, nunc Tyro in eximium apud nos aſcetam excrevit. Guardianare juſſus talem ſe exhibuit, ut majora jubendus crederetur. Sed decurtatus vitæ curſus hanc opinionem deſtruit, & Bernardi vota complevit. Rappersvvilæ in morbum incidit, ab initio non gravem, at ſubitò talem, quo omnium ſenſuum expers jacuit. Angebantur fratres de ægroti necdum ſacris muniti ſtatu. Poſt horum tamen fervidas ad Deum preces in ſe reverſus ita ad fratres: Nunc, inquit, Confeſſarius adſit; quia Deus miſericordiſſimus adeò mihi conſcientiam meam oſtendit, ut probè jam ſtatum meum cognoſcam. Addidit: o Patres mei! quàm arcta eſt ad Cælum via! Ex quo patuit, fuiſſe exſtaſin, quam alii ſyncopen putaverunt. Perceptis devotiſſimo ritu viatici ſacris fronte in ſerenitatem explicata magna fratrum ædificatione placidiſſimè in Domino obdormvit Rappensvvilæ 1. Sept. 1638.

V. P. Bernardus Conſtantienſis Concionator eximius, & Guardianus zelantiſſimus heroico quodam facto ſempiternam in Annalibus memoriam promeruit. Magni nominis matrona inſano, & illicito ejus inſcii amore tenebatur, illúmque variis modis, & verbis venere plenis ad lapſum pertrahere nitebatur. Ipſe autem votivæ puritatis cultor ſingularis tanto increpationum, & proteſtationum impetu obſcænam obruit, & propinati ſceleris impietatem perſtrinxit, ut illa extincto veneris appetitu prona in terram lænocinium ſuum uberrimis lacrymis deprecata pœnitentiam, & emendationem ſpoponderit. P. Bernardus incæptum Religioſæ vitæ tramitem proſecutus religioſo etiam fine coronavit die 10. Octob. 1669. Cellæ Ratholdi ſepultus.

VI. P. Bonagratia Habſenſis in ſæculo inſignis legum peritus, & Medicinæ etiam Candidatus ſimplicitatem Capucinorum omnium mundi fortunarum potiorem habuit. P. Joanne Chryſoſtomo ex Beüren viro uſque ad ſanctitatem pio uſus eſt tyrocinii Directore, à quo, cùm febri malignâ ægrotaret, ac timeret ſe ideò ex ordine ejiciendum, per miraculum, lecto ſuper eum S. Joannis Evangelio, impertita benedictione, prolatísque hiſce verbis: Eſto ergò ſanus à plaga tua, inſtantaneè ſanatus eſt. Non indigno hoc beneficium conferendum, & collatum fuiſſe & piiſſimus Novitiorum Magiſter in ſpiritu prævidet, & eventus docuit: ipſe enim Bonagratia in ſpiritualiſſimum, & doctiſſimum virum evaſit, Guardianatûs, & Definitoriatûs munere, dubium, an exactiùs, an diuturniùs in maxima Provinciæ emolumenta perfunctus, regularis diſciplinæ tantus obſervator, quantus exactor: in reliquis omnibus humillimus ſolo paupertatis theſauro glorioſus dicere conſueverat: *Nihil habet domus noſtra melius, Deo gratius, & mundo mirabilius, quod oſtendat, quàm paupertatem:* ad cujus tutiorem cuſtodiam vel litteras etiam graviſſimi argumenti non in munda, aut recenti papyro; ſed aliarum Epiſtolarum reſiduis, vacuísque fragmentis exaravit. Semel in itinere ad Capitulum Romanum, dum mari veheretur, omnibus præſentis naufragii metu in funera palleſcentibus, & horrendùm ejulantibus ipſe in navis angulo defixus orationi ſine metu, & redituræ malaciæ fiducia plenus

plenus cæteros bono animo eſſe juſſit ; cujus & interceſſioni tum nautæ, tum alii indemnitatem ſuam tribuerunt. Nomine Bonagratia in Euchariſtiæ Sacramentum, quod ethymologicè bonam gratiam dicit, ferventiſſimo amore, reverentiâ, & latriâ æſtuabat , ſemper illum ex Pſal. 110. verſiculum mente, & linguâ verſans : *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors , & miſerator Dominus , eſcam dedit timentibus ſe.* Quorum meditatione verborum ſæpè uſque ad extaſin in Dei Creatoris, Redemptoris , Glorificatoris , & Chriſti Euchariſtici magnalia abſorbebatur. His adjunxerat Antiphonam . *Benedicta Filia tu à Domino, quia per te fructum vitæ communicavimus.* Plurimis pro Deo,& Religione laboribus perfunctus aſthmate, & hydropiſi obruitur factus jam patientiæ Magiſter, qui tamdiu ſcientiarum , & virtutum Doctor extiterat. Semel ad F. Clericum ſibi à ſervitiis ſtantem : adhuc quinque dies, ajebat , ſuſtinete me ; tunc enim me tanto onere veſtro liberabimini. Eundem determinatum mortis ſuæ diem cuidam honoratiſſimo viro Benefactori per litteras ſignificavit, & inter alia ſalutis æternæ axiomata eidem præſcripſit, ut ſacerdotes Dei digna ſemper veneratione proſequatur. Poſt ſacrorum uſum probè itineri accinctus die quinto , qui fuit Dominicus, & primus, quo menſtruæ pro defunctis indulgentiæ ejus potiſſimùm ſtudio, & induſtriâ impetratæ in Eccleſia noſtra obitæ ſunt, ſub meditatione matutina, dum fratres pro felici ejus obitu Antiphonam : ſub tuum præſidium &c. comprecari inciperent, quietiſſimè exſpiravit Friburgi Brisgojæ 13. Mart. 1672.

P. Bruno Friburgenſis quanto odio omnem impietatem , & graſſantia in mundo ſcelera abominatus ſit , in cathedra perpetuam ſpeciem exhibuit. Maximo enim fervore, & eloquentiâ patheticâ ea inſectatus eſt, anabatarum more, clausisque oculis, ne cujus perſonam reſpicere poſſet, gladio ſpiritûs, & verbi divini punctim, cæſim in publica ſcandala , & delicta invehi ſolitus, nemine ejus dicendi libertatem ægrè ferre ausô, cùm inſpectâ ejus vitæ ſanctimoniâ ab omnibus ceu oraculum divinum formidaretur. Tantâ Paſſionem Domini explicandi gratiâ pollebat , ut ob erumpentium lacrymarum, gemituum , ac ſuſpiriorum ſtrepitum ſæpè filum orationis abrumpere , & in aliud argumentum tranſilire neceſſum fuerit. Conſtantiæ mulier quædam in hæreſi obſtinatiſſima omnium Theologorum operam, quam hi ei convertendæ impenderant, eludebat. Aliquando curioſitatis impulſu Concionem P. Brunonis adivit collectura inibi, quæ taxaret. At verò tanto rationum pondere , & deſerendæ hæreſis motivis Eccleſiaſtes hic mulieris pervicaciam, non quidem ex propoſito, exagitavit, ut hæc ſaniores cogitationes admittens ab accerſito P. Brunone ſacris Catholicis initiari, & evomito Zvvinglii, vel Calvini maleficio in Romanæ Eccleſiæ ſinum aſſeri poſtulaverit, & obtinuerit, omnibus hanc mutationem dextræ excelſi linguam P. Brunonis victricem reddentis adſcribentibus. Adversâ valetudine in lectum coacto cùm quis Medicus poſt plura incaſsùm tentata indicaret, eum ex hoc morbo brevi moriturum eſſe,ille intrepidus reſpondit;utinam hæc ipſiſſima,quam agimus,hora in vim tuæ prædictionis mihi poſtrema foret. Agonizanti quidam, ut ſe in vul-

VI.

nera Chriſti demergat, ſuaſit ; atqui, ait iſte, hæc jam dudùm utique ſecuriſſima habitatio mea fuerunt, ſunt, & erunt. His ultimùm dictis ſpiritum pientiſſimè emiſit Conſtantiæ 5. Decemb. 1645. Ad ejus ſepulturam ingens hominum panegyris confluxit, tanti viri jacturam lamentis proſecuta, eique æterna præmia precata.

Litt. C.

I. CAſimirus Ettlinganus modeſtiſſimæ vitæ juvenis, omniúmque opinione ad ſumma quæque natus ſecundò poſt votorum nuncupationem anno febri acutâ vitæ longioris telam ſibi præcidendam ſentiens, & SS. Sacramentis proviſus ſumptâ in manus Crucifixi imagine tanto fervore, devotione, & diſertâ Aſceſi ad alacriter moriendum ſemet animavit, & in Numinis voluntatem tranſcripſit, ut fratribus ſpiritualium exercitationum, & affectuum panopliam in juvene ſummè admiratis copioſas lacrymas elicuerit. Exinde ſubmiſſiùs orans, & patienter finem exſpectans innocentem animam in Chriſti vulnera efflavit Offenburgi 22. Jan. 1677. cujus corpus poſt nonnullos annos incorruptum adhuc noſtri de viſu teſtati ſunt.

II. P. Caſparus Uberlinganus Concionator implacabile carni ſuæ bellum indixiſſe, ac etiam intuliſſe viſus eſt ; ut nemo alius commodi ſui ſectator eſſe potuerit, ac ille domitor fuerat. Quæ ſenſibus contraria, guſtui amariora, paupertati viciniora, & humilitati affiniora eſſe crederet, hoc amplexus eſt, multas noctes hyberno tempore in horto intenſiſſimo frigori, nivibúsque expoſitus erectis in cælum oculis perdurabat : plurimas ſomno ſubtractas horas contemplationi, aut cruentis flagellationibus ; pauciſſimas quieti dabat, huic non niſi victus in nuda humo, vel aſſere indulgens. Jejunium illi nullum tempore circumſcriptum ; ſed continuum fuit. Ut non hujus terræ incola videbatur ; ita naturæ patientis limites ſupergreſſus multùm ſe alterius mundi inquilinis familiarem fecit, uſque eò, ut eorum plures ſecum locutos, pœnas ſuas conqueſtos, & ſuffragia emendicatos habuerit. Ex plena in Deum fiducia, & ardenti animabus ſatispatientibus opitulandi deſiderio ea ipſi animoſitas enata eſt, ut domos, cubilia, collapſa Caſtra, & arcuatas cavernas ſpectris, & defunctorum manibus infames ſolus absque lumine ingreſſus loca illa aut exorciſmis perpurgaverit, aut ſpiritus inde liberaverit. Innumeros tum homines, tum jumenta ligaturis pythonicis perſtricta benedictionis, vel privatæ orationis remedio immunia reddidit, ad aliquem ſibi familiarem dicere ſolitus, ſe nil unquam gratiarum à Deo rogâſſe, quas non plenæ in eum fidei merito obtinuerit : & ad quemdam Fr. Clericum biduo ante mortem, ſed ſub ſtricta ſilentii lege : ſe operante Numinis gratia nullo alio, quàm fiduciæ in Deum, & S. crucis collyrio duos cæcos illuminâſſe. Denique mortis ſuæ præſcius, diſſimulato tamen omni morbo, tacitis adeò progreſſibus ad vitæ ſuæ veſperam prolapſus peracto ultimo per modum viatici Miſſæ Sacrificio pedibus in lectulum collectis animam agere cæpit, ſéque ipſum adversùs inferni ſuggeſtus ardentiſſi-

mis

mis virtutum actibus cohortatus inter ingeminata Jeſu & Mariæ nomina oculos in piam mortem clauſit Bezavii die 11. Maji. 1725.

III. P. Cherubinus ex ſchruns concionator cum mundo omnem quoque hujus memoriam abjeciſſe viſus eſt, adeò omnibus, quæ ſunt in mundo, mortuus, ut accedente etiam rigidiſſima inediâ, omniúmque ſenſuum mortificatione vivum funus referret. Ex conſortio Dei omni humano conſortio, & alloquio carere didicit, ut miſanthropos compellari meruerit. Parum fuerat noctu Eccleſiam flagellorum ictibus, quibus in corpus ſuum deſæviebat, perſonuiſſe, niſi & parietes, & ſubſellia nonnunquam ſanguine rubricâſſent. Inter pluvias, nives, frigus hyemale, & calores æſtivos nec pedes, nec caput tectus inceſſit. Hyeme membra gelu rigentia furno calefacienti nunquam applicuit. Æſtate verò ſemitam horti ſibi aſſignatam ſub vehementiſſimis ſolibus apricatus de genu loliis expurgavit, flagrantiſſimo animarum zelo æſtuans, ſolennia tamen pulpita non ambiens cum ſimplicibus, hominibúsque vallicolis, & montanis libenter ſermocinatus eos ad omnem pietatem, & vitæ honeſtatem erudire in maximis deliciis habuerat, eo quidem ſucceſſu, ut auditores verba tanti Pauli audientes non poſſent non illuc trahi, quò comes virtutis exemplum prælucebat. Habitum mille tribonibus divitem ad æmulationem viliſſimorum in via Æruſcatorum geſtavit, quo, & aliis, licèt eſſet vir prudens, nec tantùm ſuperficialiter litteratus, ſtultus mundi haberi geſtiebat. Cùm ad extrema vergeret, nuntium mortis in vita ridere neſcius, ſubridens excepit. Sacramentis Eccleſiaſticis refectus pientiſſimè obdormivit Bezavii 29. Jan. 1734. à morte nulla alia re, quàm vitâ ſpoliatus.

IV. F. Chriſtophorus Stadienſis Laicus ſtupendo prorsùs modo in Capucinorum ordinem redactus eſt. Ruſtigenus inter petrones educatus, atque corruptis aliorum moribus initiatus nocturna Juvenum, & Juvencularum conventicula & ipſe audacter frequentare cæpit. In tali aliquando veneris circulo dum noctambulones pueri puellis filum è colo ducentibus aſſiderent, alii duo ignoti ſuperveniunt ruſticelli Juvenes, quorum quilibet unam etiam è puellis ſociam converſationis ſibi delegit, eíque ſe adjunxit. In hoc cætu una ſuſpecti nominis, & adultior aderat; & altera vix nubilis, ac illibati adhuc pudoris; cui fuſum, quo ſtamina trahebat, in terram delabitur. Eſt autem ruſtica hiſce hominibus urbanitas, ut tali caſu Juvenes ſtatim è terra levent, quidquid manibus puellarum elapſum fuerit, hócque illis in amatoriæ exactionis meritum præſtent. Dum ergò & hæc Juvencula, & unà procus ejus certatim ſe inclinarent fuſum levaturi; ecce! hæc nunc clarè videt, exiſtimato amaſio ſuo pedes eſſe caprinos; unde nimiùm conterrita exclamat: *Jeſus Maria!* Vix ea ſanctiſſima nomina inſonuerant, momento perſonati illi Dæmones magno cum fragore, & extinctis luminibus diſparuerunt; quo aliis metu perculſis, aliis ad ſpiritualia arma confugientibus adultior illa quaſillaria ſola, & ſecura perſtitit; quæ & in jus vocata, ac ſe veneficam eſſe confeſſa edixit, ſe adſcitis ex orco amaſiis puellam illam innocentem eodem ſacramento diabolico illigare

propoſuiſſe. Quapropter igne ſçelera ſua luere juſſa eſt. Chriſtophorus hujusmet tragædiæ ſpectator ſanctioris vitæ conſilia volvit, atque in Ordine Capucinorum longævam pœnitentiam profeſſus ab humilitate, paupertate, obedientia, orandi, & laborandi aſſiduitate, & extraordinaria vivendi auſteritate optimi Laici nomen ſibi comparavit; in quarum virtutum conatu adhuc magis obfirmatus eſt alio prodigio, cujus ipſe teſtis fuerat. Cùm in quodam Conventu juxta alios coram venerabili Sacramento conſcientiam de more luſtraret, unus retrò in Eccleſia immani flagellatione corpus ſuum cædere auditus eſt; ad quod ſtupere omnes, & artubus tremere, concurrere, auffugere cæperunt. P. Guardianus autem mox judicans, unum è defunctis fratribus poſthumis flagellationibus in vita neglectas compenſare, reliquis à fugâ cohibitis & ipſe flagellationem indixit, ac inſtituit, qua ſub conſueto miſerere, alternante etiam defuncto, ad ultimum verſum perductâ, datóque ceſſandi ſigno & ipſe tunc, & deinceps flagellari deſiit. F. Chriſtophorus tandem ſenio, & laboribus exhauſtus conſolatiſſimè ex hac vita migravit Wangæ 18. Sept. 1678.

V. P. Columbanus Rottenburgenſis prænobilem ex Prechtiorum familia ortum, ſed ipſo ſanguine nobiliorem ſortitus indolem, poſt calcatas mundi quisquilias, ſuperatas pudori ſuo inſidiatrices amiculas, repudiatas honeſtiſſimas nuptias, ſpretas parentum lacrymas, & perſuaſiones contemptámque omnem mundanam, & fallacem figuram vocante Numine in humilem Capucinum defigurari ratum fixúmque habuit ſcientiâ, opibus, formæ elegantia, aliísque maximarum dignitatum ſectandarum ſuffragiis inſtructiſſimus juvenis: quo facinore heroico ampliora gratiarum charismata à Deo promeruit. Poſt dictum Religioni ſacramentum importunius ab angelo ſathanæ colaphizatus cùm nec inediâ, nec corporis defatigatione, nec prolixis precibus eum abigere potuiſſet, ferrum in brachii venam adegit, è qua abundè profluens cruor urentes Cupidinis tædas extinxit; eúmque deinceps Aſmodæus moleſtare auſus non eſt, ut teſtarentur Confeſſarii Columbanum illibatam virginitatem tumulo intuliſſe. Quod naturalis timor indiderat terſioris eloquii impedimentum, hoc invocatæ S. Cordulæ virg. interceſſio inſtantaneè abſtulit, ut alter in cathedra Chryſoſtomus haberetur. Per omnia Ordinis munia ſæpiùs Provincialatum attigit, in quo regularis diſciplinæ cuſtodiam exemplo, verbo, & cenſuræ ſeveritate ſoſpitare præ vita curavit. Ut erat vir totus ex virtutibus compoſitus; ita ſibi omnem cujuspiam, ſingulariter patientiæ exercendæ occaſionem gratulabatur. Aliquando in circulanda Provincia conſtitutus, cùm eum per terras hæreticas via tuliſſet, in petulantiſſimum bubulcorum manipulum incidit; qui pium Patrem primò ſarcaſmis, & opprobriis onerârunt, tandem perticis, & virgis flexibilibus circa pedes, quoúsque habitu ſuccincto nudati apparebant, tam petulanter cæciderunt, ut impactas vibices liberalis cruor ſequeretur. Quo tempore nec minimum impatientiæ verbum ſibi paſſus eſt elabi, P. Socium duntaxat lætanter allocutus: patientia, mi Pater, patientia à vepribus decerpit roſas. Alias itinerantis ſandalia ſubitò reſoluta progreſſum cùm ſiſterent, P. Socium,

cium, ut ea reſarciret, rogat ; qui illicò ſolutam ligaminum partem reaſſuturus impulſu incautiori ſubulam non ſolùm per ſandalium ; ſed in ipſum quoque pedem profundiùs immerſit. Territus, & pro errati venia ſupplex à P. Columbano ſubridente, & dolorem diſſimulante id reſponſi tulit : perge perge, non errâſti, ſed rem acu tetigiſti. Inter alias, quibus frequenter affligebatur, ægritudines etiam numerabat herniàm ; qua cùm olim in curſu viſitationis acriùs exagitaretur, ope B. Eliſabethæ bonæ in Reüthe, ad quam Religionis, & invocationis causâ diverterat integrè, & pro futuro ſemper liberari meruit. Virtutem benedictionis ſuæ adeò ferre non potuit avernalis perſonæ cujusdam hoſpes, ut hic eâ adhibitâ hoſpitio ejectus ; arreptitia autem è vegiſtio hac plaga ſe immunem gloriata ſit, ſub itinere ad Capitulum Generale in peregrinæ Provinciæ fratrem infirmum, & à Medicis conclamatum incidit ; quem P. Columbanus his ſolatus eſt verbis : *Fili mi, ne pertimeſcas : hæc infirmitas tibi non erit ad mortem ; ſpera in Deo, & ipſe liberabit te.* Verbis junxit benedictionem, cujus virtute æger è grabato ſanus cum omnium ſtupore in pedes erigitur. Gratiæ curationum prophetiæ ſpiritus acceſſit, quo plurima omnem humanam notitiam ſuperantia prædixit. Totus à providentia divina ſuſpenſus hanc ſibi nonnunquam in omnium rerum indigentia mirabiliter propitiam expertus eſt. Lindavium ad fratres ibi viſitandos delatus fratrem coquum de acapnis thyſiæ querulum his animavit verbis : *Dominus providebit.* Et verè providit : cùm nemine exſpectante unus è nobiliori piſcium genere Hoſpitio fratrum adnatans ſe ad refectionem capiendum, & P. Columbano ampliſſimum Dei providentiam commendandi thema obtulerit. Quadrageſimationem, ùt vocamus, benedictam tanti fecit, ut, cùm ſemel P. Generalis Secretarii, qui circa finem illius jejunii Friburgum Brisgojæ allati ſunt, hujus relaxationem ſollicitarent, P. Columbanus fortiſſimè contra hanc euphemiæ Religionis nocivam, & ſæcularibus ſcandaloſam proteſtatus ſit, & P. Generalis ejus zelo condeſcendens ſocios eſu carnis interdictos voluerit, ſeveritatem regiminis ſui tanta ſuavitate temperabat, ut à fratribus timeretur quidem quà ſuperior : magis tamen ùt amantiſſimus Pater diligeretur ; quo non viventium duntaxat fratrum animos arctiſſimè ſibi devinxerat ; ſed morientium quoque ſpiritus ad ſibi valedicendum, & rogandam moriendi benedictionem attraxerat, quamdiu enim, & quoties Provinciam adminiſtravit, plerique fratres è vita migraturi in ipſo mortis puncto ad P. Columbani ubicunque conſtituti cellam aderant, & leniter pulſantes apertâ januâ dixerant : *Benedicite Reverende Pater.* Hinc is, licèt neminem videret, ex nota tamen ſibi loquentis voce nominatim edicere noverat : *hic, & hic frater noſter mortuus, aut moriturus eſt.* Procul ab omni faſtu vir humillimus, cùm ei pro more interſtitia à graviori Præfectura obtingerent, tanta alacritate gregariis ſe fratribus immiſcuit, ut viliſſima quæque domûs miniſteria in horto & culina obire ſibi volupe duxerit, alicui familiarium faſſus, ſe delatis ſibi officiorum titulis tantumdem cruciari, ac ſi ſpinea capiti ſuo corona infigeretur, olim à Capitulo Generali repatrianti calidiſſimi ſoles, quibus

Italia æſtuabat, febrim acutam accerſivêre : quapropter ægerrimè Surlacum perveniens Capitulum Provinciale conſcripſit ; in quo flexis genibus, & lacrymantibus oculis defectuum ſuorum veniam rogavit, & quaſi moriturus præſentibus valedixit, at verò PP. Capitulares electrice concordia Provincialatum in ejus humeris confirmârunt, & velis remísque renitentem, ac poſtremam ægritudinem cauſatum, ut electioni cervicem flecteret, coëgerunt. Ipſe ergo id obedientiæ præceptum interpretatus clavum Provinciæ reſumpſit quidem ; ſed cùm ſe hoc munere non perfuncturum præſciret, pro officii ſui ratione Patres ad Regulæ, Conſtitutionum, & paternarum traditionum cuſtodiam adhortatus eos dimiſit. Ingraveſcente morbi vi religioſiſſima devotione ultima animæ remedia uſurpans manibus in formam crucis ſuper pectus decuſſatis ſub his verbis : *Deus propitius eſto mihi peccatori*, animam virginem, ſanctam, Deóque charam in hujus manus depoſuit Surlaci 6. Octob. 1643. & humiliori funeri magnificas virtutes in ſepulchri titulos affixit.

VI. P. Cornelius Lauffenburgenſis Sacerdos ſimplex, & rectus laborem manualem cum oratione mentali fideliſſima devotione reciprocare, & partiri conſuevit, vel potiùs ex ipſo labore perpetuus ad Deum orator evaſit. In podagræ doloribus tolerantiſſimus hos item meditatione mitigare, vel non ſentire didicit ; & ſi uspiam potuit, fulcris ſubalaribus innixus in Chorum repſit. Eo Surlaci graviùs ægrotante P. Aurelius Badenſis diem ſupremum clauſit ; qui P. Cornelio clariſſimè conſpicuus valedicens ajebat ; ſe jam cælum conſcendere ; quod cùm ille F. Lucæ Clerico revelaret, ſubjunxit : ſcito, chariſſime F. Luca, quòd Deipara Virgo me non hìc Surlaci ; ſed Lucernæ in noſtro ad Ceſpitem B. Virginis nuncupato Conventu mori, ac ſepeliri velit. Nemo tunc quidquam de P. Cornelii decumbentis mutatione ſciverat, vel ſomniaverat : at inexſpectatò Superiorum diſpoſitione Lucernam transferri jubetur, ubi poſt exiguam intercapedinem ſuaviſſimè in Domino obiit die 3. Decembris 1638. nemine in viri hujus funere triſti ; ſed cunctis ejusdem Natalia in cælo auſpicata congratulatis ; ut qui B. V. Mariam mortis vatem habuit, ad vitam quoque cæleſtem ducem habuiſſe creditus eſt.

VII. P. Coſmas Conſtantienſis Concionator plurimæ contemplationis, auſteræ mortificationis, & perpetuæ quaſi abſtinentiæ Religioſus poſterioribus præſertim vitæ annis unicâ offâ contentus famem non ſedavit, ſed excitavit. In decretoria ægrotatione P. Guardianum demiſsè rogavit, ne ſe ad eſum carnis jam pridem abdicatum adſtringeret. Sanctiſſimis vitæ beatæ ſubſidiis communitus, nullâque mundi ſibi crucifixi re affectus volentiſſima mortis victima cecidit Friburgi Brisgojæ 18. Maji 1731. relicta ampliſſima hæreditate, quam flagella antiquo, & recenti cruore rubicunda, & alia auſteritatum inſtrumenta conficiebant, ampliorem virtutum ſuppellectilem ſecum trahens.

Litt.

Litt. D.

P. Diethelmus Conſtantienſis Guardianus minimè quotidiani moris, ſed abdicatis mortalium votis, Deóque, quàm hominibus propior eam cum Deo familiaritatem per juge orationis ſtudium aſſecutus eſt, ut eum vel miracula rogare auſus ſit. Sulzbachii Alſatiæ urbe trimulus dynaſtæ filiolus ſua, vel famulæ incuriâ è ſuperioribus caſtri partibus quadraginta cubitos altis in ima delapſus, omnium opinione colliſus, & mortuus eſt. Funus lamentantibus ſupervenit mæſtiſſima genitrix, & ſublati vitam periclitatur; at nihil ejus deprehenſo funus auctura & ipſa præ luctu ſemianimis corruit. Adveniens P. Diethelmus, & lamentorum cauſam doctus, ejulatibus, inquit, nihil agitur, plurimùm oratione ex vera in Deum fide ad Cælum ſupplicatum miſſa: mittite lamenta, mecum in genua procumbite, & expanſis brachiis quinque Pater Noſter & Ave Maria devotè, fiducialiter comprecamini. Dictum, factum ab omnibus. Mirum ſanè! ad ultimam hujus orationis ſyllabam filiolus quaſi è ſuavi ſomno excitatus omnibus ſtupentibus incolumis ſurgit omnis corporis læſionis expers, nullum dolorem queſtus. Igitur redivivus matri exinde pariter redivivæ corridet, & P. Diethelmum, ceu ſuſcitatorem ſuum manûs oſculo ſalutat, converſo in plurimum gaudium luctu. Contigit hoc Anno 1626. à quo tempore P. Diethelmus, usque ad annum 1661. in juſtificationibus procedebat ante Deum, cumulans cum ætate virtutes; quibus ad meſſem albicantibus tandem Solodori mortis ſuccubuit falci. Cùm ad mortem ægrotaret, ſub communi fratrum refectione gravis, iteratúsque pulſus è cella P. Diethelmi profectus ab omnibus audiebatur. Currit infirmarius ægro, ùt credebat, opis indigo hanc laturus. Quærenti huic, quid peteret, reſpondit æger ſatis hilariter: nihil prorſus. Cur ergò, inſtat ille, tam graviter baculi ſui cuſpide pulsâſſet? negat Diethelmus, ſe quidquam motûs edidiſſe; & percontatur, Ecquòd ergò ſignum audierit? quo iſte pulſum enarrante erectis ad Cælum oculis ait: Deus propitius eſto mihi peccatori; hæc enim ultima hora eſt, qua inter vos agam. Bonus Angelus edito ſigno fratres ad agonem meum invitâſſe credendus eſt. Igitur mox agonizare incipiens inter accurrentium fratrum preces placidiſſimè exſpiravit die 23. Aug. 1661. I.

Litt. E.

P. Elzearius Friburgenſis in ſæculo Juris utriusque licentiatu inſignitus perluſtratis aliquot Germaniæ, & Italiæ provinciis, cum à parentibus ad ſpectatum quoddam officium, & condignas nuptias deſtinatus eſſet, ſacratiorem hymenæum nupturiens in Ordine Capucinorum Deo, & B. V. Mariæ ſe deſponſavit. Qui dubitare fecerat, an virtutibus, an ſcientiis magis præſtaret, diſcipulis cathedræ I.

ſuæ addictis utrasque inſtillare conatus eſt. Licèt ævi ſui acutiſſimus Theologus audiret, ſe tamen rerum omnium ignorantem Bambalionem humilitatis artificio finxit. Myſticæ ad pietatem Theologiæ, quàm ad oſtentationem litigioſæ magis ſe addixit; hinc in meditatione rerum divinarum adeò incaluerat, ut ſupprimendo æſtui impar ardentiſſimis hunc ſuſpiriis, & copioſo lacrymarum profluvio licèt invitus proderet. Poſt Deum præcipuâ in cœleſtem Palladem, Deiparam religione tenebatur, in qua diſſuavianda multum diei tempus inſumpſit. Solitudinis amantiſſimus ſæcularium, & proximè conſanguineorum viſitationes ægerrimè aut admiſit, aut non niſi juſſus obivit, ſolo mundi contemptu ſuperbus. In Guardianiæ, & Definitorii candelabrum poſitus ita officiis externis incubuit, ut cura ſpiritûs primas tenuerit. Rigorem Dicaſterii ſui, quo ad manutenendas Ordinis leges utebatur, diſcretio, & exemplum ſuum moderabantur. Virginitatem ad S. Patroni ſui imitationem integram ſervâſſe conſtans fuit plurium aſſertio divino poſt mortem teſtimonio comprobata. Etenim cùm oſſa defunctorum fratrum ante prioris Friburgi Conventûs demolitionem alio eſſent transferenda, corpus P. Elzearii, ex facie integra diſtinctè cognoſcibile, poſt aliquos ejus mortis annos omninò incorruptum, & ſolidum fuit repertum, cui cùm quispiam pedibus inſiſteret, illud tamen inſiſtenti nec minimùm ceſſit. Creditur cæleſte mortis ſuæ reſponſum accepiſſe: Nam eo nomine veniam, & miſſionem ab officiis exoravit, & obtinuit, ut imminenti fato quietiùs accingi poſſet. Propoſitum præſagio vicinum! Nam hodie ſanus cras graviter febrire cæpit. Semel poſt detumeſcentem epiali paroxiſmum fratrem ſibi à charitate ſtantem dormitum abire juſſit ipſe paululùm dormiturus. Verùm eo vix egreſſo Elzearius è lecto ſurgere conatus apoplexiâ ſyncopatur, & ad januam Infirmariæ collabitur inops auxilii ſuffocandus, ſed accipe miſericordem Numinis providentiam ſervi ſui ſollicitam! Horologii excitatorium contra curſum ſuum una hora citiùs ſolutum ſtrepitat, & fratres è ſomno excitat; infirmarius primò ad ægrum ſuum redit! quem vix adhuc ſpirantem invenit, & advocato aliorum auxilio erigit, movet, trahit, & hinc inde raptat, ut defluxione reſoluta ad plenos ſenſus redux commodè SS. Sacramentis curari potuerit; quibus devotiſſimè perceptis è vita ceſſit Friburgi Brisgojæ 7. Maij 1677.

II. P. Erneſtus Friburgenſis adhuc ſæcularis inſigni litteraturâ præditus, & judicii maturitate, morúmque gravitate præſtans pinguem Eccleſiæ cujusdam Præpoſituram adeptus, atque à Celſiſſimo ac Reverendiſſimo DD. Epiſcopo Argentinenſi inter Conſiliarios Eccleſiaſticos cooptatus fuerat. Ipſe autem has arridentis fortunæ blanditias cæleſti conſilio ſuſpectans ſemet his ſubducendum, & in tutiora locandum ratus ſtupente mundo è maximo in minimum Capucinum abiit. Eos in Seraphico Pædagogio paſſus fecit, ut aſceſeos adhuc togatus ejusdem Magiſter jam videretur. Totus ad mentem Seraphici Patris compoſitus maturè aliorum gubernio præficitur; in quo ſe talem geſſit, ut eo cuſtode integritati regulæ, & regularium obſervantiarum ſatis cautum fuerit. Ad-

verſa

verſa valetudo deſtinatum ſibi ad altiora gradum ſtitit, quo nihil gratius viro infimis delectato accidere potuiſſet. Concurrentibus in ſe morbis tanquam ſuis ad altiora promotoribus aſſurgens tanta in patientiæ palæſtra tranſcriptiſſimi in Deum animi præbuit ſpecimina, ut omnibus & admirationi, ac eſſet ædificationi. Piiſſimè viaticatus vitæ religioſiſſimæ actum conſentaneo fine concluſit. Friburgi die 21. Febr. 1687. Poſt obitum F. Leonardo Laico, cujus innocuis moribus admodùm delectabatur, in alio, diſtantíque Conventu ægrotanti P. Erneſtus ſe conſpicuum dedit, ac de futura propediem morte, augendáque in cælis ſocietate eum præmonuit, atque in veræ apparitionis argumentum talem illi impegit ictum, ut F. Leonardus dolorem exinde haud modicum quereretur, & P. Guardiano enarraret, P. Erneſtum, de cujus obitu nil ibi tum conſtabat, impreſſo ſibi ejusmodi verbere rectâ ad cælum abiiſſe. Fidem verbis fecit ſecuta in alterum diem F. Leonardi mors.

Litt. F.

B. Fidelis Sigmaringanus S. Congregat. dePropag. Fide Miſſionarius Apoſtolicus, & Protho-Martyr à Vaticano Oraculo intitulatus totum à nobis Commentarium mereretur. Sed quia ejus geſta, vitæ ſanctitas, glorioſum martyrium, & patrata miracula publicis paſſim tabulis conſignata, elogiis celebrata, & à SS. D. N. Benedicto XIII. P. M. beat. record. apotheoſi coronata ſint, lectorem eò remittimus, & Ambroſii verbis rem compendio damus: *appellavi martyrem, prædicavi ſatis.* I.

F. Fidelis Cellenſis Perilluſtrem ex liberorum Baronum de Roſt ſanguine parentelam, optimam à Deo animam, & liberaliſſimum à natura ingenium nactus eſt. Poſt emenſum Jurisprudentiæ ſtudium, & perluſtratas potioris Germaniæ, Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, & Belgii regiones à Sereniſſimo Archi-Duce Auſtriaco Oenipontano magnificis titulis, & Landgraviatûs Nellenburgici adminiſtraturâ decorabatur. In amantiſſimo Domino Parente ſuo importunum ad nuptias hortatorem expertus eas de die in diem ſub prætenſa optionis difficultate protelaverat, uſquedum nemine conſcio, ſoloque famulo comite in Tyrocinium ad Capucinos, tanquam unicam conſiliorum ſuorum metam profugerit, mundúmque adeò neſcio quas bonorum, & dignitatum acceſſiones parantem aduncо naſo ſuſpenderit, vocationem hanc verè à Patre luminum deſcendiſſe, mirabiles ejus in via ſpirituali progreſſus liquidum fecerunt. Ex lethæo flumine vel ortûs ſui, omniúmque fortunæ privilegiorum oblivionem bibiſſe videbatur. In omni virtutum genere alios anteire geſtiens virtutis omnis expers haberi amavit. Animum geſſit excelſum næniarum contemptorem, ſanctíſque cogitationibus occupatum, cujus angelica, & exterior modeſtia index fuerat. In ſtudio theologico maximum Provinciæ virum promiſit; ſed morte interveniente promiſſis non ſtetit, variolis in lectum, & tumulum proſtratus; econtra promovente virtute ad Theologiam comprehenſorum ſublimatus. Auditô. II.

de ſe actum maxima cordis hilaritate ita ſibi : hic morbus, ajebat, me ſæculo implicitum obruere potuiſſet. O quàm ſecurius jam morior, quàm ſi in rei familiaris tumultu mori me contigiſſet ! SS. Eccleſiæ Sacramentis ſpectabili devotione ſuſceptis placidâ morte dolenti Provinciæ ereptus eſt. Wangæ 25. Febr. 1672.

III. P. Florinus ex Oberſtorff maximis Provinciam conſiliis, & virtutibus exornavit. In eo cum pietate prudentia, cum rerum gerendarum dexteritate ſolitudinis, & ſilentii cultus, cum authoritate humilitas, & cum auſteritate charitas certamen de primatu inſtituiſſe videbantur. Verùm non certamen, ſed omnium temperatura fuit. Scholaribus noſtris in Doctorem datus, præter hunc ſe iis ad Novitium ſpiritûs fervorem exhibuit repetitorem, ſive reductorem. In Guardiani, & Definitoris officio ſervandæ regulari diſciplinæ tam ſollicitam operam dedit, ut à malè feriatis auſteri, & indiſcreti cognomen ; à probis autem viri juſti encomium tulerit. Laboribus, ſenióque confectus, poſtquam fratres ad ardentem B. V. Mariæ, & Seraphicæ Regulæ amorem fuiſſet adhortatus, ſe exemplo uſus dicens : non creditis, chariſſimi fratres, quantam conſcientiæ jucunditatem morientibus afferat B. V. Mariæ favor, & legum ſervatarum memoria, morte juſtorum requievit in pace Marchdorffii 24. Novemb. 1678.

IV. P. Fridericus ex Wollmatingen adhuc juvenis in ſæculo tanta morum innocentia, & illibatæ virginitatis candore inceſſit, ut ad hujus tutelam nullius unquam mulieris faciem ex propoſito intuitus fuiſſe feratur. Unde nuda cujusdam fæminæ brachia incautè contemplatus hanc levitatem ſeveriſſimè in ſe caſtigavit, alicui Coepheborum confeſſus, ſe ob eam rem graviſſimis conſcientiæ ſcrupulis diu fuiſſe anguſtiatum. Quò verò hunc angelicæ virtutis florem tutaretur à marcore, Seraphico illum viridario intulit, ubi innocentiſſima vitæ methodo jucundum ſe intuentibus præbuit ſpectaculum, & imitationis illicium. Vitæ auſteritatem aſſidua meditatione dulcoravit, è qua, tanquam virtutum ſchola, doctore Spiritu ſancto, nunquam pedes extulit ſine novo ad perfectionem gradu. Eapropter regendis fratribus præpoſitus animata ipſis rectè agendi regula extitit. Peſte crudeliùs in humanum genus ſæviente incurius vitæ maxima charitate infectorum obſequiis ſe devovit Neoburgi, ubi poſtquam plurimis ad chriſtianè moriendum profuiſſet, & ſibi profuit ; cùm in impenſæ charitatis præmium eamdem luem attraxerit ; ſed morte meliorem vitam nundinatus, obiit Neoburgi 25. Aug. 1634. cujus corpus poſt biennium perenâſſe integrum teſtabantur veſpillones effodiendo ſepulchro occupati, & incorruptionis experimentum data operâ facientes. Ut videas, quo loco apud Deum ſit virginitatis decor, quem nec vermes, nec ſepulchri ſqualor abolere queat.

V. P. Fridericus ex Neckershauſen nobiliſſimæ ſtirpis Baronum de Liechtenſtein ſurculus gentilitium ſplendorem ſub cinere habitus Capucino-Seraphici occultare, quàm cum ſalutis periculo oſtentare maluit. Vitæ ad auſterioris aſceſeos leges compoſitæ merito dignus habitus fuit pro nomine Jeſu varias, acerbásque contumelias pati, ac magnis pro juſtitia,

& Religione laboribus defungi. Luthero plurima in Ducatu Wirthengiæ, & ampliſſima Monaſteria devorante idem fatum Parthenoni nobilium virginum ſub Regula S. Benedicti famulantium ad Albam Dominarum, Frauen-Alb / jam jam inſtabat ; potiſſimùm tamen immenſâ P. Friderici induſtriâ, & intrepido rei Catholicæ zelo tam in Religione dogmatica, & aſcetica, quàm in juribus, & poſſeſſionibus incolumis permanſit. Pforzhemio jam pridem ad exemplum, & juſſum Principis ſui Marchionis de Baden-Durlach articulos Eislebienſes amplexo , ſed vertente belli aleâ Juris Cæſarei facto ſigna Catholicæ fidei intulit, & coloniam Capucinorum invexit , quam inter turbatiſſimas rerum viciſſitudines tam magno rei orthodoxæ proventu , quàm vitæ ſuæ diſcrimine aliquamdiu viriliter tutatus eſt, illuſtris proſapiæ prærogativâ haud parùm adjutus ; cujus ad vanitatem oblitus, eâ tamen ad utilitatem Eccleſiaſticam feliciter uſus eſt. Primus Monaſterii Marchio-Badenſis Guardianus , & diuturnus ibidem Superior Sereniſſimæ illius Aulæ arbiter conſcientiæ fabricam iſtam ùt plurimùm promovit. Apoplexiâ tactus ſubitaneâ, ſed minimè improviſâ morte, ad quam totâ vitâ ſua ſe paravit , ſublatus eſt Wilerſtadii 19. April. 1659.

VI. F. Fridericus ex Nectershauſen paulò ante memorati P. Friderici ex fratre nepos dimiſſo ampliſſimo Eccleſiæ Cathedral. Conſtantienſis Canonicatu nomen , profeſſionem , vitæque genus Patrui ſui imitandum ſuſcepit Religioni Seraphicæ in maximam ſpem natus , & educandus: ſed mors , dum adhuc ordiretur , ſuccidit eum Cœlo ſatis maturum , primóque poſt nuncupata Deo vota anno meliori fato dignum. Obiit innocentiſſimus Juvenis Rottenburgi 11. Maji. 1651.

VII. P. Fridolinus Friburgenſis ab incunabulis ad omnem pietatem, & maximè ad ardentem in B. V. Mariam devotionem pronus caſtiſſimis hanc Cælitum Reginam amoribus deperire ſummi negotii locò habuit ; cui cæleſti Ariadne gratiam vocationis , & ſuſceptionis ad Ordinem Capucinorum in acceptiſſimis retulit, gratus per omnia beneficiarius ; ùt qui omnem vitam ſuam Deo , & Deiparæ religioſis exercitationibus gratam reddere conatus eſt. Ordini mancipatus totus in eo fuit, ut quas in Ordinem attulerat virtutes, virtutibus cumularet, & his ad perfectum ſtatum radicandis ultimam adhiberet manum. Duo ei admodùm huc ſuffragata ſunt : ſilentium , & oratio. A primo paſſim dicebatur Pythagoræus ; ab altera Enthuſiaſtes. Utrique , opinione ſua , impedimento fuit , Guardianatûs officium ; quamvis opitulante gratiâ , obedientiâ , & induſtriâ illud ipſum evaſerit adjumentum , ſanctioris vitæ exemplis plures ad ſequelam trahendi authoritate pollentibus. Poſt quotidianum Chorùm , & preces conſuetas plura in ſingulos dies Pſalteria Mariana pro diuturno , fauſtóque regimine Auguſtiſſimi Romanorum Imperatoris, ceu Romanæ Eccleſiæ Advocati , & Chriſtianitatis contra Ottomannicam barbariem antemuralis, perſolvere antiquiſſimum habuit. Poſtquam Deo placuiſſet Fridolinum à vita ceſſare ; placuit id ipſum Fridolino ; qui ea propter ad menſuram quietæ, & ſilentiſſimæ vitæ quietæ , & placidæ morti non invitus morem geſſit cum opinione perfectiſ-

ſimi Religioſi extinctus Friburgi Briſgojæ è Patria in Patriam reluxit die 6. Feb. Anno 1668.

Litt. G.

I. P. Gaudentius Lauffenburgenſis zelo Apoſtolico flagrantiſſimus, ac digniſſimus B. Fidelis Mart. in vinea Prætigovienſi ſucceſſor hunc ſuum anteſignanum geſtorum, quin & martyrii imitatione aſſequi ſummoperè allaboravit. Et verò quod ad integritatem vitæ, ſalutis animarum ſitim, Dei, & proximi charitatem, mortis, & periculorum contemptum, ſcientiæ, aliorúmque donorum præſtantiam attinet, haud multis à B. Fidele paraſangis abfuit; neque ei defuit animus, & deſiderium fidelitatem officii ſui imitatrice ſanguinis profuſione ſecundandi, ſi quis tortor crudelem in odium fidei phlebotomiam eidem intentâſſet. Sed Deus non ſemper cruentis delectatur victimis; etiam ſiccas affectat. Quapropter ſuperioribus inſpiravit, virum hunc ut ad alias Ordinis utilitates; Guardianatum, & Definitoriatum traherent. Et hæ ipſæ dignitates, ac provinciæ animo ad ima tendenti tortura ipſo Martyrio acerbior videbatur. Briſaci cùm Conventui præſideret, Clericum habuit Fr. Ignatium optimæ indolis, & permagnæ ſpei Juvenem; cui Fratribus in eodem Conventu peſtifera lue infectis inſerviendi licentiâ donato, ac paulò poſt eadem peſte afflato ſolatia impertiturus ſupervenit P. Gaudentius, dicens: quomodo te habes charisſime? qui reſpondit: peſſimè admodùm conſolatus ſum. Et unde fili mi, inſtat Superior? cui æger: inde, quòd, hodie Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum cùm ſit, manè mortuus non ſim, ut tot Miſſarum particeps fiam. Solatio tamen tibi ſit, infert P. Guardianus, quòd, cùm ſub hunc veſperum magnæ à Fidelibus Chriſtianis expendantur eleemoſynæ, harum meritis adhuc frui valeas, benè eſt, repoſuit ægrotus; & porrectâ manu P. Guardiano valedicit, inquiens, ſe jam migraturum eſſe. Minimè verò migrabis hodie, replicuit ille: qui tamen poſt Completorium reverſus invenit F. Clericum juxta hujusmet prædictionem extinctum. Plures hujusmodi filios, tanquam acceptabiles charitatis hoſtias, velut altera Symphoroſa mater, amantiſſimus Pater obtulit Gaudentius; quos & ipſe, alio tamen mortis genere, ſecutus eſt Marchiobadæ 16. Jun. 1656.

II. P. Generoſus Ruremundanus illuſtri Merſiorum familiâ ſatus, omnibus nobilium decoribus exornatus, linguarum Belgicæ, Germanicæ, Latinæ, Gallicæ, Italicæ, Hiſpanicæ, & Hebraicæ ad ſtuporem peritus, caſtra aliquamdiu Cæſarea, & Hiſpanica ſecutus, & Equeſtris Centuriæ Præfecturâ potitus derepentè in gregariam militum Capucinorum ſortem ſemetipſum depreſſit prælia adversùs communes ſalutis hoſtes, mundum, & carnem &c. præliaturus, hirſuto habitu chlamydis vice indutus. Et verò in hac palæſtra tantùm profecit, ut Spiritus S. eo ad docendas è ſuggeſtu Chriſtianas virtutes, vitiáque dedocenda inſigni organo: Patres autem columnâ Provinciæ uſi ſint; cùm Conventibus moderandis, rebúsque

que gravioribus definiendis eum præfecerint, haud vulgari reipublicæ regularis commodo. Incruentum Miſſæ Sacrificium tanto ardore perage-bat, ut ab eo contemplatione abſorptus oculis vel in cælum erectis, vel clauſis, vel lacrymas ſtillantibus plerumque viſus ſit. Orationis menta-lis aſſiduitate totus in Deum abiiſſe credebatur. Quondam per hor-tum deambulans ubertim lacrymari, ſe ſe ad ſepem inclinare, ſacram can-tiunculam intonare, mentéque exire à fratre inobſervatè obſervatus fuit. Ad mortem ægrotans ſemper amoris lacrymis roridus, aut ſuſpiriis in Deum calidus repertus eſt, tandem languore potiùs amoris, quàm mor-bi deficiens animam in amplexum dilecti exhalavit Friburgi Noith. 19. Jul. 1667.

P. Georgius Uberlinganus ob exactæ religioſitatis excellentiam, & III.
judicii maturitatem maturiùs, quàm mos religionis ferebat, ad aliorum regimen tractus eſt. Manſuetudine dubium fecit, an fel haberet. Diſ-coli tamen illud experti non dubitârunt. Juvenes Concionatores, qui verborum floſculis verbum divinum criſpare, ſive, ut ille dicebat, adul-terare ſtuduerunt, acriter redarguit, tanquam profanatæ rei ſacræ reos. I
Oratori Eccleſiaſtico, ajebat, è ſaginati ſpiritûs promptuario, & quæ ip-ſe priùs in meditatione didiciſſet, eructanda eſſe. Tenerrimâ in matrem pulchræ dilectionis hyperduliâ ferebatur, ut, quando vel de ea legerat, vel legi audierat, aut ſermonem inſtituerat, cor præ amore ejus palpita-re, viſcera commoveri, & obortis lacrymis ſermonem intercipi contin-geret; hinc omnes ad eam amandam pellicere nitebatur, fatus, nemini peccatori ſub Mariæ nomine: neminem ejus amatorem mala morte mo-riturum eſſe. Lethali morbo occupatus majorem, quàm perfectionis Candidatum decuiſſet, mortis formidinem, & vitæ ſoſpitandæ ſolli-citudinem præferens, omnem hygienam experiri, omnem remediandi vim tentari voluit. Sed à Deo illuſtratus hujuſce nimiæ valetudinis cu-ræ pœnitere, ac erubeſcere cœpit; hinc inſtantiſſimè alio adversùs mor-tem ſpiritu firmari precatus; ac exauditus quoque momento concupiſ-cere, quæ ante horruerat; & corporis reſolutionem paulò ante ſibi ex-oſam velut auſpicatiſſimum cum Chriſto nexum mille votis exoptare au-ditus eſt. Tunc generali peccatorum ſuorum confeſſione perfunctus, & reliquis ſacris munitus aliquamdiu in contemplatione immobilis jacuit. Sibi redux rogavit in ædibus Laurethanis ſacrum pro ſe morituro litari; ſub quo, & lectione Dominicæ Paſſionis ad illa verba: *Jeſus autem iterùm clamans voce magna emiſit ſpiritum.* Et ipſe clamans: *Benedicite*, ſuum emiſit Conſtantiæ 8. Febr. 1642. inter perfectiores Religioſos, Guar-dianos, & Definitores ab omnibus connumeratus.

P. Georgius Conſtantienſis ſolo virtutum cenſu dives, cæterà ſterilior IV.
Agrippô orationis, & contemplationis ſtudium ſibi familiariſſimum habuit. Poſt Apoſtolicos nonnullorum annorum conatus haud inutiles eam à Domino ſibi exoptatiſſimam gratiam conſecutus eſt, ut corpore tenùs in miſerrimum ſub ſole hominem evaderet. Equidem paralyſi hebetatus, omniúmque nervorum uſu deſtitutus nec paſſum progredi, nec niſi ac-clinans cuidam pulpito ſtare, dum horas Canonicas diceret, folia Bre-

viarii ægerrimè ferre poterat. Ipſos decem annos his numellis conſtrictus quotidie moriebatur, haud tamen mori poterat ; ſpiritu eò liberior, atque vegetior Chriſto cruci confixum eſſe gloriabundus inter compendia ſua numeraverat, querularum, & gemituum locò in mille Deo gratias erumpere ſolitus. Accedente apoplexiâ linguæ etiam officio exutus nutibus ergà Crucifixum canticum ſuum Deo gratias proſecutus animam ſatis purgatam in manus Conditoris ſui depoſuit Ravenspurgi 20. Mart. 1672. beati tranſitûs jucundum omen ceperunt fratres morienti adſtantes in columba, quæ in agonis quaſi articulo ab accipitre perſecuta recto volatu ad illum Conventum, tanquam in aſylum confugerat, & ſe capiendam præbuerat, nec libertate avolandi ipſi per patulas feneſtras factâ uti voluerat, donec corpus P. Georgii terræ mandatum eſſet.

Litt. H.

I. F. Herculanus Walpurgenſis Clericus expeditæ ad omnem virtutem indolis brevi navigatione portum æternæ felicitatis attigit. Cor ejus ardentiſſimo in cælorum Reginam amore incenſum fuiſſe multis argumentis ſpectatores ejus deprehenderunt ; utpote quam omni excogitabili devotionis modo demereri ſategit. Febri acuta præventus, & ante, quàm credebatur, mente alienus timorem fratribus incutiebat, ne improviſus decederet ; hinc gnari pietatis, qua miſericordiæ matri adſtrictus eſſet, huic ſuum Clientem Parthenium impenſis precibus commendant, rogantes, ut eum ſenſibus, & ſacramentis idoneum redderet. Et en ! vix à comprecatione ceſſatum, cùm æger plena ſenſuum facultate donatus, hilariſque ſibi ſacroſancta animæ præſidia conferri flagitavit ; quibus perceptis conſolatiſſimus oculos in mortem clauſit melioribus Deum, & pulcherrimam Sunamitidem ſuam contemplaturus. Lucernæ 2. Oct. 1646.

II. P. Henricus Biberacenſis ex Patritia Hettingerorum familia, authoritate, & opibus potente genitus, & à piiſſimi avunculi ſui proximè è vita migraturi oraculo divinitùs hauſtô Ordini Capucinorum præſagitus vaticinium hoc feliciter explevit, talémque ſe exhibuit, ut idoneus haberetur, qui aliis præcepta ſanctitatis traderet, & Candidatos Seraphicos ad aſceſin erudiret. Quo in munere cum filios ſpirituales annalium dignos educaverit, conſectarium eſt, ipſum quoque morum præceptorem eximium ſanctitatis ſectatorem extitiſſe. Ea tempeſtate, quâ Lutherani Capucinos moribus, & ritibus ſuis adverſos Biberaco excluſos volebant, P. Henricus interpoſitâ ſua, & ſuorum Conſanguineorum authoritate, & profundiſſimâ ſuadâ tantum valuit, ut non ſolùm unanimi Catholicorum ; ſed etiam quorumdum heterodoxorum ſuffragio in Senatu pro Capucinorum reſtitutione, & perennitate pronuntiatum fuerit. Quanta porrò P. Henricus in calamitate contagioſa præſtiterit, alibi commemorabitur. Meritis, virtutibus, annísque plenus religioſiſſimæ vitæ ſimilem quoque coronidem impoſuit, defunctus Biberaci 16. Maji 1676.

P. Hie-

P. Hieronymus Friburgenſis SS. Theologiæ Doctor, & Curiæ Epiſcopalis Baſileenſis Officialis tanto fervore, & animoſitate pro decore ſtatûs Clericalis ſtetit, ut vulgari elogio terror Sacerdotum diceretur. Cùm eum plerique ad altiora ſublimandum crederent, ipſe humiliora meditatus anno ætatis ſuæ 38. in pauperem Capucinum decrevit, horâ primùm undecima in hanc vineam conductus laborandi ſedulitate, virtutum culturâ, & conſummatæ religioſitatis ſtudio plurimos ſe annis priores non ſolùm aſſecutus, ſed ſupergreſſus etiam fuit; quapropter Guardianatûs, Definitoriatûs, & SS. Theologiæ Profeſſuræ ſimul & ſemel cumulatus officiis, omnibus ad amuſſim gerendis ſuppar, omnium quoque diſtinctis obligationibus, & curis ad unguem preſſum ſatisfecit; ſub tanto honorum, & laborum cumulo nec profundiſſimæ humilitatis, nec ardentiſſimæ in Deum, & res ſacras pietatis, nec altiſſimæ paupertatis, neque anachoreticæ auſteritatis tramite unquam egreſſus. Vitâ autem omnium votis maturiùs egreſſus Provinciæ grave vulnus inflixit, ipſe integer vitæ, ſcelerísque ſacramentorum uſu purus ſpiritum abire promptiſſimum in vulnera Chriſti effudit Friburgi Brisg. 26. Febr. 1627. III.

Litt. I.

P. Januarius Worblingenſis Guardianus, Definitor, & rei ædilis curator virtutum, & meritorum in Deum, Cælites, ſacram Religionem, & Provinciam helluo ab indefeſſo eorum comparandorum ſtudio dici merebatur. Paupertatis tantam attentionem habuit, ut in Conventibus gubernandis, rebúsque uſui ſuo neceſſariis viliora quæque, & ſimpliciora conſtanter præhaberet. Sed & in fabricis primævæ ſimplicitatis usque ad ſcrupulos tenax, iis, qui nonnunquam ſanitatis, & commoditatis rationem haberi ſuadebant, ſolitus eſt dicere: paupertatis, non commoditatis voto nos obſtrinximus. Quo tempore Conventûs Thannenſis præſidium tenebat, hominibus in ea regione præ fame vel bætylum devoraturis, & ipſe cum ſuis eſurire cæpit, quando aliorum ſuaſu parſimoniæ cauſâ fameſcentibus eleemoſynas reſtrinxerat. At verò ubi juxta cæleſtis æconomiæ principia panarium in famelicos liberaliùs effundi juſſit, in ſumma annonæ cariſtia & ipſe, & ſui commeatu abundare comperti ſunt. Rottvvilâ ſub obſidione Gallica gemiſcente, & jam jam agonizante P. Januarius loci Superior funè per murum demiſſus in caſtra obſidentium cum authoritate paciſcendi ablegatus eſt; ubi & in urbis ſalutem negotium hoc feliciter adminiſtravit, ut hoſtis etiam huic cucullati caduceatoris tantâ prudentia, & perſuadendi, atque precandi efficaciâ pollentis veneratione captus in hujus gratiam miti capitulatione urbem à comminato jam excidio ſervaverit. Vrangelio Suecico Archiſtratego urbi Brigantinæ impoſito hic ipſiſſimus vir ab eleganti minerva, & religioſa gravitate in maxima exiſtimatione extiterat, ut is non ſolùm Conventûs ſecuritati per omnia proſpectum voluerit; & inſignibus eleemoſynarum largitionibus ſe illi beneficum exhibuerit: ſed etiam, ſi quæ ab hoc truculento alioquin I.

Gubernatore gratiæ in bonum publicum, & privatorum impetrandæ fuerant, P. Januarius, ceu primæ admiſſionis internuntius ſecurè, & utiliter in deprecatorem adhiberi potuerit. Ut hæc ad homines etiam hæreticos familiaritas, & converſationis gratia nil vitii, ſed plurimum utilitatis habuerat; ita arctioris cum Deo familiaritatis per ardens contemplationis ſtudium contractæ, non obſtaculum, ſed effectus & indicium erat, diſponente Numine, ut virtus etiam hoſti regionis, & religionis eſſet venerabilis. Mors tandem ſubitanea per apoplexiam furtivè illapſa virum hunc in cuſtodia ſui vigilem obruit, & relicto ſacris ſe roborandi ſpatio, & integro rationis uſu, octoginario majorem apprimè mori doctum vitâ dejecit Brigantii 25. Jun. 1677.

II. P. Jeremias Friburgenſis antiquorum Patrum ſtudia, & ſanctas exercitationes æquaturus illuſtria eorum exempla ſemper mente, & linguâ verſabat. Contemplationis, & orationis aſſiduitati adeò aſſuevit, ut extatici in morem ſemper eâ abſorptus videretur, & delata Guardianandi provincia eo nomine ſibi moleſtiſſima accideret, quòd frequens meditationi, & ſolitudini interſtitium attulerit. Totus caſtiſſimis B. V. Mariæ amoribus mancipatus mille eam percolendi modos ordinarii cultus auctarios excogitavit, corde ejus vel ad ſolum Mariæ nomen, vel hujus imaginis conſpectum gaudiis, & ſolatiis diffluente. Aliquando graviter ægrotanti infirmarius ordinariam refectionem appoſuerat. Ille autem oculis, & mente à molliculis cibis averſus in Dei laudes prorupit, & ad parietem ſe inclinans aliquamdiu velut mente egreſſus conticuit. Poſt aliquam intercapedinem præ gaudio lacrymabundus exclamavit: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus.*

Diu pòſt cuidam fratri arcanum importuniùs urgenti patefecit; ſe tum dulciſſimo mentis raptu fruitum fuiſſe. Denique per placidæ mortis januam ad prævisam domum Domini iviſſe ab omnibus iis creditus eſt, qui innocentiſſimæ vitæ teſtes, & cenſores extiterant. Obiit Wilæ Helvetorum die 16. Mart. 1662.

III. P. Ignatius ex Sauldorff præclaro virtutum apparatu ad Guardianiam evehi promeruit, aliorum donorum præſtantiâ excelſiora meritus; ſed victrice humilitate non plus ultra promoveri obtinuit. Stupendæ is aliquando tragœdiæ ſpectator fuerat; in qua impedienda oleum & operam perdidiſſe ſe doluit. In certo quodam loco duæ primarii ſanguinis Perſonæ eo inſano amore ſe mutuò deperibant, ut non attento proximo Conſanguinitatis gradu matrimonii nexu ſe copulare conſtituerint: & cùm ea conjunctio opum accumulationem ſpectaſſet, utriusque Parentes propoſito huic indigno cooperati ſunt. Quapropter per ſub- & obreptionem, & neſcio, quod aliud inſuper medium diſpenſatio ſuper impedimento extorta; atque inſuperhabitis amicorum diſſuaſionibus, contemptáque P. Ignatii tum privata dehortatione, tum publicâ concionantis cenſurâ, triſtis eventûs præſagio acuminatâ, eximio ſplendore apparata, & concelebrata fuerunt. Verùm ultio Numinis illegitimè nuptorum tergo paulò poſt imminuit. Maritus enim inceſtuoſus phreneſi correptus, ac beſtiæ inſtar furens, atque impœnitens extinctus

fune-

funeſto prohibitos amores exitu luit: & uxor ùt facinoris, ita & fati particeps in P. Ignatii, & parentum conſpectu ſubitò è lectica proſiliens, ac manibus pedibúsque quadrupedis ritu foràs januam procurrens, cùm rationis, gratiæ, & auxilii ſpiritualis inops à P. Ignatio juvari non potuerit, à vulture terrifico per caminum delapſo inſeſſa, & anima ejus corpori exſorbita ab eodem abrepta fuit amaſio ſuo in pœnæ ſempiternæ thoro conſocianda. Hoc tragicum, atque ad omnem poſteritatem memorabile exemplum pluribus in cautelam recenſere P. Ignatius conſueverat; qui in religioſæ converſationis ſtrenuè progreſſus feliciore egreſſu vitam meritis plenam finivit Bremgartæ 17. Octobr. 1638.

Fr. Joannes ex Horn perilluſtria è Schenckiorum de Stauffenberg ſtirpe Natalia habuit aliorum decorum à natura, & induſtria comparatorum acceſſione adhuc magìs illuſtrata; quibus inter Eccleſiæ Cathedralis Conſtantienſis Canonicos velut ſol inter ſydera refulgens illâ quondam Infulâ coronandus non inaniter à parentibus ſperabatur. Ipſe autem ab hac ſpe, votóque alieniſſimus, & feliciori ſydere irradiatus mitram, qua Capucini in ſui contemptum ſuperbiunt, in mente volvebat. Quòd verò hoc dictamen ſequi, ſæculi amore, & parentum indignatione moram injicente, nonnihil tardaret, Deo ſeveriùs vocanti moram gerere à metu didicit. Agebantur ſolenniſſimæ ſoróris germanæ nuptiæ; quibus cùm & Joannes feſtivus intereſſet, declinante ad occaſum die à tripudiis feſſus in ſuum ſe cubile recepit nocturnâ quiete diurna hilaria interpolaturus. Sed vix paululùm indormiit; en derepentè cœleſtis eum vox excitat: *Ito Joannes, Capucinus eſto.* Somnium id videbatur Juveni; unde in alterum ſe vertens latus mox iterùm ſtertit. At ecce! eadem vox iteratò inclamat: *quando venies? veni quia tempus eſt.* horror inde nonnullus excitatum invaſit; ſed phantaſiæ deliriis id denuò adſcribens rurſùs tandem, licèt ægriùs in ſoporem demergitur. Tunc enim verò ipſiſſima vox ſeveriori tono minas locuta Joanni expergefacto articulatim inclamat: *Ni venias, væ tibi quantocyùs.* Tanquam fulgure clauſos etiam dormientis oculos perſtringente animo proſtratus Joannes continuò ſurgit cum Saulo ſucclamans: Domine quid me vis facere? Reliquo noctis inſomni traducto amantiſſimis parentibus primò manè, quæ ſibi acciderant, tanta hominis alterati ſignificatione recenſet, & peremptorium Numinis mandatum exaggerat, ut illi vocationem ſuam gratulati paternam ejus ſequendæ benedictionem ſuperaddiderint. Compoſitis igitur rebus ſuis, & compendiariâ valedictione à ſuis abſtractus ad eremum B. V. Mariæ peregrinatus ſacras ibi Primitias celebravit; à quibus rectà Tugium, ceu locum Novitiatûs tetendit. Cum habitu ſæculari totum ſæculum exuiſſe viſus eſt. Tanto namque conatu in omnium virtutum, ad quas erudiuntur juvenes, aſſecutionem incubuit, quaſi vaticiniô accepiſſet, eodem primo, & ultimo vitæ anno totum ſibi peragendum eſſe. His curſibus tametſi Joannes non niſi aliquot menſes ſtadiodromus in Religione inſtiterit; adeò tamen cucurrit, ut bravium accipere meruerit. Nam ſocius cùm fuiſſet IV.

adjunctus Sacerdoti animam civis peſte infecti curaturo, eodem morbi genere & ipſe Joannes correptus mox graviter infirmari cæpit: Et cùm læmodis virus corporis vires magis magisque depaſceret, juvenis athleta ſuppliciter ad votorum profeſſionem admitti flagitat, inſtat, & obſecrat; & patribus Tridentinæ Synodi ſanctioni attendentibus, atque adeò, quòd à periculo mortis etiamnùm immunis eſſet, profeſſionem differri ſuadentibus reponit æger, profeſſionis gratiam urgens: Quinimò craſtina dies mihi erit ſuprema. Deferentes ergò ejus deſideriis Patres illi ſolennem Profeſſionis formulam enuntiare conceſſerunt; qua magno ſpiritu emiſsâ totus hilaris in mortem arſit. Sacris Eccleſiaſticis exinde munitus in Deum, & B. V. Mariam tenerrimè abſorptus calidiſſimis, & quaſi cantabundis eos ſuſpiriis invocat, & advocat nec incaſsùm: ſubitò namque Deipara ex alto delapſa (uti monumenta habent) ſe viſendam Joanni præbet, maternóque affectu ad cæli gaudia invitat. Cùm enim ſe ſolum eſſe crederet, in ea verba ab infirmario non obſervato ſibi gratulari auditus eſt: *Sit benedictus Deus, cujus ſanctiſſima Mater ad me venire dignata eſt.* Teſtati ſunt alii fide digni, eum in genua ſurrexiſſe, Deiparam quaſi præſentem diſſuaviâſſe, paulatim tamen inſolitæ lætitiæ ſigna præſeferendo in lectulum ſe ſe reclinâſſe. Sed cui extraordinarium vocationis divinæ modum conſideranti dubium de his eſſe queat? In eo ergò lætitiæ ſpiritualis geſtu placidiſſimè exſpiravit Tugii 6. Sept. 1636. ſplendidioribus jam Inſulis glorioſus, quàm ſi neglecta Numinis voce terreſtres exſpectaſſet utrisque forſan perditis inglorius.

V. P. Joannes Ulmenſis Definitor Lutherano ſanguine cretus, & lacte nutritus; ſed felici raptu à quibusdam nobilibus Italis per Ulmam iter facientibus parvuli Joannis eleganti formâ captis in Italiam transvectus, ab uno horum in domum ſuam aſſumptus, ac filii locò habitus fuit, illam Ægyptiaci Joſephi ſortem, & æqualitatem in quibusdam aſſecutus, in quibusdam ſupergreſſus, quòd non venditus, non in carcerem compactus, ſed honeſtiori loco poſitus fuerit. Manſuetioribus Muſis applicitus magnam ad has, majorem ad virtutes addiſcendas docilitatem præſetulit, oríſque venuſtate, totiúsque corporis modeſtiâ omnium oculos in ſe rapuit, eò uſque, ut fama Angelici juvenis ad ipſum Regni Neapolitani Pro-Regem penetraverit; qui adoleſcentem propè intuitus, & eximiam vultûs elegantiam, animi dotibus, morúmque ſuavitate magis adhuc decoratam cum admiratione contemplatus eumdem ab invito priori plagiario ſibi dari popoſcit, ægrè datum in filium adoptavit, hæredem bonorum ſuorum deſtinavit, & ſeverioribus, pro more illuſtrium, diſciplinis excultum aulæ ſuæ inſeruit, alterum Joſephum, non Ægypti, ſed Siciliæ Pro-Regem aliquando creaturus. Sed quem divina providentia ſingulariſſimo favore hæreſi eripuit, hunc & majori luminum gratiâ illuſtratum ſæculo quoque eripere decrevit, ut blandientis fortunæ illecebris ſe non ineſcari permiſerit; ſed inſtillata pietatis principia ſecutus ſanctioribus animum ſuum ſervaverit, atque deſtinaverit. Igitur cum Capucinis in urbe Neapolitana frequentiori conſultatione uſus ad horum inſtitutum ſe à Spiritu ſancto vehementer impelli tandem edixit,

xit, & in eo propoſito, quidquid hi difficultatum à ſe non ſuperandarum cauſarentur; aut quomodocunque Illuſtriſſimus Pro-Rex ad ejus animum ab his conſiliis divertendum dignitates, & divitias ſibi paratas, vel incommoda, hujúsque Ordinis rigores, quibus ferendis natura cupediis aſſueta par non eſſet, conſtanter perſtitit. Hinc tandem voti ſui compos bonâ Pro-Regis veniâ idibus Maji 1547. ſacro Ordinis habitu contectus fuit. Vidiſſes in Tyrone veteranum jam Religioſum, qui vel minimas mundani pulveris reliquias jam penitùs excuſſerit, ut foràs in ſpectaculum mundo, Angelis, & hominibus nonnunquam emiſſus à ſpectantibus velut Angelus incarnatus digitô monſtraretur, quin habitûs ſqualor corporis elegantiam morum ſanctimoniâ auctam obſcurare poſſet. Poſt nuncupata Deo vota adeò in omnium virtutum palæſtrâ ſe exercuit, ut omnibus admirationi, venerationi, & exemplo fuerit. Poſtquam Provinciam Neapolitanam aliquamdiu virtutum ſuarum ſplendore illuſtraſſet, viſum fuit P. Joanni Mariæ à Tiſſana Miniſtro Generali virum hunc Germaniæ reddere, & novellæ Provinciæ Suevo-Helveticæ ſeu penitiùs radicandæ, ſeu latiùs propagandæ Cooperatorem per omnia idoneum donare; quem adeóque ceu conterraneum ſuum Regiones ultramontanæ gratanter amplexatæ ſunt. In prima Definitorum electione Anno 1584. & ipſe ad hanc dignitatem aſſumptus, atque à novem ſucceſſivè capitulis in eadem confirmatus, mirúmque fuit, quantâ prudentiâ, conſiliorum gravitate, ſtudiorum aſſiduitate, & quod ſummum eſt, vitæ ſanctitate rem Religioſam in his partibus adjuverit, atque promoverit. Contemplatione abſorptus ſæpiſſimè cum ſtrepitu circa ſe geſtorum inadvertens Chriſtum ſolum ſe ſcire videbatur. Primævæ Capucinorum ſimplicitatis, profundiſſimæ humilitatis, jugis mortificationis apprimè ſtudioſus eumdem virtutum habitum, & vivendi morem cum habitu Seraphico indutum, & in tyrocinio aſſumptum uſque ad canos, uſque ad tumbam inviolabiliter ſervavit; ut qui Joannem canitie, & officiis venerabilem videret, heſternum ſe novitium cernere putaret. Jam emeritus Rhenofeldæ à P. Guardiano aquam bibendi licentiam flexis genibus rogavit, & ſtupenti tantam humilitatem Guardiano, atque dicenti, tantos viros non indigere licentiâ, reposuit: ſe repudiata omni exceptione eò arctiùs ad novitium fervorem adſtringi, quò magis vitæ ſuæ fini propinquaret. Et verè non priùs novitius, quàm vivus eſſe deſiit, tandem morbo lethali inceſſatus, móxque ſanctiſſimis Eccleſiæ Sacramentis præmunitus ſpiritum ſuum profundæ contemplationi immerſit, ſolúmque Jeſum & Mariam locutus cum his etiam inter immanes corporis dolores deliciatus, & converſatus. Aliquando urgente, ùt fratres credebant, morte, oculis clauſis animam exhalanti ſimilis jacebat. At ſubitò facie ſerenata, & oculis in cælum apertis ad circumfuſos exclamat: *Heus chariſſimi fratres! ſuſpicite, procumbite! an non amabiliſſimam, gloriâ, & majeſtate fulgidiſſimam, ingenti Angelorum, Sanctorúmque comitatu ſplendidiſſimam Mariam, Matrem noſtram intuemini?* tum brachia extendit, eámque vultûs hilaritatem oſtendit, quaſi nonneminem ſuaviſſimè amplexaturus gaudiis inundaret; ſimúlque animam effundens beatiſſimam Matrem ad cæ-

leſtia trahentem ſecutus eſt Lucernæ 26. Aug. Anno 1605. animâ ergo vitâ meliore jam potitâ pars gloriæ & in corpus exanime redundare viſa eſt ; quod præter naturam ſubitò tam tenerum, ac molle apparuit, acſi pueri innocentis foret : membra non rigentia, ſed flexibilia, facies quoque venerabili canitie renitens, & genæ rubeſcentes, ſpectatoribus certam ſanctitatis opinionem, ſi nulla alia priùs extitiſſet, de viro hoc ingeſſerunt, ſanctam omninò vitam fuiſſe ritè argumentatis ; quam vel mors ipſa canonizaret.

VI. P. Joannes Baptiſta Conſtantienſis Concionator devotiſſimus Deiparæ cultor pro hujus merito ejusdem magnæ Matris patrocinium in evidenti periculo expertus eſt. Eum aliquando per ditionem Zvvinglo-Bernenſem iter facere contigit, in qua ſub veſpere admodùm feſſus Lenzburgum appulit, hoſpiti cuidam per amorem Dei ſupplex, ut ſe, & ſocium in quemdam domûs angulum à frigore tutandos admitteret; ſed hoſpitii locò cruda verba, & verberum minas tulit. Faceſſite hinc, ajebat inculti ſſimus homo, & quidem extemplò inaniſſimi Papicolæ ; nullus in domo mea locus pro hujus farinæ ardelionibus. Maritum ſecundavit uxor Megæra titione in pauperes armata, eos ad Cynoſarges abire jubens, nî deteriora experiri velint. Atra nox, via inexplorata, progrediendi neceſſitas unà afflixit expertes conſilii ; qui igitur devoratis opprobriis, & dedolita diverſorii repulſâ B. V. Mariæ protectioni ſe commendant, & Mariani Curſûs matutinum alternare auſpicati itinere ſuo utcunque pergunt. Vix autem paululùm in tenebris proceſſerant, cùm ecce! virum ſibi obvium habent ; qui poſtquam iis amicam ſalutationem impertiiſſet, & tam ſeræ itinerationis cauſam illos rogâſſet, familiari eos affectu ad cauponam non niſi ſemihorâ Mellingâ diſtantem dirigit, promittens illos ibidem liberaliter fore ſuſcipiendos ; id quod ordine dictis reſpondit. Nam ab hoſpite, & hujus conjuge, utroque Acatholico, amantiſſimè ſalutati, in domum inducti, ac calido primùm hypocauſto ; dein etiam frugali cænâ refecti ſuêre. Cúmque P. Joannes tantam hoſpitalitatem curæ B. V. Mariæ tribueret, non potuit, quin etiam coram iſtis hominibus Calvino addictis in ampla ejusdem benigniſſimæ Matris præconia erumperet : & quod ad lætitiæ faciebat cumultùm, habuit hoſpites non ſolùm pacificos auſcultatores ſed etiam collaudatores ; equidem ipſe hæterodoxus caupo gloriabatur, ſe vel ideò diligere Capucinos, quòd hos magnæ Dei Matris cultores ſciret ; utpote quam & ipſe plurimi faceret, & amaret. Facto manè conſimili humanitate boni Patres cum impenſa gratiarum actione valedicentes dimiſſi fuerunt. P. Joannes Baptiſta eo Marianæ protectionis exemplo adhuc magìs deinceps in Deiparæ amorem, & cultum incubuit ac tandem in optimi Religioſi fama die 20. Febr. 1676. è Cella Ratholdi ad Cœlum migravit, providente, uti ſperamus, pia matre pio clienti de hoſpitio cœleſti, qui ei quondam providerat de terreſtri.

VII. P. Joannes Baptiſta Polonus Definitor, Guardianus &c. natales illuſtriſſimos habuit ; quem parens magnus Poloniæ Regni Cancellarius pro ingenii ſui felicitate gradatim quoque ad ſupremas coronæ Provin-

cias

cias paravit, atque ephebos, ſcholásque egreſſum in ampliſſimo Reipublicæ Senatu collocavit. Cùm ei cauſa quædam dijudicanda committeretur, & alteruter litigantium ad firmanda iniquè aſſerta juramentum facturus brachium pro ritu Polonorum erexiſſet, contigit, ut in vindictam perjurii brachium in omnium conſpectu exaruerit. Quo Joannes territus abinde Forum angue pejùs averſari cæpit. Principi Regis filio exteras terras luſtraturo comes adjunctus ea tempeſtate Mediolanum pervenit, quo Sanctiſſimus Archi-Præſul Carolus Borromæus Eccleſiam illam moderabatur; in cujus aula Principes hi viatores aliquamdiu digniſſimè habiti fuerunt, & P. Joannes vivis ibidem ſanctitatis exemplis ad amorem recti accenſus fuiſſe creditur. Aliquando è manu S. Caroli Sacratiſſimam Euchariſtiam ſumens poſt divinas has epulas totius ſæculi nauſeam, & religioſi habitûs deſiderium perſenſit; quod cùm Antiſtiti aperuiſſet, hicque vocationem ceu legitimam agnoviſſet, Illuſtriſſimo Juveni ad Ordinem Capucinorum hortator, ſimul atque promotor fuit. Dimiſſo igitur regio comite magni Cancellarii filius intra anguſtos Seraphicæ paupertatis, & auſteritatis cancellos ſemet abdidit; & quidem in regione peregrina, ne Patriæ illecebris langueſcerent primi impetus, voluntario ſe exilio addixit. Ut aliàs arduæ ſunt virtutum aggreſſiones, ac perdifficilis ab extremo dignitatis, commoditatis, divitiarum, atque deliciarum ad extremum humilitatis, egeſtatis, rigoris, & ſqualoris tranſitus; ita non feriebatur ſtygius Alaſtor juvenem horum objectatione à cæptis retrahere; quem tamen vel ipſe S. Carolus nonnunquam in propoſito firmavit. Itaque piiſſimus Tyro eluſis Diaboli technis ſtrenuè in virtutum palæſtra proceſſit, utique pudori fore ſibi jam cucullato ratus, ſi delicatior eſſe tanto Archi-Præſule vellet, & de virtute deſperaret, quam ille in pallio eſſet aſſecutus. Poſt aliquod à profeſſione tempus S. Carolus Joannem ad Helvetos mittendum cenſuit, ut novellæ illi Provinciæ ſanctioris vitæ exemplis incrementa afferret. Tanta jejunii macerationum, humi cubationum, flagellationum, aliarúmque auſteritatum violentiâ carnem ſpiritui ancillari docuit, ut à nonnullis nimiæ in ſe inhumanitatis poſtularetur. Ipſe autem nil inde moratus cum ætatis progreſſu flagella, cilicia, & jejunia adaugebat his ſenſuali homini omne dominium extorturus, ut animus ad cœleſtia foret expeditior. Feliciſſimum ſanè conſilium effectu ſuo abundè ſecundatum. Eam enim contemplandi gratiam adeptus eſt, ut eâ abſorptus, à ſe peregrinatus, rerum circa ſe incurius non ſolùm mente, ſed etiam corpore ſurſum elevari viſus ſit; quam cum Deo, & Cœlo familiaritatem nec Scholaſtica (Juvenibus enim noſtris Philoſophicas, & Theologicas diſciplinas docendis adhibitus eſt, è ſchola ejus viris permagnæ eruditionis, & ſanctimoniæ egreſſis, quos inter etiam unus Chriſti Martyr B. Fidelis) nec domeſtica Guardianatûs, nec graviſſima Definitoriatûs negotia; neque etiam itinera diſturbare poterant. Teſtabantur Religioſiſſimi duo Patres Benedictini Oxenhuſanus unus, alter Major-Augienſis; & ille quidem, ſe vidiſſe P. Joannem Baptiſtam & iter facientem, & extaticum, pontíſque ſuper fluvium inadvertentem ſicco pede

per aquas torrentis trajeciſſe ; hic verò , ſe viæ comitem ſpectaſſe illum defixis in cælum oculis ambulantem, ſimul atque in aëra ſublatum. In Eccleſiam Veſtalium Heggbacenſium oraturus divertens mox in altum levatus, ac per tres in eo ſitu horas à S. Bernardi ſororibus conſpectus eſt. Uberlingam delatus, & benedictionem flexis genibus à P. Jo. Chryſoſtomo ex Beüren ibi tum Guardiano , & æqualis ſanctimoniæ viro, rogaturus mox ambo in mutuos ruerunt amplexus , ibíque ſteterunt in horam coëxtatici, velut marmoreæ ſtatuæ , alter alteri agglutinatus,nullum vitæ ſignum edentes, niſi quòd ſuaviſſimè collacrymarentur. Olim nocte Chriſti natalitia ſolitariè coram SS. Altaris Sacramento orans, atque ſuſpiria ingeminans brachiis extenſis in ea verba à nonnemine viſus , & auditus eſt : *Ah mater dulciſſima ! primam lacrymulam, quam recens natus filius tuus Jeſus fudit, in ſordidiſſimum cor meum deriva , quâ hoc ab omni culparum colluvie purgetur.* Mox factus eſt ingens ſplendor , ceu ſolis totum templum illuminantis, mansítque vir Dei aliquamdiu genuflexus, & nitidiſſima luce circumdatus. Aliàs dum in Eccleſia Parthenonis Buchovienſis celebraret , flammas ignitas à capite ejus ſurſùm aſcendentes ; aliásque viciſſim deorsùm ſuper ipſum deſcendentes tum Illuſtriſſimæ Canoniſſæ, tum alii complures de oculis teſtati ſunt. Nempè in eximiæ ſanctitatis viros cælum hujusmodi faces ſanctitatis teſtes depluere ſolet. Horum ſplendorum auxilio abſtruſa cordium myſteria pervidere, & ſequiora cogitantibus has ſuas cogitationes ordine recenſere novit. Religioſo cuidam nuper à Luthero ad Romana ſacra, & Monachatum tracto ; ſed operâ dæmonis infelicem reditum meditanti impia hæc animi conſilia ſubridens exprobravit, & eum in viam ſalutis revocavit, atque ſolidavit. Nobili Matronæ confeſſionem ex pudore mutilanti graviùs imminuit, ut hoc , & hoc peccatum toties jam ſacrilegè ſuppreſſum ediceret ; quo hæc inſigniter conſolata receſſit. Virum ex rerum ſuarum anguſtia fugam à domo, uxore & liberis animo volventem blandè allocutus meliora ſperare, & domi manere juſſit ; neque eum obtemperâſſe pænituit. Futurorum, & procul abſentium conſcius intereſſe conſiliis Divinitatis credebatur. Sic enim diu ante urbi Conſtantienſi graviſſimam à Suecis obſidionem ; ſed & victoriam : Oppido Möckingen exuſtionem ab hoſtibus inferendam : Illuſtri juveni de Bodmann , nil minùs tum cogitanti, vel cogitare idoneo octenni parvulo : alii adoleſcenti Conſtantienſi : alteri Biberacenſi : iterùm alteri Engenſi ingreſſum in Ordinem Capucinorum : econtra uni ad flagella non reſipienti deſertionem ab Ordine prædixit ; quæ omnia, & innumera alia veridica fuiſſe tum lætus, tum triſtis eventus comprobavit. Prodigiosa curatione plurimis calamitoſis in ſalutem fuit velut cæleſtium beneficiorum promptuarium votis ægrorum nunquam irritis frequentatus , quos aut precibus, aut ſigno crucis, aliquem leproſum infixo petigini oſculo ; alios vel ſolâ præſentiâ incolumes reddidit ; quas ſtupendas ſanationes R. P. Sylveſter à Mediolano totius Ordinis Chronologus juſtô Commentario proſecutus eſt : nobis brevitati intentis ſufficit dixiſſe , Patrem Joannem, Baptiſtam ſui ævi Thavmaturgum extitiſſe. Non ferens humani generis

antar-

antartes tantam in uno homine gratiarum ubertatem infenſiſſima illum rabie perſequendum aſſumpſit. Semel eum ſuper montes Rhæticos itinerantem ſathanas arreptum per cautes, & ſaxa in imum præcipitavit. Sed Domino manum ſupponente impunè ſurgens, Deúmque laudans itinere ſuo perrexit. Aliquando ægriùs decumbentem ſtygius hoſtis tanto impetu in terram alliſit, ut à P. Infirmario crederetur diſploſus. Verùm & hic divino auxilio ſuffultus technas infernales riſit; ſæpiùs illum diabolus in oratione defixum inſectatus flagris cæcidit, horrifica ſpecie terruit, ab uno loco in alium fugavit, & nullibi conſiſtere permiſit, ut fugitivus fratrum auxilia evocare cogeretur. Scilicet orco infenſum eſſe maxima virtutis cælo probatæ commendatio eſt. Poſtquam vir religioſiſſimus ipſos ſeptem annos ſupra ſemi-ſæculum ſanctiſſimis exemplis, & geſtis non ſolùm ſacram Religionem, ſed mundum etiam illuſtrâſſet, Deus patientiam ipſius quoque periclitaturus, ac deinceps coronaturus emaciatum illius corpuſculum tanta morborum acerbitate afflixit, ut redivivum in ſemivivo Joanne Jobum omnes miſerarentur. Reverendiſſimus DD. Epiſcopus Conſtantienſis ad ægrotantis cellulam, veluti ad abſolutiſſimum patientiæ paradigma aliquoties divertens hiſce eum verbis ſolari conſueverat: *Momentaneum, & leve tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur in cælis.* Ad quod Joannes, poſt redditas gratioſæ commiſerationi gratias, reſpondit: ſe immenſo teneri gaudio, quòd anima ſua tot ærumnis ex corporis ergaſtulo urgeretur, & ad cælum pararetur. Paulò poſt ritè expiato, paſtóque animo, ac fratribus ad religioſi hominis officia ferventiſſimè commonitis, cæleſti S. Caroli conſpectu recreatus, ſpiritum pientiſſimè exhalatum felici æternitati tranſcripſit, famâ ſanctitatis poſteris in exemplum relictâ. Conſtat eum aliquibus uſuram lucis, oculorúmque de tumulo largitum: ligatos in nodum artus explicâſſe, nonnullos lectò affixos invocatum incolumes reddidiſſe, aliáque ſimilis gloriæ patrâſſe, nonniſi viris divinis uſitata, certa immortalitatis teſtimonia. Obiit Conſtantiæ 7. Januar. 1632.

VIII. Joannes Chryſoſtomus ex Beüren perilluſtri Schenckiorum de Caſtell ſtemmate prognatus utero materno adhuc clauſus mundi vel aſpiciendi nauſeam habuiſſe credebatur; adeò naſci invitus, ut ipſos undecim dies matrem ægerrimè parturientem ante funus, quàm puerperam facturus timeretur. Innocentium ad preces conductorum clamoribus denique, ſed omnium judicio, & mærore vitâ carens in lucem editus eſt. At quem DEUS natum, hunc & animatum voluit. Obſtetrix namque aliqua vitæ indicia deprehendens præcipitem infanti baptiſmum adhibuit, quo parvulus ad publicas ſolennioris baptiſmi cæremonias roboratus eſt. Vix ratione irradiatus jam futuræ ſanctitatis radios præmiſit. Procul à conſuetis tenellæ ætatis oblectamentis, & næniis ad pia, & ſpiritualia magis propendebat. Scientiæ trivialis ludo applicitus ſynephebis ſuis in pietatis, modeſtiæ, ac devotionis exemplar ſtetit. Dies à ſcholis liberos aut ſolitariis in cubiculo, aut in Eccleſia precibus dabat. Virginem carnem flagellis, ciliciis, jejuniis, vigiliis, & nudis in brumæ, niviúmque frigore veſtigiis, tanquam ſalturâ, à putredine ſervandam putavit, intemeratâ vir-

gine Mariâ, quam puriſſimis amoribus deperibat, in virginitatis ſuæ cuſtodem collocatâ. Olim templo pluſculum, quàm teneræ complexionis vigor pateretur, adhærens ſyncope obrutus, indéque egreſſus ſaxo cuidam inſedit reſpiraturus. Et ecce! formosulus quispiam, ac peregrinus Hiacynthulus apparens eidem inſolitæ dulcedinis pomum offert; quo vix deguſtato mente, & corpore adeò confortatus eſt, ut ſe in alium omninò hominem mutatum ipſemet admiraretur. Ex eo tempore ætatis ſuæ crepundiis ſuperior in ſolo Bethlehemitici Jeſuli, quem in officioſo illo pupulo, vel aliquem hujus Ephebum crediderat, ardentiſſimo amore deliciari conſuevit.

Inter hæc dum adoleviſſet, ſanctioris vitæ conſilia agitavit: & quidem ſuperni luminis ductu in Seraphicæ diſciplinæ portum appellere decrevit. Parentum, qui eum ab hac cogitatione avertere, & pinguis Eccleſiæ Cathedral. Baſileenſis præbendæ Canonicum voluerant, argumentis principia Evangelica, arctam Cœli adeundi viam, & violentam ejus occupationem oppoſuit; ut iis in propoſitum ſuum condeſcendentibus Rhenofeldam in Capucinum attondendus ſpiritu alatus volaverit potiùs, quam perrexerit. Mutato Joann. Alberti Jacobi in Joannis Chryſoſtomi nomine plumatum aureum babylonicum cum viliſſima mendicula commutavit. Hôc veſtiario pœnitentis ſymbolô jam glorioſior facili negotio ſtrictas Ordinis leges addidicit, in quarum obſervantiâ non calcari, ſed fræno indiguit. A ſcholis, in quibus Philoſophiæ, & Theologiæ myſteriis erudiuntur Juvenes noſtri, diſpenſari promeruit viri humilitas, anguſtiam ingenii cauſantis, cùm fuerit metus, ne ſtudio corporali in virtutum exercitatione diſtraheretur. Sed in Athenæo cœleſti per flagrantiſſimam orationem, & intenſam contemplationem frequentato altiora doctus eſt, quàm ſi multum pulveris ſcholaſtici ſorbuiſſet. Advertentes Provinciæ ſuperiores in viro præter eximiam pietatem, morum gravitatem, vitæque totius ad mentem Seraphici Patris compoſitæ integritatem, haud vulgarem quoque prudentiam, rerúmque divinarum notitiam undecunque hauſtam, tyronibus noſtris exemplo, & inſtructione ſua ad aſceſin formandis eum, quidquid inſufficientiæ redamabat, præficiendum duxerunt. In hac Præfectura non pœnitendas Provinciæ utilitates attulit; ut eapropter, licèt omnibus ſe indoctiorem fingeret, gregaria, &, utì apud nos dicuntur, ſimplicis ſacerdotis conditione ab altiori adminiſtratione ſatis tutum crederet, Guardiani, & Definitoris officio cumularetur, ſuffragante ſanctorum ſcientiâ, imbutus etiam ſanctitatis odore eo candelabro centies dignus, ne ſub modio humilitatis virtutes ejus ſterilescerent. Neque præfata munia illi à contemplandis Chriſti nati, & paſſi, quibus maximè afficiebatur, myſteriis impedimento fuiſſe frequentiores etiam coram fratribus, novitiis, & ſæcularibus ei accidentes enthuſiasmi abundè teſtati ſunt, quibus toties fermè corripiebatur, quoties vel diſcurſu, vel imagine quadam amantiſſimi Jeſu memoria excitabatur, plerumque in profuſiſſimas amoris, compaſſionis, gaudii, vel aliorum affectuum lacrymas extaſin finire ſolitus. Habebat autem ſtatuam vix palmarem ex ebore for-

formatam puſionis Jeſu ſimulacrum ; quam non ſolùm in Cella ſolitarius diſſuaviabat , coronulâ quadam juxta ſplendidam paupertatem redimibat , & polymitulâ amiciebat ! ſed etiam foras ſecum bajulabat. Cum hoc igitur Hiacynthulo potiſſimum converſari , húncque quaſi vivum actionum ſuarum teſtem , arbitrum , & Ephorum ſuſpicere conſueverat. Dum aliquando novitios ſuos ad tenerè amandum Jeſulum ignitis verbis hortaretur , addidit : Nolite Filii mei aliquid mali inferre Jeſulo ; ſed potiùs ex toto eum corde diligatis. Nolite illi multum fidere perverſa cogitando , aut moliendo , quia mihi omnia de vobis refert. Quæ verba ſanè nec vanitatis , nec falſitatis comperta fuerunt ; cùm plurimis Ordinis noſtri Canditatis impia ad vomitum redeundi conſilia meditatis , aut avernali tentatori talia dictanti aures præbentibus ; aut confecto rationum , morborúmque prætextu manumiſſionem è tyrocinio urgentibus , veluti ſi abſtruſis cordium arcanis interfuiſſet , terſiſſimè recitaverit , ad conſtantiam in ſtadio virtutum adhortatus ſit , ac potiores etiam perſuaſerit : aliis verò duræ cervicis , & ſæculi quisquilias obſtinatè eſurientibus funeſtas ſortes abjectæ vocationis certè pediſſequas , ac vindices præſagierit , effectu vaticiniis nunquam non reſpondente. In amando Jeſulo ſuo eò ſimplicitatis devenit , ut eburneam ejus effigiem iteratis in terram lapſibus fractam , ac devenuſtatam cataplaſmis faſciaverit , & ille in priorem elegantiam reducendæ ceruſſam adhibuerit , indemnisatâ his remediis præter naturam ſtatuâ. Hanc P. Provincialis eximiæ cuidam Ordinis Benefactrici nimio ejus habendæ deſiderio flagranti dono dederat ; hæc tamen donatariæ manibus , domóque elapſa ſuapte ad amaſium ſuum mirabiliter , nemine ferente , reverſa eſt. Futurorum præſagus aliquibus ad mortem ægrotantibus inducias à morte , ac inſtantaneam ſanitatem vaticinatus , an potiùs interceſſionis , aut benedictionis ſuæ medelâ impertitus eſt ? annonam aliquoties exhauſtam ſolâ Jeſu invocatione reſtauravit , tantum inferno metuendus , quantum cælo gratus. Tartareum moloſſum in ædibus civis cujuspiam Friburgo-Brisgoii horrendùm tumultuantem piis luſtrationibus abegit , & patrifamilias in partem vocato ſeriò exprobravit voluntarias dæmonum larvas , quas in animo ſuo hoſpitaretur : avaritiam nempè , uſuras , immiſericordiam in pauperes ; velut ipſiſſimas domui ſuæ inſidentis cerberi cauſas , pabulúmque : has ergò actutùm abominetur ; ſecùs poſteriora prioribus fore deteriora prædixit. Obſtupuit vir P. Joannis Chryſoſtomi ſecretorum ſuorum ſcientiam , & ſanctis ejus conſiliis libens aquievit. Innocentiæ ejus animalia feritatis ſuæ oblita , & ex diſtanti accurrentia , aut advolantia amæniſſimo ritu abblandita fuerunt ; nec ante ab eo recedere voluerunt , niſi poſtquam vir devotiſſimus iis miſſionem dediſſet. Nec tamen manſuetiſſimæ huic ſimplicitati ſua defuerunt arma , & aculei , quibus non ſolùm ad ſubjugandum corpus ſuum ; ſed etiam ad aſſerendam Regulæ , & regularium conſtitutionum puritatem , atque obſervantiam , dum aut Guardianus ſumma Conventuum potiebatur , aut rerum provincialium in ſecretiori geruſio ſatagebat , uti cum ſupercilio noverat. Aliquando in Guardianum Delemontanum renuntiatus , eóque de obedientia ten-

dens ipſe ſibi in itinere leſſum præſagiit ; & fratribus , quibus regendis advenerat , idipſum poſt impertitam , & receptam ſalutationem edixit. Vix unà , alteráve ſeptimana valens præfuit , cùm gravi infirmitate in lectulum compingitur , & converſis ad mortem vitæ ſimilem aquirendam curis poſtremis decedentium ſubſidiis armatur ; poſt quæ exſtaſi , qua ſanus utebatur , æger quoque abſorptus aliquantùm pauſantibus etiam ſenſibus , ſiluit. Eâ ſoluta fratres ad concordiam , Regulæ ſervandæ ſtudium , & virtutes fratre minore dignas cohortatus , atque demùm ad Jeſulum ſuum converſus ſub ſuaviſſimis ad illum ſuſpirationibus animam innocentem in ejus amplexum conſignavit Delemonti 25. Novemb. 1634. Poſt mortem caro ipſius elegantior , & vivacior vivâ apparebat. Nempè ut aurum ex clibano ; ita vir Deo deditus ex mortificationis , mortisque ipſius pallore pulchreſcit. Hunc fama publica ob plurima , eáque non poſtremi ordinis prodigia à vivo mortuóque edita , notiſſimis Eccleſiæ Thavmaturgis coæquavit , divorum albo inſeruit , & immortali apud poſteros memoriæ transmiſit.

IX. P. Joannes Evangeliſta ex Bodmann ab hoc ipſiſſimo loco & cunas , & nobiliſſimam Equitum de Bodmann proſapiam nactus admodùm octennis à P. Joanne Baptiſta Polono , viſitandæ Perilluſtris familiæ de , & in Bodmann gratiâ illuc ventitante prophetico ſpiritu inter Capucinos aſſertus eſt. Poſt ephebiam animum longè à vaticinio abludentem præſetulit , cùm armis delectatus militiæ nomen dederit. Eum tamen inter vitæ militaris curas ſalutis æternæ curam potiorem habuiſſe ex eo liquet , quòd facto à caſtris ſeceſſu decem dierum exercitiis , adhibito in conſultorem ſpiritualem Capucino , vacaverit , exploraturus , quæ eſſet Dei circa ſe voluntas beneplacens , & in bivio ſtans cum Saulo exclamavit , ut nuper aliquis cognati ſanguinis divinæ voluntatis Candidatus : Domine ! *quid me vis facere ?* uſque ad nonum diem irreſolutus hæſit. Ultimo die P. Inſtructor pro eo dubiorum fluctibus eximendo SS. Miſſæ Sacrificium obtulit , & dum uterque intenſo ardore precibus inſtaret , cecidit ſuper eum Spiritus Domini ; à quo illuſtratus eam vitæ rationem ſectari conſtituit , quæ vaticinium de ſe hujus ignaro prolatum rei conſentaneum redderet : nempè inter Capucinos pro anima agonizare , ac pro cælo dimicare in animum induxit. Igitur ſupplex pro Ordinis habitu , votíque damnatus lætanter Veldkirchium , indictum tyrocinii locum properat abjectâ mundi figura in pauperem Saccophorum defigurandus. Ut per omnia Prophetæ ſuo ſua conſtaret fides , Joannes vocatus eſt. Tanta ſpiritûs alacritate Dei ſervitium acceſſit , quaſi uno die omnia abſolvenda eſſe arbitraretur. Et cùm noſſet , principium cuiusque rei potiſſimam partem eſſe , ab initio priorem hominem ſub jugum mittere , & antiquare per ſumnum mortificationis , & auſteritatis etiam ſupererogatoriæ conatum ſategit. Uno inter contyrones , SS. Theologiæ , & Juris Pontificii Doctore , cui ea vivendi methodus vilior , ſimpliciórque videbatur , quàm dona ſua exigerent , vitam religioſam nauſeante , causásque reſiliendi fabricante F. Joannes id advertens eum in propoſito roborandum putavit. Et cùm uterque revidendo , & diſponen-

ſponendo Breviario occuparetur, opportunè textus ille incidit : *Fili accedens ad ſervitutem Dei ſta in juſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem* ; è quo captata occaſione ſic ad commilitonem ſuum : En ! chariſſime frater, ait, ipſiſſimum adversùs atram bilem, qua te exagitatum dolens video, panchreſtum non otiosè à Spiritu ſancto huc injectum ; cujus uſu trochi in morem fluctuare deſinas, & in propoſito vitæ ſtudio firmeris. At ille erecto ſupercilio hortatorem ſibi imparem dedignatus manumiſſionem ſuam poſtulavit, & obtinuit, fortunam ſuam in curiis, ùt faſtu tumidus ſibi blandiebatur, quibus natus, & paratus eſſet, ſectaturus. Sed miſer temerè, ac inconſultò egiſſe brevi poſt comperit : ipſe namque pro tribunali ſeſſurus repentinâ morte ad ſupremi Judicis tribunal raptus eſt, calcatæ vocationis poſtulandus. F. Joannes Evangeliſta phylacterium ab illo recuſatum ſibi ad progreſſum roborando ſaniùs applicuit : qui & ſacramento Religioni dicto, ac deinceps ſuſcepto Presbyteratu in arcto exercitiorum ſtadio conſtans cucurrit, ut exinde omnibus aliis commendatiſſimus ; ſibi ſoli autem pro humilitatis ingenio, viliſſimus, & purgamentum fuerit. In ſtudio theologico, adjuvante defæcato judicio, ea ſpecimina præbuit, ut Provincia ſibi de futuro doctiſſimo viro gratularetur. Sed Deus prævertit anchoræ jactum. Nam ſuperveniens ægritudo, & acutiſſima phtyſis eum & ſcholâ, & vitâ ejecit. Accepto mortis nuncio non ejulare, ſed jubilare viſus eſt. SS. Eccleſiæ Sacramentis devotiſſimè viaticatus Veldkirchii 16. Mart. 1648. piiſſimè, & lætanter obiit ; ſed Provinciæ profundum luctum fecit.

P. Joſephus Engenſis virtutum, & laborum gradibus honorum, & officiorum adyta conſcendit, ſæpè Guardianus ſæpiùs is ipſe, & plus eſſe meritus, ſi æquior valetudo permiſiſſet. Aliquando Baſileâ Neoburgum, Conventum ſuum, ſcaphâ remeaturus turbinis ſubitò ingruentis rapacitate cum navarcho, & aliis naufragatus, & à criſpatis Rheni fluctibus hauſtus eſt, atque adeò ab iis, qui periculum evaſerant, conclamatus. Luctatur interim optimus vir cum alternantibus undis ; & quòd illis reſiſtendo non eſſet, Jeſum, & Mariam in auxilium evocat, quô ſibi favente tandem eluctatus pedes Neoburgum properat. Poſt eum itineris, & fortunatior infortunii ſocius F. Samuel Laicus de exiſtimato P. Joſephi interitu mæſtiſſimus & ipſe Neoburgum venerat ; at ibidem eumdem vivum lætiſſimus repererat de ope cæleſti gloriatum. Proverbiô dicitur : ſuſpendio deſtinatus aquis non mergitur. P. Joſephus declinatâ charybdi in grabato ſcyllam invenit. Ipſis namque 16. annis diriſſimâ Athritide cruci affixus luctam tantò atrociorem, quò naufragiô magis diuturnam habuit, gratulatus ſibi ſummos dolores, quibus uſque ad Chriſti patientis uniformitatem, ſolennem cohæreditatis arrham, runcinaretur : hinc corpore taliter cruciato mens inſeparabiliter crucifixo per continuum orationis ſtudium adhæſit. Accedentem alium quemdam morbum velut gratiſſimum ſibi liberatorem ſalutavit ; quo urgente SS. Eccleſiæ Sacramenta in animæ vegetationem ſuſcepit, morti jam tantò magis, quantò certiùs ejusdem præſcius fuerat. Nam P. Serenum Stauffen- X.

ſem, cujus fraterna charitate ægrotans utebatur, his ſemel allocutus eſt verbis: vade, Chariſſime P. Serene, & fruere cum aliis permiſſâ Conventûs recreatione, cùm terminum necdum attigerim. Vade, & crede, me ſine tua præſentiâ haud moriturum. Obtemperat ille; cui altero manè P. Joſephus, nunc, ait, Fili mi, nunc tandem ad metam vicinior: nunc fata me vocant; ſole enim hodierno ad occaſum declinaturo vitæ & mihi occaſus imminet. Nec aliter reipſa evenit. Horâ etenim quarta P. Guardiano animam illius commendante æger integris ſenſibus, claráque voce ad Lytanias pro agonizantibus dici ſolitas aliquamdiu reſpondet; ſubitò autem precum, & vitæ lineam abrumpens ſuaviter in Domino obdormiſcit Conſtantiæ 20. Febr. Anno 1640. Quo tempore nonnemo ex aula Epiſcopali candidiſſimam columbam tecto Monaſterii tamdiu inſidentem conſpexit, quousque corpus viri Dei terræ mandatum eſſet; tunc autem ſe ſe in aëra vibrans feliciſſima de ſalute P. Joſephi auguria reddere videbatur.

XI. P. Jovita Rottenburgenſis Sacerdos maxima charitate epidemica lue affectis tum fratribus, tum ſæcularibus impensâ memorabilis ſanus adhuc dicere auditus fuit: ſe in laboris ſui mercedem nil aliud optare, quàm peſte, & in die Portiunculæ defungi. Nec inane fuit hujusmodi votum, cùm utrumque optanti acciderit. Eodem namque afflatus morbo P. Simoni, qui eidem propediem morituro aſſiſtebat, aſſeveranter edixit: vade, mi Pater, quò te negotia vocant, de hora mortis meæ, ne dubita, te ſuo tempore eam præmonebo. In Feſto Portiunculæ, in quo Indulgentias illas lucrari omni virium ſuarum impendio conatus eſt, Infirmarium ſuum adeſſe rogatum ita affatur: Intra horam hinc emigrabo. Ut charitas nunquam non beatæ mortis certus Aruſpex, & negotiatrix eſt; ita P. Jovita horâ poſt meridiem tertiâ placidiſſimè obdormivit Altorffii 2. Auguſti 1629.

XII. F. Jovita Brigantinus Laicus ea tempeſtate, quâ Suecus Wrangelius Brigantinæ urbi imperitabat, inter Juvenes agebat. Et cùm ille aliquos è Juventute ſelectos, armisque idoneos in Sueciam abducendos curaret, funeſta ſors etiam ſuper hunc Jovitam cecidit; jamque cum pluribus Dillingam uſque pervenerat, proximè ulteriùs Danubio vehendus. Ille autem de vitæ, Religionis, & ſalutis diſcrimine meritò timidus ferventiſſimis Deum precibus exoravit, ut ſe infelici hac peregrinatione eximeret, vovens ſe vitam ſuam in ordine Capucinorum Deo conſecrandi. Exauditur, & impellente Numine fugam attentat, hacque feliciter arreptâ per operoſos itinerum anfractus Suecorum manus evaſit; & qui ad facienda mala erat venundatus ad operanda bona, votúmque exſolvendum votis ſuis ſtetit; atque Ordini mancipatum nunquam non fidelem Dei ſervum ſe probavit, laborandi aſſiduitatem eximia in Deum pietate, morum innocentia, omníque auſteritatis, & mortificationis genere reciprocare, & ſecundare connixus. Architectonicem doctus, juvandisque fabricis admotus, licèt ſenior, & peritior eſſet, maluit tamen ab aliorum, quàm à ſua laborare ſententiâ, veritus ne ullo modo impingeret. Præter hæc ab affatu ſimpliciſſimo, fron-

fronte ſerenâ, & facie hilaritatem ſpiritualem præſeferente nullius impatientiæ capax eſſe videbatur, inter adverſa innocentiſſimo lamentationis uſus vocabulo, quod & ipſum devotionem ſpirabat, eapropter non ſolùm fratribus; ſed etiam magnatibus ſummè charus. Senio confectus exemptionem à ſeveriori hoc labore accepit; quem duplicato orandi ardore, & vitæ rigore compenſare ſtuduit ſolo ad menſam pulmentô epulatus, atque cauſatus, ſibi tanquam otioſo non plus deberi. Vitæ extremum ubi attigit, hujus ponendæ, quàm alius protelandæ cupidior paucis ante poſtremum halitum momentis ſolatio, & lætitia geſtiens diſtinctè exclamâſſe fertur: *Ecce! beatiſſima virgo Maria cum ſpecioſiſſimo Jeſulo adeſt.* Et poſt intervallum: *En! ô Sanctiſſima, & Auguſtiſſima Trinitas!* In hujus ſeu vera, ſeu imaginaria, utrobique ſuaviſſima viſione animam ſimpliculam cum eximia fratrum conſolatione efflavit Möſskirchii 9. April. 1709.

Litt. L.

I. P. Laurentius Mariſpurgenſis Concionator antiquos Thebaidis Incolas Macarios, Antonios, Hilariones &c. Silentii, ſolitudinis, contemplationis, & vatiniani in carnem ſuam odii cultu æmulari voluiſſe çredebatur; in eo tamen illis aliquantùm diſſimilis, quòd Apoſtolatui etiam operam dederit, & compluribus annis in Miſſione Wilerſtadienſi animarum ſaluti tanto harum proventu, quanto zelo incubuerit. Adeò linguam fiſcellâ capiſtravit, ut extra prædictas functiones novus Harpocrates diceretur. Victus illi, cultúsque cumprimis horridus, & aſper. Gulam inediâ eum in modum compeſcuerat, ut à nonnullis nimietatis notaretur; quibus tamen tritam repoſuit paræmiam: *Aſini caput ne laves nitrô.* Dolet jejuniis caro; ſed anima epulatur. Tempus à Choro, miſſionibus, & communibus exercitiis vacuum, piis commendationibus, aut orationi dabat, nec alibi quàm vel in odéo, vel exedra, vel triclinio viſus, ſemper exſtatico, aut ſceleto ſimilis. Propinquam mortem geſtu, totâ vitâ nunquam uſitatô, riſu nempè, ceu exoptatiſſimum ſibi Charontem benè venire juſſit, animam ſuam ex odioſi corporis domicilio ad deſtinatam lugentibus, & flentibus beatitudinem transvecturum. Obiit Badenæ 6. Maji. 1674.

II. F. Leonardus Wangenſis laicus in præmium anteactæ religioſæ vitæ ad omnes virtutes, quibus laici conſtare debent, limatæ, promeruit, ut à P. Erneſto Friburgenſi herì mortuo de morte ſibi propediem inſtante; & ſocietate in Cœlis adeundâ impacto lateri ejus ictu admoneretur; quam apparitionem tam dolorifero, ut Fr. Leonardus ſuo Guardiano gratulabundè fuerat conqueſtus, teſtimonio roboratam, minimè imaginariam; ſed veriſſimam fuiſſe, ſecuta in alterum diem Fr. Leonardi mors vitæ piiſſimæ correſpondens comprobavit. Obiit Uberlingæ die 22. Febr. 1687.

III. F. Longinus Dillinganus laicus, poſtquam aliquos annos miniſterio laicis proprio fidelem, ac devotam navâſſet operam dignus inven-

tus eſt, qui in patientiæ palæſtra hujusce virtutis magiſterio fungeretur. Acutiſſimâ enim athritide correptus, hujúsque violentiâ nervos, ac tendines elumbatus, genibúsque ad mentem usque attractis in glomum compendiatus miſerandum hominibus, ſed jucundum Deo ſpectaculum exhibuit; ſui jam, ſuorúmque membrorum uſu deſtitutus velut novus ſimeti ſeſſor Huſſæus hôc forſan cruciatuum acerbitate, & multitudine inferior; ſanè tamen eorum prolixitate ſuperior ſpirantis inſtar cadaveris tres ſupra viginti annos in pœnas pervivere juſſus, quin fratres ullam inſolentem querimoniam impatientiæ indicem ori ejus elapſam; econtra frequenter agnatam Jobo vocem: *Sit nomen Domini benedictum &c.* notaverint. Tantam denique calamitatem Deus coronide, & coronâ donandam arbitratus eximium hunc Athletam ſanctiſſimo Chriſti corpore ſaginatum, & ſacro chrysmate unctum, rebus omnibus exutum, ſed virtutibus divitem vivis exemit terræ viventium inferendum Rottvvilæ 26. Febr. 1733. Rumor de ejus obitu multam hominum turbam funeris ſpectatricem, & virtuti gratulabundam attraxit, optimo vitæ, mortísque beatæ odore longè latéque propagato. Nempè ut aromata benè oleant, teruntur: ut náſcatur ex anima bonus odor, premitur corpus.

IV. F. Ludovicus Suntgoviâ ex perilluſtri Equitum Pfirtenſium ſtemmate prognatus Diaconus Clericus poſt luſtratas ritu inter nobiles uſitato exteras regiones aliquamdiu Cæſaris caſtra ſecutus ad religioſam inter Capucinos militiam tranſitum inſtituit, talémque ſe in vitæ aſceticæ gymnaſio geſſit, ut ſuffragante congruâ eruditione, & morum probitate in virum Provinciæ perutilem evaſurus crederetur. Ipſe tamen, incertum, quo ſpiritu, plurium opinione, divino, ſe nonnihil maniacum, aut ſimulans, aut verè exhibens adduci non potuit, ut S. Presbyteratûs ordine initiaretur; itendidem exemplum S. P. Franciſci prætendens. Ex humilitate hanc renitentiam fuiſſe profectam, complura ſuppetunt argumenta; ac præprimis religioſæ vitæ ſpecimina. Superiores debitè ſemper reverebatur, & ad omnem obedientiam expeditus negotia domeſtica, & quæ ad Eccleſiæ ornatum pertinent, ſumma diligentiâ peragebat, ad omnes urbanus, & obſequioſus, neminíque moleſtus; & regularium Conſtitutionum apprimè tenax. Confeſſionem Sacramentalem tanto apparatu, támque prudenter, & exactè obibat, ut Confeſſarii non parùm admirarentur: ſacram ſynaxin ſumma cum reverentia frequentavit, ut & devotiſſimas ſæpè lacrymas in, & poſt Communionem profunderet, eóque die ſilentium ſtrictiſſimum ſervare, & in cella ſolitarius manere ſacroſanctum haberet. Miſſæ ſacrificio Angelicis moribus aſtitit, & inſerviit; ad Evangelii textum ſemper attentiſſimus; ad omnes horas Canonicas, nocturnas præſertim excitatiſſimus, & primus. Nunquam ſe ſomno dedit, quin priùs ab eo, quem vel leviſſimè crediderat offendiſſe, veniam de genibus rogaverit. Aliquando P. Provincialis eum blandè allocutus ajebat: mi frater Ludovice! ſtudeat aliquando ſapere, ut ſaltem in Sacerdotem ungi poſſit. Cui ille haud absque ſale: fruſtrà Doctorem optatis, quem Deus ad ſalutem ſuam fatuum vult. Totos trigin-

triginta novem annos ea ſorte contentiſſimus vixit. Perilluſtris D. Baro de Hochberg ei olim Rottenburgi Eccleſiam ſcopanti amicè exprobravit ; chariſſime Domine cognate, quousque vos ſcopis occupatum videbo ? cui F. Ludovicus ſatis acutè reſpondit : ego lubens hac occupatione vivens detineor ; alii in alteram vitam ſcopandi ſervantur. Ad fratres aliquando ajebat : jam ſcio, me brevi ad meliora abiturum. Id quod reipſa contigit. Nam paucis abhinc diebus poſt ſacroſanctæ Miſſæ ſervitium ad cellam properans ibidem apoplexiâ ſyncopatus, fratribúsque ſtrepitu ad ſibi auxiliandum evocatis in horum præſentia, ſibique præſentiſſimus ſub piis aſpirationibus in Domino requievit Brigantii 11. Mart. 1644. mortuus multò elegantior, quàm vivus apparuit ; ejúsque membra præter conſuetum mollia & flexibilia extiterunt. Dum funus terræ eſſet inferendum, ingens hominum, etiam nobilium, multitudo confluxit ; qui omnes eum, quamvis anteà ſibi minimè familiarem, ceu verum Dei ſervum prædicabant. Ipſe Perilluſtris D. Baro de Raitnau in Hofen in funerali proceſſione crucem proferendi honorem ſibi exoravit.

Litt. M.

P. Magnus Stauffenſis Concionator albo in faſtis lapillo notari dignus nigrô ſe digniſſimum reputavit, ea humilitate præditus, ut ob eminentem litteraturam alios ſcientiam docere juſſus ægerrimè hanc provinciam ſuſceperit. Omnem quoque aliorum officiorum ambitum excluſit, gaudens ſui contemptu, nulláque alia re, quàm laude offendendus. Qui fratres, præſertim Sacerdotes impensâ charitate, & veneratione complectebátur, irreconciliabili in carnem ſuam ódio flagrabat, inediâ hanc emaciare, flagellis domare, vigiliis deſatigare, habitu pauperrimo infinitis tribonibus ſarcitô amicire in primis, & quotidianis habebat curis. Murmura, & alia hujusmodi maleferiatorum negotia velut monſtra infernalia evitavit. Nulla illi quæſtuoſior, nulláque jucundior occupatio fuit, quàm Altare, Chorus, & Meditatio, quam duabus per diem horis circumſcriptam ad plures diu noctúque protraxit ; ex qua ſanctitatis pædagogiâ in alterius magis, quàm hujus orbis hominem formatus prodiit. Totâ vitâ nunquam ægrotare didicit ; & tamen, cùm debuit, totâ vitâ didiciſſe videbatur. In doloribus patientiſſimus tunc patiens eſſe deſiit, quando audierat, aliqua ſibi medicando pharmaca pretio comparata fuiſſe : id enim verò paupertatis cultorem, vitæque incurium lethali morbo graviùs afflixerat. Poſt doloroſiſſimam confeſſionem pane vitæ ad mortem refocillatus, & unctus promptiſſimo animo in ſuum ex hac mortalitate deceſſum conſenſit, obiitque morte juſtorum Wangæ 19. Decemb. 1676. I.

P. Marcellianus ex Segg Guardianus, & Novitiorum Magiſter priſci candoris vir fallere quemquam neſcius tunc maximè plures fefellit, dum manducare, bibere, ſomno more aliis communi indulgere videbatur ; cùm tamen ea agere mentiretur tantùm, jejunio deditiſſimus paucis ſtomachum expediens, & lympham plerumque bibens, atque nudo aſſeri non II.

dormiturus, ſed vigilaturus incumbens. Cor ejus unicâ Dei charitate æſtuabat, cujus ignem fovebat, vel potiùs augebat indies fervens oratio, & myſteriorum Chriſti patientis contemplatio. Tyrones ad ſancta verbis erudiebat; ſed exemplis trahebat. Felle nonniſi in corporis ſui injuriam armatus erat, carens eo versùs alios vir manſuetiſſimus. Quantum ſtudia ejus Deo probata fuerint, is luculentô documento teſtatum fecit. Offerebatur ei in diſtrictu Immenſtadienſi à mæſtiſſimis parentibus filiola quadriennis, quæ per fauces intercluſas nullum per plures dies nutrimentum haurire valens proximè credebatur extinguenda. Huic P. Marcellianus elevatis in cælum oculis impertit benedictionem; cujus tanta fuit virtus, ut inde absque alio remedio guttur dilatatum; ipsáque moribundula admiſſis alimentis integram incolumitatem conſecuta ſit; quam ceu prodigioſam læti parentes precibus, & meritis P. Marcelliani tribuerunt. Cùm virtutum ejus ſeges jam ad meſſem albicaverit, exoptatæ diu mortis falci lubens ſuccubuit Marchdorffii die 24. Novemb. 1718.

III. P. Marcus Wolfeggenſis in ſæculo etiamnùm Eccleſiæ Collegiatæ Wolfeggenſis præpoſitus magnum ſibi à morum gravitate, & doctrinæ prærogativa nomen comparaverat. Capucinos in Miſſionariis expeditionibus Wolfeggium ventitantes intuitus, vitæque activæ cum contemplativa in iis coñubium admiratus, adeò in hujus æſtimationem, & ſectandæ deſiderium exarſit, ut dignitatis ſuæ fulgorem humili Capucinorum habitu obſcurandum cenſuerit. Inter noſtros ergò adſcitus nihil habuit antiquiùs, quàm ut opera ſua ad unquem preſſum regulæ Seraphicæ, & ſtatutorum apici conformaret, résque cum nomine conveniret, inter pauperes pauperrimus, inter humiles humillimus, inter aſcetas exercitatiſſimus eſſe geſtiens. Verbi divini Præco zelantiſſimus, donísque ad id munus requiſitis inſtructiſſimus, magis in Domino delectabatur, ſiquando habituatum peccatorem ad frugem reduxiſſet; quàm ſi ingentem theſaurum reperiſſet. Spurcas voluptates, putidiſſimam humani generis Camerinam, libera oratione commoverat dicendo, ut illud non minùs familiare, quàm peſtilens animorum ulcus, in quo Marcus unguem fixerat, nemo præſentium non abominaretur. Implacabile etiam bellum contra ſtriges, & magos geſſit, & in omni fermè concione nefanda illorum ſcelera inſectatus eſt. Fervidæ orationis ſtudio ſancti nomen vulgò conſecutus eſt; hinc plures ſe, causásque, & afflictiones ſuas ejusdem precibus nunquam ſine emolumento commendârunt, & conſiliis uſi ſunt. Matrona quædam immani dentium cruciatu dolens pro lenimine P. Marco ſupplex ſolâ crucis ſuper ſe formatæ efficaciâ immunitatem percepit. Publicam ſanctimoniæ famam ſancta quoque mors adauxit, qua Fratres circumfuſi non minùs ædificati, quàm mærore de tanti viri jacturâ proſtrati fuerunt. Obiit Ravenſpurgi 21. Mart. 1631.

IV. P. Marquardus Mariſpurgenſis Concionator toto triennio ſupra ſæculum priore, P. Marco, poſterior, ſanctis tamen vitæ exemplis eidem propè coætaneus extitit, ex eorum claſſe verbi Dei Prædicator, qui

qui etiam tacentes ſolo opere timorem, & amorem Dei, peccatorum fugam, & virtutum amplexum quàm efficaciſſimè perſuadere ſolent. Ut nudum Jeſum utilius prædicaret, omnium propè rerum uſu, & affectu ſeipſum denudavit vel paxillo nudior: & ne aliis prædicans ipſe reprobus efficiatur, corpus ſuum ciliciis, flagellationibus, jejuniis, & vigiliis præter conſuetas & pœnalioribus, & frequentioribus in penitiſſimam ſervitutem redigere ſategit: ne porrò prædicatum Dei verbum ullum uſpiam contemptum incurreret, hominum exterorum, ac etiam fratrum converſationem ſtudioſiſſimè, quantum obedientia, & charitas pateretur, declinavit. Ut periclitaretur Deus, an Marquardus tam tolerans eſſet manûs alienæ ipſum cruciantis, quàm propriæ, nunc ellis eum, & compedibus; atrociſſimis nempè podagræ doloribus afflixit; quos vir in omnem fortunam indifferens magnæ & gratiæ, & gloriæ locò habuit: & cùm in horum ſocietatem alia veniſſet ægritudo, quæ jam non pedes, ſed jugulum petere judicata eſt, protinùs ſe ad vitam leviſſimô ſibi venalem cum morte cummutandam obtulit mori lucrum reputans. Nocte ultima præſentem ſibi habuit loci Vicarium; quem abire volentem rogavit ægrotus, ſecum adhuc paululùm moraretur, quia brevi eſſet moriturus: velle autem ſe adhuc unum perſolvere roſarium. Paratum ſe ille exhibuit ad alternandas cum eo preces. Verùm hic: ob debilitatem nequeo alta voce precari: hinc potiùs meditabundè ſalutabo Mariam. Et in hac meditatione, & emiſſis ad Mariam ſuſpiriis ſpiritum quoque in maternum illius ſinum emiſit Offenburgi 27. Septemb. 1734.

V. P. Martinus Conſtantienſis Concionator ſtrenuus, & Confeſſarius ingenti charitate, patientiâ, & animarum zelo præditus, omníque reſpectu humano ſuperior ad exigentiam, non dignitatem pœnitentis officiô hoc indifferenter perfunctus eſt, Catholicis Helvetorum Cantonibus adversùs Acatholicos bellum gerentibus tanquam paſtor Caſtrenſis non inutilem locavit operam. Erat Veldkirchii perſona vitæ probitate commendatiſſima; ſed cacodæmonis inſeſſione calamitoſa, quæ P. Martinum conſcientiæ arbitrum legerat, eâ emolumenti gratiâ, ut, quamdiu P. Martinus in vivis ageret, non auſus ſit ſtygius hoſpes graviùs ſævire, imperio, & benedictione pii patris cohibitus. Poſt obitum ejus, qui contigit Veldkirchii 27. Aug. 1688. præfata perſona P. Martinum ſibi noctu præſentem, & conſpicuum habuit, radiis, quibus ſancti ſolent, emicantibus, totúmque cubiculum illuſtrantibus, coruſcantem. Et cùm illa præ gaudio plures epiphaniæ ſpectatores advocare vellet, diſparuit ſpiritus, relictâ ſui imagine in animo piæ mulieris, quoad vixit, ſuperſtite, ac multi ſolatii fœcundâ.

VI. P. Martialis ex Sateins SS. Theologiæ Candidatus cùm in Athenæo Oenipontano liberalibus diſciplinis operam navaret, luctuoſiſſimæ ædificiorum, hominúmque ſtragis à terræ motu editæ proximus ſpectator, & vix non complex liberationem à præſenti interitu ſingulari Numinis gratiæ in acceptis retulit; in cujus antipelargeſim ſeipſum obtulit ex arena, vovens ſe in ordine Minorum Capucinorum jugem Dei famulatum eſſe pro-

profeſſurum. Jam inter Capucinos adlectus ab animi hilaritate, frontis ſerenitate, obediendi promptitudine, ac indole in omnem virtutem pronâ cunctis ſe commendabilem reddidit. Poſt ſtudia theologica laudabiliter emenſa, & ſuperatum jam rigoroſum ſcientiæ tentamen aliud ipſi, quo virtus probaretur, ſubeundum fuerat: Deo juveni huic, & formato Prædicatori cathedram longè ab hominum opinione diverſam, grabatum, in quo patientiam doceretur, & doceret, deſignante. In utroque ejus genu ſcirrhomata emerſerant; quibus abolendis rerum periti opportunam judicabant inciſionem. Hac autem tentata repererunt carnem femoris ultrà ſpithamam longiùs à fluxu putrido jam arroſam fuiſſe; quæ igitur tota præſecanda fuerat, præbente P. Martiale pedem amputatrici ſeceſpitæ, quantùm ſatis; obligato vulnere, & horrentibus ejus aſpectu tum fratribus, tum chirurgis. Alterum jam genu ſecandum fuerat, in qua operatione conſimilem priori calamitatem invenerunt lithotomi, ut igne ferróque in putridam carnem graſſandum fuerit. Et dum hæc ſectionum alternatio in ſeptimam hebdomadem frequentaretur, alteruter pedum ex defectu ſucci vitalis penitùs exaruit. Igitur alteri ſervando incubitum, P. Martiale ſemper eodem, & per jocum fatô. Conclamatô jam uno pede alterum diei Paraſceves victimam ſervo, fratribus tantum ſtupore de viri hujus apathiâ attonitis, quantum compaſſione affectis. Ipſo die Paraſceves, juxta effatum patientis, augeſcente cruciatu Salvatori ſuo vicem dolorum, amoris, ac mortis redditurus vitam abſolvit jam Theologiæ comprehenſivæ candidatus Conſtantiæ 6. Aprilis 1702.

VII. F. Matthæus ex Wildbad Wirthenbergiæ oppido thermis celebri oriundus operâ Capucinorum ex Lutheri ſectatore Catholicus; operante Spiritu ſancto ex profano Religioſus Capucinus, ab impenſa in Deum, & cælites devotione, ac non minùs probi, quàm prudentis viri ſpeciminibus plurium Provincialium comes eſſe meruit. Cum quodam Patre ad Eremum B. V. M. peregrinatus obvium aliquando in platea habuit energumenum à dæmone miſerè exagitatum; ad quem F. Matthæus accedens ſpiritum increpuit, dicens: nequiſſime dæmon, uſquequò vexas hominem? quietum ſine illum. Sed arreptitius fratri gravem adeò colaphum infligit, ut humi proſterneretur, emunctæ naris laice, inquiens, quid tibi, ut dæmoni imperes? cautior inde redditus ultrà forum ſuum deinceps in ſathanam nil auſus eſt. Poſt comparatam eximiam meritorum ſuppellectilem F. Matthæus omnium opinione feliciſſima morte defunctus eſt Rottenburgi die 1. Mart. 1633. Nihilominùs poſt mortem cuidam Patri apparuit totus ſudore diffluens, cui & flammæ è gremio erumpere videbantur, purgatorii pœnas ſe ſe acerbiſſimas conqueſtus, causásque judicio noſtro leviſſimas exponens; qui poſtulatis ſuffragiis, & ſacrificiis rursùs evanuit.

VIII. P. Matthias Augienſis Equeſtri Herbſthemiorum ſtemmate ſatus, Campiduni in illuſtri Gymnaſio ſuavioribus muſis initiatus, Eminentiſſimi & Sereniſſimi DD. Cardinalis Andreæ Auſtriæ Archi-Ducis, & Epiſcopi Conſtantienſis Aulæ inſertus jam tum modeſtiâ, pietate, & maturi-

tate

tate ſuper Con-Palatinos ſuos eminuit ; ſed lugubri caſu duorum in eadem aula Illuſtrium mutuis vulneribus ſe conſummentium edoctus mundum, & omnem ejus appendicem averſari cæpit , hujúsque præcipitia evitaturus in profundum Seraphicæ Religionis ſe demiſit. A toga igitur ad pallium traductus adeò ſe totum Deo, rebúsque divinis impendit, ut converſatio ejus prorsùs cæleſtis nil porrò mundani pulveris admixtum habere viſa ſit , cujus contemplatione Patres novellæ Provinciæ hunc in juvene jam veteranum aſcetam poſt paucos à profeſſione annos neophytis viam Dei docendis, Conventibus moderandis, in duodecimo religioſæ ætatis anno altioribus in Senatu Provinciæ rebus definiendis ; & in vigeſimo primo ipſi Provinciæ regundæ præfecerint , tanto Religionis proventu, ut neminem dati ſuffragii pœnituerit. Pecuniam , & quidquid huic ſimile , angue pejus reformidabat : & cùm miles Suecus in via ei obvius nonnullos denarios obtrudere vellet , & recuſanti, niſi acceptaret, denudato pugione extrema quæque minitaretur , potiùs de vita , quàm de paupertate periclitari voluit. Nemo alius de ſufficienti annona tam ſollicitus, quàm ille de ſuperflua timidus fuerat : & aliis de eleemoſynarum affluentia lætatis ipſe in ſummas inde anguſtias adigebatur ; Benefactoribus ſupplicare ſolitus ut beneficentias ſuas moderarentur. Pro eo, quo præſtabat, magnanimo paupertatis , & diſciplinæ Monaſticæ zelo ſolennium, illuſtriúmque perſonarum Capucinos ad opipara ſympoſia invitantium , & lautitiis obruentium preces audacter refutavit potiorem habens curam Dei, ac paupertatis, quàm Magnatum offenſas evitandi. Si in viſitatis Conventibus quidquam inter ſacram , & profanam ſuppellectilem repererat, quod avitæ Ordinis ſimplicitati , & paupertati vel à pretio, vel ſplendore, vel curioſitate vel minimum adverſari ſuſpicaretur, id non admiſſo illius rei ullo patrocinio, poſitivè abrogatum voluerat. Abſtinentiæ fuit ingeniosè deditus, magnum comeſtorem ſimulans , reipſa autem aut jejunans , aut famem irritans ; nec ſibi Provinciali, grandævo, laboribus itinerum laſſato quidquam ſingularis , aut delicatioris in cibo, potúque apponi , minùs procurari ſuſtinens. In caſtigandis delinquentium exceſſibus ſic authoritate uſus eſt , ut caſtigati manum paternè, juſtéque ferientis exoſcularentur : quin ipſe, ſi quos ex correctione triſtatos advertit, eosdem verbis, beneficiis, & deprecatione de genibus demulcere ſtuduit. Aliquis autem obſtinatior, ut rigorem aculei ſibi pro meritis infixi ulciſceretur , quasdam feſtucas in oculo patris ſui obſervatas Capitulo detulit ; in quo eapropter P. Matthias ſyndicatus aliud nihil oppoſuit, quàm, ſe horum exceſſuum quidem ſibi conſcium non eſſe ; fieri tamen potuiſſe , ut à ſe quid commiſſum fuerit , ex quo delatori tale judicium contra ſe formandi anſam præbuerit. Sic philautiæ oſor apologiam pro calumniante confecit , poſthabitâ ſui defendendi curâ , inſigni humilitatis exemplo , quæ alioquin tam altas in animo ſuo radices egerat, ut commemoratione natalium ſuorum offenderetur , & miſerum illum judicaret, qui gloriam ex cunis quærit, & nobilitatem à geneſi , non à virtute profectam oſtentat. Hinc populum ſuum , & domum Patris ſui oblitus à Religioſo patriam ſuam pe-

dibus non calcari arbitrabatur ; cùm ea cœlum ſit. Quamquam nec diu , nec multis immoraretur libris ; tanta nihilominùs eloquentiâ , & in omne argumentum expeditâ pollebat facundiâ , cui inſuper ſtaturæ proceritas , barba promiſſa , canities venerabilis , & facies Anachoretica dominatricem quandam authoritatem conciliaverat , ut iis , ad quos res , locus , & officium ſuadebant perorare , non loqui , ſed tonare viſus ſit , habuerítque tum graviſſima verba , tum auditorum , ſive fratrum in viſitationibus , ſive ſæcularium è cathedris , ſive Magnatum , Principum , militum etiam hæreticorum animos in poteſtate quocunque flectendos eô maximè , quòd concordaret ſermo cum vita , & gratiæ , non illæ fabularum , ſed ſpiritûs ſancti copioſè labris ejus inſiderent. Aliquando Ravenſpurgi ad fratres ſermocinaturo ſupervenit Suecus ejus urbis pro tempore Gubernator cum multo officialium ſtipatu , quos inter prædicans rabula , P. Provincialem ſalutaturus. F. Janitor importunos hoſpites divertere conabatur , cauſatus , quòd P. Provincialis actu oratione ad fratres occupatus eſſet. Tantò magìs , inquit Gubernator , accedendum , & eadem concio nobis audienda eſt ; quo dicto rectà ad Refectorium cum omnibus contendit ; & absque ſtrepitu quidem menſæ aſſidentes ad audiendum ſe ſe componunt. P. Matthiam ea inopinata auditorum adeò peregrinorum , hoſtium , & hæreticorum præſentiâ territum , atque elinguatum fortè an credidiſſes ? Minimè vērò : ſed cordatiſſimus æquè , ac prudentiſſimus Pater tam dextrè ſtylum inflectit , ut facundiſſimè unà & profundiſſimè tum ex ſacra ſcriptura , num ex ipſa rei notoreitate diſputaret , non omnes , qui ſe Evangelicos jactarent , Evangelicos eſſe ; ſed Capucinos regulæ ſuæ obſervatores verè tales habendos demonſtraret : idque adeò etiam ad captum Suecorum , tantáque orationis libertate propoſuit , ut ſermone finito Gubernator ad præconem Lutheranum , qui ſupra calefactæ fornacis ſuppedaneum lapidem auditor ſedebat , converſus eum acriter increparet , ejúsque generis homines crudas beſtias , aridos truncos , inſcíosque ſtolones nuncuparet , qui nec quidquam ſimile perorare valerent ; P. Provincialem verò ſummè collaudando , & venerando receſſit. Lepidum autem acciderat , quòd Prædicans ad fornacem ſatis calidam appodians , cùm ferendo calori non eſſet , crebrò ſub concione ſe verterit , & aliter ſe , alitérque ſituaverit : id Gubernator impatientiæ ex themate concionantis contractæ tribuens indignabundè Præconem ſedere , atque ſilere juſſit. Quo factum , ut frigido homini , cujus pectus ignea Matthiæ verba non inflammârunt , fornax ſaltem poſteriora uſſerit. Cùm P. Matthias totâ illa tricennalis belli tempeſtate Provinciæ ſummam cum P. Columbano Rottenburgenſi alternatim adminiſtraverit , infinitas moleſtias , penurias , diſcrimina , & angores devorandos habuit ; quos tamen omnes æquo animo tulit , ſolóque Dei auxilio nixus per loca hoſtibus Patriæ , & fidei obſita intrepidus itinerare , ſuóque officio perfungi ſolitus eſt , non paſſus inter arma ſilere leges ; ſed harum obſervationes ſtrictim urgere conatus , novísque tanquam antemuralibus vineam ſibi concreditam muniens , ac ſe ipſum earumdem ſervandarum anteambulonem ex-

exhibens. Inſolito admodùm exemplo ſexies poſt conſueta triennii interſtitia Provincialatu, ſexies Cuſtodiatum ad Romanas Ordinis Diætas; bis Commiſſariatu Generali ad Provinciam Colonienſem; ſæpiſſimè Definitoriatu Provinciali honoratus, an magis oneratus fuit; nam eos honores in tantum inter diſpendia ſua numeraverat; in quantum ii virum ad ſolitudinem, ad contemplationem, ad cœleſtia tractanda cupidiſſimum à ſacris hiſce deliciis abſtraxerant; quamquam non abſtraxiſſe viderentur, cùm vel itinera, & negotia frequenti in Deum raptu interpolata; ſive etiam peracta fuerint, nonnullis prodigiis ad ejus merita editis ſat ſupérque commonſtrantibus, quantum illius converſatio Deo probata fuerit; quorum vice unicum ſuſcipimus recenſendum. Friburgum Noithoniæ viſitatum tendens Beronam nobilem apud Helvetos urbem, ſed Zvvinglii ſequelâ ignobilem appulit, & in notum ſibi ad Coronam hoſpitium divertit nonnihil reſpiraturus. Graviter autem hoſpitiſſa decumbebat, quam cùm Pater Matthias inviſiſſet, & morbi genus explorâſſet, illa fruſtrà tentatis innumeris pharmacis vel à Medicis jam ſe conclamatam eſſe reſpondit immedicabile malum conqueſta. At iſte eam meliùs ſperare jubens unà producit vaſculum vini à P. Socio in refrigerium venerandi ſenis in itinere aſſumptum, & ægram inde bibere jubet; mox enim eam meliùs ſe habituram, & vim morbi remiſſuram eſſe pollicitus. Guſtavit illa, & ſenſim eodem adhuc die pleniſſimè convaluit. Unde mulier licèt hæreticis moribus imbuta prodigioſam ſui curationem P. Matthiæ virtuti in acceptis relatam liberè ebuccinavit. Plura hujusmodi vel viri humilitatis, vel illius ætatis incuria notitiæ noſtræ ſubtraxit. Fatiscentibus tandem ſub onere non niſi ex obedientia geſto viribus Sarnam Helvetiæ Conventum perveniens Celſiſſimo ac Reverendiſſimo DD. Franciſco Joanni Epiſcopo Conſtantienſi ibidem cum poteſtate Pontificia in vitam, & geſta B. Nicolai de Rupe inquirenti obviàm factus huic palàm edixit: Eja Reverendiſſime Domine! magni quid B. noſter Nicolaus herì patravit: & inſtantem mihi mortem indicavit; & precibus ſuis effecit, ut agitata Romæ causa in favorem Epiſcopalis curiæ deciſa fuerit. Neutrum P. Matthias humanâ ſcientiâ, & naturaliter prædicere poterat; utrumque tamen ex tripode cæleſti certiſſimum didicerat: primum, quod paulò poſt lucernam delatus ſupremum diem obierit: Alterum quòd nuntius advenerit ſignificans, cauſam Conſtantienſem in tribunali Romano eodem die, quo id P. Matthias futurum præſagierat, exoptatam ſententiam ſortitam fuiſſe. Morti appropinquans per ſummum conatum horas Canonicas extra lectulum perſolvit, quibus finitis P. Socio lætanter dixit: migrandum eſt. Altero manè SS. Synaxi cibatus, & oleô luctæ inunctus quieturo, quàm morienti ſimilior animam tam diu cæli cupidam, quàm mundi nauſeabundam efflavit Lucernæ 5. Julii 1654. lugentibus tanti viri jacturam non ſolùm fratribus, ſed magnis quoque Principibus, & Epiſcopis. Humillimo illatus mauſolæo hoc tamen longè illo Artemiſiæ ſplendidiùs reddidit ſolus tanti hoſpitis incolatus; cujus virtutes, Eliæ zelus, Jobi tolerantia, Joſephi caſtitas, Abrahæ obedientia, Davidis humilitas, Henochi pietas,

Franciſci paupertas &c. &c. illud ſuper omnem artem humanam extulerunt, illúdque pinxerunt coloribus nulla ætatè abolendis.

Litt. N.

I. P. Nicolaus Conſtantienſis Guardianus partes tum fratris minoris, tum ſuperioris ex aſſe complevit, nemini alteri, quàm ſibi ipſi culpabilis, demiſsâ hac de ſe exiſtimatione manus ſuas in acerbas corporis ſui caſtigationes armante. Ex Guardiano, impellente proximi charitate, in ferventiſſimum operarium mutatus peſte afflatis paternâ ſollicitudine ad piam mortem prodeſſe feſtinavit; donec & ipſe veneno correptus in cenſum libitinæ venerit. Extremis jam vicinans SS. pœnitentiæ, & Evchariſtiæ Sacramentis (dilata nonnihil unctione) ad abitum præmunitus ſubitò immotos ad cælum oculos conjicit, toto interim corpore trepidans, & inſoliti timoris indicia præſeferens. Mox exanimi ſimilis aliquamdiu decubuit. Demùm ad ſe reverſus quinquies altùm exclamavit: *Miſericordia! miſericordia!* & addidit: *heu! quàm diſtrictum Dei judicium? Orate, ah! orate fratres.* Poſt ea verba rursùs mente excedit; quo interim attoniti fratres ferventes pro moribundo preces effuderunt. Poſt paululum is denuò hos ejulatus geminabat: *Adhuc adde aliquid O Deus meus!* tunc lætior ajebat: *Jam benè.* Sed mox iterùm faciem anguſtiis plenam ad parietem vertens indignabundus regerit: *apage tu nebulo*, tum miniſtrantem flebiliter intuitus: *ne me*, ait, *quæſo, derelinquas.* Poſteà integro ſenſu ad fratres converſus jam ſacro oleo ungi poſtulat; quo facto, *nunc*, inquit, *chariſſimi fratres ſolitam animæ commendationem inchoate.* Sub hujus ergò comprecatione P. Nicolaus victricem, ùt pronum eſt credere, tentationum, & anguſtiarum animam eò transmiſit, quò ſuſpexit; nempè levatis in cælum oculis obiit Thannæ 30. Jun. 1634.

Litt. O.

I. F. Onuphrius Conſtantienſis Laicus primis poſt profeſſionem annis mores à profeſſione degeneres præſetulit, ac diſciplinæ impatiens mandrabuli ritum ſectatus, diſcum, quàm philoſophum audire maluit, in omnes levitates effuſus; ut eapropter ſeveriùs in eum decernendum fuerit. Tandem ſuperni luminis gratiâ irradiatus, ictúsque piſcator ſapuit, totus ſubitò alius, ſuíque diſſimilis relictis nucibus ad frugem rediit, ac prioris vitæ ineptias ſtupenda ſeveritate expiandas aſſumpſit, & iis, quas Religio pro more exercet, auſteritatibus, jejuniis, vigiliis, caſtigationibus, & numero, & acerbitate majores ſuperaddidit, tantus ſui jam oſor, quantus ſui nuper lenocinator. Meditandis patientis Chriſti doloribus totum ſe, totúmque diem, & noctem impendit, ut ad uberrimos fletus commoveretur, raro ſiccis oculis viſus; ſæpè attonito, & enthuſiaſtæ ſimilis, & eorum, quæ circa ſe gere-

ban-

bantur, inadvertens. B. V. Mariam ardentiſſimis amoribus complectebatur, nunquam ejus præconia, vel nomen absque tenerâ cordis exultatione audire, vel pronuntiare ſolitus ; in cujus honorem aliquas ſimpliciſſimi rhytmi odas compoſuit, quas operi manuali cantando intexuit, & ejulatu lachrymabundo cælitum Reginæ dulciſonas reddidit. Deus ſervo amplioris, meriti, ac virtutis exercendæ occaſionem præbiturus moleſtiſſima illum ægritudine lecto affixit, fædóque carcinomate ſubtiliores corporis partes miſerùm depaſcente excruciavit ; quocum iſte patiendo certamen iniit nunquam minùs victus, quàm ubi viribus proſtratus toto biennio infracta patientia ferientis ſe manum ſuſtinuit. Satis denique probatus, & tanquam mortis ſuæ præmonitus poſtrema ſalutis antidota ſibi impendi à fratribus ea differenda arbitratis popoſcit, & cunctantibus inſtitit, dicens : ſe ſcire proximè ſibi inſtare mortis horam. Quibus igitur roboratus ſpiritum inter pias fratrum aſpirationes haud absque publicâ ſanctitatis opinione tradidit. Lucernæ 25. Octob. 1641.

Litt. P.

P. Pancratius Engenſis admodùm juvenis à parente ſuo Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Principis S. Galli Cancellario ſtudiorum causâ in Italiam miſſus ibidem præter ſeveras Juſtiniani leges amorem quoque ad ſeveriores S. Franciſci leges imbibit, & in patriam reverſus de terrena patria deſerenda propoſitum concepit, atque ſibimet legem exilii ſcripſit Ordini Capucinorum immigrans. Habitu religioſo veſtitus dubium fecit, an toga togatum ; an verò hic illam magis exornaverit. In eum ſucceſſivè virum excrevit, ut, ſive ardorem contemplandi, ſive auſteritatem vivendi, ſive parcitatem epulandi, ſive rigorem carnis macerandæ ſpectes, conſummatum ubique Capucinum repereris, dignum, quem Provincia tyronibus in formam Seraphicam effigiandis ceu prototypum, & pædagogum ſtatueret ; in quo munere oculatiſſimus, totúsque in eo fuit, ut exploratas juvenum paſſiones omni rigoris remedio evelleret, & idoneos Religioni filios pareret, ſpuriósque repelleret. Ferventiſſimus verbi divini Prædicator tempeſtatis ſuæ avila dicebatur, philippicâ ſeveritate in ſcelera graſſatus, ſanctioris vitæ exemplis dictioni ſuæ non ad leporem ; ſed ad terrorem compoſitæ maximam perſuadendi vim conferentibus, in Guardianatûs officio pro integra Regularis diſciplinæ, & primævi moris manutenentia murus aheneus ſtetit, nullo reſpectu, nullâque cauſatione flectendus : in quam rem eò acriùs incubuit, quò majori authoritate potitus fuerat ante & poſt diviſionem Provinciæ ſæpiſſimè in quatrum viratum Ordinis aſſumptus ; atque in ſui commendationem elogium ſeveri Catonis promeritus. Poſtquam diuturna laborum fidelitate, conſiliorum gravitate, & inſigni vitæ probitate rempublico-religioſam impigrè ſuccollâſſet, deficiente eum oculorum acie, & pedetentim vix non penitùs elufcatus Veldkirchii cellulam à B. Fidele M. olim habitatam in tem- I.

porale meritorum ſuorum auctoramentum, & opportunum imitandæ ſanctitatis illicium obtinuit ; dignus ſanè Martyris hæres, qui moleſtam amici luminis jacturam, velut nonnullam martyrii ſpeciem, æquiſſimo animo tulerat, & ſanguinis pro Chriſto effuſionem conſtanti rigorum Ordinis tenacitate, à qua in ſumma etiam ſenectute exemptionem nullam ſibi permittebat, compenſare ſategerat. Ultra viginti annos eam amiſſæ lucis calamitatem meditando, orando, ſpirituales lectiones audiendo, & communibus vitæ Religioſæ exercitiis inſiſtendo ſublevabat, ſemper in Domino hilaris, nemini gravis, fratribus in vivum perfectionis exemplar, ſæcularibus in venerationem exiſtens ; denique vitam ſuam annis, & meritis plenam morte cæcis licèt oculis ſemper obſervata, quidnî & beata concluſit Veldkirchii 12. April. 1718.

II. P. Pelagius Stauffenſis Brisgojus in veræ ad Ordinem vocationis argumentum, & Profeſſionis adjumentum virô illo ſanctimoniâ, & prophetiæ donô famoſiſſimo, P. Joanne Chryſoſtomo ex Beüren Inſtructore uſus eſt. Poſt aliquos ab acceſſo tyrocinio menſes animum Juvenis inſolens repatriandi deſiderium invaſit ; in quod cum peccaminoſâ levitate conceſſiſſet, ingeniô, neſcio, quas excogitavit ægritudines, ut iis expoſitis certiorem impetraret miſſionem. Amanter accipit hominem Chryſoſtomus, & diſertum ſui corporis malè affecti, adeóque ad Religionem inepti calumniatorem audit : ſed agnitâ divinitùs fraudem in hæc eum verba alloquitur : Itane veri penitus immemor à mendacio morbum conflas ? Non corporis, ſed animi tentationum (& has ſeriatim ei recenſet) fluctibus agitati intemperies, & immodicus tuorum amor ad tam præpoſtera te impellunt conſilia. Sed agedum ! nil moror optionem do, quas voles eligendi veſtes, religioſas, an profanas. Exue, per me licet, Capucinum, & eo Duce, à quo fucum facere didiciſti, ad Egyptum revertere. In ſaxum ſtetit Pelagius videns ſecretiſſimas cordis ſui cogitationes, vix ſibi cognitas magiſtro ſuo patere. Igitur in genua procumbens levitatem ſuam deprecatur, diſpulſâque omni tentatione alacriorem ſe deinceps Tyronem exhibuit, in propoſito ſuo præter alia ſpectatæ ſanctitatis ſpecimina etiam inde roboratus, quòd piiſſimo Pædagogo ſuo quondam in ſocium itineris aſſumptus ſtupentibus oculis viderit, qualiter ovicula à P. Chryſoſtomo advocata deſerto grege per compita, & invia accurrerit, huícque balando, aliísque geſtibus blandita non priùs quàm poſt impertitam benedictionem ad paſcentem gregem redierit. Quem talis vir Ordini genuit, hunc Ordo non degenerem tanti Patris filium, & imitatorem ſibi gratulatus eſt : ut qui P. Pelagii ſtudia, & exercitationes aſceticas noſſe cupit, eum ad Magiſtri ſui hiſtoriam paulò ante Litt. I. num 7. libatam remittamus. Ad hæc præclariſſimus Concionator ſuadæ ſuæ felicitate animos auditorum ab ore ſuo ſuſpenſos habuit quocunque impellendos. Theologogaſtri cujusdam Tigurini peſtilentiſſimum ſcriptum peſſimo propoſito inter Catholicos ſparſum in cathedra Lucernenſi per Quadrageſimam configendum aſſumpſit, tantáque ſoliditate venenum detexit, ut qui jam jam ex illo hæretizare didicerant, & incæperant, rejecto in rogum

gum libello Calvinum novo fervore ex animis, finibúsque ſuis proſcripſerint. Tantumdem ad conciliandos diſcordantium animos hujus Eccleſiaſtæ facundia valuit. Veldkirchii Primores & Patritii urbis inveterato ſchismate colliſi nullum eò usque pacis arbitrum, & conſilia admittebant, inſigni Reipublicæ damno, & Communitatis ſcandalo. Sed poſtquam P. Pelagius in hoc argumentum è roſtris diſputare occæpiſſet, illúdque ſerveriùs urgere inſtitiſſet, quaſi nix à ſolis ardore, ita diſſidentium animi penitùs liquefacti, atque in mutuam offenſarum condonationem, deprecationem, amplexuúmque reciprocationem permoti amæniſſimum Civitati ſpectaculum ediderunt, gratulante univerſa urbe verbi divini victoriæ. In Guardianatu poſitus ante omnia curavit, ut altiſſimam paupertatem cum ſumma omnium rerum munditie, & continuo ſplendore conjungeret; cæterà manſuetiſſimus, & taciturnior Areopagitis verborum ad homines parſimoniam frequentiori cum Deo ſermocinatione compenſavit. In Definitoriali, ac Provinciali dignitate conſtitutus non minùs charismatibus fulgere ſtuduit, quàm ſplendeſcebat officio; ut cum authoritate humilis, & cum humilitate ſublimis eſſet: Verbo, quo fratres ad ſervandarum legum, & ſtatutorum æmulationem accenderat; potens; ſed potentior opere, quo eos ad ſequelam abripuerat. Egregiè de Provincia, & religione meritus abbreviato mortis genere ad meritorum præmia evocari promeruit: in ipſo Capitulari congreſſu apoplexiâ ſyderatus, & poſt ſacrorum Eccleſiaſticorum uſum piè in Domino extinctus Friburgi Brisgojæ 18. Septembris Anno 1671.

III. P. Perfectus Conſtantienſis Provincialis Propheta ſecundùm ſpiritum ideò dicendus eſt, quòd, cùm nec ullam quidem de amplectendo Capucinorum Inſtituto intentionem animo concepiſſet, P. Joannes Chryſoſtomus ex Beüren ei in partem vocato præſagieret: *Modicum temporis intercedet, cùm & tu, chariſſime Fili, lætâ acceſſione tyronum meorum auctus ſis numerum.* Riſit vaticinium Juvenis tum longè alia meditatus; ſed illo ſpiritu, à quo futurum didicerat Chryſoſtomus, agitante factum verbo reſpondit: cùm poſt aliquorum menſium intercapedinem hic ipſiſſimus adoleſcens in gremium Religionis admitti ſupplex, cooptatus, & nomine Perfecti inſignitus ſummo ſtudio fieri, & eſſe contendit, qui audiret; nomen ſuum pro lege habens. Votis religioſis jam vinculatum, & in aliam à Tyrocinio familiam migrare juſſum hiſce Joannes Chryſoſtomus cum verbis dimiſit: *Vade fili mi; ſi ita, ut cæpiſti, perrexeris, evades aliquando toti Provinciæ norma perfectionis.* Tam parum hoc, quam prius vaticinium fefellit. Optimè Auguſtinus: *benè novit vivere, qui rectè novit orare.* Ex quo ulterius inferri ad rem noſtram licet: P. Perfectus perfectè ad methodum Capucinis præſcriptam noverat vivere, & actu vixerat; quia perfectè ad methodum Capucinis præſcriptam noverat orare, meditari, ac contemplari; cui ſacro negotio adeò deditus fuerat, ut totus à meditatione, oratorio, celebratione, & Choro inflammatus redire conſueverit, ignem ſpiraverit ex pectore, aquam ex oculis ſtillaverit, caput ejus fumaverit, & cor fe-

rendo calori impar in ſuſpiria proruperit. Carô tamen hæ ſpiritûs deliciæ carni ſteterunt, quam, ne & illi alluberet deliciari, ſeveriſſimâ ſub virgâ continuit, inediâ, verberibus, ciliciis, aliisque voluntariis, atque ſupernumerariis cruciatibus eam exagitare diu noctúque ſolitus. Ab hoc Phalaridis in corpus ſuum dominatu in ſolitudinem; à ſolitudine in contemplationem; ab hac in mentis abſceſſus tantò expeditiùs ferebatur; quantò minus à ſenſuum oblectamentis dependebat; eam vitæ rationem omnibus dignitatibus, harum, ſuíque contemptor, anteponens. Sed aliter judicavit Provincia, quæ ſpectatâ viri probitate, ſummáque prudentiâ non ſolet vacationem concedere dignis, atque idoneis; cùm magnæ virtuti non modò ſepulchrum non quærendum; ſed ſicubi defoſſa lateat, non tantùm votis evocandam, ſed & manibus effodiendam eſſe arbitretur. Quapropter & P. Perfectum ad ſummas gradatim Præfecturas ſublimavit, utique opinione ſua poſtremo loco habendum. Cura erudiendorum Neophytorum ipſi primò demandata fuit; quam ea ſedulitate adminiſtravit, ut Provincia eo tyrocinii moderatore eximiis viris incrementata, unà & illuſtrata fuerit; dum ſe, ſuásque virtutes in plurimis ſpiritualiter à ſe generatis replicare, atque velut hæreditatem in poſteros transmittere felici ſtudio contenderit. Cuidam Novitio ad ollas Ægypti immoderatiùs retrò anhelanti ſic vaticinatus eſt: vade, quò tua te cupiditas trahit; ſed noveris te ad vomitum reducem tam certò, brevíque à ſtygio accipitre ad tartara trahendum eſſe; ac certò, & mox illa avicula feneſtræ refectorii obvolitans milvi faucibus in prædam fiet. Vix ea fatus erat, cùm ecce fulgure citatior milvus adeſt, & in conſpectu omnium aviculam unguibus complexam abripit. Quo ſpectaculo juvenis ſalubriter territus ſaniora cogitare, & ſuppreſſo ſæculi amore fuſis lacrymis pro ſui in tyrocinio conſervatione ſupplicare permotus eſt. Tugii in Helvetia cùm pariter Neophytis rudimenta ſpiritualis vitæ docendis præeſſet, cæcam, promptámque alicujus obedientiam periclitaturus inſolitum quid eidem imperabat. Penſum Marianum cum tyronibus poſt veſperas chori hyemali tempore in Refectorio perſolvebat: & cùm omnes fornacem cingerent, contigit, ut extra feneſtram avicula quædam in proximæ arboris ramuſculo jucundiùs ſaliret, luderétque. Unus curioſitate allectus per feneſtram proſpiciens his aviculæ ſaltatiunculis, blandísque caudæ geſticulationibus delectabatur. Sed finita oratione ſeverus morum cenſor curioſolo illi imminet, illúmque de mentis, & oculorum foràs evagantium indevotione liberaliter objurgatum jubet, protinùs ut nudis pedibus per nivem arborem adeat, aſcendat, & volucrem illam capiat, captámque ad ſe in refectorium deferat. Paret Novitius examuſſin, & aviculam uſque adeò cicurem habet, ut ſe ultrò ei capiendam, & Magiſtro offerendam præbuerit. Inuſitatæ hujus rei aſpectu omnes in ſtuporem rapi, vim obedientiæ oculis cernere, & moderatoris ſui ſanctitatem pervidere cæperunt. In Præfecturâ Conventuum, & Definitoriatu ampliùs triginta annis geſto, Provincialatu tribus poſt debita interſtitia trienniis adminiſtrato cenſoriam gravitatem cum manſuetiſſima charitate, & animi candore, omni partium ſtudio,

dió, & affectuum ſingularitate vacuo, conſociavit; utpote qua perfectam Regulæ, & Conſtitutionum cuſtodiam, intemeratum paupertatis cultum, exactam rerum divinarum in Choro, & Altari peragendarum curam, precandi ardorem, ac indefeſſum perfectionis ſtudium à ſubditis ſuis urgere, hísque ſpiritum ſuum infundere vel maximè ſatagebat, neque verò iſthæc munia perfectum in calidiſſimo ad Deum amore unquam langueſcere, aut à ſolitis cæleſtium contemplationibus remittere fecerunt; quibus ſacris exercitationibus in eam cum Deo familiaritatem admiſſus eſt, ut hic illi ſtupendam rerum futurorum & longiſſimè diſtantium præſcientiam, atque notitiam communicaverit. Reverendiſſimus & Ampliſſimus DD. Abbas Salemitanus adhuc juvenis, & ſtudioſus ſæcularis à P. Perfecto Uberlingæ Guardianum agente ardentibus precibus in Ordinem noſtrum ſuſcipi flagitavit: quem Perfectus nonnihil intuitus, his eum ab eo propoſito divertit: deſiſte fili à cogitanda S. Franciſci ſequela: vade in Salem, S. Bernardi inſtitutum amplectere, & eris aliquando Abbas. Id quod ordine contigit, & ipſiſſimus deinceps ſub nomine Stephani electus Abbas millies hoc vaticinium deprædicavit. Aliquando à comitiis Generalibus Româ Bononiam delatus antiquæ familiaritatis gratiâ ad D. Caſparum de Brandenberg, Pontificiæ cohortis ibidem tribunum conceſſit; cui vix ſalutato compaſſionem præſeferens nuntiavit: hodie, dicens, chariſſime Domine, in alteram meliorémque vitam migravit dilectiſſimus veſter Avunculus D. Carolus in Brandenberg. Compererat exinde tribunus, quòd eâ ipſâ horâ, & die, qua id edixerat P. Perfectus, præfatus Tugii in Helvetia deceſſerit. Ita quoque ſanctimoniali Münſterlinganæ ſignificavit obitum ſororis ſuæ Tugii eodem die contingentis, quem Perfectus naturaliter, & ſine revelatione ſcire haud poterat. Sic etiam in ſpiritu viderat animam F. Jobi Tugienſis laici rectà ad cælum evolare; animam verò Illuſtriſſimi D. Comitis de Hohenembs paulò ante corpore ſolutam flammis piacularibus hærere: animam autem Illuſtriſſimæ D. Comitiſſæ, prædicti Comitis uxoris libero volatu ad æterna tabernacula efferri. Sibi ipſi vates extitit, quòd die obitûs S. Joſephi anniverſaria moriturus eſſet. Cùm autem die 20. Junii obierit, quidam hiſtoriarum ignari, & credentes, diem 19. Martii fuiſſe S. Joſepho poſtremam, hoc vaticinium Ariſtarchi obeliſcis taxare, Perfectúmque non perfectum, & Prophetam; ſed inanem Poëtam proclamare auſi ſunt. Verùm cum aliis graviſſimis Authoribus Iſolanus, & Joannes Carthagena tom. 1. lib. 4. hom. 3. apertè aſſerunt, S. Joſephum die 20. Junii obdormiviſſe. Ut ſpiritûs Prophetiæ individuus eſt comes gratia ſanitatum; ita P. Perfectus magnam ſanctitatis famam ſibi quoque prodigiis, & ope medica, quam varii calamitoſi ſupplices pio voto, ſuſpirióque parabilem experiebantur, conciliavit. Ita enim P. Valentinus Uberlinganus à fædo ſcirrhomate in poplitum uno: Veldkirchii parvulus ex vulnere ob acceſſum gangrænæ Medicorum judicio proximè moriturus: Perilluſtris fœmina de Hallerſtein, nata de Lapierle ab obſtinato in altero brachio affectu: Perilluſtris D. Baro de Bodmann-Möckingen, etiamnum parvulus ob deglutitum ferreum clavum de vitâ periclitans:

Prænobilis D. de Schultheiſs Conſtantiæ ab incurabili, aliàs podagrâ; D. Archi-Præfecti Wolfacenſis filiolus ex ſubnervatis pedibus gradiendi uſu deſtitutus : P. Stanislai ex Sateins Capucini mater ex potu venefico mente penitùs emota unicâ P. Perfecti benedictione incolumes redditi, liberati, & ſervati fuerunt. Nec prætereundum eſt, quod D. Balthaſar Seiler telonarius propè Brigantium ſibi contigiſſe teſtatum fecit. Hic SS. Evchariſtiæ Sacramentum ad moribundum comitatus vidit, ex domûs ſuæ lotrinâ erupiſſe flammam, ſuis, & contiguis ædibus certò exitialem. Hæſit inter ſacrum, & ſaxum dubius an in hoc pio comitatu perſiſteret; num verò ad reſtinguendum ignem properaret. Anxio derepentè adeſt P. Perfectus Lindaviô redux, qui virum bono animo eſſe, & proceſſioni adhærere jubet, flammámque ulteriùs propagari inhibet. Et en! factâ adverſùs incendium benedictione indomabile hoc elementum viro Dei obediens ſe ipſo deflammatum eſt.

Hæc, & ſexcenta alia ultra naturam geſta viro piiſſimo publicam ſanctitatis notam adduxerunt, ut ubicunque tranſiret, non ſolùm infantes; ſed adultiores, ac ſolenniores utriusque ſexûs homines aut manûs, aut pallii, aut chordæ oſculo eum venerari geſtierint, ac genuflexi ejus benedictionem efflagitaverint. Miraculo proximum eſt, quòd, cùm totum ſæculum famâ virtutis ſuæ impleverit; ipſe nullius virtutis ſuæ conſcius fuerit; ſéque adeò nulla humilitatis affectatione peccatorem maximum dixerit, & in litteris F. Perfectum imperfectiſſimum ſubſcripſerit. Poſt Deum B. V. Mariam caſtiſſimis obſequiis deperire antiquiſſimum habuit; cujus imago, ad quam olim P. Perfectus celebraverat, ſe ſe amiciſſimè, & ſuaviſſimè, quaſi celebrantem amplexura eidem inclinaſſe diſtinctè claréque viſa eſt à Maria Clara de Prasberg, tam ſanctimonia vitæ, quàm nativo ſanguine illuſtriſſima virgine. Poſtquam vacationem ab officiis obtinuiſſet, Wangæ ſoli Deo, & ſanctis operibus vacare permiſſus eſt : Ibidem eremitorium Myſteria virginei partûs exhibens quotidie inviſere ſolitabat, ibique proſtrato corpuſculo jam fatiscente, ac tremulo coram B. V. M. cor ſuum effundebat. Redux ab obviis rogatus : Undenam Reverende Pater? reſpondebat : peregrinatus ſum ad Mariam Matrem meam gratiâ & miſericordiâ plenam. Anno ætatis ſuæ 94. geſtati habitûs 74. ſacerdotii 67. à febriculæ acceſſu in lectum compactus placidiſſimâ morte in fratrum circumfuſorum corona exſpiravit Wangæ 20. Jun. 1704. vivo, quàm mortuo poſt mortem ſimilior ingentem funeris ſpectatricem attraxit plebem; ſpiritu inter immortales delicias recepto, & nomine æternùm ad poſteros victuro.

IV. P. Placidus Friburgenſis Brisgojus ſpectabili parentelâ donatus, Juris prudentiâ decoratus, aliiſque naturæ, & fortunæ gratiis excultus ſtratam ſibi ad præclaras mundi Inſulas viam ingredi potuiſſet : ſed altiori ſpiritûs dictamini moriger non major, ſed minor, ac inter minores minimus fieri maluit; & Capucinis aggregatus præ Juſtiniani honoribus, & Galeni opibus Ariſtotelis pauperiem amplexandam cenſuit, ſpecioſa metamorphoſi ex profano Religioſus; & ex Seraphicæ aſceſis Abecedario per ſaltum veteranus anachoréta factus liberalioris naturæ do-

nis

nis ad pietatis, ac omnigenæ devotionis ſtudia translatis. Præter Canonicum penſum, quod attentione usque ad ſtrupulos exacta perſolvere in morem induxit; ac præter ſtatas in Ordine orationis mentalis horas totum reliquum tempus, & alias aliásque actiones ex officio obeundas ad unam meditationis texturam convertit; præſertim verò ad peragendum miſſæ ſacrificium omnes, quotquot habuit vires impendit; ut tota ejus vita non niſi unica ad divinam hanc Lythurgiam ſanctè, purè, & quàm devotiſſimè perficiendam præparatio eſſe videretur. Eo nomine puritati vitæ, morum honeſtati, eloquiorum ſeu parcitati, ſeu caſtitati; aliísque virtutibus ſacerdote dignis, & ſacerdotio congruis ſeu aquirendis, ſeu exercendis ſedulam navavit operam in prædicando Dei verbo illud præſtantiſſimum, omni ſacro oratori tenendum ſibi ſacroſanctum habuit præceptum: ut inter dicendum idem appareret ſpiritus in partu, qui fuerat in conceptu: id eſt; ut eosdem priùs compunctionis, devotionis, & compaſſionis mótus in ſe excitaverit; ad quos auditores perſuadere propoſuerat. Hinc nonnemo Placidum concionaturum hiſce cum Chriſto comparavit verbis: *Venit*, ſicuti Jeſus, *in ſpiritu in templum*. Unde contigit, ut mirabiles in auditoribus virtutes operatus ſit. Ad Fratrum regimen vocatus animal apocalypticum ante & retrò oculis præditum ſe exhibuit; quibus ſubditos in legum obſervantia induſtrios facere, ſegniores verborum manſuetudine, exempli ſuadelâ, aut etiam caſtigationis ſcuticâ ad officium trahere familiariſſimum ſibi habuerat. Inſigni prudentiâ, & ardua quæque tractandi dexteritate præſtans, dum aliquando Guardianum Lucernenſem agebat, ſubditos periculoſa contra legitimum dominatum ſuum, Cantonem Lucernatem miſcentes, jugúmque excutere meditatos, ac extrema quæque adversùs Rempublicam auſuros pathetica oratione ad ſaniora, ad tranquillitatem, & obedientiam traduxit, tumultuantémque plebem ſedavit, & arma illi è manibus, ſanguinolenta propoſita ex animis evulſit. In arduo dividundæ Provinciæ negotio plurimis laboribus defunctus legationes ad diverſos Imperii Status, Respublicas, Sereniſſimos Archi-Duces Auſtriæ, & Auguſtiſſimum Imperatorem Leopoldum, ſummúmque Pontificem obivit, & auxilio Dei, cauſæque juſtitiâ fretus liberas facundiæ ſuæ in omne idioma expeditæ habenas laxabat, omnésque ſummos Principes in ſententiam ſuam pertraxit, & præter victorias maximam ſibi, præſertim ab Eminentiſſimis DD. Cardinalibus de Haſſia, & Caraffa æſtimationem conciliavit, qui Placidum ad ſe venientem velut hominem cælo lapſum, ac ſuperna ſapientiâ, & virtute excultum venerati ſunt. Olim Bononiam ingreſſus vidit malefactorem ad furcam trahi. Miſeratus hominem rogat aliquantulam executionis moram, & rectà ad Cardinalem Caraffa ceu Gubernatorem feſtinos greſſus dirigit, ac pro ſalute miſeri deprecatus reum abſolvi impetravit. Quondam in itinere conſtitutus inter zartam, & ſaig per varios ſcopulos, & mæandros à via aberrans in ſylvæ nigræ latibula feris rapacibus infamia deducitur, augente diſcrimen profundæ noctis illapsu. In hoc articulo cum ſociis ad S. Antonium converſus hujus Reſponſorio cum ſibi auxiliatorem

rem invocat. Et en ! ſub ipſa comprecatione ſciurus è latere montis erumpens, & poſterioribus pedibus inſidens, jam currere, recurrere, jam murmure ſuo viatores ad ſe ſequendum invitare videbatur. Intellexit P. Placidus parvuli hujus hodogetæ, à S. Antonio ſubminiſtrati ſtudium, eúmque ſecutus brevi ad rectam, qua exciderat, viam redit, lætúsque, ac Deo, & S. Antonio gratus iter proſequitur. In Provincialatûs munere imperterritus paupertatis zelator, & exactor, res, quibus eum vel minimùm labefactandam arbitrabatur, exilium indixit ; & ſuperflua quæque, aut curiosa extemplò abrogata voluit. Olim Româ vix ægrè Veldkirchium reverſus peremptoriam ſui ex hoc orbe citationem perſentiſcens promptiſſimo animo ad abitum ſe paravit, jámque dominico corpore ſaginatus, & S. oleo inunctus ardentiſſimis ſuſpiriis ad patriam cæleſtem anhelavit ; obiítque Veldkirchii 2. Septemb. 1678.

Litt. R.

I. P. Raphaël Marchdorffenſis Concionator, & ſuo ævo Concionatorum alpha inſigni animarum fructu aliquamdiu hoc munere functus ; atque etiam ſuppetentibus aliis conſummati Religioſi meritis Guardianatu auctus ad ampliora aſcenſurus credebatur. Sed aliter Deo viſum fuit ; qui eapropter virum hunc in ſuæ dilectionis argumentum immanibus podagræ doloribus per plures annos ſufferendis deſtinavit, ut pedum uſu deſtitutus alia currendi methodo ad bravium æternæ felicitatis properaret ; ſolo corde ipſi ad amandum ; & linguâ ad laudandum Deum impunibus relictis : quibus utique ad præſtitutos fines hilariter uſus jucundum cælo in grabato ſuo, dolorúmque lectulo exhibuit ſpectaculum. Alterius ægritudinis ſuperventu optimus ad infantilem ſimplicitatem, & rationis ecclypſin redactus eſt, in quo ſtatu ſex menſes exegit. Tandem plenè ſibi redditus ſelectiſſimis virtutum exemplis, quaſi in illa à ſe peregrinatione inſtantis ſibi mortis nuntium accepiſſet, domui ſuæ proſpexit. Dum animam ageret, tres lucidiſſimæ flammæ ignitæ, quæ palmarem adæquabant magnitudinem, fulminis inſtar ex ore ejus erumpere ab omnibus viſæ ſunt. Quo facto fratrem ſibi aſſiſtentem ita allocutus eſt : Pater mi, ne derelinquas me. Et hoc dicto ad ultimam vitæ lineam deductus tranquilliſſimè exſpiravit Ravenspurgi 2. Maji 1646. membra ejus ante deformia, & diſtorta poſt mortem flexibilia, albicantia, & recta apparuerunt, utique in animæ cælo inſertæ teſtimonium.

II. P. Renatus Lauffenburgenſis Guardianus præter aliarum virtutum ſplendorem Seraphicæ præſertim paupertatis cultu enituit ; utpote cui illud conſtanter pretioſiſſimum, quod nihilo proximum fuerat ; nil in cella ſua hoſpitatus, quod rem triobolarem pretio æquaret. In meditatione adeò plerumque commovebatur, ut in uberrimas lacrymas ſolveretur ; quibus abſtergendis præſtò habuerat ſtrophiolum. Guardiani munus ob profundam humilitatem impatienter geſſit ; hinc ſupplici inhabilitatis ſuæ exaggeratione id officium deprecatus ægrè tandem eo liber evaſit.

evaſit. Inde ad opera charitatis erga infirmos, & milites præſertim peſtiferâ lue afflatos ſe portendit, feliciſſimum ſe gratulatus, quòd cùm obedientiæ merito occaſionem nactus eſſet vitam ſuam charitati proximi devovendi. In operæ hujus Apoſtolicæ exercitio & ipſe exitiali anthracę correptus à ſpiritûs ſui hilaritate nil remiſit. Id narratu volupe, quòd morti jam vicinans à fratribus animam ejus commendantibus apertis hos oculis intuitus eorum preces interpellans quæſierit: *Num ea dies eſſet Sabbatum!* negantibus verò ſuccłamaverit: *O quàm inſolito ſplendore coruſcat Phœbus, cujus ſcintillantibus radiis ultrò ferendis par non eſt oculorum meorum acies.* Cùm tamen tunc cælum undequaque illuminum copioſo imbre diffluęret. Ex quo judicatum fuit, B. V. Mariam, quam principe poſt Deum cultu proſequebatur, ſuperno lumine veſtitam piiſſimo viro ſe conſpicuam dediſſe, & moribundum ſolatam fuiſſe. Paulò enim pòſt quaſi cæleſtium deliciarum promulſide animam gaudens effudit mundo denatus, cælo verè renatus Lauffenburgi 11. Jan. 1690.

III. P. Richardus Conſtantienſis Sacerdos mirabili prorsùs fato in Ordinem Capucinorum traductus eſt. Habuerat is cognatum in Cæſaris Aula Pragæ in Bohemia tum moras trahente; cujus ope fortunam ſuam ſectaturus itinerationem in Bohemiam ſuſcepit. Dúmque potiori viâ jam emensâ, nec procul ampliùs Pragâ incomitatus ſubobſcuræ noctis comprehenderetur tenebris, ulterioris viæ ignarus, omníſque inops conſilii devius in officinam latericiam defertur, ac lætus, quòd ibidem tectô ſaltem tutus eſſet, in ea noctem tranſigere, diémque exſpectare conſtituit. Vix horâ ibi latuit, cùm concurrunt nocturni prædones, tanquam in conſuetum ſuum latibulum, inde ad prædas, & latrocinia excurrere ſolito. Et quia latitantem ibi peregrinum ceu unum ex commilitio credebant in ejus præſentiâ conſilia ſua de futuris expeditionibus agitabant, Jo. Chriſtophorus (ita tum vocabatur Richardus) in eo anguſtiſſimo rerum articulo conſtrictus intùs in corde Deo, & B. V. Mariæ ſe quàm impenſiſſimè commendat; foris autem impellente metu cum lupis ululare incipiens, diſſimulatíſque anguſtiis mentiebatur vulturiorum hominum propoſita approbare, & ad horum executionem animoſum ſe, promptúmque exhibere; prout & cum iis reſtibus benè armatus urbémque Pragam clandeſtinè ingreſſus prima, ſecunda, tertia nocte rapacibus illorum venationibus cooperatus eſt; quin ei, quod maximè optaverat, ullum effugium pateret, ſociis in ſe mutuò attentis, ne ullus elabatur, metu, ne reliquos proderet. Tertiâ autem nocte cùm ſimul ad inſidias exiiſſent, vigilum nocturnorum manipulo obruti quisque, qua potuit, fugâ præcipiti ſibi conſuluit; ſolus Chriſtophorum latibulorum ignarus in incertum hinc inde circumvolat, tandémque in angiportum declinat, & repertis ibidem obviis quibusdam doliis horum uni ſe committit; rursúmque B. V. Mariam ardentiſſimè in ſubſidium evocat. Et ecce! afflictorum conſolatrix viſibiliter apparens eam ita contexit, ut ſatellites tergo ejus hærentes, & dolium, in quo latebat, ſus déque rotantes invenire eum non potuerint. Quibus inde diſtractis eadem beatiſſima Virgo hominem ſerió tandem hortatur, quatenùs in gratiæ ſibi

factæ antipelargéſin ſibi in Ordine Capucinorum ſervire ſtatuat ; quod ille viciſſim Deiparæ ſe præſtiturum ſanctè pollicitus eſt. Facto manè novus hic Diogenes dolio ſuo egreſſus , quòd aliàs cognatum ſuum in Aula Cæſaris indagare non potuerit, omni celeritate ſuum in Patriam reditum apparat, & proſpero itinere Conſtantiæ appulſus cæleſti liberatrici ſuæ fidem exſolvere properat. Igitur licèt homo triginta trium jam annorum Capucinis accenſeri inſtantiſſimè rerum ſatagentibus ſupplicat, votíque compos in tyrocinio nova bella reperit ſubeunda. Ante hac Frauenfeldæ moratus familiaritatem contraxit cum quadam civis opulenti filia Zvvinglio devota ; quæ tanto in eum æſtuavit amore, ut ad conſequendas cum eo nuptias fidem Catholicam ſe amplexuram promiſerit. Ille verò honeſti cujusdam officii , quàm conjugii appetentior & loco , & ſponſæ nuntium remiſit. P. Richardo annum probationis agente hæc ipſiſſima perſona interim alteri nupta fatis conceſſit ; cujus formam ſtygius tentator indutus Novitio ſe ſpectabilem offert,& quaſi repudiata olim amaſia horrendùm lamentatur, ſe jam ad tartara detruſam eſſe ; cujus ipſe unica cauſa exiſteret : cùm ſi ſe duxiſſet in matrimonium , ſimul atque ad legitimum fidei , & ſalutis tramitem delata fuiſſet. Quòd hæc viſio frequentaretur, & umbra triſtiſſimis geſtibus vim tormentorum teſtaretur , bonus Tyro propè ad ſiniſtra deſerendæ vocationis conſilia devolvebatur. Ubi tamen rem omnem Magiſtro ſuo expoſuit ; ab hoc edoctus redeunti ſpectro fraudum ſuarum inanitatem exprobrat , & ocyùs hinc faceſſere imperat. Quo facto Richardus moleſtari deſiit, & dicto Religioni ſacramento abſolutum omnibus numeris Religioſum ſe præſtitit ultra ſortem ſimplicis Presbyteri nunquam graduatus, rem tamen exorciſticam doctus talia circa homines , & animalia patravit, quæ miraculis proxima habebantur ; quapropter ob moleſtos hominum ejus ope utentium concurſus ſæpè illum de uno loco ad alium transponi , ac tandem eo officio penitùs interdici oportuerit. Communis opinio tulit , quòd ſingulari in Deum fide , obedientiæ virtute, & ex opere ſimpliciter , ac devotè operantis eâ prodigiosâ gratiâ gratis data potitus fuerit. Ut primum autem eâ uti prohibitus eſt , ceu optimus Religioſus continuò acquievit ſuperiorum placito. Engæ in cura ægrotantium & ipſe ægrotare cæpit , & poſt aſſumpta Eccleſiaſtica animæ pharmaca conſolatiſſimus in Domino obdormivit die 30. Octobr. 1635.

IV. P. Rudolphus Horbenſis Guardianus ex Equeſtri Lieſcherorum de Hornau ſanguine inter Suevos olim percelebri oriundus ſub ſignis Ferdinandi II. Rom. Imp. aliquamdiu ceu aquilifer militiam ſecutus decretorio illi ad montem album conflictui Anglicis copiis adverſùs ſolſtitialem Bohemiæ Regem adjuto non otioſus ſpectator ; ſed ſtrenuus cooperator adfuit. Sed Numini ad utiliorem militiam vocanti moriger neglecta ſæcularium fortunarum ſpe pauperum Capucinorum legioni pedeſtri ſe ſe immiſcuit : inter quos virtutum, & litterarum ſtudio eximius ; prudentiæ quoque , & humilis gravitatis dono præſtans idoneus habebatur, cui Tyronum noſtrorum arctioris religioſitatis rudimenta docendorum provincia concrederetur ; in qua compluribus annis curata optimè de

Re-

Religione meritus eſt. Delatam ſubinde Reſidentiæ Lindavienſis adminiſtrationem eâ providâ circumſpectione geſſit, ut & regulæ integritati, & Religionis in ea urbe ad Lutheri ritus combinata conſultum fuerit indemnitati; hinc & Acatholici magnâ hujus viri æſtimatione tenebantur, ejúsque converſatione & delectabantur, & ædificabantur. Civis quiſpiam diuturno languore afflictus, in quo remediando Medici oleum, & operam perdiderant, machinante famula Catholica, ad ſpiritualem P. Rudolphi pharmacopæiam animum, & fiduciam conjecit. Miſeratus hominem P. Superior in ſpeciem medicinæ ſimplicem ceram benedictam cum juſculo glutiendam transmiſit; cujus ſumptæ ea fuit operatrix efficacia, ut ægrotus intra triduum ad omnium, etiam medicorum ſtuporem integrè convaluerit; creditúmque ſit, eam ſanationem potiùs à Deo ad preces, & merita P. Rudolphi, quàm ab hujus tenui, & improportionato remedio profectam fuiſſe. Poſt inſignia in Provinciam merita fractam valetudinem cauſatus exauthorationem ab officiis impetravit, & prolixâ ægritudine ad patientiæ occaſionem uſus reſidium coronæ cœleſtis ſuſtinendo perfecit, & apoplexiâ tactus attigit Rottenburgi 15. Jun. 1657.

Litt. S.

F. Salomon ex Schruns Clericus licèt trium duntaxat annorum religioſus; morum tamen innocentia, ſingulari in Deum pietate, ardentiſſima in B. V. Mariam charitate, aliarúmque virtutum conamine explevit tempora multa, dignus, cui hora, & punctum mortis ſuæ prænuntiaretur. Cùm enim agonizaturus videretur, & benedicta candela in manum offerretur, reſpuens hanc inquiebat: *Necdum, Chariſſimi Fratres, eſt tempus: Diſpenſatæ mihi adhuc ſunt aliquæ mortis induciæ; ſed ad veſpertinum ſalutationis angelicæ ſignum rurſus convenite, & tum, quæ mihi morituro conducere noveritis peragite.* Uti dixerat, ſic evenerat. Ad tertium enim ſigni præfati interſtitium placidè in Chriſto obdormivit Cellæ Ratholdi 6. Auguſt. 1671. I.

P. Severinus ex Liberegg Concionator multa ſcientiarum, & linguarum peritia inſtructus, & quod caput eſt, religioſæ perfectionis ſtudioſiſſimus Juventuti erudiendæ, quidquid temporis ſibi ſupererat, ſollicitè dedicabat; dum eamdem & Arithmetices præceptis, librorum compingendorum, & ſcribendi artificio imbuere conſueverit, ut teneram ætatem ab otio avulſam honeſtis exercitiis occuparet; unde omnium amorem facilè ſibi comparavit; aliorum natus, ſempérque promptiſſimè addictus obſequiis. Ægrotos ſpiritualibus officiis juvare, moribundis aſſiſtere, hisque ad piè obeundum prodeſſe inter ſummas delicias, & compendia ſua numeraverat, dignus eapropter, qui futuræ in janua mortis præviè certior redderetur; utpote quam etiamnum benè valens aſſidenti ad menſam familiæ, & ob inſtans jejunium de more jucundanti clariſſimis verbis præſagiit; fidémque vaticinii ægritudine paulò poſt II.

ſecutâ fratribus tum nonnihil incredulis exactè perſolvit pientiſſimam mortem pro ratione pientiſſimæ præparationis, & regulariſſimæ vitæ obiens Conſtantiæ 2. Decemb. 1688.

III. P. Sixtus ex Weiller Guardianus à juvene uſque ad ſenem ſuaviſſimam morum modeſtiam, & indolem ad omnium virtutum conſectationem tam promptam quàm docilem præſetulit. Inter Capucinos aſſertus juxta cubitum ad religioſam perfectionem profecit, omnibus bonus ſibi ſoli nequam, imò nequiſſimus, rejectis, quæ ſenſibus blandiuntur, auſteriora quæque carni adverſa tanquam ſpiritûs perficiendi adjumenta, & perfecti delectamenta amplexabatur, neglectóque mundo, & mundi lucris omnem curam, & violentiam lucrandis Deo animabus, & rapiendo cælo impendit. In ſacris Officiis, Choro, Altari, Cathedra, & Confeſſionali totus flammeus, totus ignivomus apparebat, & ex meditationibus, quas igneus acceſſerat, tota amoris incendia extulit. In Guardianatûs munere ſummam regiminis in charitate, manſuetudine, & optimi exempli efficaciâ conſtituit. Variis languoribus exagitatus lubens ad ſcamnum rediit in theatro patientiæ principem perſonam acturus. Phagedæna, malignum, tetrum, & verminoſum morbi genus, omnia corporis membra, artúsque pervagabatur, & vagando depaſcebat, depaſcendo immanes cruciatus afferebat; ut animati funeris lugendam ſpeciem exhiberet. Tam obfirmato autem adversùs dolores animo fuerat, ut Chirurgis partes putridas reſecantibus, & carnem ad oſſa uſque incidentibus nec ſe moverit quidem, & nonnullâ fortè impatientiâ titillatus exclamaverit: potiùs mori, quàm vel leviſſimè peccare! Dum alii horrerent alienas ærumnas, ipſe his gloriatus ſerena facie Deum laudabat, &, veluti Tertullianus de illo patientiæ coryphæo teſtatur, *erumpentes è corpore beſtiolas in eosdem ſpecus, & paſſus foraminosæ carnis ludendo, & jocando revocabat.* lib. de pat. c. 14. Poſtquam ergò Gymnicus hic, & omnium rerum nuditate, ſolóque virtutum ornatu ſpectabilis Comicus perſonam ſuam ſtrenuè egiſſet, clementiſſimus Deus eum cæleſtis beatitudinis lucari præmiaturus vitæ hujus miſeriis eximendum duxit. Itáque poſt ſuſcepta Eccleſiæ Sacramenta, & impertita fratribus eximia ſalutis monita animam in dolorum clibano ſatis purgatam ad immortalia transmiſit Riedlingæ 17. Maji 1721. Ad evulgatum obitûs rumorem tota civitas, & vicina regio ſanctum adeò virum ſpectatum accurrit; & conſtans fuit plurium fide dignorum aſſertio, faciem defuncti antehac ſemper pallidam, exſuccam, genibúsque cavatis deformem radiis ſolares ſplendore ſupergreſſis coruſcâſſe. Quid, quòd inſuper anima corpore egreſſa cuidam familiari ſibi confratri apparens per tranſennam ſignificaverit, ſe jam immarceſſibilem cæli gloriam eſſe acceſſuram?

IV. P. Stanislaus ex Wuoteſchingen in ſæculo armorum tractandorum peritiâ, an inſolentia? omnibus ſe formidabilem reddidit; ſed à patre luminum illuſtratus, in Ordine Capucinorum in agnum manſuevit, ſibi lupus ſpuriam illam animoſitatem, aliósque armis impetendi ferociam in debellandam carnem, & edomandas paſſiones ſuas convertit. Cum habitu

habitu itaque ſæculari totum ſæculum exuit, & fortunante Dei gratiâ conatus ſuos tractu temporis in Religioſum omnibus virtutibus conſpicuum excrevit. Amor Dei jugi meditatione accenſus eum ad quæque heroica pro ejusdem gloria, & animarum ſalute ſeu patranda, ſeu toleranda impulit: hinc eximiâ evangelizandi gratiâ prædítus, ut ſui ævi Elias diceretur, nunquam, ſive è roſtris, ſive in privatis congreſſibus, ſive in miſſionibus ad Montifontanos, Brigantinos, Sylvanos ſuſceptis verbi Dei gladium in vitia ſtrinxerit, niſi victor cum ingenti animarum præda redierit, neminem auditorum non meliorem è concionibus ſuis domum remittere, cunctos vel amore Dei fortiter accenſos, vel ſalutari Numinis timore proſtratos in viam ſalutis dirigere ſolitus, concionantis ſanctimoniâ plurimam concionibus efficaciam afferente. Verba ejus oracula, cælô hauſta, & futurorum prænuntia & videbantur, & habebantur. Veldkirchenſes de Guebriani & Ranzovii Belli-Ducum Rheno transmiſſo Sueviam armis inundantium irruptione timidos diſertis verbis metum ponere, & lætitiâ geſtire juſſit ſignificans hoſtem alicubi internecione delendum; ideóque finibus hiſce ne à longè quidem vicinaturum fore. Dum hæc in feſto S. Catharinæ Virg. & M. è ſuggeſtu ediceret, miles Cæſareus actu hoſte extremâ clade ad Tuttlingam atterendo occupabatur; cujus victoriæ nuntius primùm poſt aliquos dies Veldkirchium allatus eſt; ut nemo non judicaverit, P. Stanislaum eum nonniſi à Deo revelante accipere potuiſſe. Simile prophetici prædicatoris ſpecimen ad Uberlinganos edidit, ut ſuo jam loco commemoratum eſt. Quanto livore avernalis humanæ ſalutis adverſator hæc Apoſtolica P. Stanislai ſtudia, & trophæa adversùs orcum relata ſubvertere conatus, præter complura alia unum hoc ſat ſupérque commonſtrat, quod aliquando molitus eſt. Ad eremum S. Geroldi incolatu celebrem, nobilémque præpoſituram Abbatiæ Einſidlenſi ſubordinatam, plebémque in illis vallibus diſperſam, atque in magna frequentia præſentem verba facere ſub Dio P. Stanislaus incæperat; cùm ecce! cælum paulò antè innubilum, ac undequaque ſerenum ſubitò atris nubibus obductum totam cataractam depluere minitabatur, ut auditores de deſerenda concione, & quærendo tecto jam jam cogitarent. At vir Dei dæmonis aſtum ſubodoratus populum permanere, & ſecum quinque Pater & Ave de genibus orare juſſit: tunc factâ adversùs nubes imbre prægnantes cruce mox prior, & integra cæli ſerenitas cum omnium ſtupore reluxit. In caſtro quodam haud procul Conſtantia Prænobilis virgo familiari Angeli Cuſtodis (ut quidem ipſa perſuasa fuerat) conſuetudine gloriabatur, & frequenti apparitione fruebatur. Hujus rei fama, & enata inde virgini nominis celebritas orbem longè latéque impleverat, & ad aures quoque Celſiſſimi ac Reverendiſſimi DD. Epiſcopi Conſtantienſis pervenerat; qui, cùm ad ejus officium paſtorale pertinere arbitraretur in hujus inſoliti contingentis veritatem, ſeu falſitatem inquirere, P. Stanislaum exploratorem adhibuit, & huic præter authoritatem Epiſcopalis quoque benedictionis gratiam contulit probandi ſpiritus, ſi ex Deo ſint. Hic ergò Domicellam in caſtro, & oratorio ſuo propè ſolitariam accedens prolixam

lixam cum ea de Deo, & rebus divinis collationem inſtituit; ſed ex ipſo colloquii curſu, variiſque reſponſis, ac demùm in fine deprehendit, virginem non Luciferi cæleſtis; ſed infernalis apoſtatæ epiphaniis non felicitatam; verùm periculosè deceptam fuiſſe. Illabente namque conſuetâ apparitionis horâ perſonatus ille paranymphus ingreditur quidem inſigni, at ementitio ſplendore. Sed vix P. Stanislaus exorciſmi cæremoniam oppoſuit; cùm ecce teterrima larva triclinii lumina extinguere aggreſſa validè reprimitur, & excitato ingenti ſtrepitu, emiſsóque graveolentiſſimo fætore diſparuit, P. Stanislao virginem illam pericula ſua doctam ſanioribus, & ſanctioribus conſiliis inſtruente. Neque verò his, aliiſque præclarè geſtis P. Stanislaus à profundæ humilitatis tramite vel leviter unquam in gloriæ propriæ vanitatem deflexit; ſed quò major gratiis, & meritis coràm apparebat; eò magis infra omnes ſemet depreſſerat. Tyrocinia multo annorum tractu; prolixiori Conventus gubernabat; aliquamdiu in Definitorio Senatu conſiliis, & induſtriâ rem Provinciæ impigrè juvabat; quibus in functionibus pro zeli ſui magnitudine, & prudentiæ prærogativâ Religioni emolumenta primæ claſſis attulit; ſolus ipſe horum omnium ignarus ſe inutile pondus terræ infamavit; à quo demiſſi animi ſenſu nec ipſa mirorum patratrix ſanctitas eum dimovere potuit; utpote qua non in virtutis oſtentationem, ſed ad proximi, cujus ſinceriſſimo flagrabat amore, utilitatem potiſſimùm uſus eſt. Ita Brigantii Anno 1640. puerum paralyſi penitùs calamitoſum ſolâ crucis virtute incolumem pedibus, & reliquorum membrorum uſui reſtituit. Alibi ruricolam ob jumentum ſuum, totam cenſûs, ac ſupellectilis ſuæ ſummam, ſiniſtro caſu inutile redditum reſtin, deſperationis impulſu, meditatum hiſce verbis bono animo eſſe, & domum reverti juſſit: vade; jumentum tuum indemne officio ſuo fungetur, ut antea: id quod ruſticus vero conſentaneum reperit. Alterum agreſtem virum blasphemandi conſuetudini deditum acerbâ primò homiliâ reprehendit Stanislaus; & cùm is excuſationes ab animi inadvertentia, & linguæ rationem præcurrentis in blasphema verba proclivitate obtenderet, accedens vir Dei ritu blandientis os maledicum ſanctiſſimo Crucis ſigno quaſi ſigillans illud ſaniori hominis voluntati parere jubet. Mirabile dictu! nam ex tunc vitii hujus proniſſima facilitas tam integrè à viro receſſit, ut jurejurando teſtatus ſit, ſe nequidem ampliùs ea malâ conſuetudine pulſatum fuiſſe. Tandem autem Thavmaturgiæ, & vitæ curſum ingruens ægritudo abbreviavit; in qua ſe piiſſimo virtutum exercitiô in mortem vitæ æqualem compoſuit, atque inter meditandum ab ænigmaticâ, ad intuitivam, beatificam Dei viſionem abſorptus eſt Veldkirchii 5. Octob. 1644. quem determinatum mortis diem ſibimet ipſi, & aliis præſagierat. Divulgatâ mortis ejus famâ innummera gens ad ſepulturam confluxit; & quisque rem quampiam funere attactam ſibi ſacroſanctam habuit. Nec fruſtra; cùm nonnullis ab hujusmodi quaſi reliquiis eximii favores provenerint. Hos inter ſoror M. Angelina ſanctimonialis S. Annæ propè Brigantium, cùm immaniſſimis dentium doloribus ad inſaniam usque torqueretur, cochleari, quo P. Stanislaus

ute-

utebatur, ſub plena ad hunc fiduciâ, & tacitâ ejus imploratione juſculum commederat, & inſtantaneè dolores mitigatos, atque abſterſos ſenſerat. Honeſtiſſima matrona Sophia Reinoldin, cui P. Stanislaus à confeſſionibus extitit, ægrè decumbens Patrem ſuum ſpiritualem cœleſti fulgore amictum ſibi præſentem, & viſibilem habuit, ſéque ita animantem audivit: *Victoria! Victoria! Vale Sophia! en jam Cœlum conſcendo prævius, quem paucis abhinc eò ſequêris.* Eo nuntio admodùm exhilarata Sophia felicem P. Stanislai migrationem domeſticis evulgavit, antequam hujus rumor vel Monaſteriô egreſſus eſſet; & poſt octiduum ipſa quoque conſolatiſſima deceſſit. Mulier atro occupata genio ad funus P. Stanislai ducebatur: quod agi cùm malus incola ſentiret, illicò inſolitùm furere, horrificis vocibus aëra implere, detrectare aſpectum vel mortui capitaliſſimi hoſtis ſui, quem omnibus tormentis triſtiorem duxerat. Ex quo omnes beatum animæ Stanislai ſtatum ominati ſunt, & authentico, quia ſtomachabundo orci teſtimonio aſſurrexerunt. Nunquam enim Pater mendaciorum magis veridicus eſt, quàm ubi magnas virtutes deteſtando virtutes ebuccinat, & ringendô Cælo receptas proteſtatur.

Litt. T.

P. Theodoſius ex Bürs Provincialis ingenii, animi, zeli Seraphici, virtutum, & ſcientiarum magnitudine, & multitudine abbreviatam corporis molem abundè ſatis compenſavit. Ob omnium bonarum qualitatum præſtantiam per omnes officiorum gradus ad ſummam Provinciæ eluctatus, & electus ubique ſe virum, juxta cor Dei, & S. P. Franciſci formatum exhibuit. In cathedra ſiquidem cordatiſſimus æquè ac ferventiſſimus Paulus; in ſcholis profundiſſimus Doctor Angelicus; in Pſalmodia, & oratoria mentali Seraphinus; in fratrum præfectura verbo, & exemplo Moyſes; in Definitoriatu ſapientiſſimus, ſimul ac æquiſſimus Salomon; in Provincialatu omnibus omnia factus apparuit; ut, dum pro juſtitia, pro Religionis decore ſervando, & augendo; pro paupertatis, aliarúmque rerum, quæ univerſim ad regulæ obſervantiam ſpectant, incolumitate viriliter agonizabatur, malè feriatis, & limites egreſſis caperatâ fronte ungues infigere, ac ad officium revocandis opportuna, importuna remedia adhibere didicerat, quin tamen manſuetudinis, & paternæ charitatis unquam obliviſceretur. I.

A magnatibus tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus ſummi æſtimatus converſationem ſuam externam tanto ſpiritualium axiomatum ſale condire noverat, ut nemo non illum ceu conſummatæ prudentiæ, & aſceſeos promptuarium ſuſpiceret. Orationi, quàm mentalem vocant, tam impensè addictus fuerat, ut nec Provinciæ negotia, nec iterata in diſtantiſſimas Regiones itinera eum ab illa avellere poſſe viderentur; cùm poſt perſoluta divinum, & Marianum penſa præmiſſis ſociis ad duas ſæpè horas contemplatione abſorptus inceſſerit; & per omnem Romano-

rum itinerum viam coram cunctis Crucifixi, vel aliis piis imaginibus genuflexus orationi, & ſuſpiriis vacaverit, aliquando urbem Paduanam ingreſſus rectà ſe ad Eccleſiam S. Antonii contulit, & fame, ſiti, ac defatigatione propè deficiens coram ejus ſepulchro uſque ad intempeſtam noctem, refectionis, & hoſpitalitatis à fratribus ſibi paratæ oblitus, ſpiritúsque deliciis immoratus precabatur. In frequentandis ſeptem Romæ Eccleſiis, venerandísque SS. Martyrum trophæis labore conſumi, & ardore diffluere quaſi conabatur. In viſitationibus regularibus tantâ ſpiritûs, & facundiæ energiâ fratres officii ſui commonefecerat, & iis ſtudium perfectionis inculcaverat, ut ſemet eviſceraturus crederetur, & auditores ad ſequelam, ad lacrymas, ad compunctiones permoverentur; ſanctíque ſpiritûs, quo tota ejus vita etiam activa redundabat, unctionem nemo non manifeſtè adverteret. His tantis charismatibus donum quoque prodigioſæ ſanationis acceſſerat: pluribus hujus ſpeciminibus viri humilitate ſuppreſſis unicum ad notitiam noſtram pervenit. Olim à Capitulo Generali redux trans montem Arolæ in pago quodam infantulum cum maximo parentum luctu jam jam moriturientem invenit; quo triſti ſpectaculo commotus P. Theodoſius elevatis in cælum oculis miſello benedictionem impertit; cujus virtute agonizans è veſtigio reſpirat, & incolumis parentum lacrymas lætè ridentis geſtu abſtergit, ut homines illi hunc patrem ceu Galenum, vel quod aliter coordinatis litteris idem eſt, Angelum è cælo miſſum venerati fuerint. Poſt devoratos ingentes, & plurimos pro Deo, Religione, Provincia, proximo, & ad meritorum ſuorum cumulum labores, quos cùm calamitoſiſſima belli tempora, tum varii, concatenati, arduíque proceſſus faceſſerant, his, ſenióque confectus intenſiſſimis virtutum actibus æternitatis itineri ſe accinxit, gratulatus ſibi, quòd mortuus mortui nuper chariſſimi P. Angelici Wolfacenſis conſortium, & tumuli affinitatem Stauffæ conſecuturus eſſet; ut, qui viventes ſpiritu, & animis ſemper fuerant conjunctiſſimi, corporibus quoque inanimatis conjungerentur, ſimultaneam aliquando, beatámque in eodem loco anaſtaſin habituri. Obiit Stauffæ Brisgojæ 13. Sept. 1714.

Litt. U.

I. PUratislaus Wolfacenſis Guardianus horum, quos pietate, virtutibus, & præclarè geſtis illuſtres commentario proſecuti ſumus, virorum agmen claudit, claudicans pedibus; minimè affectibus, quibus gigantæâ proceſſione viam auſteram mandatorum Dei, & Regulæ Seraphicæ cucurrit, aptiſſimus, qui proſelytis noſtris in eamdem viam dirigendis Præceptor, & exemplar daretur. Eximius ſolitudinis, ſilentii, pacis, & orationis amator horum omnium amorem & Novitiis, & fratribus, quibus ut multorum annorum Guardianus imperare juſſus erat, verbis inſtillare, & factis affricare contendit. Cæteris Regulæ, & Provinciæ obſervantiis eo rectore ſemper cautum, ſatísque proſpectum fuerat, vultu ad cenſoriam gravitatem compoſito, & mente in diſcretam manſuetudinem propendente pacatum ſemper guber-

bernium exercens ; ut timeretur ; magìs tamen diligeretur. Cùm perpensa viri maturitate, prudentia, zelo, & rerum agendarum experientiâ Capitularium ſuffragiis ad Definitorialem dignitatem exoptari inciperet ; huic malo (ſic enim humilitatis cultor altiores gradus compellaverat) prævertendum ratus podagrâ ſe vinculatum ipſus infamat ; hósque compedes, notam Capucinis inhabilitatem, ſtudiosè exaggerat, atque, ut electores à mentibus ſuis averteret, baculo innixus in loco Capitulari hinc inde claudicans ſui neglectum de induſtria conciliat decrementis ſuis intentus. Ut autem præfata ægritudine verè afflictus fuerat ; ſic ſub hujus favore, & argumento omnimodam ab officiis vacationem impetravit, ut liberiorem impetrando cælo operam navare poſſet ; quò illi acutiſſimi dolores eximiè ſuffragati fuerunt ; ut quos continua paſſionis Dominicæ contemplatione lenire, & ipsô lenimentô ad exoptandos ampliores cruciatus uti conſueverat. Etiam in extremis vitæ ſuæ momentis ſolitudine delectabatur frequentiorem fratrum viſitationem deprecatus, ut ſolus cum ſolo Deo agere queat ; in cujus demùm manus quietiſſimum ſemper ſpiritum tradidit Lauffenburgi 1. Octob. 1720.

§. II.

Provincia Litterata.

Siſte paulisper riſum, quisquis alienus, minúsque hujus Provinciæ Capucinis benignus in hunc, ùt tibi videtur, vanè litteras crepantem titulum incideris ; & rationes exſpecta, quibus ad hunc aſtruendum adducti fuimus. Haud equidem nos latet, Capucinos ab aliquibus ſcientiâ ſuâ glorioſis, & cæterorum, quorum lux arctior eſt, aut obſcurior, contemptoribus, ſub ignorantium potiùs, quàm litteratorum notione propudioſis admodùm Dyaſirmis proſciſſos fuiſſe, ac etiamnùm ceu tales deſpectui eſſe : & ex parte quidem ſeu veritati, ſeu calumniæ condeſcendimus ; tum quòd S. P. Franciſci principio inhærentes idiotam audire tam non erubeſcendum eſſe ducamus ; quàm S. Pater hoc nomine in ſuo teſtamento gloriari viſus eſt, tum, quia in Regulæ cap. 10. diſertè is ipſe Legislator cavit : *Et non curent neſcientes litteras diſcere ; ſed attendant ; quòd ſuper omnia deſiderare debent Spiritum Domini, & ſanctam ejus operationem.*

Ex quo Regulæ textu perperàm intellecto quondam unus argumentum traxit evulgandi infamiſſimum ſcomma, quod *Alcoranum Franciſcanorum* intitulavit, traducendo in eo S. P. Franciſcum, velut aſininæ inſcitiæ, atque ignaviæ patronum, exterminatorem theſauri litterarii, & humanæ excellentiæ inimicum. Verùm hic à R. P. Sedulio lib. 3. cap. 10. in apologetico jam pridem detriumphatus altùm ſilet. Fallar, niſi quispiam Neotericus ſcientiarum polemicarum ſpectaculo lætus, & in libris hæreticorum verſatiſſimus non item præfatum Alcoranum legerit, & ſcommata inde mutuaverit in ſolos hujus Provinciæ viros Capucinos torquen-

da ; quamquam alia occaſione ad has eructationes chriſtiano, nedum Eccleſiaſtico homine indignas deſcenderit.

Sed & doctiſſimus vir R. P. Franciſcus Suarez Soc. Jeſu tom. 4. de Relig. lib. 2. de variet. Relig. cap. 7. in aſſequenda Legislatoris noſtri mente hallucinatus prædicta cap. 10. Regulæ noſtræ verba ceu interdictum univerſale accipit, quo prohibitæ ſint fratribus minoribus litteræ, & litterarum ſtudia. At verò indubitatum nobis eſt, & à ſancto Bonaventura, genuino, ac coævo S. Patris interprete deciſum ; illis verbis non Clericos, ſed Laicos à litterarum ſtudio arceri. Altioribus verò ſcientiis imbuendos voluiſſe S. Patrem ex eo patet, quòd Regulæ cap. 9. Prædicatores verbi Dei inter fratres ſuos eſſe, ac debitâ conſequenter eruditione informari conceſſerit ; uti Nicolaus III. Pont. Max. Extravag. Exiit qui ſeminat. a. 7. his omninò verbis argumentans declarat: *Conſtans eſt, quòd hæc* (negotia prædicandi Dei verbi) *ſupponunt ſcientiam ; ſcientia requirit ſtudium ; exercitium verò ſtudii convenienter haberi non poteſt ſine uſu librorum.* Ita enim Seraphicus Pater in familiari quadam Epiſtola S. Antonium Paduanum fratribus altiori litteratura imbuendis occupatum dilaudaverat, atque ut impigrè huic muneri incumbat,ſub certis limitationibus adhortatus fuerat. Benè non ignoramus, quòd, ſicut in Ordinis Seraphici ; ita & in Reformationis noſtræ initiis, Fratres humilitatem, & ſimplicitatem ſtudiorum erectione minui, labefactari, & ſpiritum devotionis extingui metuentes publica litterarum ſtudia abhorruerint ; & ſi qui eſſent in doctrinas ſublimiores prurientes, iis privatos tantùm inſtructores permiſerint. Sed in duodecimo Capitulo Generali Anno 1564. Forolivii celebrato inter alia ad integram Concilii Tridentini Seſs. 5. c. 1. de Reform. obſervantiam à Patribus decretum fuit ; ut in qualibet Provincia Theologica ſtudia, præſuppoſitis Philoſophicis inſtituantur ; quibus Scholares noſtri toto ſeptennio vacare à Conſtitutionibus noſtris jubentur : ab his autem præter laicos, etiam ii arcentur, qui obtuſioris ingenii, aut alio habilitatis defectu notati reperiuntur, & ad alia, quorum capaces ſunt, deputantur. Notiſſima eſt illa S. Pauli ſimilitudo dicentis : *Sicut in uno corpore multa membra habemus : omnia autem membra non eumdem actum habent : ita multi unum corpus ſumus in Chriſto ; ſingùli autem alter alterius membra.* Rom. 12. v. 4. Quam ſimilitudinem S. Dorotheus eleganter cuidam Religioſo Ordini adaptat, qui charitate plures per modum unius corporis complectitur : in quo caput ſunt, qui gubernant ; oculi, qui ſpeculantur, & corrigunt ; os, qui ſermone proſunt ; aures, qui Confeſſionali deputantur ; manus, qui operi manuali ; pedes, qui hinc inde currendo miniſteriis fratrum incumbunt. Non immoramur dictorum ad inſtitutum noſtrum applicationi, quatenùs de ſe manifeſtæ : ſed miramur, dari homines, qui à pedibus oculi, capitis, oris &c. officium ! id eſt, à laicis, ſimplici ſacerdote, & contractioris litteraturæ ſubjectis ſcientiam gubernantis, concionantis, docentis exigunt ; & ſi minùs inveniunt, totum corpus, totam Provinciam &c. ignominioſa gregis aſinini, amuſi,

ſi, & ignorantis, raſæque cohortis nomenclaturâ devenuſtare, ſcriptisque ſatyricis traducere non erubeſcunt; cùm tamen quælibet Religio, etiam ea, quæ ex inſtituti ſui ratione in pulvere ſcholaſtico, ſcientiisque ſeu diſcendis, ſeu docendis enutritur, & ſeneſcere conſuevit, rudiores hoſpitetur anacharios; quin propterea de litteraturæ prærogativa quidquam deperdat. Tantùm verò abeſt, ut Provinciam noſtram aſininæ inſcitiæ infamari patiamur, ut potiùs infamatoris cujuscunque ingratiis viros in omni, divina, & humana ſcientia præclaros oſtentemus. Non inficiamur, quòd in Ordine noſtro nec publica habeantur athenæa; nec noſtri ad Academias Magiſtrali, Licentiatûs, aut Doctoratûs laureis decorandi foras mittantur; ſed in ſcholis noſtris, tanquam Exedris ſcientiarum Canditati erudiuntur, quorum laurea, & gloria in Crucis humilitate ſita eſt, quibúsque ſpiritûs devotio homicidâ, inflantéque litterâ potior eſſe debet. Hoc non obſtante præſiſcine dixerim, prodire ex ſcholis noſtris viros, qui gubernio, officiis Cathedralibus, ſcolaribus, & iis omnibus idonei, digníque ſunt, quæ ex Canonum præſcripto competentem doctrinam exigunt. Dicet fortaſſè nonnemo: Si ſchola veſtra Litteratis viris tam fæcunda eſt, ubi litterariæ horum lucubrationes? ubi tomi conſcripti ſcientiarum teſtes? Næ tu ſis rigidus Capucinorum Ardelio! ſcire autem te velim, quòd non deeſſent, qui libros plurimos ab argumenti, & ſtyli elegantia prælo digniſſimos in publicum protruſiſſent, ac protruderent, niſi ſumptuum difficultas, extremi nummi penuria, aliáque typi impedimenta tum à paupertate, tum ab humilitate profecta calamos, manúsque cohiberent. Dabimus tamen aliquos ſcripores ab hac Provincia genitos, cum eorum elogiis, qui tibi meliorem in Capucinos mentem, & exiſtimationem ingerent; ſin minùs, profixum ſaltem titulum *Provinciæ litteratæ*, te etiam poſt ſipariùm ridente, juſtificabunt. Ordinem iterùm Abecedarium ſervabimus.

P. Alexander ex Sonthofen Equeſtri Lib. Baron. de S. Vincentio proſapia oriundus, in ſæculo Juris utriusque Candidatus, & ad magnas fortunas parabilis his minimam Capucinorum ſortem prætulit, & inter hos ſevero legum Seraphicarum inſtituto aſſuevit, prudentiâ, religioſitate, & regularis diſciplinæ obſervantia nulli ſecundus; ideóque Conventibus regundis præfectus, ac etiam in Senatum Provinciæ aſſumptus compluribus annis Sereniſſimi Principis Ferdinandi Frobenii de Fürſtenberg-Möſskirch, hujúsque Sereniſſimæ conjugis arbiter conſcientiæ à confeſſionali ſtetit, aulam hanc verè piam, & ſanctam bina vice Ratisbonam uſque ſecutus, & ſpirituali doctrinâ ſolatus eſt, tanta utriusque ſatisfactione, ut nullibi absque ſuo P. Alexandro eſſe voluerint, atque ab ejus conſiliis (quæ ſalutem animæ ſpectant; nam Aulicorum, politicorum, & publicorum datâ operâ incurius fuit) unicè pependerint. Celeri mortis genere ad meritorum ſuorum præmia evocatus, omníque momento evocari promptus apoplexiâ obiit Möſskirchii 3. Mart. 1742. Relictâ ejus bonâ memoria in impreſſo libello illius operâ edito, qui continet I.

Vitam B. Fidelis Martyris, germanicè in 8vo.

II. P. Alexius Conſtantienſis in Philoſophicis, & Theologicis verſatiſſimus aliquos annos easdem diſciplinas magno cum applauſu, nec minori fructu prælegit. Quòd ſingulari Monaſticæ obſervantiæ zelo, judicii maturitate, rerum experientia, & hiſtoriæ tum Eccleſiaſticæ, tum profanæ notitiâ præſtiterit; non ſolùm ad celebriora Provinciæ pulpita; ſed ad ampliora quoque Ordinis munia: Guardianatum, Definitoriatum, & bis Provincialatum evectus eſt; quibus, ſicut & itinere Romano, tantò majori merito, quantò majori incommodo ſuo, utpote contractæ ſaginæ, corporísque adipalis vir, in Religionis, Provinciæ, reíque regularis tutamen, honorem, & integritatem dextrè perfunctus eſt. Urgente ſenio, varióque morborum ſatellitio ad mortem ſe diſpoſuit, eámque inter pias aſpirationes tum fratrum, tum ſuas vitam mortalem cum immortali commutavit Uberlingæ 4. Sept. 1739. Nonnullos ante obitum annos utiliſſimæ ſcriptioni impendit, ediditque

Cæremoniale ad uſum FF. Min. Capucinorum Provinciæ Anter. Auſtriæ accommodatum, in 4. partes diſtinctum, juxta Rubricas tum Breviarij, tum Miſſalis, ac rituale Romanum, Decreta, & Declarationes S. Rit. Congregationis. Commentaria Gavanti; probatos Rubriciſtas, & alias pias, & laudabiles Religionis, & Provinciæ conſuetudines &c. in 4to. Anno 1738.

III. P. Bonagratia Habſenſis, cujus encomium alibi perſtrinximus, ut erat vir omni ſapientia clariſſimus, ſic typis edidit.

1. *Summulam Quæſtionum Regularium in 8.*
2. *Isagogem in ſummulam Quæſt. Regul. in 8.*
3. *Additamenta Quæſt. Reg. in 8.*
4. *Breviculum harum Quæſt. in 14.*
5. *Elucidationem quorumdam locorum Theologicorum de ſacramentis; in quibus Seraphicus Doctor Bonaventura à nonnemine gravi cenſurâ impetitus fuit.*
6. *Diſceptationem de matrimonijs hæreticorum, & indiſſolubilitate matrimonij &c.*
7. *Quæſtionem Aſcetico-Theologicam: cur hodie tot Religioſi à Religione deficiant.*

Manuſcripta plurima typo digna Provinciæ Archivium ſervat: ut politicum Regularem, Hierarchiam Provinciæ &c. & alia.

IV. P. Conradus Beſortenſis totam penè vitam terendis, quà virtutum, quà litterarum ſtudiis inſumpſit: & ex qua parte eum aſpexiſſes, totum pium, totúmque litteratum inveniſſes. Ab exercitationibus ſpiritualibus vacantem ipſa exterioris hominis compoſitio, ingenii manſuetudo, converſationis humilitas, ſubmiſsáque affabilitas in ſpiritu exercitatiſſimum prodidit. Compluribus annis ſtudioſos noſtros Philoſophiam, & Theologiam edocuit, eo profectu, ut ex iis nonnulli & ipſi ſcholarum Præſides evaſerint. Piiſſimè obiit Mahlbergæ 12. Aug. Anno 1720.

Compilavit in juvamen diſputantium

Problemata Philoſophica; ſeu argumentationes in utramque partem. in 8.

Dona-

Donatus ex Aſen Concionator ob feſtivum, lepidúmque ingenium, religioſitatis limites tamen haud egreſſum; & à charitate infirmis, ac moribundis impenſa; nec non remediorum pauperibus ægrotis ſalutarium peritiâ plurimùm commendabilis extitit, eadem promptitudine mortem ſubiit, qua alios hanc ſubire docuit, in ipſa nati Salvatoris nocte denatus, & juxta nominis ethymologiam, ut piè confidimus, cælô donatus Uberlingæ 25. Decemb. 1734. ſcripſit hiſtoriam, ſeu V.

Vitam S. Othiliæ Virginis, & Sanctimonialium Abbatiſſæ in 8.

P. Electus Lauffenburgenſis Concionator, & vir præſtantiſſimæ Religioſitatis, nec minoris litteraturæ idoneus probatúsque à ſuperioribus judicatus fuit, qui officium Miſſionarii Apoſtolici obiret. Quapropter ad ſpirituale claſſis Venetæ adversùs chriſtiani nominis hoſtem expeditionem ſuſcipientis obſequium in Græciam, Candiam &c. profectus plurimis laboribus, & periculis defunctus totidem merita de cælo, Eccleſia, Religione, & animarum ſalute ſibi comparavit. Reverſus in Provinciam hujus Chronicon uſque ad annum 1650. diligentiſſimè conſcripſit idiomate Germanico quidem; ſed rerum ſelectarum, & exterarum varietate lectu digniſſimum. Compilavit & hiſtoricum de miſſione ſua, rebúsque à Sereniſſima Republica Venetorum in præfata expeditione præclarè geſtis, tractatum. Sed neque hic, nec illud lucem aſpexit. Poſtquam quinquaginta annos in Seraphica Religione pondus diei, & æſtûs fortiter tuliſſet, Rottenburgi die 2. Maji 1672. in bona pace quievit. VI.

P. Electus Conſtantienſis in ſæculo jam Sacerdos, & Parochus, in Ordine Capucinorum inſignis Concionator, ſcripſit, ſeu potiùs complevit opuſculum Rhytmicum à P. Laurentio infra celebrandô inchoatum, in quo ſub chartarum luſoriarum allegoria varia mundi vitia, & abuſus taxantur. Typis proſtat in 8. cum figuris æneis; in quo author non vulgaris Poëticæ, Hiſtoriæ ſacræ, & moralis doctrinæ ſpecimina exhibuit, aliàs facetæ indolis, pacíſque cultor pacificè in Domino obiit Friburgi Brisgojæ Anno 1738. die 23. Jan. VII.

P. Euſtachius Frauenfeldenſis Concionator etiamnùm vivens, conſcripſit opus aſceticum; cujus titulus eſt:

Regalis Sacerdotii catatypoſis, coloribus rituum ſacrarum Ordinationum delineata &c.

B. Fidelis Sigmaringanus, ante hac J. U. Doctor. Juvenum Illuſtrium peregrinas Regiones peragrantium Ephorus, Cauſidicus, Sacerdos, Capucinus, Concionator, Guardianus, Miſſionarius Apoſtolicus, Martyr, Thavmaturgus, publicâ ſolennitate ab Eccleſia inter Beatos relatus eſt; cujus vitam, geſta, martyrium, & miracula præter P. Lucianum Montifontanum, & alios ſcriptores hodiernos, ac domeſticos encomiis proſecuti ſunt Reverendiſſimus quispiam Abbas Benedictinus in opere Lugduni apud Claudium Cainè, juxta exemplar Molshemienſe impreſſo. Ardhingellus in Appendic. Cong. vocis turtur. oſtens. 4. ubi de Capucinis. Martyrologium Franciſcanum die 11. Jul. Didacus le Quille lib. Franciſcus ter legislator. Tom. 2. de martyr. Mar- VIII.

cellin. de Piſe. tom. 3. Annal. ad Ann. 1622. Qui huic B. Martyri convixerunt, eum aliqua doctrinæ ſuæ monimenta elucubrâſſe teſtati ſunt: inter hæc præſertim fuit *diſputatio contra quosdam Miniſtros Hæreticos Prætigovienſes de S. Miſſæ Sacrificio*: quam tamen progreſſu temporis unà cum aliis ejusdem ſcriptis periiſſe; vel potiùs ab hæreticis in odium fidei Catholicæ abolita fuiſſe veroſimile eſt.

Extat etiamnùm ejusdem teſtamentum ante profeſſionem Religioſam conditum, ac propria manu conſcriptum, quo nonnulla ſtipendia hodiedùm valida in ſubſidium quorumdam ſtudioſorum fundavit. Ea ſcriptura Sigmaringæ in ædibus Parochianis aſſervatur, variiſque calamitoſis applicita virtutem ſanatricem haud rarò emanavit.

IX. P. Franciſcus Joſephus ex Buſmanshauſen perilluſtri Lib. Bar. Roth ſtemmate ſatus, litteris humanioribus, philoſophicis, ac Juridicis haud obiter, excultus; longinquis ad terras exteras, ac Principum aulas peregrinationibus defunctus, Cathedralis Eccleſiæ Conſtantienſis Canonicatu jam potitus, nec vano augurio Epiſcopali illa potiturus Infula præter omnium exiſtimationem hos mundi ſplendores Seraphicæ paupertatis profeſſione annihilandos duxit, illuſtri, ac generoſo vanitatum contemptu longè apud Deum illuſtrior, ac generoſior, quàm nativâ horum prædicatorum jactantia. Litteraturam ſecum allatam Theologicis quoque ſcientiis Breſciæ in Italia imbibitis adauxit; dignus, qui mox à diſcipulatu aliorum inſtructor fieret. Concurrentibus in eo omnibus, quibus verus conſtare debet Capucinus, virtutibus, unanimi, ſi proprium excipias, Majorum, & Capitularium voto, Conventuum jubilô, Provinciæ applauſu, & decore Guardianatûs, Definitoriatûs, & Cuſtodiatûs officia tractus in minimis hærere maluiſſet. Adeò enim ejus humilitas in naturam abiit, ut facies rubore, animus tædio ſuffunderetur, ſi quis illuſtriſſimo originis ſuæ mentionem fecerat. In novi, & alterius monaſterii Friburgenſis fabrica ipſemet tantus vir ligonibus, rutris, & ſchaphiis ſe addixit, & cum operariis ligna, lapîdes, cæmenta comportavit, ingenti ſpectatorum admiratione, quibus viri nativitas perſpecta, aut etiam agnata fuerat. E cathedris, quas in provincia primarias ſuada ſuâ Apoſtolicâ decoraverat, dicentem auditores ſacrum Demoſthenem dixerunt; cujus ſermones ſpiritu, & eruditione redundantes, & typo æternati vel hodiedùm in pulpitis reſonant, & Bibliothecas exornant. Plurima in Provinciæ emolumentum præſtitit; nec ante majora præſtare ceſſavit, quàm ubi à vita ceſſandum fuerat. Fatali ægritudine inceſſatus ſpectabili devotione ad extremam Sacramentorum uſurpationem, & conſecutam paulò poſt ſe mortem præparavit; quam, acceptâ prius à Celſiſſimo & Reverendiſſimo DD. Marquardo Rudolpho Epiſcopo Conſtantienſi, Germano fratre ſuo, viſitatione, & Epiſcopali Benedictione, oppetiit Marchdorffii 19. Noyembr. 1697. Eruditionis ejus æterna teſtimonia ſunt, erúntque

1. *Oliva in campis, ſeu conciones Dominicales per totum annum, German. in 4.*

2. *Le-*

2. *Lectulus Floridus virtutum, & ſpinæ vitiorum : id eſt Conciones Adventuales, & Quadrageſimales, de virtutibus, & vitiis, peccatis Capitalibus, & alienis. German. in 4.*
3. *Sacrarum concionum integer curſus annuus. Seu Dominicale, & Feſtivale latinè. in 4.*
4. *Mariale ; ſeu ſermones menſtrui de B. V. M. latinè. in 4.*
5. *Flores Campi : ſeu Dominicale integrum. Germ. in 4.*
6. *Flores Campi : ſeu Feſtivale integrum. Germ. in 4.*
7. *Quadrageſimale. German. in 4.*
8. *Conciones de Sacramentis. German. in 4.*
9. *Planctus Eccleſiæ, ſeu animæ. Germ. in 4.*
10. *Alphabetici virtutum Theologicarum, & internarum actus 1. erga Deum. 2. ergà B. V. M. 3. ergà S. Joſephum. Germ. & lat. in 12.*
11. *Seneca Chriſtianus germ. & lat. in 12.*
12. *Panegyris in laudem Sereniſſimi Marchionis Ludovici de Baden ob victorias in Hungaria à Turcis relatas, ſub titulo : Palma Auſtriaca immarceſſibilis.*

X. P. Ignatius Rhenofeldenſis Concionator, Miſſionarius Apoſtolicus, peregrinator in Palæſtinam, Guardianus, & quod his omnibus ornamentum contulit, vir eximiæ Religioſitatis ſplendore clariſſimus, dignus, cujus vitam nonnemo ſcriptor eleganti calamo, & latinitate publici juris faceret ; poſt inſignem Turcarum internecionem prælio navali in Helleſponto à claſſe Venetâ editam, cui P. Ignatius ceu hortator ad militem, & precator ad Deum Moyſes interfuerat, cum debita facultate ex Dardanellis in Candiam relegens iter in terram ſanctam ſuſcepit ; quam pedibus Salvatoris noſtri calcatam, ac redemptionis humanæ myſteriis ſacratam ingreſſus non tam curioſo, ac diligenti oculo luſtravit, quàm tenerrimo devotionis affectu veneratus, ac meditabunda pietate ſæpe in lacrymas diffluens contemplatus eſt. Apparato in Europam reditu aurigante Barcâ ex Inſula Cypro ſecundis velis portui Veneto, Malamecho, invectus, ac ſucceſſivè in Provinciam reverſus eſt ; ubi & itinerationem ſuam accurata, & fideliſſima deſcriptione publico orbi typis communicavit, & intitulavit :

Itinerarium Hieroſolymitanum, cum deſcriptione omnium miſſionum Apoſtolicarum Ordinis noſtri Capucinorum. German. in 4.

Quod non ſolùm hiſtoriæ amanti delectabile ; ſed etiam meditantibus Redemptionis noſtræ myſteria perquàm utile plurium hodie manibus teritur. Secum quoque tulerat ichnographicam ſacri ſepulchri effigiem propriâ manu delineatam ; juxtà quàm nobilis, & ſpectatiſſimus D. Balthaſar Tröndle Waldishutti templum ſatis magnificum, ad excitandam, & frequentandam populi devotionem erga Salvatoris noſtri ſepulchrum magnis ſumptibus ædificavit. Poſtquam octogeſimum ſecundum ætatis annum attigiſſet P. Ignatius, & horum ſexaginta tres in Ordine, & juſtificationibus Domini transegiſſet, peregrinationem ad ſuper-

nam Hieroſolymam, vocante Domino, & promovente piâ morte, aggreſſus eſt Lauffenburgi 7. Feb. 1702.

XI. P. Joannes Chryſoſtomus ex Beüren, cujus ſupra cum veneratione, & laude meminimus, conſcripſit *Exercitia ſpiritualia*, & devotiſſima, tanto authore digna, quibus, ceu rudimentis, novitii noſtri ad ſpiritualem vitam, & aſceſin erudiuntur, hodiéque uſurpantur. Latin. & german. in 12.

XII. P. Laurentius ex Schnûfis admodùm ſæcularis eximius Poëta, & Muſicus variam fortunam expertus eſt, aliquamdiu per nobiliores Germaniæ urbes vagatus, lyráque & Poëſi pro viatico uſus, ac modò benè nummatus, paulò poſt vix ſeſtertiarius. Viennæ in Auſtria Thymelico cuipiam ceu Aretalogus operam ſuam locavit; ſed à Sereniſſimo Archi-Duce Ferdinando Carolo Oeniponti inter aulicos aſſumptus comædos; horúmque Choriphæus tandem effectus rebus ſuis ſtabilius, feliciúsque incrementum adeptus eſt. Quòd nonnunquam ſanctiores de æterna ſalute cogitationes admiſerit, & cæleſti ad ſaniora invitationi non abnuerit, ſuſcepto Presbyteratûs Ordine & profeſſioni ſuæ vanitati, & Sunamitidi cuipiam poſt ejus nuptias prurienti nuntium remiſit. Sed neque tum ſatis adhuc in anima tranquillus ampliorem à tumultibus mundi elongationem animo concepit, & in Ordine Fratrum Minorum Capucinorum ſecuriùs latere conſtituit; in quo jactis vitæ religioſæ fundamentis talis evaſit Aſceta, in quo vel zelantior Momus nil culpandum invenerit. Ut olim Poëſi, & Muſica, ſed vana, auróque, & auribus lucrandis accommoda delectabatur: ita ad eamdem, ſed mutato argumento, & fine, rediit, támque concinnè luſit, ut ſibi, Provinciæ, ac univerſæ Religioni maximam æſtimationem pepererit. Opuſcula enim Aſceto-Poëtica tam admirabili fabulæ, & veritatis, Poëſeos, & SS. Litterarum connubio, & ſelectiſſimi germaniſmi ornatu compoſuit, & in publicum evulgavit, ut ſummi etiam viri iis delectentur, & Catholici æquè, ac heterodoxi luſciniam hanc tam ſuaviter militantem eximiis elogiis celebraverint, atque etiamnùm celebrent. In ſæculo nomen Martini gerebat: & ſub hoc, inverſis litteris in mirant translato Poëmata ſua prænominavit, quæ ſunt:

1. Mirantis ad beatam ſolitudinem aſpirantis mirabiles anfractus, & fata. Stylo partim ſoluto, partim ligato. German. in 8.

2. Monaulum Miranticum, in quo terſiſſima Pieride tres pœnitentis animæ vias detegit, & ad eas capeſſendas inducit. Metro german. in 8.

3. Mirantia Gingrina ad reperiendam, & ſectandam veram ſapientiam. Rhytm. german. in 8.

4. Fiſtula Majo-Mirantica cantandis B. V. M. præconijs occupata. Metro german. in 8.

5. Crembalum Miranticum, quo pretium, ac cultum virtutum, amoríſque divini theſaurum convincenti verſu perſuadet. Germ. in 8.

6. Involucrum crembali mirantici, quo ſtultitias mundi exſibilat. Metro partim german. partim latino. in 8.

7. Vitam S. P. Franciſci, & S. Antonij de Padua, cum figuris æneis, ligato ſtylo. German. in 8.

8. Li-

8. Liber precatorius ad uſum piorum Chriſtianorum, clavis cæli nuncupatus, & Auguſtiſſimæ Romanor. Imperatrici Eleonoræ Magdalenæ Thereſiæ inſcriptus, ſoluto, & devotiſſimo calamo in 8.

Prædicta autem Poëmata elegantibus æreſcripturis, & emblematibus, ingenio, & ſale redundantibus exornavit; quin & arijs ad numeros Muſicos voce, & fidibus cantandis inſtruxit. Horum operum, præſertim illius num. 4. ſignati ſuavitate adeò captus fuit Auguſtiſſimus Roman. Imper. Leopoldus I. ut authorem publico axiomate Poëtam laureaverit.

Nec verò hic Pindarus noſter in Helicone tantùm vitam ſuam exegit; ſed præter ſolitudinis, ſilentii, paupertatis, abſtinentiæ, aliarúmque virtutum exercitia in omnes alias obedientias, cathedram, confeſſionale, & curam infirmorum promptiſſimus fuit, & uſque ad juſtam ſenectutem inculpatè permanſit, ampliores adminiſtrationes humiliter deprecatus. Pridiè mortis ſuæ devotiſſimam de gaudiis cæleſtibus à ſe compoſitam intermixtâ fidium ſymphoniâ ſibi præcini curavit, mentis cæleſtium cupidæ, & à culpis nitidæ documento eccleſiæ deinceps ſacramentis roboratus, & ad plectrum ſuum ſedens, quaſi egreſſum animæ muſicâ celebraturus, religioſum ſpiritum emiſit Conſtantiæ 7. Jan. 1702.

P. Lucianus Montifontanus Provincialis ſummam litteraturam cum XIII.
ſumma pietate ſociavit: & ut de hac primò dicamus, procul ab omni ſingularitate, & publica devotulorum geſticulatione ſacræ communitati, hujúsque conſuetis exercitiis inhærere ſacroſanctum habuit: Choro, horis mentalibus, miſſæ celebrationi ſolidâ pietate, ac zelo incubuit: clauſo tamen oſtio, & nemine præſente cor ſuum frequenter ſolitariis meditationibus ad cœleſtia levare conſuevit. Mentem ejus divinis cogitationibus plenam indicabant eloquia prorſùs, & ſemper ſpiritualia, & in omnem materiam parata, quibus non ſolùm Fratribus; ſed etiam ſæcularibus delectationi, documento, & ædificationi fuerat. Poſt Deum ardentiſſimo in virginem Deiparam æſtuabat amore, ut ſæpè ad hujus altaria, Imagines, & ſacella horis minimè ſuetis ferventiſſimè cernuus orare, ſuſpirare, flagellis ſe cædere, & ſuaviſſimam Matrem diſſuaviare auditus, & deprehenſus fuerit. Poſt obitum ejus inventa eſt ſchedula, cui ſanguine hæc inſcripta leguntur verba: „ O Maria! Ego peccator „ F. Lucianus Montifontanus Capucinus indignus me tibi ſervum per„ petuum offerre intendo; & ex hoc, quamdiu mihi vivere Deus de„ derit, tuum honorem propugnare propono, & alia, ſi Deus inſpi„ raverit NB. & NB. conabor implere, dummodò cognovero, id Deo „ placere; & tu tuô patrociniô mihi adſis, nunc, & ſemper, & præ„ ſertim in hora mortis meæ. Hanc ſcripturam meo ſanguine exaravi, „ cum aliquo voto; quod ſuum tamen finem non attigit, Deo aliter diſponente. „ Ubicunque igitur occaſio tulerat, linguam amoris ſui teſtem, & inſtrumentum, in præconia excellentiſſimæ virginis Mariæ ſolvebat; cæterà ſilentii, ſolitudinis, cellæ ſuæ, librorum ſive legendorum, ſive ſcribendorum ſtudioſiſſimus. Poſt officia lythurgica ſummâ attentione peracta quotidiè acceſſit lignile, & à juventute uſque ad

ſupremam ætatem per mediam horam ligna findere, ac dicere conſuevit; hôc exercitiô ipſi medicinæ præſervativæ locò fuiſſe contra ægritudines; quarum, præter podagram ultimis vitæ annis ſupervenientem, nulla fuit moleſtatus, ſæpiſſimè Guardianus, aliquoties Definitor, ſemel Provincialis infracto animo, & inſuperhabito humano reſpectu antiquum Ordinis rigorem, & decorem, quà latè hic ad omnium obſervandorum obſervantiam porrigitur, ſummo cordi habuit, & à ſubditis nolentibus volentibus exegit. Quòd verò litteraturam ejus concernit, ea ſanè ampliſſima fuit, ad menſuram capacitatis, & impetûs, quo in illas accumulandas ferebatur. Tempore Clericatûs ſui auſus eſt duos annalium tomos R. P. Zachariæ Boverii ex latina in linguam Germanicam traducere: factum & ipſum annales, & publicam lucem meritum; quod tamen non impreſſum; ſed ad juvenis humiliationem ſuppreſſum eſt. In ſtudiorum curſu præter Philoſophicas, & Theologicas diſciplinas addiſcendis etiam mathematicæ, aſtronomiæ, Geometriæ, Geographiæ, arithmeticæ, & Chronologiæ operam navavit; ac de his ſatis amplum tomum ſuo uſui conſcripſit. Vix ſcholas egreſſus ad munus concionatorium, ad publicas, eásque ſolenniores cathedras promotus eloquentiæ vi, memoriæ felicitate, dicendíque gravitate adjutus docebat quaſi poteſtatem in animos habens, ut totum eloquiorum torrentem fundere videretur, & Auditores extra ſe rapti faterentur, ſe integro die audiendo hoc Eccleſiaſtico Cicerone nec fatigari, nec ſatiari poſſe. Uti ſe magis ad Theologiam Patrum, ſeu, ùt vocant, Poſitivam; quàm ad ſpeculativam, & litigioſam applicuit; ſic hujus adminiculo conciones ſuas ſcripturæ, & SS. Patrum, quos propè in fonte omnes evolvit, authoritatibus tantâ connexione, & aliarum doctrinarum commixtione firmavit, ut populum audientem ſuaviter delectando moveret, & potenter movendo doceret. In Miſſionibus Oppenovienſi, Wilerſtadienſi, & aliis contra Hæreticos plurimum laboravit, & fideliſſimi operarii partes in excolenda Domini vinea, tum prædicando, tum catechizando, tum falſa ſectariorum dogmata diſputationibus configendo viriliter adimplevit. Aliquando in ſocium Romani itineris aſſumptus, omnes, quotquot potuit, Italiæ Bibliothecas perluſtravit; è quibus maxima doctrinæ lumina, & auxilia collegiſſe, domúmque retuliſſe teſtatus eſt. Scripſit de omnibus Provinciæ unitæ, & diviſæ actis apparatum tripartitum. Omnium Conventuum monimenta in ordinem redegit, annales Provinciæ, ut jam diviſæ fideliſſimo calamo ab Anno 1668. uſque ad an. 1682. in juſtum volumen congeſſit. Licèt hæc typum ſuo nomine aſſecuta non ſint (prout tanquam Provinciæ ſecreta extra communicari talia non ſolent) magna tamen eorum pars, quæ conſtructionem Monaſteriorum noſtrorum concernunt, Sueviæ Eccleſiaſticæ illata eſt, cujus Author A. R. D. Franciſcus Petrus Canonicus Regularis Imperialis Collegii Wettenhuſani eam operæ, & beneficentiæ P. Luciani cum multa gratitudinis teſtificatione, & præconiorum liberalitate in acceptis refert. Quantum Lucianus ad lucernam Ariſtophanis lucubraverit, indicant ejus opera deinceps recenſenda. Inter labo-

res

res, & ſtudia, nonniſi pietatis officiis interpolata conſenuit, ac denique quendam magni nominis Benefactorem rogatus Lindavii ægrotantem inviſens epiâlô infectus ipſe ægrotans domum rediit : móxque, animo ſibi poſtrema præſagiente, ſacris Eccleſiæ Sacramentis ſe communiens religioſa fortitudine exſpectavit, & accepit ictum mortis Brigantii 4. Martii 1716. Lucubrationes ejus in quibus cælo, & mundo vivit, ſunt :

1. *Probatica ſacra Cisarulana : ſeu vita, geſta, martyrium, & miracula P. Fidelis Sigmaringani &c. latinè, & german. in 12.*
2. *Vita PP. Archangelorum Gordonii, & Ceslæi Scotorum Capucinorum. German. in 8. Anno 1682.*
3. *Quam eamdem Anno 1712. novo, fluidóque germaniſmo prelo ſubjecit. in 12.*
4. *Manuductio, & Inſtructio ad diſciplinam, ac delicias hortenſes. German. in 12.*
5. *Æra minnta duo : ſeu ſacrarum concionum moralium Dominicale primum, cum Quadrageſimali. Latinè in 4.*
6. *Æra minuta duo : ſacrarum concionum moralium ſanctorale primum, cum Quadrageſimali. Lat. in 4.*
7. *Æra minuta duo : ſacrarum concionum moralium Dominicale ſecundum, cum Quadrageſimali. Lat. in 4.*
8. *Æra minuta duo ; ſacrarum concionum moralium ſanctorale ſecundum, cum Quadrageſimali. Lat. in 4.*
9. *Eccleſia inter Ecclypſes nunquam deficiens. Opus, quod plurimum lucernæ olet, in tribus partibus conſiſtens docet, ab origine mundi ſeram aliquam, & veram extitiſſe Eccleſiam, Hiſtoria ſacra, & profana; Chrono- & Theologiâ Patrum inſtructiſſimum. Latin. in 4.*
10. *Catechiſmus primævæ puræ Eccleſiæ in tres partes, quarum tamen prima tantùm lucem typô conſecuta eſt. Lat. in 4.*
11. *Ludus puerorum : ſeu conciones Catechyſticæ, in quibus omnes Catechiſmi R. P. Caniſii materias explanat. Opus paſtoribus animarum deſideratiſſimum, plebíque inſtruendæ commodiſſimum. in 4. Tomis editum. German. in 4.* Quod cùm in hac forma impreſſum rapidiſſimè diſtractum eſſet, ipſi librarii illud denuò in forma folii excudendi facultatem, & privilegium ſibi fieri poſtulârunt.
12. Præter hæc exſtant adhuc cumulatiſſima manuſcripta Polemica, quorum typis evulgandorum ſpem præſciderunt tum res auguſtæ, tum mors authoris, tum & alia obſtacula.

Inſuper is ipſe duos proceſſus in *cauſa Canonizationis B. Fidelis* mart. & *ſuper non cultu* juxta formam remiſſorialium inſtituendos inſtruxit ; ac pro gloria B. Martyris noſtri immenſos labores devorando, ſummorum Principum Promotoriales litteris, & allocutionibus implorando, & infinita alia agendo vix non ſeipſum Martyrem fecit : cujus igitur memoria in benedictione ; & merces apud B. Fidelem.

XIV. P. Lucius Veldkirchenſis præter pacificam indolem, & ſingularem vitæ probitatem ingenti ſcientiarum theſauro dives (rerum aliarum pauperrimus) quem è Cathedra Profeſſuræ pluribus annis geſtæ in multos ſcho-

lares non minùs liberaliter, quàm feliciter effudit, in gratiâ communicandi, & convincente humanitate diſputandi vix ſibi ſimilem habens. Annales noſtros domeſticos ab Anno 1704. uſque ad Ann. 1718. inclusivè conſcribendo proſecutus eſt. Præmatura mors eum pluribus ſcientiæ ſuæ teſtandæ conatibus, Provinciæ exſpectationi, & Benefactorum deſideriis eripuit. Obiit Biberaci 1. Jul. Anno 1720.

XV. P. Perfectus Conſtantienſis, cujus geſta ſupra §. 1. Litt. P. n. 3. Commentario exornavimus, conſcripſit

Rituale Eccleſiaſticum, Regulare, & Oeconomicum in uſum hujus noſtræ Provinciæ. Latinè.

XVI. P. Pius Rottvvilanus Guardianus in hiſtoria ſacra, & profana probè verſatus, Theologiâ poſitivâ excultiſſimus, & vir lectione SS. Patrum, aliorúmque librorum nunquam fatigandus, eáque propter hominum exterorum negligens, quamquam ab his tum ob inſignem litteraturam, tum ob religioſi hominis exempla æſtimatiſſimus. Inter Concionatores Provinciæ facilè primus; in cathedris ſeverus morum caſtigator, & patheticus declamator argumentorum gravitate, & combinatione auditoribus convincendis, & ad legem chriſtianæ perfectionis perſuadendis vehementer imminere conſueverat. In Guardiania manſuetudine, & charitate pacifico ſemper gubernio fruitus eſt. Morborum omnium contemptor, & plus juſtô naturæ ſuæ robori innixus medicinis haud facilè uti ſolitus morbo viribus ſuis prævalenti ſuccubuit Offenburgi 23. Mart. 1743. Compilavit operoſiſſimam Chronologiam à condito orbe uſque ad noſtram tempeſtatem ex plurimis authoribus, qui hoc idem argumentum tractârunt, & propriâ temporum calculatione, inveſtigatione, arithmetica ſupputatione congeſtam; quæ hactenùs diem nondum aſpexit; quâ tamen digniſſimam eſſe dicunt.

P. Romualdus Stockachenſis, hujus operis Hiſtoriographici author & compilator, litteratorum numero ideò vel maximè alienô calamô aggregandus, quia ſuimetipſius humilis contemptor litteratum ſe dicere noluit, ab omnibus licèt ùt talis haud immeritò dici, & haberi potuerit, vir duntaxat in prudentia magnus, & in ſcientia admodùm inſignis, tam in Philoſophicis, quàm in Theologicis: in hiſtoria tam Eccleſiaſtica, quàm profana, nec non in aliis verſatiſſimus, atque ideò multis à conſilio: non paucis ab auxilio: in amoribus multis: in æſtimatione cunctis. Ab ore fuit excellens: excellentior tamen à calamo, & in vernaculo, latino, etiam gallico idiomate, neſcio an plus in pulchritudine characteris, quàm in exquiſitiſſima & floridiſſima dictione laudandus; in hôc ſolummodo erat vir bonus & rectus claudicans, quòd frequenter ligatus manus & pedes inſtitis in podagræ & chiragræ vehementiſſimis doloribus nec ire nec agere potuerat, prout voluerat; poſtquam igitur Lectorem in ſchola: Concionatorem ordinarium in cathedra, ac etiam Guardianum egit aliquoties, demùm hîs omnibûs remiſsîs Chronologus Provinciæ renuntiatus eſt, quo in munere, in quantum infirmitas non obfuit, & quotidiana devotio permiſit, potiſſimum temporis ſcribendo implevit, atque hoc ipſum opus hiſtoricum compilavit; quô conſummatô, conſum-

ſummavit omnia & Hydropiſin, & Pleuritidem, & Phtiſin & quaſi omnis generis in uno corpore infirmitatem à latente in inteſtinis podagrâ cauſatam, donec tandem plenus dolorum, & per tres integras ſeptimanas quaſi ſemper è cruce pendulus, atque Chriſto in plurima patientia concrucifixus in ipſo ſancto Paraſcevês die 16. April. (quem non ſemel; ſed iteratò, non uni; ſed pluribus in familia fratribus ante mortis octiduum determinatè prædixerat) circa horam nonam antemeridianam Uberlingæ Anno 1745. ſuum in Dei Patris voluntatem reſignatiſſimum, ritè viaticatus, ſibique ſemper præſentiſſimus, in manus Domini unà cum Chriſto emiſit ſpiritum; dum in ſepulchro Chriſtus, & ipſe ſepulchro datus, quocum cœlo renatus, & ùt piè ſperamus, & optamus, in æternum beatus.

Conſcripſit Annales Provinciæ noſtræ & politè & eruditè ab Anno 1718. uſque ad Annum 1740.

Item: Continuationem florum Seraphicorum in viridario Provinciæ Ant. Auſtriæ ab Anno 1659. uſque ad Annum 1737. germinatorum; quam Patri Chronologo totius Ordinis transmiſit.

Item: Libellum exercitiorum cui titulus: *vernatio ſpiritualis per conſiderationes ad octo dies.* Quem ex Gallico idjomate in latinum traduxit - typis mandatum.

Item: Hiſtoriam nuper inventi SS. Sanguinis Chriſti in Augiâ divite, germanicè compilatam, & in lucem editam.

Demum hoc præſens opus hiſtoricum totius Provinciæ noſtræ.

XVII. P. Simon Uberlinganus olim Philoſophiæ, & Theologiæ Lector, & Guardianus, modò emeritus ſcripſit opuſculum mole ſua exiguum; ſed doctrinæ ſoliditate, & materiæ neceſſitate graviſſimum, quod intitulavit: *Annotatio Epitometica in caput 4tum Regulæ Seraphicæ.*

XVIII. P. Theobaldus Conſtantienſis Confeſſarius à ſpectatæ Religioſitatis exemplis, ardentiſſimo in Matrem pulchræ dilectionis amore ingenii innocenter feſtivi hilaritate Conventuum deliciæ vocabatur, ob vocis exilitatem, & latera non ſatis firma cathedram non aſcendit Confeſſarii ſorte contentus; qualem quidem ſuffragante ſufficienti doctrina, impellente proximi charitate, & animarum zelo ad Regulas Theologiæ accuratioris indefeſſum exhibuit. Cùm per orationem mentalem conſiderandis excellentiis, gaudiis, & doloribus B. V. M. ſe frequenter occupaverit, affectuum inde generatorum quaſi incontinens, hos ſacro Poëmate typi auxilio in publicum eructandos exiſtimavit; & ad conducendos plures Mariæ amatores, laudatores, & Imitatores tria opuſcula conſcripſit Rhytmô Germanico, metróque variato terſè admodùm procedentia, devotionis, & eruditionis plena, ad muſices regulas aptata, emblematis inſtructa, nec inepto fabulæ, & hiſtoriæ profanæ cum ſacra, & verbo divinæ, SS. Patrum ſententiis, atque doctrinis aſceticis Cinnô variegata, Theologorum calculis approbata, & à ſuperioribus typis edi permiſſa; quorum tituli ſunt

1. *Pomarium Marianum. Seu de Gaudioſis B. V. M. Myſteriis. in 8.*
2. *Deſertum Marianum. Seu de doloroſis B. V. M. Myſteriis. in 8.*

3. *Triumphus Marianus. Seu de glorioſis B. V. M. Myſteriis. in 8.*

XIX. P. Theodoſius ex Bürs Provincialis ſuperius §. 1. Litt. T. n. 1. encomiis celebratus *tutam ad Cœlum viam R. P. Alexii de Segala ex* Italico in Germanicum tranſtulit, & publici juris, diſſimulato interpretis nomine, fecit. in 4.

XX. P. Tiberius ex foro tyberii definitor à juventute uſque ad ſenectam viri religioſiſſimi, orationi eximiè dediti, libris, & ſtudiis delectati, ſobrietatis, manſuetudinis, & ſilentii amatoris, Conſtitutionum, & ordinationum ſtrenui zelatoris elogium ſibi propriiſſimum fecit. Ipſos triginta annos continuos in celebrioribus Provinciæ ambonibus ardentiſſimum Eccleſiaſten egit. Poſt frequentiorem eámque pacificam, perpendicularem tamen Guardianiæ adminiſtrationem ad quatuor Viratum aſſumptus regularem diſciplinam tam conſiliis juvare, quàm exemplis æmulari pro viribus ſtuduit. Pietatis primam ſemper curam habuit, óbque illam, & morum innocentiam olim adhuc Clericus dignus habitus eſt, qui P. Iſaiæ Ehingani, de quo alibi, celebrantis, & ſacram hoſtiam elevantis caput cœleſtibus radiis, & fulgoribus coruſcum ad altare miniſtrans intueretur: atque deinceps tyrocinio noſtro Inſtructor præeſſet. Admodùm ſeniculus miſſionem ab officiis conſecutus reliquum vitæ morti conſecravit; ad quam poſt triduanum duntaxat morbum ſuomet judicio proximam ſelectiſſimis, æquè ac ſpiritualiſſimis virtutum actibus, ſuſpiriis, & affectibus in horto cordis ſui natis ſemet adhortatus, & ſolatus eſt, ut circumfuſi fratres eo officio exempti in uberes ſolverentur lacrymas, parentationem hiſce præoccupantes. In manus tandem Conditoris ſui ſpiritum religioſiſſimum effudit Friburgi Brisgojæ 5. Maji. 1729. Conciones ſuas maximâ diligentiâ conſcripſit, eásque ob doctrinæ, ſpiritûs, & artis abundantiam typis publicavit & poſterorum utilitati conſecravit. Hæc autem opera vocantur

1. *Cophyni Evangelici. Seu Conciones promiſcuæ de Dominicis, Feſtis, & Quadrageſima. Tomi 2. german.* in folio.
2. *Integrum Dominicale cum Quadrageſimali. Germ.* in folio.
3. *Integrum Feſtivale. German.* in fol.
4. *Zodiacus Chriſtianus. Seu Conciones Quadrageſimales de ſignis Prædeſtinationis. German. in* 4.
5. *Paſtor bonus. Seu Conciones Quadrageſimales. Germ. in* 4.

XXI. P. Tiburtius Conſtantienſis Concionator vitæ pœnitentis, Ordinisque rigores ita tulit usque in decrepitam ſenectutem, ut tamen animi hilaritatem, & leporum gratiam nunquam dimiſerit. Nullo enim ſiniſtro caſu in transverſum, aut in triſtitiam, aut querimoniam agi potuit; ſemper adeò lætus adverſam quoque fortunam in argumentum laudis, vel luſûs convertere ſolitus; illámque ſtoicæ Philoſophiæ indifferentiam non moralem duntaxat, ſed aſcetico-chriſtianam aſſecutus, qua inſtar olympi perenne frontis, mentis, & conſcientiæ jubar præferebat. Natura, & induſtria inſignem illum Poëtam fecit. Elegantiſſima ſiquidem Poëmata, Epigrammata, & Elegias Parnaſſum gratioſè olentes, Maronémque, Martialem, & Naſonem proximè æmulatas panxit, lauro,

ro, prelóque dignas, attamen ob ſumptuum difficultatem in obſcuro neglectas. Prælaudatam P. Laurentii ex Schnüfis Poëſin, metro in omne genus variato latini juris reddidit. Octogenariô major hilarem vitam hilari etiam morte concluſit; & monenti, ut ad abitum ſe pararet, reſpondit: nimis ſera hæc admonitio eſt, cui parére nec poſſet, nec vellet. Illo deſuper territo, anguſtiato, & divinam miſericordiam ex altare aggreſſô, faceſſe ab his, Chariſſime! totâ vitâ meâ ad hanc me horam paravi, ait hic: ſerò nimis igitur ad mortem me pararem, cùm jam migrandum eſt. Fratribus agoni ſuo aſſiſtentibus prædixit, mortuum ſe illis adhuc unum facturum eſſe jocum: nec defuit præſagio. Ubi enim obiiſſet Uberlingæ 12. Febr. 1712. & funus tumulo inferendum in templo Fratres inferias precati circumſtarent, fracto uno feretri pede cadaver inde in terram devolvebatur, ut Fratres præſagii memores, & ſæculares, quibus viri genius fuerat perſpectus, pro luctu in riſum effunderentur. Optimo autem hæc omine contigiſſe ab omnibus creditum fuit.

Udalricus Montifontanus Definitor omnium ſcibilium tam avaram, quàm capacem ſortitus animam Philoſophiam, & Theologiam Aſtronomia, Matheſi, Geometria, Geographia, Chrono- & Genealogiâ, Hiſtoriâ, Arithmeticâ, aliisque peregrinis ſcientiis eo improbo labore, & felici ſucceſſu accumulare conatus eſt, ut polymathiâ imbutus diceretur. Animum quoque ad hauriendam philologiam aptavit, ut præter terſiſſimum latiniſmum idiomata etiam Italicum, Gallicum, Hiſpanicum, Belgicum, Anglicum, Bohemicum, Polonicum, Græcum, & Hebraicum partim perfectè, partim competenter aut loqueretur, aut intelligeret. Huc illi multo auxilio fuit ſecretariatus Generalis, ſub quo Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Burgundiæ, Belgii, & potiores Germaniæ Provincias perluſtrandas habuit: è quibus abundantiſſimum memorabilium penu tam in ſcriptis, quàm in memoria domum retulit. In Provinciam redux ſtudentibus noſtris aliquamdiu ſcholaſtica prælegere permiſſus; ſed pòſt ad majora adhibitus Guardianum, & Definitorem induere juſſus eſt haud invitus, non tam præeſſe, quàm prodeſſe cupidus. Cùm aliquando viſitandis Conventûs Biberacenſis Benefactoribus incumberet, inexſpectato morbi genere interceptus, & periculi admonitus ad obitum ſe continuò compoſuit; ſuſceptisque Eccleſiæ Sacramentis Bonæ Cellæ apud Moniales S. Bernardi religiosè admodùm deceſſit 26. Maji Anno 1736. Nulla quidem copioſiſſimæ eruditionis ſuæ monimenta typis promulgavit: proſecutus tamen fuit Ephemerides noſtras provinciales ab Anno 1696. uſque ad Ann. 1703. incluſivè. XXII.

P. Wilibaldus Friburgenſis Brisgojus, ſublimi, copiosáque litteraturâ compendiatam corporis ſtructuram ſupra gygantem quemque exaltavit. In Prælectionibus Philoſophicis, & Theologicis dubium fecit, an profundior, & clarior; an verò devotior, & religioſior fuerit Præceptor, utrumque ſe in eminenti gradu præſtitit ſupremo dignitatis gradu potiturus; niſi maturiori fato ad Provinciæ, mundíque ſolennioris luctum degradatus fuiſſet. In decidendis graviſſimis, qui ad ejus oraculum devolvebantur, XXIII.

bantur, caſibus tam expeditus, quàm dexterrimus fuerat; ut in parvulo magnam maximi viri admirati, & venerati ſint doctrinæ lucem. Prelo conſignavit opuſcula, quæ intitulantur

1. *Officiola parvula de Sanctis Ordinis noſtri. Latinè in 14.*
2. *Vita; & geſta venerab. Dei ſervi P. Joan. Chryſoſtomi ex Beüren Capuc. ſanctitate, vitæ, & miraculis clari. Latinè in 8.*
3. *Virgula Mydæ: ſeu; de ratione omnia opera noſtra aurea, id eſt, meritoria reddendi, cum multiplici devotionis praxi. Lat. in 12.*

In his præter ſpiritûs pinguedinem venuſtiſſima elucet latinitas, & calami cum ingenio de primatu contendentis gratia.

Ad hæc ingentem quoque ſcriptarum concionum molem, & Philoſophicarum, ac Theologicarum ſuppellectilem, quæ ob earum docendi, ac delectandi efficaciam, & auxilia typum utique fuiſſent promeritæ, poſt ſe reliquit, ac ſui hæredes ditavit, atque nonnullis pium, innocens, ac utile plagium committendi argumentum, & occaſionem ſubminiſtravit.

In Chronologum Provinciæ aſſumptus res inibi ab Anno 1682. uſque ad annum 1695. incluſivè geſtas diligentiſſimè, ac eruditè tabulis conſignavit, ipſus propter hæc, & alia Annalibus dignus, nec alio meliori, quàm ſuomet calamo laudibus celebrandus. Variis morborum generibus in eum confluentibus, quòd contractum corporis domicilium iis diu hoſpitandis, & excutiendis par non eſſet, ſuccubuit, & in ipſo plurium ſcribendorum apparatu libitinæ cenſui inſcriptus eſt Biberaci 6. Aug. 1702.

Jam habes, quisquis litteratæ Provinciæ prærogativam ridendo negâſti, litteraturæ, non quæ tuam adæquet, ſed quæ titulo præfigendo ſufficiat, aliqua paradigmata; quæ ipſa forſan ridebis, utpote à tot viris, tanto tempore, in tam vaſta Provincia tam pauca, parva, exigua, & obvia, non inter cimmelia, & Bibliothecarum gemmas; ſed inter involucra, & cucullos piperis deputanda, nullóque habenda numero. Non abnuimus, productas haſce lucubrationes reſpectu aliorum Ordinum, Religioſorum, & Provinciarum, exiguas, paucas, & tantillas eſſe. Sed tamen gratulamur, has, nec plures, nec majores eſſe; cùm ſufficiant aſtruendo, quem hic §. profert, titulo; nec invidemus aliis plurium, ampliorum, & ſublimiorum gloriam, atque ſuper nos victoriam. Scire tamen te volumus, quòd, ſi tandumdem æris, quàm ſudoris, & atramenti conſtaret libros parturire; & parere, brevi tibi maximam tomorum vim monſtraturus eſſem. Adſunt enim Manuſcripta Philoſophica, Theologica, Moralia, Polemica, Hiſtorica, Aſcetica, Prædicabilia, aliorúmque ſcibilium erotemata, quæ aquæ motum exſpectant. Sed quid moramur reddendis viro, ad cujus forum haud ſpectat de Provinciæ noſtræ ſcientia, vel ignorantia pronuntiare, rationibus, nósque illi commendando, in quo actum ageremus, cùm is glorioſis cogitationibus ebrius ſublato in immenſum ſupercilio ad ſcientiæ ſuæ polemicæ aram ſacrificium ab ignorantibus Capucinis fieri ſemper adhuc flagitet, & contra nolentes ſcommatibus, & calumniis debachari non deſiſtat? mittamus igitur hæc meliori Celſiſſimorum, ac Reverendiſſimorum Epiſcoporum Conſtantienſium de competent

tenti Provinciæ noſtræ litteratura exiſtimatione freti rebus noſtris incumbamus. Ad ipſos enim pertinet de aliorum ſcientia, & idoneitate judicium ferre. Atqui jam olim Eminentiſſimus, & Sereniſſimus S. R. E. Cardinalis Andreas ab Auſtria Epiſcopus Conſtantienſis eam de Provinciæ hujus doctrinæ opinionem concepit, ut ejus aulumnos ab examine Epiſcopali pro officio Concionatorum, & Confeſſariorum exercendo diſpenſaverit, horúmque examinandorum curam ſuperioribus Ordinis commiſerit; utì quidem ex clementiſſimo ejusdem Reſcripto ſub die 27. Septemb. Anno 1596. liquet; ubi ſic inter alia habetur: ut tum ipſe, *tum fratres ejus ad eam rem examinati, & apti reperti ab ipſo P. Provinciali (in quo ipſius gravaretur conſcientia) per univerſam Diœceſin Conſtantienſem concionari, adminiſtrare Sacramenta, & præſertim, ſed ſine præjudicio Parochorum, audire confeſſiones, & abſolvere poſſint.* Id, quod Celſiſſimus, ac Reverendiſſimus DD. Jacobus Epiſcopus Conſtantienſis in ſuo mandato Epiſcopali 1623. emanato confirmavit; ſed & alius Celſiſſimus, ac Reverendiſſimns DD. Succeſſor Fratres noſtros SS. Ordinibus initiandos ab examine Epiſcopali exemptos voluit, & intra Ordinem à conſtitutis Lectoribus examinari, ac de adhibito examine, & competenti examinatorum doctrina teſtimonium exhiberi juſſit. Poſtquam verò Eminentiſſimo DD. S. R. E. Cardinali Schönbornio Epiſcopo Conſtantienſi aliter, & viſum fuiſſet, ut pro exacta decreti Sac. Synodi Trident. ſeſſ. 23. cap. 14. de Reform. obſervantia fratres noſtri tam ordinandi, quàm ad pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrandum publicè ab Examinatoribus Epiſcopalibus ſuper doctrina ſua tentarentur; protinùs huic clementiſſimo Ordini à noſtris obtemperatum fuit; & id quidem eo ſanè proventu, ut Reverendiſſimi DD. Epiſcopi Anteceſſores gratiam exemptionis non perperàm, non periculosè, non indignis, aut ineptis, quod doctiſſimus Vaneſpen unicè lamentatur, & de Monaſteriorum, *præſertim eorum, quæ ex miſſarum honorariis victitare ſolent, ſuperioribus timet, ne omnes paſſim, mox ut ætatem debitam attigerint, ad ſacrum etiam Presbyteratûs Ordinem mittant, atque teſtimoniales litteras concedant; ex quibus non certum de ordinandorum Regularium meritis, & idoneitate ad SS. Ordines requiſitis; ſed fallibile argumentum habebunt Epiſcopi.* Vaneſp. to. 1. p. 2. tit. 9. de Sacram. Ord. n. 35. collocâſſe deprehendantur; & Reverendiſſimi DD. Examinatores cum admiratione, & gratulatione de ſufficientia doctrinæ noſtrorum Ordinandorum teſtentur; id quod nobis ſat ſupérque honorificum eſt; cùm non ambiamus librorum editione, & ſcientiis ſupererogatoriis orbi inclareſcere; ſed orbi per doctrinæ competentis humilitatem, & Apoſtolicam charitatem in ſubſidium Parochorum prodeſſe, ac converſioni, ſalutíque animarum vicario nomine cooperari; minimè verò per militares graſſationes, & contumelioſas ſcriptiones quemquam ad Chriſtianæ Religionis, & legis officium perſuadere. Ad luculentius verò litteraturæ hujus Provinciæ argumentum ſubjicitur

§. III.

Provincia Commiſſaria.

Cùm enim Commiſſarius Judicis Ordinarii vices gerat, & mandatam Jurisdictionem habeat. Carpzov. de Proceſſ. tr. 2. a. 1. num. 25. nec niſi in gravioribus, & graviſſimis deputari ſoleat, ad quas tractandas requiritur litteratura non ſuperficialis ; ſed ſublimior tum Theologiæ, tum SS. Canonum notitia ; conſectarium eſt, hujusmodi ſcientiam in deputato Commiſſario non prudenter duntaxat præſumi, ſed evidenter reperiri ; utpote cujus committens in decreto commiſſionis, quod Commiſſarius ante omnia producere, adeóque commiſſionem probare debet, Mevius ad jus lub. lib. 1. p. 71. publicum teſtimonium his, aut ſimilibus verbis dare conſuevit: *Nos de tua prudentia, ſcientia, rerum experientia, diſcretione, zelo, juſtitiæ, & negotii hujus N. N. ad vota noſtra gerendi dexteritate &c. perſuaſi, certificati, atque plurimum confiſi &c. &c.* Dixi: SS. Canonum notitia; quæ ſanè Commiſſario regulari perneceſſaria eſt, cùm Commiſſiones, ſive mandata dari ſoleant ad inquirendos, viſitandos, conſtituendos, puniendos, ac corrigendos delinquentes ; ad decidendas lites ; controverſias, & diſſenſiones in Provinciis, & Conventibus Religioſorum enatas ad præſidendum Capitulis, & curandas electiones Canonicas ; ad declaranda dubia circa paupertatis juxta SS. Pontificum decreta obſervandæ exorta ; verbo : ad agenda omnia ea, quæ ſine juris Pontificii ſcientia agi non poterunt, juxta hanc tamen agi deberent, ut ex ipſis dictarum cauſarum terminis elucet. Quandoquidem ergò Provincia noſtra plures hujusmodi Commiſſarios à ſupremo Ordinis capite delegatos, commiſſionibus honoratos, & oneratos ; hísque perfunctos oſtentare queat, de quibus valet arg. leg. Regula ff. de Reg. Jur. *ſcire quis præſumitur, quod tenetur inquirere.* Perſpicuum quoque evadit, quòd eadem Provincia hoſpitetur, enutriat, habeátque viros Juris Canonici gnaros. Sed nunc producamus eos, qui Provinciæ noſtræ prædicatum *Commiſſariæ* attulerunt : non quidem, quaſi illud eidem ſpecificè & adeò competat, ut aliæ Provinciæ non pariter ſic denominari, eóque prædicato fúlgere, perfungi, atque potiri queant : ſed quatenùs iſtud ad hiſtoricum qualitatis Provinciæ complementum uſurpandum cenſuimus.

I. P. Matthias Augienſis, de quo ſuprafuſiùs, à Reverendiſſimo P. Clemente à Noto Miniſtro Generali cum ſequente authoritate ad Provinciam Colonienſem ablegatus fuit.

„ Reverende Pater.

„ Cùm propter infirmitatem noſtram, & nonnulla alia impedimen-
„ ta Provinciæ Colonienſi debitum viſitationis officium impendere, ſi-
„ cut cupimus, minimè valeamus, & in eo multa ſint diſponenda,

„ quæ

„ quæ ſine præſentia noſtra, vel alterius vices noſtras gerentis nequeant „ terminari : ideò te, de cujus prudentia, religionis zelo, ac *omni-* „ *moda idoneitate* maximè confidimus, virtute Præſentium noſtrum „ viſitatorem Generalem, ac vices noſtras per omnia gerentem ſuper „ præfatam Provinciam conſtituimus, ac declaramus ; dantes tibi ple- „ nariam facultatem in utroque foro viſitandi, monendi, corrigendi, „ ligandi, & abſolvendi, etiam per carceres, ſi opus fuerit : Novi- „ tios ad Ordinem ſuſcipiendi, cauſas cognoſcendi, & terminandi : „ Capitulum convocandi, & celebrandi, ubi, & quando tibi magis „ expedire videbitur : Electionem Diffinitorum, & Guardianos confir- „ mandi, vel infirmandi : & generaliter omnia, & ſingula integrè per- „ ficiendi, quæ, & quo modo nos ipſi facere, & perficere poſſemus, „ ſi perſonaliter adeſſemus ; etiamſi talia forent, quæ majori expreſſio- „ ne verborum forſitan indigerent. Quæ omnia, & ſingula haberi vo- „ lumus præſentium tenore tanquam ſufficienter expreſſa : præcipientes „ etiam Fratribus noſtris univerſis, & ſingulis quibuscunque in dicta „ Provincia nobis ſubditis, ut tibi perinde, ac nobis obediant, ac „ pareant pro toto eo tempore, quo in eadem Colonienſi Provincia „ commoraberis. In quorum omnium fidem has præſentes manu pro- „ pria ſubſcripſimus, & majori officii noſtri ſigillo juſſimus communi- „ ri. Datum Pariſiis die 20. menſis Decembris 1623.

„ F. Clemens Miniſter Generalis.

Diſceſſit ergò R. P. Matthias cum ſuo hoc charactere, R. P. Archangelo ex Uttenvveiler, viro ab avito Lib. Baron. de Stein ſanguine, magis tamen à virtute, præclara religioſitate, & Guardiani, ac Definitoris dignitate illuſtri Conſultore uſus : & re quidem glorioſè confecta menſe Julio in Provinciam rediit.

Is ipſe à præfati P. Generalis ſucceſſore Reverendiſſimo P. Joanne II. Maria à Noto rurſus ad eamdem Provinciam ad terminandas quasdam difficultates, & reſtaurandam religioſam tranquillitatem cum mandato paucis mutatis priori prorſus conſimili deputatus eſt de dato Romæ die 15. Novembris Anno 1625. qua ex aſſe utraque ad mentem Principalium ſuorum functum fuiſſe, cùm ipſi Reverendiſſimi PP. Committentes, tum Commiſſa Provincia litteris multa Elogiorum phraſi redundantibus teſtatum fecerunt.

A nonnemine quidem huic P. Commiſſario impoſitum fuit, quaſi illius Conſilio, & inſtinctu PP. Helveti Conventus Moguntinum, ſpirenſem, & in Agonia Domini Provinciæ ſuæ incorporandos concupiſcere auſi fuerint ; ſicque P. Matthias ſuæ potiùs, quàm Colonienſis Provinciæ incrementis ſtuduerit ; & forſan mandati ſui fines, ac limites ſupergreſſus fuerit. Verùm ſalvâ reverentiâ tanto ſcriptori debitâ ominamur, virum hunc minùs verè hujusmodi partium ſtadii inſimulatum eſſe ; cùm aliunde liqueat, eum non tantùm finibus Provinciæ ſuæ tum adhuc unitæ, & cujus dividundæ nulla adhuc vel cogitatio inciderat, proferendis non incubuiſſe : ſed potiùs ejusdem dilatationi fortiter reſtitiſſe. Exemplum : Cùm Illuſtriſſimus Princeps Joannes de Hohenzolleren Sig-

maringen, eo ipſo anno, quo B. Fidelis Sigmaringanus glorioſum pro fide martyrium exantlavit datis litteris à Capitulo Solodori celebrato inſtantiſſimè Coloniam, ſeu Conventum Capucinorum in locum Reſidentiæ ſuæ Sigmaringæ exſtrui poſtulâſſet, omniáque ſubſidia temporalia eò ſe collaturum ſpopondiſſet, R. P. Matthias Provincialis tamen inſtantias refutavit; quam negativam reſponſionem ad iteratas, idipſum urgentes litteras ex loco Badæ Helvetiorum 30. Aug. 1623. (paulò ante acceptam Commiſſionem Colonienſem cum maxima Illuſtriſſimi Principis offensâ repetiit; cauſatus, quòd præter alias rationes ipſe cùm RR. PP. Definitoribus, ob difficultatem viſitandi Provinciam, pluralitatem Conventuum, atque ipſius Provinciæ extenſionem maximè odioſam habeat.

III. R. P. Lucianus Montifontanus, quem ſupra deprædicavimus à Reverendiſſimo Patre Generali Commiſſione præditus provinciam Walloniæ admodùm factionibus, & animorum ſimultatibus, occaſione regiminis politici, diſſipatam, & cum lugendo diſciplinæ Regularis diſpendio turbatam in ordinem redigendam, fraternam unionem redintegrandam, omniáque ea agenda, & perficienda ſuſcepit, quæ ad illius Provinciæ indemnitatem, ac reformationem magis neceſſaria, & opportuna judicaturus eſſet. Prout & plauſibili Religionis, & dictæ Provinciæ commodo, ſimilíque nominis ſui celebritate Commiſſa examuſſin adimplevit.

IV. R. P. Sigismundus Rottenburgenſis Provincialis, vir priſci rigoris tenaciſſimus, atque religioſiſſimus, Philoſophiæ, & Theologiæ quondam Profeſſor ſubtiliſſimus, æquè ac clariſſimus, privato ſtudio unus eorum, qui à SS. Canonum notitia vel apud Magnates celebre nomen conſecuti ſunt. Exinde frequenter Guardianus, & Definitor validum adversùs abuſus repagulum ſe præbuit; Provinciæ clavum adeptus regularem obſervantiam ſeveritate diſcretione temperatâ fortiter manutenuit. Abſoluto triennio Conſtantiam locatus Provinciæ ibi cuſtòdem egit; ſed inopinata, & graviſſima ægritudine oppreſſus, & eccleſiaſticè viaticatus non ſolùm ad Provinciæ, ſed & ad Reverendiſſimi Capituli Cathedralis Conſtantienſis præſertim Celſiſſimi Principis, & Epiſcopi ibidem luctum 25. April. 1705. exſpiravit; in cujus encomium altefatus Celſiſſimus ac Reverendiſſimus S. R. I. Princeps, ac DD. Joan. Franciſcus Epiſcopus iteratò in menſa Illuſtriſſimis & Reverendiſſimis hoſpitibus accubita ad Capucinos fortè quoque præſentes ita effatus eſt: *O vos PP. Capucini! in P. Sigismundo veſtro Ex. Provinciale nuper defuncto virum talem amiſiſtis, qualem Provincia pro tunc, præſertim in ſcientia Juris Canonici nullum ſimilem habet.* Quo caſu autem tam eximium ſcientiæ juris ſpecimen in maximam Capituli Cathedralis utilitatem præbuerit, præſtat calamum hinc ad rem noſtram divertere, quam eum huc accenſere.

Hic ergò P. Sigismundus Anno 1697. in Provinciam Rhenanam quà Commiſſarius Apoſtolicus ad negotia decreto inſerta deputatus eſt. Tenor verò decreti hic erat.

„Sacra Congregatio Reverendiſſimorum, & Eminentiſſimorum S.R.E. Car-

„ Cardinalium, negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium „ præpoſita, juſtis & rationabilibus ex cauſis in viſitationem Provinciæ „ Rhenanæ Ordinis Fratrum Capucinorum S. Franciſci deputandum cen„ ſuit, prout præſentis decreti vigore deputat eum omnibus neceſſariis, & „ opportunis facultatibus P. Sigismundum à Rottenburgo Definitorem „ ejusdem Ordinis; ut per ſeipſum omnes, & ſingulos Conventus, ſeu „ regulares domos ejusdem Provinciæ, illiúsque perſonas, & res tam in „ capite, quàm in membris viſitet: nec non Religioſorum mores ad vi„ tam, & primævam Ordinis inſtituti obſervantiam, ac ſacrorum Cano„ num, & S. Concilii Tridentini decretorum præſcriptum reformet, atque „ componat: nec non etiam in cauſis prætenſis procedat, non obſtante „ decreto abſolutorio Gratioſo P. Generalis; aliáque inſuper faciat, & de„ cernat, quæ pro majori cultûs divini augmento, ac diſciplinæ regularis „ propagatione magis in Chriſto expedire judicaverit, contradictores, „ atque rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, aliáque juris, & facti remedia, „ omni appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo. Romæ 8. Febr. 1697.

C. G. Carpineus ejusdem Sac.
Congregat. Præfectus.
A. V. P. Archi-Epiſcopus Athenarum Secretar.

V. R. P. Angelicus Wolfacenſis poſt exactum Generalem Vicariatum Anno 1703. ceu Commiſſarius Generalis in Walloniam ablegatus fuit, ut exortas inter Hiſpanicæ, & Leodienſis factionis fratres controverſias, & ſchiſmata minùs religioſa extingueret, atque ad opportuniorem remediationem ex una Provincia duas faceret, atque à Capitulo ſua authoritate congregando eligi juberet pro qualibet diviſarum Provinciarum ſuum ſingularem Provincialem, & Definitionem; hásque electiones roboret, vel moderetur, vel omninò invalidet &c. Rebus ibi ad utriusque partis ſatisfactionem feliciter geſtis.

VI. Eodem anno per novum mandatum à P. Generali eidem defertur commiſſio dirimendi lites, ac ſtrepitus in Provincia Flandriæ inter fratres excitatos; cùm, qui primævo Regulæ Seraphicæ rigori inſiſtere, & laxitatem adversùs maleferiatos impedire conabantur, Janſeniſmi poſtularentur. Vix autem negotio manum adhibere incæperat, cùm ecce à nonnullis, qui eum parti rigorem tuenti fauturum ſuſpicabantur, duriſſima in eum faba cudebatur. Nimirùm Regio Gubernatori Hiſpano delatus P. Angelicus, quaſi ut Cæſaris amicus, Regis Hiſpaniarum econtra inimicus neſcio quæ proditionis conſilia in ſinu Corycæus gereret, indictâ ſuſpendii pœnâ ab ingreſſu Brabantiæ prohibebatur. Quamquam autem Gubernator à ſanioribus ſaniora, & veriora doctus, virique ab omni reſpectu politico alieniſſimi, Deo, & Religioni duntaxat intenti, & à candore animi toto orbe decantatiſſimi famâ permotus indignationem in venerationem; proſcriptionémque in lenocinia converterit, P. Angelicus tamen Commiſſionem deprecatus, ac præmiſſis jam PP. Conſultoribus reditum in patriam apparaverat. Nihilominùs à P. Generali juſſus fuit ſubrogato ſibi R. P. Gervaſio Briſacenſi Helvetiæ Provinciali in cauſa commiſſa

cooperari. Quòd verò non admodùm cum hoc mente conveniret, devoluto in illum toto commiſſionis negotio maxima proborum deſolatione in Provinciam ſuam repedavit.

VII. R. P. Theodoſius ex Bürs Provincialis Anno 1713. Commiſſarius Generalis renuntiatus fuit cum poteſtate, & inſtructione nonnullas differentias, quæ inter Provinciarum Bavaricæ, & Franconicæ nuper ſeparatarum patres emerſerant, componendi, litigantes concordandi, & cuique jus ſuum tribuendi. Tametſi verò partes ſuas pro ſpiritualiſſima activitate ſua impigrè peregerit, & nihil reliqui fecerit eorum, quæ ab eo deſiderabantur: attamen quòd difficultates ex difficultatibus, lites ex litibus generarentur, & circa aliquos Conventus, qui nec in Bavarica, nec in Franconica, ſed in terra Suevica locati ſunt, altercationes fuiſſent exortæ; Ideò

VIII. R. P. Marcus Jacobus Biberacenſis Provincialis Anno 1718. in easdem partes cum authoritate Commiſſarii Generalis deputatus eſt, juſſúsque controverſias illas omni meliori, ac poſſibili modo complanare, conventus diſputabiles pro beneviſo ſuo, & juſtitiæ exigentia alterutri Provinciæ adjudicandi, & incorporandi medium aliquod excogitare, atque diſſidentes intra limites ſuos conſtringendos ad pacem, & concordiam cohortari. Quibus functionibus ad litteram plenipotentiæ ſuæ ſtrenuè adimpletis in Provinciam ſuam remeavit, vir prolixiori elogio dignus, qui patritio genere ortus, & in ſæculo jam juris utriusque prudentia excultus in ordine Capucinorum celebre ſibi nomen à feſtivis, & graviſſimis è roſtro Evangelico declamationibus aquiſivit. Guardianatibus multis ea induſtriâ perfunctus eſt, ut eo præſide regulari diſciplinæ quaquaverſum abundè proſpectum fuerit. In Quatuor viratum Provinciæ evectus optimis conſiliis rempublicam Seraphicam fulcire ſtuduit. Bis Provincialis virum conſtantem, rectíque, & æqui amantem ſe præbuit; cujus agendi methodo ſtaturæ proceritas, adducta frons, vocísque aſperitas eximiam authoritatem attulit, bonis omnibus amori, & venerationi; Diſcolis verò, & perpendiculum religioſitatis egreſſis ſalutari exiſtens timori. Ter ad Capitulum Generale Romam; ſemel Viennam ad Auguſtiſſimum Imperatorem in cauſa Provinciæ ablegatus ubique viri integri famam poſt ſe reliquit. Anno 1703. infelici D. Comiti, & Generali de Arco inconſultam Fortalitii Briſacenſis deditionem capitis ſupplicio luenti conſcientiæ arbiter, & ad fortiter ſuſtinendum diriſſimum hoc fatum inſignis hortator, & patheticus auxiliator fuit. In Proceſſu Canonizationis B. Fidelis Mart. Altenſtadii munus Poſtulatoris dexterrimè obivit. Philoſophiam, Theologiam, Conciones, litteras, omniáque alia, præſertim annuorum in Provincia contingentium manuale diligentiſſimo, & ſubtili calamo conſcripſit; ex quibus ſumma ejus induſtria, omnem otioſitatem averſata elucet. Ad calcem ſecundi Provincialatûs ex pede læſo, & ſanguinis inde profluvio, accedente gangræna de vita periclitabatur: prodigioſi tamen SS. Sanguinis Chriſti ad vineas efficacia, & voti religiosé illuc peregrinandi piè conſilio nuncupati merito ad proſequenda Provinciæ negotia convaluit. Senio gravis omni ſe præfecturâ

ab-

abdicavit ; atque ad mortem ſe accinxit , quàm & religioſiſſimè ſubivit Ravenſpurgi 16. April. 1736.

IX. R. P. Udalricus Montifontanus Definitor , de quo anteà §. 2. n. 22. Anno 1726. à Reverendiſſimo P. Procuratore Generali denominatus fuit Commiſſarius cum honorifica , ſed maximè ardua Provincia Cuſtodiam Poloniæ viſitandi , fratres ibidem minùs ad legum , & Conſtitutionum noſtrarum tramitem ambulantes ad officium revocandi , ordinationes rei opportunas condendi , aliáque diſponendi , quibus & ſaluti fratrum , honori Religionis , ſæcularium ædificationi , & ſpirituali proximorum ſubſidio conſultum eſſet. Quibus ita conſtitutis maximis initu , & reditu emetiendis feliciter repatriavit.

X. R. P. Salomon Villinganus Provincialis à Reverendiſſimo P. Hartmanno Brixinenſi Miniſtro Generali in cauſa Provinciæ Alſatiæ ab Helvetica dividendæ , cujus diviſionis ipſemet Rex Chriſtianiſſimus Ludovicus XV. orator , & impetrator fuit , Commiſſarius Generalis inſtitutus eſt ſequenti diplomate.

„ Reverendo in Chriſto P. Salomoni Villingano.
„ Fr. Capucinorum Provinciæ Anter. Auſtriæ Provinciali actuali.
„ Fr. Hartmannus Brixinenſis T. O. Miniſtri Generalis L. J. ſalutem in Domino.

„ Cùm SS. D. N. Benedictus divina Providentia Papa , XIII. ad „ inſtantiam Chriſtianiſſimi Galliarum Regis Ludovici XV. ordinis noſtri „ Conventus cum hoſpitiis in Alſatiæ territorio eidem Chriſtianiſſimo „ regi ſubjecto conſiſtentes,qui ante comitia Generalia noſtraRomæ ultimò „ celebrata tanquam compars Provinciæ Helvetiæ ab ejusdem Provinciali, „ æquè ac cæteri in Helvetia poſiti regebantur ; poſteà verò ad eorum- „ dem petitionem in conceſſu admodùm Reverendi Definitorii Gene- „ ralis ſub die 25. Jun. 1725. ab ejus regimine exempti , & in cuſto- „ diam nobis immediatè ſubjectam ſeparati extiterunt , hodiedum in di- „ ſtinctam Provinciam elevare decreverit , prout in Brevi ipſius SS. D. „ N. die 16. Decemb. anni proximè elapſi (cujus originale penès R. P. „ Alſatiæ Cuſtodem manet) nobisque transmiſſa authentica copia ube- „ rius continetur ; ac proin pro dicto diviſionis negotio pertractando com- „ miſſarium denominandi , qui Capitulo poſt proximum Paſcha in Alſatia „ cum opportuna facultate interſit , authoritatem nobis committere digna- „ tus ſit , uti patet ex litteris Eminentiſſimi D. Cardinalis Lercari , cujus „ tranſumptum authenticum manu R. P. Secretarii noſtri ſubſcriptum ; & „ Ordinis Sigillo munitum adjungimus. Nos idcircò , qui Apoſtolicæ Se- „ dis mandato prompto animo obtemperare , & prædictum diviſionis ne- „ gotium ad finem ultimatum deducere peroptamus , fiduciámque pecu- „ liarem de R. P. Veſtræ ad id munus habilitate , prudentia , & zelo con- „ cipimus , præſentium litterarum , & memoratæ Pontificiæ facultatis vi- „ gore cum S. obedientiæ merito Pat. veſtram Reverendam in Commiſſa- „ rium eligimus , nominamus , ac deputamus , cum plenaria authoritate in „ dictam Alſatiæ Provinciam cum ſociis ſibi beneviſis , quamprimùm (hiſ- „ ce receptis) ſe conferendi , Capitulum congregandi , ejúsque actibus Ca-

„pitularibus præcedentibus æquè, ac ſubſequentibus uſque ad totale com-
„miſſionis præfatæ implementum præſidendi, electos canonicè RR. PP.
„Provincialem, & Definitores confirmandi, Guardianos, Superiores, ſeu
„Officiales ab ipſis eligendos approbandi, aut infirmandi, taliter, & eo
„modo, ac ſi nos ipſi præſentes exiſteremus; ſervando in omnibus
„Conſtitutionum noſtrarum, conſuetámque in Ordine noſtro proceden-
„di formam, ac tenorem. Quoniam verò in ejuscemodi Provinciarum
„diviſionibus quædam inter partem utramque excitari ſolent difficultates,
„aut dubia; quæ ſi à primordio legitima transactione non fuerint deciſa,
„graviora poſtmodùm fiunt, & controverſiis fomentum præbent: nos
„igitur dilectiſſimis utriusque Provinciæ Patribus ac Fratribus omnem vel
„leviſſimi diſſensûs materiam reſecare ex nunc totaliter cupientes, R. P.
„Veſtræ memoratæ commiſſionis vigore injungimus, quatenùs prædicto
„Capitulo Alſatico plenè peracto convocatis RR. PP. Provinciale, &
„Definitoribus Provinciæ Helveticæ ad certum Conventum vicinum in-
„tra Helvetiæ terminos conſtitutum; ibidémque pariter convenientibus
„RR. PP. Provinciale, & Definitoribus Alſatiæ Neo-Electis. R. P. Veſtra
„vi præfatæ commiſſionis noſtræ præſidente, conſeſſus, ſeu Congregatio
„prædictorum RR. Patrum fiat, in qua omnia ex utraque parte emer-
„gentia dubia, vel quæ pro tempore oriri poſſe timerentur, concorditer in
„Domino, ac ſpiritu unitatis deciſa, declarata, ac determinata remane-
„ant; quæ ſcriptis conſignata R. P. Veſtræ authoritate roborata, & ab
„utroque Reverendo Definitorio reſpectivè ſubſcripta in utriusque Pro-
„vinciæ archiviis reponantur, ac in perenne fœderis monumentum per-
„petuò aſſerventur. Ad quorum omnium, ac ſingulorum complemen-
„tum plenariam facultatem tam vi Pontificiæ nobis commiſſæ; quàm or-
„dinariæ poteſtatis noſtræ R. P. Veſtræ, delegamus, concedimus, & im-
„pertimur: præcipientes univerſis fratribus noſtris, ad quos pertinet, ut
„eidem in omnibus prædictis, annexis vel connexis, incidentibus, vel de-
„pendentibus, perinde ac nobis ipſis, obedientiam præſtent. Finito
„demùm Commiſſionis negotio ad propriam revertendi Provinciam fa-
„cultatem pariter, ac Benedictionem paternam officioſiſſimè in Domino
„elargimur. Datum, & ſignatum in Conventu noſtro Lugdunenſi S.
„Franc. die 13. April. 1729.

F. Hartmannus qui ſuprà.

Quantâ utriusque Provinciæ ſatisfactione præfata fuerint peracta omnia; litteræ tum Reverendiſſimi P. Generalis, tum Provinciarum diviſarum patrum ſempiterno ſunt teſtimonio.

XI. R. P. Maximilianus Wangenſis Romæ ut poſtulator cauſæ Canonizationis B. Fidelis Mart. exiſtens à SS. D. N. Clemente XII. P. M. ceu Commiſſarius Apoſtolicus in utriusque Siciliæ Provincias directus ſit, cum plenipotentia, & jurisdictione fratres officii ſui immemores ad tramitem profeſſionis ſuæ reducendi, remediis ſeverioribus in contumaces animadvertendi, & Religionis decorem aliquorum extravagationibus peſſumdatum reſtituendi &c. &c. Acceptâ igitur ſummi Pontificis benedictione Seraphico roboratus ſpiritu iter arripuit, & ſecundis quidem velis Neapolim

polim delatus commiſſam ſibi provinciam peragere inſtituit. Sed ipſum Apoſtolicarum functionum curſum armorum illi Regno illatorum ſtrepitus fædiſſimè turbavit, ac ingentium conaminum apparatum hoſtilis belli apparatus penitiſſimè inanefecit ; Carolo VI. Imperatore utriusque Siciliæ Regno ab intruſo infante Hiſpaniæ Don Carlos exutô ipſe quoque P. Commiſſarius veluti de fide Auſtriaca ſuſpectus exeſſe compulſus fuit, lugente Papa, dolente Religione tot exoptatos fructus in partu ſuo fuiſſe ſuffocatos.

Ab hiſce ergò PP. Commiſſariis Provinciæ noſtræ qualitas *Commiſſariæ* allata, & comparata fuit ; haud tamen ita eam arrogamus nobis, quaſi perpetua, talitérque annexa Provinciæ ſit, ut ab ea avelli nequeat ; quod ad rationem qualitatis patibilis, & difficillimè à ſubjecto mobilis Ariſtotoles in categoriis deſiderat : prout etiam Jurisconſulti doctrinæ philoſophicæ inſiſtentes negant commoditates pro tempore tantùm prædiis ſupervenientes jura prædiorum dici poſſe : ſed ea pro his agnoſcunt, quæ perpetua, & annexa ſunt, ex quibus ipſa prædia *qualiter* ſe habent. Brechæus in L. quid aliud ff. de verb. Signif. Non ita, inquam, ſtrictè Provinciam *Commiſſariæ* nomenclaturâ qualificatam oſtentamus ; ſed quatenùs frequenter eo honore ſublimata fuit. Quod autem frequenter fit, aſſiduè fieri, & factum cenſetur. L. nam & his. ff. de inofficios. teſtam. Si autem frequenter fit, quod bis fit. in authent. de defend. civit. ad fin. multò magis frequenter, quod undecies factum eſt. Ex his ergò frequentatis Commiſſionibus Provinciam, ad nominis dehonorationem, commiſſariam appellavimus.

§. IV.

Provincia Miſſionaria.

I. DIſſimulata R. P. Theophyli Raynaudi Soc. Jeſu cenſura de nomine *Miſſionarius*, ùt qui purioris, ac genuinæ latinitatis apprimè ſollicitus in partem exercendi Apoſtolatûs aſſumptos non *miſſionarios*, ſed *miſſos*, *miſſaticos*, & *mittendarios* appellandos judicavit, nos inoleto *Miſſionarii* vocabulo tantò libentiùs inhæremus, quòd illud ab uſu diuturno, & conſuetudine vel in hodierna, terſioríque Grammatica poſſeſſionem conſecutum, ac ſummis Eccleſiæ principibus ulitatum ſit, prout R. P. Matthias Ferrerius Capucinus in tract. de miſſionib. Apoſtol. tom. 1. ratiocinio 2. calculo 11. tria refert decreta S. Congreg. de propag. fide, data die 7. Decemb. 1626. 17. Septemb. 1639. & 3. Jul. 1645. quibus noſtri ad Apoſtolandum deputati, atque emiſſi expreſsè nuncupantur, & dicuntur *Miſſionarii*.

II. Non eſt autem nobis animus in amplum, quà latè extenditur, miſſionis Apoſtolicæ campum ſcribendo excurrere ; quatenùs nimirùm ab omnibus retrò ſæculis à Sede Apoſtolica exemplô Chriſti edoctâ in omnem terrarum orbem ablegati fuerint ſanctorum deſideriorum, & conatuum

tuum viri, qui animabus ab Evangelii notitia, & ſemita extorribus prædicando, evangelizando, catechizando, & adhortando lumen fidei, & ſalvificæ doctrinæ præferrent, terrísque maximè diſtantibus, & barbaris Chriſtiani nominis labarum inveherent; ad quod munus ex omnium Religioſorum cætuum profeſſoribus plurimi tanto fervore, & charitate flagrantes, quanta eruditionis, & induſtriæ, gratiæque donis fulgentes aſſumpti fuêre, huícque eo maximo proventu incubuêre, ut, quam Lutherus, Calvinus, & alii noviſſimi errorum ſatores in partibus Septentrionalibus hæreſum ſuarum veneno deplorandam animarum ſtragem ediderunt; hanc Miſſionarii Apoſtolici in vaſtiſſimis utriusque Indiæ Regnis &c. meſſe longè locupletiori compenſaverint; ut quorum pedes ſpecioſo pulvere, & luto ſordeſcentes, in ipſas plagas, & orbis angulos antehac incognitos, & auſtrales, ad hos meliori ſydere irradiandos, & Evangelii luce illuſtrandos, hominésque ipſis truculentis beſtiis ferociores, & antropophagos ſub ſuave Chriſti jugum, atque adeò ad æternam eorum ſalutem manſuefaciendos penetrârunt.

III. Hoc ſalutare animarum ſtudium ne torpeſceret; ſed in noſtra quoque Europa vigeret, Gregorius XV. Pont. Max. à R. P. Hieronymo Narnienſi Capucino & Sac. Palatii Prædicatore graviùs in hoc argumentum ad purpuratam audientiam perorante excitatus Anno 1622. ſpecialem ſacram Congregationem de propaganda fide inſtituit, quæ hoc unum totis viribus per Miſſionarios ſuos à ſe eligendos, & deputandos ſatageret, ut, quoad fieri poteſt, nullus in orbe locus, nullus in terra homo ſit, quem fidei lux non illuminet, aut via ſalutis lateat. Sacratiſſimum hunc Senatum Urbanus VIII. Pont. Max. ſpecialibus poſtmodùm privilegiis, & favoribus dotavit: ditavit autem ejusdem germanus frater Antonius Barberinus ex paupere Capucino Eminentiſſimus Cardinalis Tit. S. Onuphrii; qui moriturus eamdem Sac. Congregationem omnium bonorum ſuorum, quorum diſpoſitio ad ipſum pertinuerat, hæredem ſcripſit, ſuóque hoc exemplo multos Eccleſiæ Proceres, & ſæculi Magnates permovit, ut opiparos vel perpetuos, vel temporales, vel manuales cenſus promovendo huic ſaluberrimo conſilio contulerint. Quot verò, quantásque ſacra hæc Congregatio mox à ſui primordio Miſſiones ex meris Capucinis conflatas in Galliam, Italiam, Sabaudiam, Helvetiam &c. eáque potiſſimùm loca, in quibus Catholicæ Religionis integritas per occultos quosdam ſectariorum pſeudo-Apoſtolos ſubverti, aut jam jam peſſumire cæperat, inſtituerit, deſignaverit, locísque periclitantibus ſubmiſerit, R. P. Matthias Ferrerius in vaſto ſuo de Miſſionibus Capucinorum volumine admodùm exactè recenſet.

IV. Nobis in Provinciæ noſtræ hæmispherio conſtrictis ea ſola attingere hîc loci conſtitutum eſt, quæ ad demonſtrandam Provinciæ Miſſionariæ qualitatem conducere arbitrati ſumus; ad quod agendum meminiſſe oportet, quæ R. P. Bonagratia noſter in ſummul. Quæſt. Regular. verbo: *Miſſio*, aſſerit: *PP. Provinciales Helveticæ noſtræ Provinciæ præter ordinarium ſuum miniſterium, officium inſuper exercent Præfecti miſſionis ex gratia ſpeciali Eminentiſſimorum DD. Cardinalium de Propa-*

ganda

ganda Fide, à quibus eum in finem varias etiam gratias, & facultates inſignes accipiunt, quas & communicare valent quibuscunque Provinciæ (quæ tota aliud non eſt, quàm miſſio, utpote quaquaverſum circumdata, & permixta hæreticis) Confeſſariis. Quamquam videatur, quòd hæc aſſertio de Provincia, ùt adhuc unita, etiam de Provincia Anterior - Auſtriaca intelligi queat; adeóque gratiæ pro unita conceſſæ unà cum denominatione ad diviſam extendantur; cùm pro hac eædem rationes ſtent, & perſeverent, propter quas prædictæ gratiæ in unitam collatæ fuerunt: equidem Provincia noſtra ſolitariè ſumpta *quaquaverſum circumdata, & permixta eſt hæreticis*, adeóque *tota non niſi miſſio dicenda;* quin obſtet C. ſanè de Privil. & C. non exemplo. 16. q. 2. *Privilegia non ſunt extendenda*, vel *amplianda.* quia ubi eadem ratio, ibi non dicitur fieri extenſio. gloſs. in c. 1. in verbo Italiæ te temp. ordinat. & Bald. in L. data opera. Cod. de his, q. accuſ. non poſs.

Verùm quidquid ſit de Privilegiis, quæ non eſſentialiter conſtituunt nomen Miſſionarii, cùm quis Miſſionibus, functionibúsque miſſionariis incumbere poſſit, quin gratiis, & ſpecialibus Privilegiis præditus ſit; cùm dictæ functiones latiſſimè pateant, ut vel laicæ perſonæ Privilegiorum incapaces illis vacare queant; nomen *Miſſionariæ* Provinciæ noſtræ cùm nullius injuria, optimóque jure tribuimus, ipſis actionibus, de quibus in Prædicament. ſequenti, verificandum & juſtificandum. Ad majorem tamen ſecuritatem, & eorumdem Privilegiorum impetrationem Provincia noſtra per R. P. Angelicum Wolfacenſem, & R. P. Lucianum Montifontanum Provinciales ſibi ſuccedentes per Reverendiſſimum P. Procuratorem Generalem Franciſcum de Peruſia ad Curiam Romanam inſtiterunt, Celſiſſimo, ac Reverendiſſimo DD. Marquardo Rudolpho Epiſcopo Conſtantienſi per promotiorale atteſtatum in rem plurimùm ſuffragato, quô cùm rationes noſtræ ex Bonagratia adductæ validè roborentur, operæ pretium cenſuimus illud huc inſerere. V.

Nos Marquardus Rudolphus, Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Epiſcopus Conſtantienſis, Dominus Majoris Augiæ, & Oehingæ &c. &c.

„ Præſentium vigore atteſtamur, quòd Provincia Frat. Minor S. „ Franc. Capucinorum, modò Anterior. Auſtriæ dicta, & priùs „ cum Provincia Helvetica unita, & primùm ante aliquot annos ab illa „ ob amplitudinem diviſa, ſe ad partes hæreticorum ùt plurimùm ex- „ tendat, nam, tacendo Epiſcopatus Curienſem, Baſileenſem, Spiren- „ ſem, & Argentinenſem, in quibus omnibus præfati Patres loca, & „ Monaſteria habent partim propè, partim inter ipſos hæreticos, in no- „ ſtra Diœceſi Conſtantienſi, maximè per Sueviam, plurima loca in- „ habitant, ubi inter ipſos hæreticos concionando, catechizando, & „ alias Miſſionariorum ad propagandam fidem Catholicam functiones „ exercent; præſertim in Civitatibus Bibraco, & Ravenſpurgo; atque

„ pro altefata fide orthodoxa indefeſſè, & cum magno fructu laborant. „ Ex cujus Anterioris Auſtriæ, ſive Suevicæ Capucinorum Provinciæ, „ ac Epiſcopatûs noſtri gremio etiam nativus, & in illo educatus fue- „ rat inſignis Dei ſervus P. Fidelis à Sigmaringâ ab hæreticis in Rhætia „ trucidatus. In cujus rei fidem publicum hoc atteſtatum concedere „ æquum judicavimus. Actum Mariſpurgi in noſtra Reſidentia die 22. „ Aprilis 1694.

Marquardus Rudolphus Epiſcopus Conſtant.

Habito hoc atteſtato præfatus Provincialis Procurator Generalis nomine Provinciæ noſtræ Sac. Congregationi de Propag. porrexit libellum ſupplicem; in quo inſtitit, ut Provinciæ miſſionibus occupatæ impertiretur honor Præfecturæ, & conferantur privilegia in uſum dictarum Miſſionum deſervitura.

In Congregatione celebrata die 15. Novembris fuit reſponſum: *Dentur facultates, facto verbo cum Eminentiſſimo Protectore.*

Decretum S. Congregationis Generalis de Propaganda fide habitæ 15. Novemb. 1694.

„ Referente R. P. D. Odoardo Cibo Patriarcha Conſtantinopolitano, „ Secretario ſac. Congregationis, præfectum Miſſionum Fratrum Capuci- „ norum Provinciæ Anter-Auſtriæ ejusdem Ordinis commiſſarum ad „ quadriennium declaravit Fr. Lucianum Montifontanum ejusdem Ordi- „ nis cum authoritate ea, quæ ad regimen miſſionis pertinent, & ad „ præſcriptum Decretorum S. Congregationis, & facultatum, & non „ aliàs, nec alio modo. Datum Romæ 15. Novemb. 1694.

P. Carolus de Altieriis Præfectus.

Odoardus Cibo Archi-Epiſcopus Conſtantinopolitanus. Secretarius.

Sequuntur Facultates conceſſæ à Sanctiſſimo D. N. Innocentio Divina Providentiâ Papa XII. Fratri Luciano Montifontano Ordin. Capucinorum Præfecto Miſſionum ejusdem Ordinis Provinciæ Anter. Auſtriacæ.

1. Adminiſtrandi omnia Sacramenta, etiam Parochialia, Ordine, & Confirmatione exceptis; & quoad Parochialia in Diœceſibus ubi non erunt Epiſcopi, vel Ordinarii, vel eorum Vicarii, vel in Parochiis, ubi non erunt Parochi; vel ubi erunt, de eorum licentia.

2. Abſolvendi ab hæreſi, & apoſtaſia à fide, & à ſchismate quoscunque etiam Eccleſiaſticos, tam ſæculares, quàm Regulares: non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi S. Officium exercetur; niſi in locis miſſionum, in quibus impunè graſſantur hæreſes, deliquerint: nec illos, qui judicialiter fidem abjuraverint; niſi iſti nati ſint, ubi impunè graſſan-

graſſantur hæreſes, & poſt judicialem abjurationem illuc reverſi in hæreſin fuerint relapſi; & hos in foro conſcientiæ tantùm.

3. Abſolvendi ab omnibus caſibus ſedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis.

4. Abſolvendi, & diſpenſandi à Simonia, non tamen reali, niſi dimiſſis beneficiis, & fructibus ex eis malè perceptis, arbitrio ſanctitatis ſuæ reſtitutis, ſi facilis erit recurſus ad Sedem Apoſtolicam: ſi verò difficilis vel ob diſtantiam locorum, aut alias cauſas, etiam in reali, dimiſſis beneficiis; & ſuper fructibus malè perceptis injunctâ aliquâ pœnitentiâ ſalutari, vel eleemoſyna, arbitrio diſpenſantis; vel etiam retentis benficiis, ſi fuerint Parochialia, & non ſunt, qui Parochiis præfici poſſint.

5. Tenendi, & legendi; non tamen aliis concedendi libros hæreticorum, vel infidelium de eorum religione tractantes, ad effectum eos impugnandi; & alios quomodolibet prohibitos; præter opera Caroli Molinæi Nicolai Machiavelli, & libros de Aſtrologia judiciaria principaliter, aut incidenter, aut aliàs quovismodo de ea tractantes! ita tamen, ut libri ex illis Provinciis non efferantur.

6. Celebrandi miſſam quocunque loco decenti, etiam ſub Dio, ſub terra, unâ horâ ante auroram; & alia poſt meridiem, bis in die, ſi neceſſitas cogat; ſi tamen in prima miſſa non ſumpſerit ablutionem; & ſuper altari portatili, etiam fracto, aut læſo, & ſine ſanctorum reliquiis, & præſentibus hæreticis, aliisque excommunicatis, ſi aliter celebrari non poſſit, & non ſit periculum ſacrilegii; dumodò inſerviens miſſæ non ſit hæreticus, vel excommunicatus. Hujusmodi autem facultate bis in die celebrandi nullatenùs uti liceat, niſi rariſſimè, & graviſſimis de cauſis, in quo graviter ejus conſcientia oneratur. Quòdſi ad præſens, aut impoſterùm, quandocunque adĕrit Epiſcopus, aut Vicarius Generalis, aut Capitularis, aut Vicarius Apoſtolicus, ad cujus Diœceſin, ſeu adminiſtrationem pertineant loca, ubi ſecundò celebrari contigerit, præfata facultas bis celebrandi, nullius prorsùs ſit roboris, ac momenti, niſi priùs prædicto Epiſcopo, aut eo abſente ejus Vicario Generali, aut reſpectivè Capitulari, aut Vicario Apoſtolico exhibitæ ab eóque examinatæ & approbatæ fuerint in ſcriptis cauſæ ea utendi; neç aliter conceſſa intelligatur, quàm juxta moderationem ab ipſo apponendam, & non aliàs; cujus Epiſcopi, vel Vicarii conſcientia oneratur, ut non niſi ex urgentiſſimis cauſis, ùt ſupradictum eſt, & ad breve tempus eâ uti permittat. Quam tamen facultatem poterit Epiſcopus, ſeu Vicarius, ſi in Domino viſum fuerit expedire, ad aliud breve tempus pluries, & eâdem ſervatâ formâ prorogare intra tempus in hac facultate à S. Sede conceſſum, & non ultra. Idipſum autem prorsùs ſervetur ab iis, quibus hæc eàdem facultas celebrandi bis in die juxta poteſtatem inferiùs apponendam communicata fuerit; adeò ut nemo ex ipſis, niſi juxta moderationem ab Epiſcopo, vel ejus Vicario Capitulari, vel Generali, vel Vicario Apoſtolico, ùt dictum eſt, ſingulis apponendam, hujusmodi facultate uti valeat, injuncto eorumdem Epiſcoporum,

ſeu Vicariorum conſcientiæ, ùt ultra ſuperiùs dicta, non omnibus indifferenter, quibus fuerit communicata; ſed paucis duntaxat, iisque maturioris prudentiæ, ac zeli, & qui abſolutè neceſſarii ſunt; nec pro quolibet loco, ſed ubi gravis neceſſitas tulerit, & ad breve tempus, ùt dictum eſt, facultatem quoad hoc communicatam approbet.

7. Diſpensandi vel commutandi vota ſimplicia, etiam caſtitatis, ex rationabili cauſa, in alia pia opera; non tamen Religionis.

8. Diſpensandi in foro conſcientiæ ſuper irregularitate ex delicto occulto proveniente; & non deducto ad forum contentioſum; non tamen ex homicidio voluntario, aut bigamia.

9. Diſpensandi in tertio, & quarto conſanguinitatis, & affinitatis gradu ſimplici, & mixto; & in tertio, & quarto ex mixtis; non tamen in ſecundo ſolo quoad futura matrimonia: quoad præterita verò etiam in ſecundo ſolo, dummodò nullo modo attingat primum gradum, cum his, qui ab hæreſi, vel infidelitate convertuntur ad fidem Catholicam: & in prædictis caſibus prolem ſuſceptam declarandi legitimam.

10. Diſpensandi ſuper impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante &c. ac reſtituendi jus petendi debitum amiſſum.

11. Diſpensandi ſuper impedimento publicæ honeſtatis, aut juſtitiæ ex ſponſalibus proveniente.

12. Diſpensandi in impedimento cognationis ſpiritualis, præterquam inter levantem, & levatum.

13. Hæ verò matrimoniales diſpensationes, videlicet 9. 10. 11. & 12. non conceduntur, niſi de conſenſu Epiſcoporum, ſi ibi erunt; & cum clauſula; dummodò mulier rapta non fuerit: vel ſi rapta fuerit, in poteſtate raptoris non exiſtat: & in diſpenſatione tenor hujusmodi facultatum inſeratur cum expreſſione temporis, ad quod fuerint conceſſæ.

14. Diſpensandi cum gentilibus & infidelibus plures uxores habentibus, ut poſt converſionem ad baptiſmum, quam ex illis maluerint, ſi etiam ipſa fidelis fiat, retinere poſſint, niſi prima voluerit converti.

15. Concedendi indulgentiam plenariam primò converſis ab hæreſi, atque etiam fidelibus quibuscunque in articulo mortis; ſaltem contritis, ſi confiteri non poterunt.

16. Concedendi Indulgentiam plenariam in Oratione 40. horarum ter in anno de conſenſu Epiſcoporum, ſi ibi erunt, indicenda diebus benevisis, contritis, confeſſis, ac ſacra Communione refectis; ſi tamen ex concurſu populi, vel expoſitione SS. Sacramenti nulla probabilis ſuſpicio ſit ſacrilegii ab hæreticis, & infidelibus; aut Magiſtratum offenſum iri.

17. Concedendi ſingulis Dominicis, & aliis diebus feſtis decem annorum Indulgentias iis, qui eorum Concionibus intererunt; & plenariam iis, qui prævia Sacramentali confeſſione Euchariſtiam ſacram ſument, in feſtis Natalis Domini, Paſchatis, & Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis.

18. Lucrandi ſibi easdem Indugentias.

19.

19. Singulis ſecundis Feriis non impeditis novem Lectionum officio, vel eis impeditis, die immediatè ſequenti celebrandi miſſam de Requiem in quocunque altari, etiam portatili; & liberandi animam ſecundùm eorum intentionem à purgatorii pœnis per modum ſuffragii.

20. Deferendi SS. Sacramentum occultè ad infirmos ſine lumine, illúdque ſine eodem retinendi pro iisdem infirmis, in loco tamen decenti, ſi ab infidelibus, aut hæreticis abſit periculum ſacrilegii.

21. Induendi ſe veſtibus ſæcularibus, etiamſi fuerint Regulares, ſi aliter vel tranſire, vel permanere non poterunt in locis miſſionum.

22. Recitandi Roſarium, vel alias preces, ſi Breviarium ſecum deferre non poterunt, vel divinum officium recitare non valeant.

23. Benedicendi Paramenta, & alia utenſilia ad ſacrificium miſſæ neceſſaria, ubi non intervenit S. Unctio; & reconciliandi Eccleſias pollutas aquâ ab Epiſcopo benedicta; & in caſu neceſſitatis etiam aqua non benedictâ ab Epiſcopo.

24. Communicandi has facultates in totum, vel in parte fratribus ſuæ Miſſionis, quos S. Congregatio de propaganda fide deſtinaverit, & approbaverit; & non aliis; tam pro omnibus locis in ea miſſione contentis, quàm pro aliquibus eorum; & ad tempus ſibi beneviſum in Domino expedire judicaverint; nec non quatenùs opus fuerit, revocandi, ſive etiam moderandi, tam circa illarum uſum, quàm circa loca, & tempus easdem exercendi; quod etiam eo abſente Vice-Præfecto intelligatur conceſſum; ita tamen, ut nec eidem Præfecto, aut vice Præfecto; nec ipſorum cuilibet liceat eisdem ullo pacto uti extra fines ſuæ Miſſionis! tempore verò ſui obitûs liceat eidem, ſi in Miſſione præſens fuerit, hanc eamdem Præfecti facultatem alteri communicare: ſi verò fuerit abſens, hoc ipſum Vice-Præfecto, tempore ipſius Vice-Præfecti, conceſſum intelligatur, ut ſit, qui interim poſſit ſupplere, donec Sedes Apoſtolica certior facta, quod quamprimùm fieri debebit, delegatum alio modo provideat.

25. Et prædictæ facultates gratis, & ſine ulla mercede exerceantur; & ad quadriennium tantùm conceſſæ intelligantur. Feria 5ta die 30. Decembr. 1694.

„In Congregatione Generali S. Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis „habita in Palatio Apoſtolico apud S. Mariam Majorem coram SS. D. N. „Innocentio divina providentia Papa XII. ac Eminentiſſimis & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra „hæreticam pravitatem generalibus Inquiſitoribus à S. Sede Apoſtolica „ſpecialiter deputatis.

„Sanctiſſimus D. N. Papa præfatus conceſſit ſupradictas facultates „F. Luciano Montifontano Ordinis Capucinorum Præfecto Miſſionum „ejusdem Ordinis Provinciæ Auſtriæ Anterioris ad quadriennium, cum „poteſtate eas communicandi.

A. Epiſcopus Ortin. Cardinal. Cibo.

Joſephus Bartholus S. Romanæ univerſalis Inquiſitionis Notarius.

VI. Hæc eadem privilegia, ſi terminus quadriennii ad exitum vergit, ſolent de novo exorari, & concedi, ut plurimùm R. P. Provinciali, ceu Præfecto Miſſionum, ſeu alteri beneviſo; & terminus ſubinde abbreviari; utì R. P. Sigismundo Rottenburgenſi, conſtituto Præfecto die 17. Mart. 1700. memoratæ facultates ad triennium duntaxat collatæ fuerunt. Sic igitur hodie uſque practicatur, & quidem neceſſariò; cùm locus Wilerſtadienſis ſub ſpeciali S. Congreg. de propag. fide &c. jurisdictione, tanquam *Miſſio*, exiſtat; in quem locum alii & alii fratres à P. Provinciali habiles reperti, deputantur, utique ad exercendam Miſſionem prædictis privilegiis donandi. Conſtituta ſic Provinciæ ut *Miſſionariæ* qualitas adeò certa eſt, ut, quando Reverendiſſimus P. Procurator Generalis Anno 1675. & 1682. Provinciam per litteras ad inſtituendas, exercendásque Miſſiones, ùt vocant, volantes, quales RR. PP. Societatis Jeſu per terras germanicas à triginta circiter annis obire, & frequentare conſueverunt, hortatus eſt, omnéſque neceſſarias inſtructiones, & facultates opportunas huic negotio obtulit, RR. Patres poſt maturam deliberationem, & ex non aſpernandis rationum momentis eas deprecati fuerint, utpote contenti, quòd Provincia perfunctiones Miſſionariis propriiſſimas, ut P. Matthias Ferrerius part. 2. Ratiocin. 1. loquitur, præſcindendo à præfatorum privilegiorum collatione, vel privatione, in eſſe Miſſionario ſufficienter conſtituta ſit; quas quidem functiones proximè ſequentes categoriæ *actionis*, & *paſſionis* Ordine enarrabunt.

ACTIO

ACTIO
Provinciæ Anterioris Auſtriæ.
ANALOGIA.

SIgnificatio verbi *Actio* latiſſimè patet, comprehendens generaliter omnem viventis operationem, quæ paſſioni opponitur; adeò ut ipſam quoque vitam agere dicamur; unde paræmia fert: actiones humanæ infinitis rerum circumſtantiis variantur. Philoſophiæ, licèt nomine tenùs duntaxat humilitati immorantes ad altiora themidis ſubſellia pedem proferre non audemus, quæ *Actionis* vocabulum adeò in ſolum forenſem uſum reſtringit, ut omnem aliam illius ſignificationem aut ignoret, aut dedignetur, ſimul atque tò *Actio* inſonuerit tantùm, aures erigat, & tanquam pulſata juri dicundo accingatur: quas enim Græci *Dicas* vocabant; eas Romani latinè *Actiones*, *cauſas*, & judicia appellaverunt. Igitur Ariſtotolem audientes inſtruimur, quòd *Actio ſit agentis, quatenùs eſt agens, actus, ſive perfectio.* Verùm quòd inepta ſit obſcuri per æquè obſcurum explicatio, ad planiora convertimur amplectentes authoris ſex principiorum elucidationem, qua dicitur *actio*

forma, per quam in materiam ſubjectam denominamur agere. Ex his pronior ad hiſtoriam noſtram tranſitus patet, ut ſervata ſola vocum analogiâ, ſeu fortè meliùs, allegoriâ, ſub actionibus intelligamus functiones miſſionarias, per quas in materiam ſubjectam, id eſt, animarum ſalutem, denominamur agere modo Miſſionariis competente. Et de his actionibus, excuſſis iis, quæ in ſcholis de actione immanente, permanente &c. diſputari ſolent, clariùs præfabitur.

ECPHRASIS.

Piiſſima Mater Religio, & Provincia noſtra à primordio nil unquam tam ardenter concupivit, quàm iis generoſis gravidari fætibus, eósque parere viros, qui illuſtriores quasdam participatæ divinitatis notas in fronte gerant, & Apoſtolicâ excitati ambitione Deo ſe actionibus ſuis ſimiles reddere connitantur. Atqui hujusmodi notæ, & actiones nec ipſi ethnicæ eloquentiæ Principi incognitæ fuerunt, cùm dicat: *homines nulla re propiùs ad Deum accedere, quàm ſalutem hominibus dando*; id eſt, ut chriſtianiùs loquamur: procurando, ſaluti humanæ cooperando &c. quod etiam Doctori Areopagitæ inter omnia divina diviniſſimum eſſe videtur. Neque autem hiſce votis fætus & eventus ſui defuerunt; cùm Provincia noſtra nunquam non fæcunda mater talium virorum extiterit, & exiſtat, qui tanquam genuini partus ventrem ſecuti præfatis characterizati notis, ac deſiderio non ſolùm matri-ſed etiam patrizandi penitùs inflammati id unum ſpectant, ut non ſolis ſibi vivant, ſed & aliis proficiant, ínque procuranda animarum ſalute divinam ſimilitudinem quadatenùs æmulentur. Ut autem hi viri in omnibus ab Evangelio dependere ſibi inditum habent: ita etiam actiones ſuas ſibi ab Evangelio præſcriptas, & determinatas arbitrantur, quando Matthæi cap. 10. dicitur: *Euntes prædicate: mortuos ſuſcitate: infirmos curate: dæmones ejicite.* Igitur §. 1. ſub tò *Euntes* actiones, ſeu excurſiones Miſſionariorum. 2. §. ſub tò *prædicate* actiones Prædicatorum. §. 3. ſub tò *mortuos ſuſcitate* actiones Confeſſariorum. §. 4. ſub tò *infirmos curate.* Actiones operariorum. §. 5. ſub tò *dæmones ejicite* actiones exorciſtarum ennumerabimus.

§. I.

§. I.

Euntes, ſeu actiones, & excurſiones Miſſionariorum.

SUppoſito, pro quo Van-Eſpen nimiùm quantùm ſollicitus eſt, & millies inculcat Jur. Eccleſiaſtici p. 1. tot. 3. cap. 6. & admiſsô, quòd fratres minores in cura animarum procuranda ſint meri ſubſidiarii Epiſcoporum, & Parochorum: eorum itaque actiones permiſſæ, ſeu deſideratæ ſint, & exerceantur in ſubſidium duntaxat ordinariorum Parochorum; id quod tum Seraphicus Doctor in tract. *Quare fratres minores prædicent.* tum Angelicus 2. 2. q. 188. art. 4. ad 2. his verbis declarat: *Sicuti Religiones inſtituuntur ad prædicandum, & Confeſſiones audiendum, non quidem authoritate propria, ſed authoritate ſuperiorum, & inferiorum, ad quos ex officio pertinet; ita ſubvenire in tali Miniſterio eſt hujus Religionis proprium.* Quod licèt tantùm de Ordine Patrum Prædicatorum dictum ſit: hodie tamen etiam de Ordine Fratrum Minorum verum eſt, etiam tempore S. P. Franciſci, teſte S. Bonaventura, verum fuit. I.

Quod verò concernit excurſiones Miſſionarias in terras infidelium, in iis immediatè non ab Epiſcoporum, & Parochorum; ſed à Sedis Apoſtolicæ, & Ordinis noſtri authoritate dependemus; pro quibus ſpecialiter cap. 12. Regulæ inſtruimur. Intuitu aliorum Religioſorum, & Provinciarum paucos admodùm & præter P. Ignatium Rhenofeldenſem, & P. Electum Lauffenburgenſem ſupra relatos, & cum facultate Reverendiſſimi P. Generalis cum claſſe Veneta in Turcas movente in Archipelagum miſſos, non niſi unicum P. Franciſcum Chriſtophorum Möſskirchenſem numeramus, qui Apoſtolico zelo inflammatus ad Indos uſque profecti ſint, verbo Chriſti: *euntes in univerſum mundum*, ad ſtrictiorem ſequelam Apoſtolorum *Evangelium prædicaturi*, obtemperantes. Hujus patris merita miſſionaria, utcunque ſolitaria, Provinciæ tamen noſtræ glorioſa poſterorum memoriæ transmittere dignum, juſtúmque cenſuimus.

In ſæculo is honeſta, & opulenta parentela uſus, litteris ſeverioribus, jurisprudentiâ, muſicâ, variorum idiomatum peritiâ, aliiſque decoribus à natura, & induſtria aquiſitis ad magna paratus ſubitò minor inter Capucinos factus, & ſtrenuus Concionator formatus non in patria; ſed in exteris regionibus talentum ſuum ad animarum lucra elocare conſtituit; & cùm ſe ad hoc à Spiritu ſancto impulſum, vocatúmque crediderit, nullis alia ſuadentium conſiliis ab hoc propoſito dimoveri ſe paſſus eſt. Igitur litteris obedientialibus à Reverendiſſimo P. Procuratore munitus die 12. Novemb. 1706. Conſtantiâ è Provincia Genuam verſùs movit, ibíque Claſſi Hiſpanæ impoſitus ſecunda navigatione Barcinonam pervenit. Admiſſus ad affatum Sereniſſimi Archi-Ducis Caroli Auſtriaci Hiſpaniarum Regis à converſationis ſuæ gratiâ, & ſoluta in omne idioma oratione Principis animum ſibi devinxit, ut hic eum tanquam Conterraneum ſuum in aula ſua retinere omni modo conatus ſit. At ille ſcopo ſuo intentus, ob- II.

latámque gratiam deprecatus altitudini maris ſe commiſit, & per mille incommoda in Braſiliam, Americæ Meridionalis regionem ægerrimo navigio abductus eſt: inde autem ipſi in Congenſe Regnum pergendum, & ibi miſſio Bambenſis obeunda fuerat. In ea meſſe aliquamdiu impigrè laboravit: ſed infirmior valetudo funeſtam ipſi vacationem imperaverat. Viribus naturæ de die in diem decreſcentibus harum reſtaurandarum gratiâ in Rio di Janeiro, ſeu Capitaneam in regno Braſilio regredi ſtatuit. Igitur à ſociis æquè, ac illius terræ hominibus, quorum affectum morum ſuorum ſuavitate, & humaniſſimo agendi modo intimè ſibi obligaverat, haud absque tenerrimo luctu dimiſſus navim conſcendit: ſed navigationem adverſam paſſus, ſtatúque ſanitatis ſemper in pejus ruente ſenſit optimus vir, profundum maris ab Altiſſimo in tumulum deſtinatum ſibi eſſe. Deſperatâ ergò vitâ omnes, quot quot in navi erant convocatos voce, ac Spiritu planè Miſſionario ſic ultimùm affatus eſt: *Domini mei, & amantiſſimi Chriſtiani! Ego frater, & particeps Fidei veſtræ reliqui Patriam, fortunas, & Charos meos, confeci terrâ, marique tantum itineris, ut animas infidelium ad Cœlum erudirem. Video autem Deo meo aliter de me viſum eſſe; ſiquidem die craſtinâ claudam in mortem oculos meos. Quoniam verò præter me Sacerdotum nemo adeſt, cui de more Chriſtiano Catholico peccata mea confiteri, & ab eo Sacramentaliter abſolvi queam: Confiteor Deo peccata mea, in cujus conſpectu vehementer de iis doleo.* Poſt prolixam Contritionis, & virtutum Theologicarum expreſſionem addidit: *Vos autem Chariſſimi obſecro, & obteſtor, ut fidem Catholicam cordi habeatis, utpote pretioſam, & unicam animæ veſtræ margaritham: peccatum ſuper omnia fugiatis, & omni zelo ardentiore collaboretis convertendis miſerorum animabus. Ego ex parte mea ſum, & morior Filius Seraphici Patris mei S. Franciſci: in manica invenietis ſacram Regulam meam, quam ſolenniter fui profeſſus; ligate eam inter manus meas: relinquite corpori meo ſacrum habitum, quem circa pedes, & ſubdus chorda hac colligabitis: & eisdem appendite ſaxum, intérque pias preces veſtras ſepelite me in abyſſum maris.* His dictis recollegit ſe totum in ſpiritu devotionis, & reliquum vitæ in hæroicarum Virtutum exercitio peregit: demùm altero, uti prædixerat, die ſub invocatione JESU, & Mariæ cum ſumma ædificatione, nec minori compaſſionis affectu navigantium religioſiſſimè extinctus, atque pro voto in mare demerſus fuit. Ita PP. Miſſionarii Romam reverſi à Navarcho, & aliis in eadem navi remigantibus, mortíque P. Franciſci Chriſtophori aſſiſtentibus ſe accepiſſe teſtati ſunt, & in Provinciam noſtram perſcribi curârunt Anno 1709.

III. Tametſi, inquam, in hoc ſolo conſiſtat numerus Miſſionariorum ad partes infidelium; plures nihilominùs hoſpitatur Provincia, qui ſub hoc nomine ad gentes convertendas, & in gremium S. Rom. Eccleſiæ perſuadendas, erudiendásque accincti ſteterunt, & ſtant, ituri, quò obedientia jubet, & charitas impellit. Miſſio illa Rhætica non unum duntaxat B. Fidelem Martyrem, Apoſtolicum Miſſionarium, ſed plures

ſuc-

ſucceſſores habuit: ut P. Alexium Spirenſem, de quo prolixiora deinceps. P. Pium Veldkirchenſem, qui deinde Miſſioni Valeſianæ operam ſuam locavit. P. Achillem Neoburgenſem. P. Dionyſium Friburgenſem. P. Anſelmum Brigantinum. P. Gaudentium Lauffenburgenſem, quem ſupra adduximus: aliósque nonnullos, quos veſtigia B. Fidelis nuper occiſi ſanguine adhuc cruenta nil terruerunt, quò minùs veloces Angeli in eam vineam properaverint, hæreſes diſputando confutaverint, ignorantes; & extorres ad veram fidem catechizando erudierint. Quàm ſtrenuum ſe Miſſionarium præſtiterit P. Ludovicus Saxo, in prædicam. *Paſſionis* manifeſtabitur.

IV. Dynaſtiâ Geroldseggenſi ſucceſſivè ad Lutheranos Poſſeſſores devoluta, & per hos ad ſequiorem Religionem traducta ſoli extitêre Capucini, qui agrum hunc zizaniis obſitum repurgârunt, & eliminato Lutheро Romana ſacra reſtituerunt. Equidem P. Maximilianus ex Kislegg, vir prudentia, ſpiritu Seraphico, & zelo miſſionario præſtans acceptâ ab Epiſcopo Argentoratenſi facultate, & poteſtate quaſi Epiſcopali ſubditos Lutherizatos ſaniora dogmata docuit; Eccleſias profanatas reconciliavit, ritus, & cæremonias à Pſeudo-Apoſtolis antiquatas reſtituit; tantúmque doctrina ſuâ, & charitate adverſitatum victrice effecit, ut incolarum plerique ejurata hæreſi ad officium redierint; obſtinatiores verò unà cum ſuis Miniſtellis emigrare debuerint; quæ Dynaſtia etiamnùm Catholica legitimæ Religionis felicitatem benedictis à Deo functionibus Capucinorum unicè debet.

V. Quo loco, & eliminandæ veræ Religionis periculo ſteterit Marchionatus Badenſis, in ejus Conventus hiſtoria nonnihil delibatum eſt: in quem Capucini miſſionario nomine petiti, & introducti fuerunt, eo exoptato proventu, ut eorum operâ Apoſtolicâ plurimi repudiatis ſectariorum ſuperſtitionibus iterum Romæ ſacramentum dixerint; extincti ritus Catholici revivixerint, priſca religio in locis, & pagis, unde illa exulaverat, refloruerit, adverſorum dogmatum ſatores inde faceſſere compulſi fuerint, &, verbô, deturbata hæreſibus Marchionatûs facies antiquam ſacrorum ſerenitatem aquiſiverit, plaudente Eccleſia, lætante Cœlo, exultante Sereniſſima Familia de Baden-Baden, jubilante ſaniore plebe, fremente inferno, & indignante peſtilentiæ Cathedrâ.

VI. Pari felicitate Miſſio Oppenovienſis circa ſeductos ab hæreſi revocandos, atque ad fidem Catholicam convertendos occupata fuit, ut in hiſtoria hujus loci &c. pluribus refertur.

Nil minùs etiam noſtri Miſſionarii agrum Mahlbergenſem incolentes, & excolentes copioſo fructu horreum Eccleſiaſticum Miſſionis ſuæ fructibus abundanter impleverunt; cùm indefeſſo zelo rem Catholicam magnis incrementis promoverint, & Odonishemio, quem locum plerique heterodoxi jam occupaverant, Catholicæ pietatis cultum ab exilio revocatum invexerint ea Numinis aſpirantis gratiâ ut uberrimi jam fidei noſtræ fructus indies matureſcant, & hæreſum lolia feliciùs ſterileſcant; Prædicante Lutherano inde proſcripto legitimus Parochus divina ritu noſtro officia peragat; quæ tanto tempore interrupta redivi-

vum florem ſuum, quo gratioſè virent, Miſſionariorum induſtriæ in acceptis referunt.

VII. Conventui Haslacenſi ſpecialis Miſſio in vallem Prechtenſem annexa eſt, in qua valle Marchio Durlacenſis, & Landgravius Stüehlingo-Fürſtenbergius æquale jus habent. Hinc etiam inter ſubditos Religionis disparitas introducta, & Pacis Weſtphalicæ favore præconi Luthericolæ propria Domus Parochialis ſtructa fuit, Catholicis ad Eccleſiam Parochialem Elzachii pertinentibus. Inde curatus quispiam Sacellanus ad exercenda Porochialia alternatim cùm Miſſionario Capucino diebus Dominicis, & feſtivis illuc excurrere ſolet. Ab eo igitur tempore, quo à noſtris hæc Miſſio frequentatur, plurimi deſertis Lutheri caſtris ad ſacra Romana tranſierunt, totæque nonnunquam familiæ converſæ fuerunt.

VIII. Reſidentia Wilerſtadiana à tempore ſuæ ibidem exiſtentiæ ſpecialiſſimo, ùt præfati ſumus, Miſſionis titulo gaudet, in qua conducti illuc operarii nunquam non fideliſſimè in Religionis, & Eccleſiæ emolumenta, & incrementa laboraverunt; non tantùm in ipſo loco Capellaniam fundatam; in loco Dezingen integra parochia; & pluribus hinc inde vel ſtabiliter, vel temporaliter quoad omnia parochialia, cùm debita Celſiſſimi ac Reverendiſſimi DD. Ordinarii Spirenſis inſtitutione, approbatione, & facultate curantes; ſed & in territoria purè Lutherana excurrentes ad ſacramenta indigentibus Catholicis adminiſtranda, ignorantes catechizando, hæreticos ad ſanctiora myſteria perſuadendo; perſuaſos inſtruendo; inſtructos, & diſpoſitos in gremium S. Matris Eccleſiæ aſſerendo. Ipſa urbs calamitatibus innumeris preſſa, & à Duce Wirthenbergiæ ſub ementitio compaſſionis, & charitatis habitu ſublevanda, ſi tantummodò aliqua in favorem Lutheri ibi introducendi admittat, ſuam in avita Religione conſtantiam, & religioſam adversùs lenocinia, machinationes, comminationes, & pollicitationes animoſitatem Miſſionariorum noſtrorum conſiliis, adhortationibus, & præcautionibus adſcribit. Inde à plus triginta annis permittente Sereniſſimo Duce Eberhardo Ludovico, licèt acatholico excurſio Miſſionaria ad caſtrum S. Ludovici ſuſcepta, & exercita fuit, eo modo, ut unus illuc ablegatus per menſem ſubſiſtens in ſubſidia Catholicorum in magno numero confluentium parochialia cuncta exercuerit; cui evoluto menſe alius ſubſtitutus fuit. Sed & in ipſam Wirthenbergiæ Metropolim, Stuttgardiam, Waldenbuechium, aliáque loca ad peragenda ſacra Catholica compluribus annis Miſſiones temporales obierunt: & tandem ad liberum Religionis Romanæ exercitium pro Sereniſſimo Duce Carolo Alexandro ejúsque familia, Auláque Catholica duo, ſubin tres Patres, quà Parochi, & Sacellani Aulici Stuttgardiam permanenter ſuſcepti fuerunt, ibíque etiam Sereniſſimo Duce vivis exempto ad Sereniſſimæ viduæ ſpiritualia obſequia, & Principum filiorum inſtructionem aliquamdiu ſubſtiterunt.

IX. Quàm uberes autem fructus hic, & alii agri Miſſionarii, alius quidem ſexageſimum, alius octogeſimum, alius centeſimum, attulerint, non-

nonnullis ſpecialium converſionum exemplis palàm facere non abs re noſtra fuerit.

IX. Quidam magni nominis, & præſtantis litteraturæ prædicans Joan. Andreas Spindler, haud procul Wilerſtadio beneficio curato gaudens tum à converſatione Capucinorum, tum ab intenſa S. Scripturæ, & SS. Patrum lectione falſitatem Religionis Lutheranæ planiùs deprehendere, in animo deteſtari, & poſt agnitam fidei Catholicæ veritatem ſuſpirare cæpit. Diu his ſcrupulis exagitatus tandem mentis ſuæ ſententiam uxori detegit, hánque ſimul in eam traducere conatur; ſed fruſtra fuit; cùm illa in errore obſtinatior partim ob præſentis fortunæ affluentiam, hujúsque amittendæ metum, ſi mariti perſuaſionibus morem gereret; partim quòd ceu materialis nullum ſibi in fide ſua dubium propinari permiſerit, totos quatuor annos maritum ita anxium reliquit: quo tempore intermedio ipſe juſtum, & eruditum tomum contra Lutheri dogmata conſcripſit; & nonnunquam concionaturus uxorem ſic affatus eſt: ah chariſſima! jam iterùm contra veritatem, mentémque meam ad animarum Chriſti ſanguine redemptarum ruinam verba facere debeo! tandem cùm recalcitrare ampliùs contra ſtimulum non poſſet, categoricè ad uxorem ſe declarat: ſibi impoſſibile fore ultrà ſic vivere: abeundum, Deóque parendum eſſe, rogans, ne ſe maritum ſuum deſerat. In quod propoſitum ipſa denique condeſcendit. Exinde inito ad ſpeciem permutandi beneficii contractu cum altero præcone; & ad hujus executionem convaſatis rebus ſuis loco ſuo emigrat novam parochiam acceſſurus; & cùm Wilerſtadium pertranſeundum fuerit, illic cum uxore appulſus implorata urbis imperialis protectione apud Capucinos ipſe, uxor, duóque liberi poſt ſufficientem catecheſin Lutherum evomuerunt, & Eccleſiæ Catholicæ aggregati: ex poſt ab Eminentiſſimo Electore Moguntino vir prudentiâ clarus honeſto quodam officio auctus unà cum Appendice ſua illuc abducti fuerunt.

Aliquando unus Neophytam ſub inſtructione habuerat proximè ad fidei profeſſionem admittendam: id verò ſalutis humanæ adverſatorem tam malè habuit, ut ſubmiſſa ab hoc Miſſionario Inſtructore celebrata ex arreptitiâ mugire, rugire, tandémque articulatim exclamare auditus ſit: *Iſte Capucinus unam mihi furatur animam.* Alia vice ſub publica comprecationis frequentia is ipſe dæmon ex eadem perſona blasphemando, ejulando, & ſacramenta dejerando horrendùm irrugiit dicens: *Iſte perditiſſimus ſacrificulus unam mihi ſeducit animam; in quem ideò fulmina, grandinésque ruant.* Opportunè præter fidei candidatam aliæ duæ perſonæ Lutheranæ aderant, quæ talibus à dæmone auditis operante ſancti Spiritûs gratiâ ita argumentatæ: ſi diabolus converſos ad fidem Catholicam inter ſua damna computat, ſibique abſtractos, & perditos deplangit, quid moramur in Religione diabolo tam lucroſâ? igitur & ipſæ converſæ amænam candidatarum triadem effecerunt. Contigerant hæc Wilæ annis 1660. & 1661.

X. In agro Rottenburgenſi non minor talium fructuum meſſis collecta fuit. Juvencula quædam Bohema, & hæreſi irretita, impellente belli tem-

tempeſtate ad vitam lucrandam Haigerlochii famulabatur ; quam domeſtici ſæpiùs ad amplexandam Catholicam fidem perſuadere conati ſunt. At ſurdo fabulam ; loci Præfectus advocat Rottenburgô Capucinum rogátque ut convertendæ huic oviculæ operam ſuam locaret. Hic blandè ſalutatam puellam de cauſis obſtinationis ſuæ periclitatur, hujúsque contra cultum ſanctorum, & purgatorium ficulnea, quia hæretica, argumenta tantis rationum machinis ſubvertit, & confutat, ut convicta in arena herbam porrexerit, & in amariſſimas lacrymas ſoluta exclamaverit : Eheu! quot milleni ſunt, qui, ſi audirent, quæ ego, Catholici citra omnem cunctationem fierent ; certè non niſi dolis, & mendaciis noſtri nos paſcunt paſtores. Facta ergò fidei profeſſione ſtabilem Horbæ manſionem nacta piiſſimam ibi vitam peregit.

Adamus Schott miles, Huſſii deliriis adhæreſcens à Capucinis errores circa utramque ſpeciem dedoctus docilem ſe in doctrina Catholica diſcipulum præbuit.

Catharina Gretneyerin Calvinicolæ Prædicantis filia nullis perſuaſionibus luce meridiana clarioribus à mentis ſuæ tenebris révocari potuit. Ubi tamen Capucini eam catechizandam ſuſcepiſſent, confeſtim ab oculis ejus ceciderunt falſarum opinionum ſquammæ ; quas illa deteſtata, & cupidiſſimè orthodoxam veritatem amplexata eſt. Circa annum 1640. &c.

XI. Vel ſola humilis charitas laici in palæſtra polemicâ alioquin inermis animum hæreticum detriumphavit, & orco jam deſtinatum cælo lucrata eſt. Conſtantiæ ægrotabat vir ſpectatiſſimus, ſed Zvvinglio etiamnùm obſtrictus ; advocati ab uxore Catholica Capucini vel mentionem de fide Catholica facere ab occallato hæretico prohibebantur. Socius erat F. Jacobus à Reichenvvir laicus, qui ſtupenda charitate diu noctúque ægrotanti inſerviit, adſtitit, & penès dormientem humi cubavit : quo quidem vir expergefactus ſanctiores de ſalute cogitationes admiſit, & ſacris orthodoxis initiatus Catholicam animam ad meliorem vitam transmiſit.

XII. Annis 1640. 1641. Præſidiario Sueco-hæretico militi Friburgum tutanti adeò Capucini ſe inſinuarunt, ut plus octoginta, quos inter unus centurio, aliíque minores fuerant Officiales, hæreſi ejurata in manus Capucinorum Eccleſiæ Romanæ Sacramentum dixerint. Unus prædicantis inter ſuos munus uſurpans hanc converſionem militum ægerrimè tulit ; adeóque Capucinos ut impoſtores, & animarum ſeductores petulantiſſimè traduxit, aliísque indignis, & contumelioſis ſarcasmis proſcidit. Sed Deus inultas has ejus injurias eſſe non voluit, quin ſathanæ liberiorem in armigerum ſuum poteſtatem conceſſerit. Intempeſtâ ergò noctis hora contigit aliquando, hunc pſeudo-præconem in lecto ingentes extollere clamores : expergiſcuntur domeſtici, & horrendos hinc inde ſtrepitus, vocésque intermixtas planè terribiles percipiunt ; pereunti opem laturi concurrunt, eúmque è lecto à dæmone detractum, & ad medium coquinæ raptatum reperiunt, pænè exanimem, aſpectu deformem, terribilémque, quaſi laqueo ei gula confracta fuiſſet. Conquiruntur, & adhibentur remedia miſero ſibi reddendo opportu-

portunâ ; quem cùm & Capucini inviſerent , è periculo ſapere admonuerunt ; idque felici ſucceſſu : namque is dictis obediens , cum corporis etiam animæ ſanitatem recuperavit ; cùm hæreſin abominatus noſtris ſe ad Catholicum ritum præbuerit formandum , erudiendúmque.

In agro Neoburgenſi à Capucinis ibi adhuc morantibus unico anno XIII.
1651. ad quadraginta Lutheranorum in gremium S. Matris Eccleſiæ pel- .VX
lecti, traducti , & aſſerti fuerunt. Quod idem hi præſtiterunt in agro Lauffenburgenſi ; ubi ab anno 1658. uſque ad an. 1670. quotannis non minùs viginti animas ex Zvvingliana vicinia Eccleſiæ , cælóque lucrati ſunt. In valle Prechtenſi verò ſolus P. Generoſus tempore Apoſtolationis ſuæ octoginta utriusque ſexûs homines ad fidem convertit. In eadem valle Anno 1701. quædam mulier Luthero devota concionibus, & inſtructionibus Miſſionarii Capucini pro ea tempeſtate illuc excurrentis errorum ſuorum convicta , atque pertæſa ſaniorem apud Catholicos credendi , vivendique Regulam profeſſa eſt. Verùm propoſiti ſui minùs tenax à Lutheri domeſticis ſequiora ſe perſuaderi paſſa turpiſſimâ apoſtaſiâ ad vomitum rediit. Cùm autem hæc vitæ ſuæ dies paulatim emenſa, & animam actura in lectum fatalem componeretur , non defuerunt gratiæ excitantes tum intrinſecè , tum extrinſecè conſcientiam ejus lancinantes , atque ut ſordes errorum olim piè abjectas , & poſtliminiò impiè reſorptas catholicâ contritione , & tutioris dogmatis profeſſione denuò evomeret, urgentes. Verùm illa jam à Luthero ſoporata nil ſuperni luminis ampliùs admittebat. Quapropter eâ jam jam erroribus ſuis immoriturâ ecce tibi ! ingentem bubonum ædes circumvolitantium, & per feneſtram ad lectum agonizantis penetrantium catervam , quæ vix adhibitâ vi inde ſe abigi ſuſtinuerunt. Extra feneſtras autem exſpectantes cum anima infelici tandem avolârunt ; quò ? pronum eſt judicare ex viæ comitibus tetrô volucrum grege perſonatis. Teſtati id ſunt utriusque Religionis homines.

In agro Lindavienſi feliciori ſpolio hæreſi erepto gloriatus eſt P. Re- XIV.
natus Friburg. Confeſſarius , vir religioſiſſimus , ſuæque , & aliarum .I
animarum ſaluti intentiſſimus ; qui cum optimo nomine Rhenofeldæ die 13. Mart. 1673. denarium vitæ æternæ fidelibus in vinea Domini operariis repoſitum pia obdormitione adeptus eſt. Habuerat is civem quemdam Lutheri ſequacem, & Lindavienſem in pia familiaritate, inſtructione ſcilicet rituum Catholicorum, ad quos ille jam ab aliquamdiu propendebat, moriger , docilisque P. Renati diſcipulus. Hunc aliquando negotia extra urbem ſuam in locum diſtantiorem exegerant ; & dum intra Lindavium , & Tettnangam viâ ſua incederet, in facellum aliquod obvium divertit, ſeu quietem nonnullam capturus , ſeu aliquid precum perſoluturus. Eo inibi exiſtente ſubitò illud micantiſſimum , & ſplendore , ac lumine plus naturali refertiſſimum nitebat ; ipſáque adeò Deipara Virgo Maria glorioſè eidem apparens , & articulatis verbis illum ſuaviſſimè reſpiciens ad deferendas protinùs Lutheri ſuperſtitiones , amplexandámque Catholicæ veritatis anchoram cohortabatur. Hac viſione recreatus , gaudiisque ſpiritualibus inundans rectà ad ſuum P. Renatum conceſſit , & poſt enarra-

tam huic Marianæ apparitionis, & admonitionis gratiam, repudiatúmque hæreticum dogma sanctioris fidei professionem lætanter emittit, &, non attento exilio, bonorum confiscatione, & aliis persecutionibus ipsi à Magistratu suo in odium fidei intentatis, usque ad vitæ finem in ea permansit.

XV. Missio Stuttgardiana, de qua supra num. VIII. licèt aulica, propriissimè tamen Apostolica omnes Apostolici generis functiones exercuit. Serenissimus Hæres, & Dux Provincialis à P. Adalberto Uberlingano ad primam Communionem suscipiendam instructus, albis splendidissimè inductus, in templo elegantissimè exornato super hoc mysterio examinatus in plurima hominum frequentia, etiam Lutheranorum, liberrimè & solidissimè respondit, ac præmissâ publica fidei professione S. Synaxi refectus est. Anno 1739. Idipsum, eóque ritu, & fervore præstiterunt Serenissimi secundò-& tertiò geniti Principes, catechizante P. Hermenegildo Brisacense. Anno 1741. Eodem Anno P. Fulgentius ex Witislingen ibidem Excellentissimi D. Generalis de Pfuhl secundò genitum filium sacris Catholicis imbuit, & permittente, imò alente D. Parente hunc Instructorem, ad professionem fidei Orthodoxæ admisit. Anno 1740. Reverendissimus & Illustrissimus D. Suffraganeus Constantiensis Principi Juniori Sacramentum quatuor minorum ordinum; reliquis, & plurimis aliis Confirmationis ibidem contulit. Singulis diebus Dominicis, & festivis Conciones, Missæ cantatæ, & catecheses celebratæ fuerunt. Has Conciones cùm sæpiùs accederet Epheborum moderator Lutheranissimus, ac doctissimus, tandem herbam porrexit, & Lutherum abominatus, Romámque profectus ibidem Romanæ Ecclesiæ sacramentum dixit. Item Molitor Schorndorffensis cum uxore, & septem prolibus ab iisdem Missionariis ad Religionem Catholicam traducti fuerunt. Unus item gladiator, qui tamen ob persecutiones ad Lutherum externo duntaxat ritu resiliit, animo, ùt posteà sanctè protestatus est, Catholicus perstiturus. De hujus missionis injusta abolitione alibi dicetur, abolente gravissimas Deo Judici rationes postulando, seu postulanda.

XVI. Huc pertinet casus planè exoticus de quodam Præcone Argentinensi Lutheri professore, qui contracta cum Capucinis consuetudine, & hausta ab his articulorum nostrorum notitiâ mirabilem vitæ methodum sectari cæpit, ministerio hæreticus, desiderio Catholicus, imò Capucinus. Utebatur is Civi Oppenoviense sartore familiariùs, & hunc rogabat, uti à Capucinis Oppenoæ degentibus sibi Ordinis sui habitum licèt vilem, atque detritum procuraret, vel quadraginta florenorum pretio redimendum. Negat sartor talem à Capucinis impetrandum fore: hic verò illi in mandatis dat comparet suis sumptibus panni, quantum satis, & inde habitum ad morem Capucinorum conficiat: Paret ille, & imperata examussin facit. Insuper & hirsutum cilicium, flagella ferreis stellulis armata, pallium quoque, & cingulum, quali utuntur Capucini, sibi comparavit. His vestibus in musæo suo, uxore præsertim domo egressâ, indutus stupenda assumpsit exercitia: orabat, suspirabat, ubertim flebat, flagellis in seipsum desæviebat, aliá-

alláque fidem pœnè excedentia gerebat. Quia verò Argentorati non adeò ſe tutum cerneret, permutato urbano beneficio ad aliud rurale S. Oſvvaldi nuncupatum commigravit. Erant ædes Parochianæ nemori vicinæ, in quo plena devotioni, & auſteritati fræna indulſit ab omni hominum acceſſu ſecurus. Deerant homini adhuc ſandalia; quibus ut potiretur, Patri Edmundo Veldkirchenſi loci ſuperiori in ſequentem ſtylum ſupplicat:

Reverende Æſtimatiſſime Pater.

„ Suppliço pro denominato mihi pulchro precum libello ad ſolam „ ſalvificam Romano-Catholicam fidem confirmandam. Inſuper etiam „ rogo informari, quomodo Romanæ Religioni addictus inter Luthe- „ ranos veram Romano-Catholicam fidem exercere, nec non cum ſa- „ cro Capucinorum habitu manè, meridie, & veſpere preces ſuas con- „ formare valeat. Obſecro per miſericordiam Dei, Deiparæ, & S. „ Antonii amorem, quatenus mihi par ſacrorum Capucinorum calceo- „ rum dirigere velit; quos quidem largâ eleemoſyna compenſare ſtude- „ bo. Nam Deus ſanctiſſimus, & omnes ſancti ſunt teſtes mei, quòd „ eos non in abuſum, ſed in ſanctum uſum adhibiturus ſim, utpote „ qui ad ſtimulandum fervorem meum facere poſſint. In prædicta reli- „ gione vivere, & mori volo, promitto, & deſidero. Quidquid ad ſti- „ mulum majorem pertinet, rogo promoveatis. Ego ad omnia ero „ promptiſſimus, ad obedientiam veſtram adſtrictiſſimus, Domini no- „ ſtri J. C. Evangelium obſervare, in obedientia, in paupertate, & in „ caſtitate vivere ſummè deſidero. Valeatis, & faveatis huic Religio- „ ni, & Religioni Romanæ Catholicæ

P. S. *N. N. addictiſſimo.*

„ Reſponſionem avidiſſimè exſpecto, an uxoratus recipiatur in ſa- „ crum Ordinem Capucinorum, ut Frater.

P. Superior igitur hominem iſtum voti ſui compotem, & mirè exinde lætum fecit. Contigit aliquando memoratum ſartorem, Joan. Chriſtianum Bonn inuſitatum hunc anachoretam reviſendi cauſâ denuò in Alſatiam veniſſe; cum ecce eum graviter decumbentem reperit. Lætabatur ille non parum optato amici hujus adventu; cui idem in partem accitò ſequentia ad PP. Capucinos Oppenovienſes nuntianda commiſit: ſe nempè, ſi convaleſceret, certò, & intardatè ad Catholicos tranſiturum. Sin verò Deus aliter diſponeret, proteſtabatur ſerio, ſe non niſi ſenſu Catholico moriturum. Quia tamen dubius inter mortem, & vitam conſiſteret, Civem illum juſſit ad ſuperius Domûs ſuæ hypocauſtum aſcendere, & inde accipere, atque ad PP. Capucinos ſuos deferre, quæ lineo panno involuta, & colligata reperturus eſſet. Fecit ille, ut imperatus fuerat, & facta haud abſque mutuo luctu valedictione, habitum, pallium, ſandalia, cilicia, flagra, cingulum, & Regulam cum exercitiorum, aliisque libellis precatoriis ſimul compacta

ſecum ad Capucinos detulit, & P. Provinciali totam vitæ ſeriem hominis iſtius, & quæ ſibi ultimò demandaverat, enarravit. Conſtituerat P. Superior nonnunquam virum hunc inviſere, & quid ad plenam ejus converſionem factum opus eſſet, explorare: ſed aliis & aliis impedimentis propoſitum ad laconicas lunas protrahentibus ille mortuus eſt; qua morte, ſoli, qui juſtitias judicat, & voluntatem ſinceram, in vera facultatis inopia, coronat, notum eſt.

XVII. Cùm ſcriptio noſtra, ſi omnium plenarum, & individualium converſionum cum omnibus ſuis circumſtantiis recenſere vellemus, in immenſum excreſceret, dabimus in ſummario numerum hæreticorum à noſtris per omnes Conventus ad fidem converſorum, & ab hæreſi abſolutorum; prout hic numerus de capitulo ad capitulum adnotari juſſus Sac. Congregationi de propag. fid. idipſum exigenti Romam præſentari ſolet.

Ab Anno 1674. uſque ad ann. 1694. numerata ſunt quatuor millia ſexcenti nonaginta quinque.

Ab Anno 1694. uſque ad ann. 1714. tria millia centum novemdecim.

Ab Anno 1714. uſque ad ann. 1738. duo millia nongenti triginta unus.

Summa 10745.

§. II.

Prædicate, ſive Actiones Concionatorum.

I. BEnè non ignoramus, quòd hoc præceptum divinum: *prædicate*, primariò, & immediatè Apoſtolis, horúmque ſucceſſoribus Epiſcopis, & animarum paſtoribus datum ſit, & incumbat, hinc ſecundariò duntaxat nobis Regularibus, tanquam Ordinariorum ſubſidiariis dari ſoleat. Ita enim Seraphicus Pater Franciſcus cap. 9. Regulæ ſub gravi reatu culpæ fratribus inculcatum voluit, ne ſe muneri concionatorio ingerant non permiſſi ab Epiſcopo, & non vocati à Deo per Superiores ſuos. Hoc ipſum Conſtitutiones noſtræ ad SS. Concilii Trid. decretum ſeſſ. 5. c. 2. obedientiſſimè attendentes ſupra omnem modum nobis commendatum volunt. Suppoſitis autem vocatione Dei, licentia Epiſcopi, & approbatione P. Generalis Miniſtri Provincia noſtra, ad exemplum aliarum, quaſi ſibi ſpecialiter imperatum deſuper eſſet: *Prædicate*, à primævo maxima ſemper ſollicitudine Prædicatoribus efformandis, & cathedræ aptandis ſtuduit, præſcribens his competentem litteraturam, virtutes, exercitia, & qualitates, quibus concionaturi prædiți, ac dediti eſſe debeant; illósque his propemodùm verbis ad prædicandum Dei verbum emiſſos admonens: *Nunc ergo diſpone domum tuam* (comparando divinæ ſapientiæ, & ſcientiæ promptuarium) *& corripe populum tuum, & conſolare humiles eorum* (ad quos te vocari, mitti, & loqui contigerit) *& renuntia jam corruptelæ* (reſpectui humano) *& dimitte*

te abs te mortales cogitationes (ne velis potiùs placere, quàm prodeſſe) *& projice abs te pondera humana* (nimiam hominum familiaritatem) *& exue te jam infirmam naturam* (id eſt, cave à peccatis, ne aliis prædicans ipſe reprobus efficiaris) *& repone in unam partem moleſtiſſima tibi cogitamenta* (id eſt, ſecede in ſolitudinem, & excuſſis mundanis cæleſtibus vaca contemplationibus) *& feſtina transmigrare à temporalibus his* (hoc eſt, unam ſpecta gloriam Dei, & ſalutem animarum, non ſollicitus de oſtentatrice eloquentia, ſed de oſtenſione ſpiritus.) Hanc inſtructionem Deus Esdræ ad prædicandam Dei legem emittendo impertierat. 4. Esdræ cap. 14. & Provincia ſuis alumnis Miſſionariis eamdem ipſiſſimam tum in Conſtitutionibus Generalibus, tum monitis Provincialibus conſtanter ingerit; ſciens, quàm uberes inde fructus colligantur; quámque ad hos procurandos ex charitatis, & juſtitiæ titulis obligemur: ex charitate, quam debemus proximo: ex juſtitia, quam debemus benefactoribus ob ſuorum in nos bonorum largitiones. Fallar niſi huc trahi queant, quæ Paulus ad Philipp. 4. ſcripſerat: *Noſtis & vos, quòd nec una quidem Eccleſia mihi communicaverit in ratione dandi, & accipiendi*: communicarant in ratione dandi carnalia, ſeu temporalia, & accipiendi ſpiritualia &c. Chryſoſt. hic.

Neque enim ſine ſpeciali Numinis diſpoſitione factum eſſe putandum II.
eſt, quòd potiores Conventus noſtri eò maximè reſpectu à Magnatibus, Urbibus, Statibus, & Communitatibus in territoria ſua expediti, deſiderati, admiſſi, erectique fuerint, ut in Capucinis haberent ſubſidiarios paſtorum ſuorum Cooperatores, & præſertim verbi divini Prædicatores Apoſtolicâ hac functione earumdem Communitatum, urbium &c. beneficentiam promerituros: & hoc eſt communicare mutuò in ratione dandi (ſed gratuitò) temporalia, & accipiendi ſpiritualia. Quapropter mox ab inchoatâ locorum noſtrorum habitatione ab Ordinariis animarum quæſtoribus hujusmodi noviter conductis in vineam Domini operariis aut Dominicalis, aut Feſtivalis, aut promiſcua, & alternativa, aut etiam potior cathedrarum ſuarum adminiſtratio concredita fuit; quem in finem in omnibus propè Conventibus ordinarius Prædicator conſtitui ſolet; cui præter ſubſidiarias per annum conciones præſertim Quadrageſimalia, & Adventualia integrè permittuntur, eo ſanè lucri ſpiritualis proventu, ut auditores paſſim copioſè poſt pauperes ejusmodi concionatores abeant, confluant, libentérque eos audiant, an fortè, quòd pauperes ſunt? Infelix ille dives apud Lucam cap. 16. rogavit fratribus ſuis Lazarum Prædicatorem mitti, ſed cur Lazarum, & non potiùs Abrahamum ipſum, tanquam virum ſapientiâ, & opibus potentem, Miſſionarium exorat? certè non alia id ratione, quàm quia dives ille ſibi perſuaſum habuerat, quòd major fides pauperi Lazaro, quàm opulento Abrahamo ab auditoribus adhibenda eſſet. Sylveira hic. Ideò utcunque aliqui Apoſtolica, ſi ſuperis placet, æmulatione capti, & prædicationis monopolium affectantes Capucinos è cathedris extrudere moliantur; nil tamen efficiunt, plebe magis Lazarum, quàm Abrahamum exoptante Prædicatorem.

Inſuper quilibet Conventus hoſpitatur Concionatores compitalitios; III.

ſive omni occaſioni, viæ, loco, & obedientiæ paratos ad ſuccurrendum ſui diſtrictûs paſtoribus ſeu abſentibus, ſeu infirmis, ſeu aliàs impeditis, ſive etiam mortuis, paſcendúmque verbo divino, vel catechizandum eorum gregem; quò aut pro arbitrio Parochorum ſubſidia poſtulantium, aut ex diuturna conſuetudine ſtatis per annum feſtis (unde Miſſiones hujusmodi temporariæ alibi ſtationes, odioſum Vaneſpio nomen, & res, vocantur) evocari, emitti, & excurrere ſolent. Quomodo verò id fiat, & fieri debeat, Seraphicus Doctor Bonaventura eleganti ſimilitudine ex Luc. c. 5. mutuata de Religionibus mendicantibus inſinuat: *Illas*, inquiens, *præfiguratas per Joannem, & ſocios ejus, qui Petro, & Andreæ in mari laborantibus, & præ multitudine piſcium, rete ad terram trahere non valentibus ex alia navi; ſcilicèt ex vita contemplativa, in adjutorium vocati ſunt.* Ac deinde ſubdit: *nos ſumus illi pauperes, qui remanentes manipulos ſegetum, & ſpicas decidentes poſt meſſores, & racemos relictas in vinea colligere debemus; id eſt, illas reliquias, quas plebani, qui habent officium in plebe ſua docendi, & colligendi, relinquunt, ut eas ex arca Eccleſiæ ad horreum cæleſtis patriæ referamus.* Ac tandem concludens ait: *Temperatiſſimè ſic diſpoſuit divina ſapientia, & inſtituit Sedes Apoſtolica, ut per Ordines prænotatos in prædicatione &c. defectus Cleri ſuppleantur, & animæ ſalventur, & nec in temporalibus, nec ſpiritualibus jus Clericorum aliquatenùs violetur.* S. Bonav. Tract. *Quare fratres minores prædicent.*

II.

IV. Ex cauſis rationabilibus, & ad imitationem aliorum, qui functiones ſuas Miſſionarias quàm diligentiſſimè annumerant, & in cenſum inſignium meritorum computatas Romæ ad ſui commendationem deprædicant, ab annis circiter viginti tribus etiam à noſtris Conciones, & Catecheſes de Capitulo ad Capitulum habitæ numerari, & à quolibet Conventu exhiberi cæperunt; & ab Anno 1720. usque ad an. 1738. ſuperficialiter duntaxat calculatæ numerum confecerunt Conciones quidem 65081. Catecheſes autem 5017.

§. III.

Mortuos ſuſcitate, ſeu Actiones Confeſſariorum.

I. USitatiſſima tum Aſcetis, tum verbi divini Explanatoribus peccati, & mortis peccatoris pœnitentis, & mortui reſuſcitati Analogia à Chriſto Domino in redivivo Lazaro adumbrata anſam nobis præbuit arguendi, quòd Confeſſarii non aptiori formula ad ſedendum pro Tribunali, ſuóque officio fugendum animari, & amandari poſſent, quàm: *Mortuos ſuſcitate:* In argumenti vim authoritate S. Auguſtini utimur, dicentis: *majus, ac divinius eſt unum peccatorem convertere* (hujus converſionem adjuvare, ſive illi Miniſtrare) *quàm alios & alios mortuos ſuſcitare.* Auguſt. apud Haymon in Geneſ. c. 21. v. 16. Concordant. 45. num. 2. Tam parum tamen hæc divina juſſio immediatè Religioſos attingit, quàm anterior: *Prædicate.*

Cùm

Cùm uſque ad ſæculum XIII. obtinuerit, ut confeſſio facta alieno ſacerdoti, & abſolutio ab illo ſine licentia proprii ſacerdotis obtenta invalida reputaretur. Neque ulli eo tempore licebat præter proprium ſacer- III
dotem alium Confeſſarium, à quo validè abſolveretur, eligere, niſi ſpeciali privilegio eſſe munitus, uti colligitur ex cap. fin. de Pœnit. & Remiſſ. At exortis eo, & ſequenti ſæculo Fratribus Mendicantibus, conceſſum iis fuit à variis Pontificibus, ut fidelium ad eos accedentium Confeſſiones liberè excipere; iisque convenientes pœnitentias, & debitè diſpoſitis abſolutionem impartiri valeant, quibus etiam ipſi Epiſcopi eamdem facultatem dare cæperunt. Ut tamen jura propriorum Parochorum immunia permanerent, Pontifices, & Epiſcopi in prædictis facultatibus ſemper cum hac clauſula caverunt: ut fideles ſemel in Anno ſaltem Parocho proprio confiteantur. Sic Martinus IV. Anno 1281. in terminis; & ſucceſſores ejus usque huc circa hujusmodi Privilegia Fratribus Minoribus impertita juri Parochorum proſpexerunt.

Quamquam deinceps per ſpeciale Privilegium, quod habetur cap. II.
Dudùm &c. de ſepulturis in 6. F. F. Minoribus data fuerit poteſtas Confeſſionis ſæcularium audiendi tanta, & non amplior quanta curatis, & Parochialibus Sacerdotibus eſt à jure conceſſa; in quod privilegium tota Eccleſia in univerſali Concilio Viennenſi congregata ſub Clemente V. Anno 1311. conſenſit; ac propterea habetur pars Juris Communis. Et licèt Capucini tanquam legitimi, & veri Fratres Minores dictum Privilegium legitimè uſurpare potuiſſent: attamen huic quaſi à noſtra Reformatione renuntiatum; & vi conſtitutionum noſtrarum cautum fuit, ne uſus ſæcularium confeſſiones audiendi unquam introducatur. &c. Et cùm hoc non obſtante Capucini à ſæcularibus inſtantiſſimè ad eorum confeſſiones audiendas rogarentur, & ob id P. Generalis Hieronymus importuna moleſtiâ premeretur, Pontifici ſupplicatum fuit, ut antiqua Ordinis Conſtitutio, qua fratres ab audiendis ſæcularium Confeſſionibus prohibebantur, immota Apoſtolico præcepto ſtabiliretur; Patrum petitioni annuens Gregorius XIV. in Bulla: *Decet Seraphicam*, die 1. Jun. 1591. inhibuit, ne Capucini prædictis Confeſſionibus occupari queant. Helvetica nihilominùs Provincia concedente Gregorio XIII. hoc onus ſuſcepit, atque conſentientibus Ordinis ſuperioribus uſque huc non ſine fructu maximo exercuit; quem uſum denuò ſingulariter, & abſolutè confirmavit definitio Generalis Capituli 1650. ampliùs verò corroboravit utraque SS. Congregatio de Propagand. Fide, & S. Officii univerſalis inquiſitionis; & uſus hic in diviſione Provinciarum etiam ad noſtram ut diviſam ab Helvetia Anterior-Auſtriacam Provinciam propagatus tranſiit; quin vel noſtra, vel illa præfatâ Gregorii XIV. prohibitione conſtringatur, cùm uſui, & juri communi, ac conſuetudini, quæ legum interpres communiter habetur, innitatur. Hæc quidem hiſtoricè. quid autem Theologicè, & qualis mos, & uſus apud nos ſit inſtituendi, deſignandi, & approbandi Confeſſarios noſtros præ ſecularibus, lectorem ad ſcholas, & authores noſtros remittimus. Nobis ſufficit, quòd eumdem uſum audiendi ſæcularium Confeſſiones optima IV
fide,

fide, tantóque ſudore noſtro, quanto pœnitentium auxilio, & ſolatio hodiéque practicemus.

III. Et verò ut aliquid producamus, quod ad demonſtrandam ſupradictam Analogiam inter confeſſiones audire, adminiſtraréque pœnitentiæ Sacramentum, & inter mortuos ſuſcitare faciat, non pauca ſuppetunt exempla, quibus pateſcat, quòd noſtri nonnullos obduratos, & jam jam deſperabundos, atque in ſepulchro ſcelerum ſuorum non ſolùm profundè dormientes; ſed & fætentes, operâ ſuâ, cooperatâ S. Spiritûs gratiâ, á morte quaſi ad vitam gratiæ reſuſcitaverint peccatores.

Nonnemo Annonymus toto vitæ curriculo immanibus quidem ſceleribus ſe ipſum contaminaverat; eadem tamen in Confeſſionali reticens ſacrilegia ſacrilegiis cumulaverat. Aliquando ſtimulis à divina clementia ſibi immiſſis excitatus ad Capucinos concedit è tumulo criminum ſuorum reſuſcitandus. Et quamquam in via vi quadam occulta retraheretur, tamen propoſito ſuo inhærens iter proſequitur. Ad portam Monaſterii perveniens pulſat prima, ſecunda, tertia vice; ſemper tamen tintinnabulum mutum reperit; ita ut retrocedens ad quosdam ibi ſtantes quæreret: num Capucini hîc habitarent; affirmantibus unus eorum homini obſequium præſtiturus leniter pulſans ſtatim campanulam habuit clamantem; qua audita mox adeſt Janitor, à quo annonymus rogat Confeſſarium in Eccleſiam mitti. Illicò comparet unus, & annonymus coram eo genuflexus prævie miſerandum ſtatum ſuum exponens rogat benignas ſibi generalem confeſſionem facturo aures præberi: cui confeſſarius animos addit, opem offert, & fiduciam auget. Eo autem confeſſionem vix auſpicato, audiuntur rumores ad templi fores; & Confeſſarius eos cohibiturus nonnihil ſurgit, vidétque propè januam vetulum quemdam ruſticulum, capite calvo, & barbâ breviuſculâ accuminatim attonſâ, ſuſpenſo gradu ad clathrum, & confeſſionale uſque progredientem. Eò cùm perveniſſet, aures ad pœnitentis caput (absque eo ut ille adverterit) protendit; ſed ſtatim ſe retrahens, quaſi pœnitentis verba minùs ſibi placerent, capitis motu indicabat. Vidit hæc quidem P. Confeſſionarius; ne tamen confitentem interturbaret, credens illum importunum auſcultatorem nil intellexiſſe confeſſionis, diſſimulavit. Cùm verò bis térve ſeniculus ille idem frequentaret, indignabundus tandem Confeſſionarius inſolentem illum acerbiùs objurgare ſtatuit. Sed ecce! momento homunculus ille ſe vertens ad fores templi recedit; ubi iterùm quaſi plurium altercantium voces audiuntur, etſi Confeſſarius neminem videret, niſi quòd ſubitò tremor medullas ejus pervaderet. Finita confeſſione pœnitenti ennumerat, quid viderit: pœnitens viciſſim recenſet, quantam tum in via, tum in pulſato tintinnabulo, tum in confeſſionali reſiſtentiam inviſibilem perpeſſus ſit: credunt ambo hunc peregrinum hominem malum dæmonem fuiſſe peccatoris hujus converſionem impedire conatum. Hinc iſte quaſi victoria contra diabolum lætus, & faſſus eſt, ſe jam quaſi recenter natum, ſeu redivivum, atque conſolatiſſimum eſſe.

IV. Mirabilius, quod Anno 1669. in quodam Provinciæ loco contigit; ubi

ubi quidam in publica eximiæ virtutis exiſtimatione conſtitutus, & aliàs authoritate, opibúsque potens fatali ægritudine ad extrema deductus patrem loci Guardianum ad ſe vocavit; quem comparentem triſtis interrogavit, num judicet ſibi ſpem veniæ ſupereſſe? quid nî reſpondit Guardianus ſubridens, & admiranti ſimilis, quòd tanti nominis homo de miſericordia Dei ſibi impendenda ambigeret. Sed ille, Reverentiam veſtram ſcire velim, ait, me quadraginta annis barbâ pallióque ſanctimoniam ſimulâſſe, & ſub chriſtianæ devotionis purpura fædiſſimam aluiſſe ſimiam. Quidquid demùm ſit, Confeſſarius regeſſit, ſinceræ, & integræ confeſſionis virtute omnia oblitterabuntur. His animatus iſte antequam confiteri inciperet, ſequentia narrat: quadraginta annis ſæpiſſimè ad ſpeciem confeſſus conſcientiam turpiſſimis ſceleribus inquinatam Confeſſori numquam manifeſtavi; quam deinceps ſacrilegis communionibus, & ſubſequis peccatorum immunditiis adhuc magis defædavi. At verò tantus licèt peccator B. V. Mariam, & B. Fidelem Martyrem veſtrum conſtanti veneratione proſecutus eos ſæpiſſimè in Eccleſia veſtra deprecabundus acceſſi, uti non permittant me absque vera, & ſincera confeſſione ex hac vita decedere. Inter hæc dum ſemel in lecto anxius peccata mea revolverem, & viam, quâ ex tanto implexæ mentis labyrintho me expedirem, mecum conſultarem, ecce! aſpectabilem ſe mihi offert venerabilis P. Fidelis pallio amictus, & cum eodem alius quispiam S. Franciſci Xaverii ſpeciem referens, qui reductâ lectuli cortinâ torvos in me obliquabant oculos. Gaudio, & timore obrutus altùm poſt B. Fidelem ſuccłamavi eúmque pallio apprehendere conatus ſum: ſed uterque cælitum ex oculis evanuit. Exinde autem ampliores conduxi preces in Eccleſia veſtra fundendas, quibus meas ſuperaddidi ſuppliciſſimas, ut B. V. Maria & B. Fidelis mihi gratiam exorent perniciofiſſimam ſuperandi verecundiam, quæ me hactenùs tantis illigavit criminibus; & cùm aliquando de nocte iisdem inſtantiis vacarem, propè lectum præſentem, & clarè conſpicuam habui miſericordiſſimam Matrem eo habitu, quo in Eccleſia veſtra proſtat unâ manu divinum Jeſulum, altera cranium B. Fidelis ſuſtinentem; quæ me vultu gratiis pleno intuita momento omnem illum præpoſterum, noxiúmque pudorem tot annis ſacrilegè propagatum penitiſſimè abſterſit; ita ut jam fixum mihi ſit conſcientiam meam in aures veſtras exonerare. Id poſtquam factum, & miſer à peccatis abſolutus, & pænitentiatus fuiſſet, is jam novus homo lætitiis geſtiens, & incurius mortis proximè ſibi inſtantis poſt aliquos dies maximâ ſpiritûs conſolatione hinc deceſſit.

V. Aliorum hujusmodi hominum in peccatis inveteratorum, & à noſtris Confeſſariis ad vitam meliorem revocatorum numerus utcunque magnus, datâ operâ tamen incertus eſt. Quantus verò pænitentium confluxus in omnibus Provinciæ Conventibus per omnes majores Eccleſiæ, & Ordinis Feſtivitates, utpote in Jubilæis, indulgentiis, & quadraginta horarum comprecationibus confeſſionalia obruat, & quaſi obſidione cingat, ut Confeſſarii noſtri à ſummo manè uſque ad meridiem & ultra audiendis, judicandis, dehortandis, inſtruendis, & abſolvendis pænitentibus defatigentur, manifeſtius eſſe arbitramur, quàm ut narratione indigeat. Quan-

to autem labore, & incommodo id fiat ; quanto ſuo, & pænitentium periculo, ut rectè fiat ; experti nôrunt. Quanto merito id agatur, experientur, qui rectè id egerint. Quanta ſcientia, prudentia, & virtutibus, ut rectè agatur, prædiți eſſe debeant Confeſſores, ipſi viderint. Noſtrum eſt ſupponere, omnia benè agi, cùm aguntur ; & recenſere, quæ aguntur.

Ab Anno 1674. uſque ad ann. 1694. numerus pænitentium per noſtros abſolutorum Sac. Congregationi exhibitus quatuordecim milliones, & quinquies centena millia fuerat.

Ab Anno 1694. uſque ad annum 1717. ſexdecim milliones ſexies centena quadraginta ſeptem millia ſexcenti nonaginta quinque.

Ab Anno 1717. uſque ad annum 1738. ſeptemdecim milliones quinquies centena tredecim millia centum quinquaginta novem.

Summa Summarum 48660854. id eſt

Quadraginta octo milliones ſexcenties ſexaginta millia octingenti quinquagiuta quatuor.

§. IV.

Infirmos curate, ſeu Actiones Operariorum.

I. NOn eo ſenſu, quo Chriſtus Apoſtolos ſuos infirmos curare, id eſt ſanare juſſit, eisque id faciendi thavmaturgas ſimul manus, & virtutem prodigiosè medicam contulit ; ſed quatenùs : *infirmos curate*, idem eſt, ac curam habere infirmorum, & ad mortem decumbentium in Ordine ad horum æternam ſalutem procurandam ; Evangelicum illud Chriſti mandatum, veluti unum idémque cum præcepto charitatis, ſive hujus exhibitio, directiſſimè nos aliis nominibus proximo obſtrictos contingit : aut certè quaſi Provinciam noſtram nominatim, & peculiariter contingeret ; ita illud diligentiſſimè explere ſemper in primis habuit curis ; cùm in quolibet ſuorum Conventuum ſpeciales Operarios conſtituere ſoleat, quibus cum obedientiæ merito incumbat ægrotantibus auxilio, & ſolatio ſpirituali adeſſe, moribundos ad pænitentiam, confeſſionem, & reliqua ſacramenta, tum adhortari, tum adjuvare ; triſtes, & mediculoſos chriſtianarum virtutum actibus erigere, & obfirmare ; ad fortiter ſubeundam decretoriam luctam piis aſpirationibus animare ; animásque corpore egreſſuras recto itinere ad cælum dirigere, atque tranſcribere. His talibus ſubſidiariis Parochorum animarum curatoribus amor addit alas omni hora, & momento, ad quoscunque ægrotos, in quascunque ædes ſive vicinas, ſive diſtantes, ſive opulentas, ſive pauperes, ſive morbo contagioſo infames, ſive pædore, & fœtore graveolentes ; ſive ad Magnatum palatia, & Sabæîs fumantia hedychiis cubilia, ſive ad æruſcatorum gurguſtia, aut triobolarium hominum grabata currendi, & indigentibus generosâ commodi, vitæque ſuæ incuriâ ſuccurrendi ; quibus animarum ſalus teſſera ; & horum causâ mori lucrum

crum eſt ; ut qui tanta charitate accenſi , quanta Theologiâ imbuti præcepto ſibi ducunt pro redimenda , aut procuranda proximi ſalute vitam propriam profundere , docente id D. Thom. 2. 2. q. 26. a. 2. ad 3.

II. Horum , qui à primævo ex noſtris Operariis infirmorum , & præſertim lue epidemica infectorum obſequiis ſe addixerunt , & ab iis eumdem morbum , & mortem attraxerunt , Elenchum quemdam , non quaſi ad meritorum oſtentationem , ſed ad perennem Poſterorum noſtrorum adhortationem , dabimus , eósque , aut eorum aliquos (aliqui enim horum ob alia virtutum exempla jam in Prædicam. Qualit. §. 1. commemorati ſunt) tanquam glorioſas charitatis victimas , ceu imitationis illicia recenſendos duximus ; quos quidem , ſicut & alios in dicto Prædic. & alibi recenſitos , non eatenùs noſtros facimus , quaſi in hac Provincia ut Anterior - Auſtriaca vixerint ; ſed quatenùs à nativitate , & Patria politico reſpectu aut ad Domum Auſtriacam , aut ad Romanum Imperium aliquatenùs referebantur. Horum igitur commendatione nil honori almæ Provinciæ Helveticæ , cujus illi membra fuerunt derogatum volumus ; ſicut noſtro nil inde arrogamus , utpote exempla virtutum in illis ſpectaturi. Procedemus autem ſecundùm annorum ſeriem.

III. P. Petrus Martyr Viennenſis ſpectabili familia ſatus exteras quoque regiones , Illuſtrium more , luſtraturus fauſta itineratione in Capucinos hujusce tum Helveto - Suevicæ Provinciæ incidit ; quorum vitæ ratio , habitus , Communitas , & contemptrix opum paupertas altiùs conſiderata adeò animum ejus rapuit , illíque talem aliarum rerum porrò videndarum , aut habendarum nauſeam attulit , ut & ipſi horum unus eſſe conſtituerit , & pro S. Ordine ſupplex , attentâ legitimâ ejus vocatione , ſuſcipi promeruerit. Igitur omnem ſpectatiſſimæ Patriæ , & Parentelæ cogitatum exutus docillimum ſe Seraphicarum legum ſcholarem præbuit , ac exiguis ſpatiis perfectiores quoque religioſæ vitæ curſu aſſecutus eſt : Hinc pro perfectionis menſura ad officium Guardianiæ maturiùs , quàm mos ferebat , tractus inculpato regimine ampliorum ſe capacem , dignúmque monſtravit. Sed aliter viſum clementiſſimo Deo , qui abbreviando ſervi ſui dies in Cœlo eum magnificandum cenſuit. Dum enim , graſſante in Agrum Abbatis - Cellanum ſæviſſimâ peſtilentia , nomen , quod gerebat , Martyris charitate adimpleturus contagione afflatis apoſtolicâ charitate inſerviiſſet , & ipſe veneno correptus Pfannereggii , domicilio ſororum 3. Regulæ S. P. Franciſci , generoſum ſpiritum ſacris Eccleſiaſticis ſaginatum cum maxima Monialium ædificatione emiſit 15. Septemb. 1611. ibidem , cùm propter territorium Calvino hæreticum cadaveri ad Conventum Capucinorum deportando non pateret tranſitus , tumulatus , gratulatis ſibi devotis ſororibus Theſaurum famâ ſanctitatis pretioſum ; quam Cœlum ipſum luculentis teſtimoniis manifeſtam voluit. Fuerat in dicto Monaſterio piiſſima virgo Ordinis Candidata , quæ tam periculoſâ pareſi omnium membrorum uſu deſtituebatur , ut de gratiâ aſſequendæ profeſſionis deſperans ad ſæculum , & Patriam triſtis ſe remittendam formidaret. Cùm

verò Cadaver P. Petri tumulo inferendum in Ecclesia, Monialibus interim officium Defunctorum comprecantibus, expositum esset, elumbis virgo privata devotione excitata ad feretrum portari instanter rogavit: quò pertingens calidissimis Deum per suffragia P. Petri suspiriis pro incolumitate sua deprecata est. Et ecce! stupentibus universis ægra in pedes erigitur, totámque se à prioribus morbi compedibus solutam gloriatur; ut adeóque Ordini idonea ad religiosa vota suo tempore admissa fuerit.

Alia ibidem novitia à maligno spiritu tam latenter infessa, ut nemo id adverterit, ante tumbam P. Petri cum aliis monialibus devotè orans subitò horrendùm gesticulari miserè detorqueri, dentibus stridere, oculis scintillare, & clamoribus inconditis omnia replere cæpit. Tandem stygius hospes meritis P. Petri compulsus apertiùs jam egressum suum quàm ingressum celebrans domicilium Deo sacrandum reliquit, & Virginem deinceps plenè liberam permisit. Aliæ aliis gratiis potitæ privato cultu eas P. Petri reliquias velut sacras impensè venerabantur; quas, cùm Monasterium suum aliò transferrent, eò etiam translaturæ reperiunt post aliqua lustra resoluto in cineres reliquo cadavere caput incorruptum, & quasi hodie primùm in terram defossum. Hoc ergò cum tunica pariter adhuc integra secum ad novum Monasterium trahunt, & honesto loco deponunt.

IV. Anno 1629. P. Alexius Spirensis, ut sup. in Prædic. Qual. §. 1. num. 4. Litt. A. P. Appollinaris Sigmaringanus ibid. num 10. P. Jovita Rottenburgensis ibid. Litt. I. n. 10.

V. P. Constantinus ex Schinen, de quo in Prædicam. Passionis plura. Ut Guardianus Friburgi ingruente epidemicâ lue præcedentiæ sibi ab officio debitæ in exhibendæ infectis curæ occasionem usurpavit, diúque noctúque illis juvandis accinctus stetit, ac tanta promptitudine agonizantibus remedia, & monita salutis propinavit, quasi in torneamento quodam equestri pro laureola aliqua ipsi currendum & certandum esset: sic autem cucurrit, ut braviúm, eamdem primo pestilentiam, quam sibi ut lucrum ingens gratulabatur; tunc & mortem, atque tertiò, ut nemo unquam dubitaverat, æternæ felicitatis accepit Friburgi 25. Oct. 1633. cum eximiæ sanctitatis opinione extinctus. P. Nicolaus Constant. de quo in Prædic. Qual. Litt. N. n. 1.

Anno 1634. P. Thesaurus Constantiensis jam peste afflatus, brevi que moriturus, voto tamen à P. Theodoro Salemitano in salutem & amorem P. Thesauri ad B. V. M. facto miraculosè incolumis evasit; & ipse P. Theodorus iisdem pestiferorum obsequiis mancipatus, & consumptus est.

Anno 1635. Sylverius Uberlinganus in hospitio patriæ suæ superior tres tantùm sub se fratres habens in publica epidemiæ calamitate illis exemplo præivit infirmos ad piam mortem juvando; illísque etiam præivit mortem ex charitate oppetiendo, eadem lue extinctus.

Eodem Anno Cellæ quoque cæterorum Superior P. Conradus Friburgens. Brisgojus in eodem famulatu peste infectorum simili genere mortis

per

per quàm gloriosè occubuit. Socium is in officio Ordinis, & charitatis habuit P. Marcellinum Cellenſem Engæ Superiorem; qui & ipſe vitam in aliorum ſalutem prodegit, peſtéque attractâ mortuus eſt. Item P. Andreas Mengenſis, & P. Richardus Conſtantienſis, de quibus ſupra in Qualit.

Anno 1635. P. Elias Friburgenſis Apoſtolico zelo armatus & ipſe contemptu mortis ad mortem properavit, ut plurimos ad vitam promoveret æternam, is ſuam profudit temporalem. Contagione admiſsâ Uberlingæ decumbens aliquando ſub intempeſtæ noctis ſilentio altùm exclamare cæpit: Confeſſarium! Confeſſarium! advolat ſtatim, & imperterritus P. Engelhardus Wangenſis. In ipſo confeſſionis conatu veneni vis pectus confitentis occupat, ut hic ambabus manibus caput ſuum complectens valido clamore perſonuerit: Jeſus, Maria! & hanc ſanctam vocem ſpirans ſanctè exſpiravit: quem poſt triduum in eandem viam ſecutus eſt prædictus P. Engelhardus inter martyres incruentos accenſitus. Patribus etiam fratres laici charitatis, & præmii adhæſerunt ſocii.

VI. Annis ſiquidem præfatis P. Nicolaus Conſtantienſis Briſaci in noſocomio contagioſo amantiſſimè inſerviit peſte laborantibus; in quorum cenſum ipſemet quoque delapſus gaudens animam efflavit charitatis mercede præmiandam. Eodem mortis genere F. Gerardus Uberlinganus in obſequiorum peſtiferis exhibitorum remunerationem corripi, & ad præmia ſimilibus ſtatura pertingere promeruit.

F. Hortulanus Lauffenburgenſis præter omnium aliarum virtutum ornatum maxima in proximum charitate accenſus nil adeò exoptavit, quàm in aliorum obſequiis vitam ſuam impendere, voti compos Lindavii morientibus in auxilium datus eſt; quibus pro conditione ſtatus ſui fideliſſimè famulatus eſt, puſillanimes confortando, omnes officiis opportunis proſequendo, medicinas applicando, & in abſentia ſacerdotum agonizantibus pia ſuſpiria acclamando. Tandem & ipſe morbidæ phagedænæ complex adeò non territus fuit, ut gratulantis in modum in Dei laudes proruperit, & mortem benè venire juſſerit. Succeſſivè ad extrema deductus, & jam jam exſpiraturus ad cælum extatico ſimilis ſuſpiravit: *Adhùc parùm Domine*! idque quater repetiit. Poſt hæc ſubridens addidit: *ſatis eſt Domine.* Et gradatim hilariter, ac diſtinctè Alleluja ter, unum altero altiùs decantavit; & ſic tertium illud Alleluja pronuntians exſpiravit.

VII. Anno 1669. P. Raymundus ex Altenſtatt Sacellanum quemdam Wilerſtadienſem puſtulis hærediariis infectum, ac eapropter ab omnibus derelictum impellente charitate intrepidus acceſſit, & ad mortem diſpoſuit; à quo ipſemet hunc morbum attraxit, in eóque de illius cauſa gratulabundus finivit; ſed meliorem auſpicatus eſt vitam Wilerſtadii 8. Jun. anno prædicto.

Anno 1675. P. Jo. Evangeliſta Lauffenburgenſis paulò poſt ſtudia abſoluta Uberlingæ contagioſa febri paſſim in homines graſſante, ad decumbentium obſequia ardens ſibimet eamdem febrim conflavit; qua etiam conſumptus obiit 6. Febr.

Eodem anno in variis Conventibus, & locis, Rhenofeldenſi, Offenburgenſi,

burgensi, Marchio-Badensi, & Wilerstadiensi aliqui officiorum suorum moribundis præstitorum liberalitate mortem ; morte verò vitam sempiternam nundinati sunt. Anno 1690. exitiali lue in agro Lauffenburgensi plurimos incolarum abripiente, præter P. Renatum Lauffenburg. supra in Qual. relatum, F. Joannes Constantiensis laicus promptissima charitatis officia moribundis tamdiu exhibuit, donec ipsemet quoque incentivo morbo prostratus lubens victima cecidisset.

VIII. Anno 1713. Friburgo Brisgojæ per Gallos victores inducta fuit pestilentissima febris, qua afflati tum civium, tum militum plurimi suffocabantur ; ad quorum spiritualia juvamina, detrectantibus propè aliis molestam hanc provinciam, Capucini sponte se obtulerunt ; quos inter P. Bernardus ex Kiechelsperg Concionator. P. Christianus Constantiensis Confessarius. P. Matthæus Veldkirchensis absolutus studiosus. P. Marcellianus Uberlinganus absolut. Stud. F. Wendelinus Rottenburg. laicus eidem epidemiæ succubuerunt.

Anno 1714. Idem malum per milites hybernantes Veldkirchium usque propagatum complures & cives, & milites sustulit ; in quorum Apostolica cura animas suas exhalârunt P. Concordius Trochtelfinganus. P. Prosper Bludentinus. P. Gratianus Veldkirchensis. P. Adrianus Bludentinus. Anno 1734. pestilentâ febri diriùs Brisaci in militem præsidiarium grassante Capucini vicem pastorum castrensium obeuntes, & moribundis assistentes & sibi asciverunt venenum, & hoc Monasterio intulerunt, ut inde funera evaserint P. Adelricus Veldkirchens. Concionator. P. Pancratius Constantiensis Conc. P. Samuel Uberlinganus Confessarius. F. Sidonius Constantiensis Clericus. F. Colomannus ex Schnirpflingen Cler.

Anno 1743. in simili fato, & castrensi animarum curâ occupati Friburgenses Capucini, dum alios ad mortem felicter obeundam adjuvârunt, mortem sibimet accelerârunt haud levi Provinciæ damno, suo tamen, ùt speramus, maximo lucro, P. Venustus Günzburgensis Concion. P. Adamus Friburgensis Concionator. P. Constantius ex Ettenheimb Concionator &c.

IX. Hi omnes, & plures innominati in ipso charitatis exercitio mortem actu oppetierunt, accedente S. obedientiæ merito haud immeritò incruentis Christi martyribus accensendi. Quamquam enim in rigore theologico martyres non sint ; eò quòd tales nullam vim externam passi ; neque pro veritate fidei ab hostibus perempti fuerint ; neque Christi patientis similitudinem referant : tamen ab heroicis maximæ charitatis actibus (qualibus insigniuntur martyres) sunt omninò ùt martyres commendandi ; sicut & in Martyrologio hisce verbis dilaudantur : *Romæ commemoratio Presbyterorum, Diaconorum, & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imperatoris, cùm pestis sævissima grassaretur, morbo pestilentiæ laborantibus ministrantes libentissimè mortem oppetiêre ; quos velut Martyres religiosa piorum fides venerari consuevit.* Horum charitatem martyrio supparem S. Dionys. Episc. Alexandrinus Epist. ad Hieracem Episcopum, quæ exstat apud Eusebium Histor. l. 7. cap. 16. eximiis laudibus exornavit.

X. Neque istis minus præmium meruerunt, qui licèt in talis curæ charitativæ

tativæ exercitio non obierint, quia divina misericordia à veneno aut servatos, aut curatos ad majora animarum lucra sospitandos illos censuit; tamen eadem Dei & proximi amore vitæ discrimina adierunt. Sic Anno 1633. Friburgo sub hujusmodi pestiferæ calamitatis incude constituto, post P. Constantinum à Schina morte sublatum, alii & alii Patres, quos inter maximè P. Henricus Biberacensis, peste infectorum obsequiis se se addixerunt, & inter eos versati à veneno immunes permanserunt. Anno 1635. pestis sævissima grassabatur Rottenburgi, ita ut ultra bis millenos homines ibi, & in vicinia hoc malo delerentur. Hoc tempore nostri studiosissimè ægris inserviebant, calidâ decumbentium, & morientium hypocaustа sine terrore ingrediebantur, & amantissimè illos ad transitum disponebant. Horum coryphæus P. Clemens Weingartensis maximam inde laudem tulerat; absque tamen quòd unquam auram contagiosam conceperit. Cujus causam is soli sacræ obedientiæ tribuere solebat, quâ ducente ita intrepidus morbo, & morti adeò impunè obviam processit.

Anno 1636. Idem malum pestilentissimum Urbem Brigantinam pœnè desolaverat; in quo Capucini se totos afflictorum obsequiis consecrârunt, & spreto attrahendi contagii discrimine plerosque ad mortem optimè dispositos Sacramentis muniebant, piis allocutionibus consolabantur, horúmque animas corporibus egressas precibus ad astra transmiserunt.

Anno 1665. Febris, quam Hungaricam vocant, Haimsam Marchionatûs Durlacensis Lutherani arcem Catholicam, Illustrium de Gemming sedem, totam propè incolis vacuavit. Et quamvis Capucini Wilerstadienses tum contagionis concipiendæ, tum intentatæ persecutionis hæreticæ metu ab ejus arcis accessu cavere debuissent: prævalente tamen charitate geminati periculi victrice, ne eos animæ sine Sacramentis emigrarent, bis, ter, quater moribundos visitârunt, & ad mortem ipsam opportunis remediis apparârunt, ita ut prænobiles personas tres, Patrem, Matrem, Filium, ac nonnullos famulos taliter dispositos ad Cœlum adjuverint.

Anno 1688. Marchio Badæ Parochis, & Presbyteris etiam Regu- XI.
laribus grassantis belli formidine ad tutiora receptis Capucini eorum stationibus subintrârunt; Parochias desertas administrârunt, morituris ad extremam luctam astiterunt; mortuos ritu Catholico sepulchris intulerunt, & impunè inter funera morbo Hungarico sublata discurrerunt.

Anno 1689. Idem nostri præstiterunt in hujusmodi calamitate sylvam nigram occupante; dum intra 5. mensium intercapedinem ultra nongentos sacris postremis roboratos, ad agonem animatos, piéque exanimatos terræ mandârunt.

Annis 1703. & 1704. Ulma à Bavaro-Gallis possessâ, & Patribus Castrensibus morbifica lue plerumque abreptis P. Udalricus Montifontanus, P. Simon Uberlinganus, P. Romanus Rhenofeldensis Concionatores, & F. Casparus ex Simmerberg per summam difficultatem copioso

militi

militi præsidiario in nosocomiis horrendùm fætentibus à charitate Christiana, & extremis obsequiis steterunt, & plurimos quoad animas sacramentorum administratione curatos ad sepulturam quoque curârunt.

Posterioribus annis idem P. Simon in pagum quemdam Ulmæ vicinum pestilenti morbo infectum, & infamem, ut nemo aliorum decumbentibus Sacramentorum auxiliô auderet assistere, obedientiâ duce Biberacô excurrit, & aliorum defectum ad periclitantium salutem compensavit.

Anno 1728. in pagum Baustätten haud procul Biberaco irrepserat ipsissima pestis, qua plures jam suffocati, plurimi, quos inter & loci Parochus, correpti etiamnùm decubuerunt. Implorati in subsidium Capucini, & P. Engelbertus Dillinganus, & P. Ruffinus Offenburgensis Confessarii studiosi illuc emissi impositâ sibi charitate impigrè perfuncti sunt; ac præter præstita officia malum quoque averterunt; cùm post expositum venerabile sacramentum, & indictas, ac frequentatas coram eo preces lues incentiva momento desierit. Innumeri alii, quorum nomina, & merita Cœlo, quàm nobis sunt notiora, talibus se proximorum officiis, propriorum commodorum, vitæque piè negligentes, impenderunt, & Angelorum instar immunes pertiterunt. Sicut enim Angeli securè inter Epidemicos versantur ob naturam suam morborum incapacem: ita per gratiam, & charitatem viri Apostolici iisdem malis immixti impunè morbidos tractant. Atqui *infirmis patienter serviens instar Angeli est.* In vitis PP. Lib. 7. cap. 19.

§. V.

Dæmones eïcite, seu Actiones Exorcistarum.

L. HOc præceptum singulis, & solis iis datum est, qui Exorcistatûs ordine insigniti sunt, excluſis igitur laicis à potestate Dæmones increpandi, illósque ab hominibus, & è rebus ad homines spectantibus expellendi, juxta Can. non oportet. Dist. 69. Quamquam Van-Espen Jur. Eccles. tom. 2. p. 3. tit. 4. de delict. Ecclesiast. cap. 3. ad fin. ex Synodo Mechlinensi statuat: *nullus omninò exorcizare præsumat sine licentia Ordinarii in scriptis obtenta.* Probabilior tamen, & in his partibus usitatior sententia præplacet, quâ docentibus Diana p. 3. Resolut. moral. tract. 2. de dubiis Regular. resolut. 31. Prognolo in specul. Cler. tr. 16. c. 6. n. 28. Portello, Bordono, Lezana, Pellizario, & aliis absque licentia Episcoporum, & à fortiori etiam Parochorum beneficium Exorcisticum indigentibus, & desiderantibus impendere valemus; tum quòd in cap. nimis prava de excessib. Prælat. habeatur, Regulares non teneri Constitutionibus Episcopalibus. Quod idem confirmatur Clement. 1. eod. Clementin. 2. de censib. ac novissimè per constitut. Gregorii XV. quæ incipit: *Inscrutabili.* Tum quòd, licèt Regulares in iis decretis quoad aliqua. v. g. confessiones sæcularium audien-

diendas &c. Epiſcopo ſubdantur ; uſus tamen in ſuis locis propriis exorcizandi non excipiatur ; conſequenter permiſſus intelligatur, conformiter illi, quòd *exceptio firmet regulam in contrarium.*

Nihilominùs in reverentiam Epiſcopis, & Parochis debitam, & ex quadam decentia non ſolemus citra eorum facultatem, præſertim in caſibus majoris momenti, his nos officiis ingerere, aut perfungi. Sicut autem humanæ ſalutis adverſator innumeris nocendi artibus inſtructus ubique locorum per ſe, aut per ſuos impiiſſimè fœderatos hominibus, aut rebus ad uſum hominum ſpectantibus damna, & nocumenta inferre ſatagit ; ita in horum damnificatorum ſolatia, & auxilia Provincia noſtra ſemper viros talia contra infernum bella doctos, & Exorciſticæ praxi addictos habuit, & habet, qui ſacro marte, & arte, obedientia, & qualitatibus ad opus operantis deſideratis inſtructi inſignia hominibus beneficia præſtiterunt.

II. Quod quidem poteſtatem dæmones ex hominibus, ſeu energumenis expellendi attinet, noſtri Exorciſtæ ad Pontificale Romanum, & præcautiones inibi præſcriptas attendentes ; & quòd res plurimis deceptionibus obnoxia ſit, raro ea uſi ſunt, aut liberandis hujusmodi arreptitiis per proceſſum, ut vocant, Eccleſiaſticum incubuerunt ; aut ſi qui cum effectu illa uſi ſunt, ex iisdem rationibus, horum nulla monimentis noſtris illata reperimus exempla, niſi quod nuperis annis cum Moniali Villingana, & alia alibi perſona edidit P. Theobaldus Weiſſenhornenſis. Certioribus igitur intenti ea primùm commemorabimus, quæ noſtris benedictionibus, exorciſmis, & remediis ſacramentalibus circa homines à dæmone moraliter inſeſſos, captivatos, & huic ſacrilegis pactis obſtrictos geſſerunt : deinde ea quoque, quæ circa homines, jumenta, & res inanimatas per maleficia, & diabolicas præſtigias miſerùm faſcinatas præſtiterunt.

III. Riedlingæ circa annum 1655. quidam Lutheranus miles dæmonis fiduciarius ſub certis conditionibus fieri in animum induxit. Mox aderat amica ſpecie juratiſſimus ille hominum inimicus ; verùm quòd ſuper conditionibus aſſignatis concordare non poſſent, miles, cui nomen Conradus Koch, pactum quidem reſcindere voluit ; dæmon verò abſolutè, ut ſe illi ſubſcriberet, inſtitit. Ex eo tempore ſathanas hominem hunc frequenter nimiùm quantùm exagitavit, urgens ſui deditionem. Semel dum nocte profunda ille in hoſpitio ſederet, larva tartarea adeò ipſum fatigavit, ut ſe liberaturus per feneſtram deſiliens fugam arriperet. Sed dæmon fugitivum perſecutus de loco ad locum compellit, adeò ut & homines ſtrepitu ad ſpectaculum excitati horreſcerent. Tandem Conradus de crimine familiaritatis cum dæmone ſuſpectus cuſtodiæ mancipatur, eo etiam fine, ut homo ſub juſtitiæ publicæ tutela ſecurus eſſet. Verùm Delphinus caudâ ligatus : nam diabolus captivo præſens hunc ad chartarum, & alearum invitat luſum, ut fortunæ arbitrio controverſiæ inter ipſos decideréntur. Tandem & Capucini ad miſerum provocantur ; qui ſalubriori methodo illum à funeſtis hiſce viſitationibus liberum reddunt, cùm ſacris benedictionibus, & exorciſmis carcerem, omnésque carceris aditus luſtraverint, & locum, atque locatum rebus benedictis præmunierint.

Tunc demùm homini ad sanctiora arripienda hortatores imminuerunt, tantúmque in animo illius valuerunt, ut & dæmoni, & hæresi renuntiaverit. Exinde post sufficientem Catechesin maxima contritione, & oculis ubertim lacrymantibus confessionem sacramentalem peragit. Sub ea quidem infernalis alastor fauces illius adeo constrinxerat, ut fandi potentiam amiserit. Sed Capucinus id advertens formato super ore illius crucis signo nomen Jesu pronuntiare eum jubet. Quoinde absque impedimento exhomologesin ille absolvit, & S. Communione refectus ita & à potestate infernalis tyranni feliciter ereptus est.

IV. Anno 1670. Molitor quispiam in dæmonem, quàm Deum religiosior illi ad septennium sacrilego fœdere seipsum transcripsit. Termino condicto ad exitum vergente sibi de pacti conditione propediem adimplenda metuens ad Capucinos Haslacenses confugit ; à quibus in curam spiritualem susceptus, rebúsque sacris armatus in cella quadam ad sinceram confessionem instruitur. Quamquam sathanas horrendos supra cellam strepitus singulis cieret noctibus ; benedictionum tamen repagulo cohibitus ingredi nunquam potuit. Expost perpetuum dæmoni repudium nuntiat ; Deóque per confessionem reconciliatus, S. Synaxi refectus, ac rursùs amuletis munitus domum lætus revertitur. Anno 1673. in villa Winterbach haud procul Ravenspurgo quidam mercator circumforaneus, de quo valida cucurrerat suspicio, quasi homagiô sathanæ præstito fortunam mundialem pactus esset, in lectum conjicitur ; horrendùm exclamat, diabolum adesse animam suam ad inferos tracturum ; digitóque monstrat loca, in quibus larva rictu terribiliter patulo sibi minitaretur. Capucini Ravenspurgi à loci Parocho evocati hominem desperabundum blandis verbis ad Deum erigunt, benedictionibus, & execrationibus Ecclesiasticis spectrum abigunt, & hominem ritè confessum, sacrísque roboratum urgente vi morbi benè consolatum ad æterna transmittunt.

Anno 1676. Rhenofeldæ quispiam pacto cum dæmone stipulato fretus perruptis legum Christianarum repagulis effræni licentia in varias scelerum voragines se se præcipitaverat. Erat tenebrioni uxor apprimè pia, & in B. V. Mariam devota ; quæ impium maritum centies hortata, ut se Mariani scapularis sodalitati manciparet, sed actum egit. Tandem uxoris importunitati deferens assensit nomen suum inscribi dictæ fraternitati, & scapulare gestare incæpit. Properabat sub hæc ad exitum præfinitum diabolici fœderis tempus, jámque ultimus appetebat dies & pacti, & funestum vitæ finem misero allaturus. Cùm ecce ! miles insolitis furiis agitari, in omnes partes animum dividere, & sumpta à desperatione audaciâ in conjugis, modò in prolis jugulum violentas manus expedire ; nec interim otiari lupus tartareus ; sed palàm se militi spectandum præbere cæpit, & aperto cubiculi ostio, quo vel metus, vel desperatio miserum abdiderat, minaci rictu, & scintillantibus oculis prædæ suæ inhiare, aggredi, raptare, & in aëra subvectum tam gravi allisu humi deprimere, ut exanguis pallor membris omnibus oberraret ; nec dubium, quin homo infaustus, tam atrociter strangulatus, in Cerebri fauces infelicem efflâsset animam, nisi misericordiæ Mater Maria per sacri scapularis virtutem

sup-

ſuppetias afflicto tuliſſet. In tam tremenda conſtitutus lucta inſtitit gemere, vociferari, & lugubri ejulatu familiam totam in juvamen excire. Accurritur, ſed tam inſperato ſpectaculo conſternati, & quid facto opus eſſet, inopes conſilii mutuis inter ſe hærent aſpectibus, volentes, ſed non valentes opitulari. Tandem unus celerrimo greſſu Capucinos adit, & auxiliatores poſtulat in rem ipſis enarratam opportunos. Nec mora duo patres ſpiritualibus armis inſtructi advolant, & ſalutari crucis ſignaculo, ſacrísve lipſanis è collo ſuſpenſis contra ſtygii veteratoris inſultus hominem communiunt, nec non tam potenter expugnant, ut propè exanimatus animos reſumpſerit; ſéque ab inferno liberum lætatus ad ulteriora patrum mandata ſe promptum obtulerit; hortantur hi illum ad ſeriam pœnitentiam, & confeſſionem; qua altero manè peractâ, & ſuſceptâ Euchariſtiâ in libertatem filiorum Dei aſſeritur.

V. Simili nequitia Civis, & Sutor Lauffenburgenſis ejurato Numine cum orco ſe ad ſeptennium fœderavit; quo expleto cùm nullus conditionis exactor compareret, civis dæmonem ſui oblitum credens quietè cum ſuis degit. Sed ecce! cùm pridiè vigiliarum nativitatis Domini per urbis plateam incederet, dæmonem ſub terribilis moloſſi larva obvium, eúmque in domum ſuam redux comitem habet, qui eum in hypocauſtum usque ſequebatur. Dum ad paratam à domeſticis cænulam accumbitur, impiúsque vir iſte totus terrore perictus & ipſe cœnare incipit, canis poſt aliquam retrò fornacem intercapedinem illicò proſiliens civem aggredi tentat. Clamat iſte, vociferatur, vociferando totam ſuis rem aperit; quo audito omnes contremiſcere, expalleſcere, cunctísque artubus concuti cæperunt. Sutor cultrum, fuscinulámque contra Moloſſum projicit; quo hic irritatus menſam accedit, priores pedes viri humeris imponit, diúque hinc inde eumdem ſtringit, tandem arreptum illius caput menſæ inhumaniter aliquoties impingit, ut illud diſſulturum crederetur: quod ut domeſtici cum ſummo terrore contemplarentur, unà omnes in genua procumbunt, & Roſarium B. V. M. comprecari auſpicantur. Vir inde à moleſtia liber pariter cum aliis orat. Dum autem jam tertiam orarent decadem, terribile monſtrum omninò ex oculis diſparuit. Summo manè ad Capucinos, quaſi ad Aſylum ab infernali exactore ſe contulit; à quibus benedictionibus, & benedictis ſubſidiis obarmatus; ſed &, quod caput eſt, ad integram, & doloroſam confeſſionem ſeriò admonitus eorum conſiliis quoad omnia paruit, ſicque ſuo periculo cautior ſanctiora cum Deo, & Cœlitibus fœdera injit.

Anno 1688. die 11. Maji Lauffenburgi piè in Domino obiit P. Marcus Jacobus Cellenſis Illuſtri Lib. Baron de Schönau proſapiâ oriundus; qui ſprctâ ortûs ſui prærogativâ, & ampliſſimarum fortunarum ſpe humilem inter Capucinos ſortem profeſſus ſumma alacritate viam legum Seraphicarum decurrit; ut ſpectata ejusdem eximia regularitate, cum ſumma prudentia, & rerum agendarum dexteritate conjunctâ ad Guardianatûs frequenter; ad Definitoriatûs nonnunquam; ad Provincialatûs officium ſemel evehi promeruerit, ſæpius eò evehendus, ſi fi-

deliori pedum officio usus fuisset ; inter eminentioris meriti Patres non postremum locum adeptus. Hôc quondam in Conventu Sulzensi Guardianum agente stupendum quid contigisse fertur. Nonnemo faber ferrarius , antehac miles Acatholicus Isnæ loco Alsatiæ propè Sulzium sedem habens cum P. Renato Friburgensi de amplectenda Religione Catholica tractat , & accepto in arrham futuræ professionis Rosario , & Agno Dei pleniori mysteriorum nostrorum notitiæ incumbit brevi in gremium Ecclesiæ Orthodoxæ asserendus. In festo S. Andreæ 1658. sedentem in hypocausto peregrinus extra fenestram nomine suo vocat. Aperit fenestram , visurus, quis esset ; cui peregrinus ille : Vade , sume vestes tuas, & baltheum , & veni mecum. Territus ille, & fenestram claudit , & exire renuit. Sed ecce ! momentò vir ille eidem in hypocausto assistit , adeò procerus, ut capite superius tabulatum contingeret ; jubétque denuò convasare , & secum abire ; pessimè sibi conscius , & occultâ quadam vi adactus vestes in peram complicatas accipit , & inscià uxore in culina cænam parante virum sequitur. Dum ergò extra pagum simul venisset , hircus sat grandis sessorem exspectans adest ; cui mox vir ille insidet, & fabro , ut ponè equitantem impigrè sequatur , districtim mandat , segniori extrema quæque minitatus. Abripitur ille cornuto caballo suo per fruteta, spinas , vepres , & paludes , quibus miser pedisequus non solùm extremè fatigabatur ; sed manibus , pedibus , faciem & cruribus crudeliter sauciabatur. Inter hæc felici consilio Rosarium nuper acceptum brachio circumligat , & Deiparam Virginem anxius invocat ; quam & super fruteta in arbuscula quadam albis vestibus indutam apparentem videt. Ipsas octo horas sic cucurrerat , cùm audit in Ecclesia Capucinorum Sulzii (cùm tamen non nisi media hora loco , unde excesserat , distaret) ad Matutinum officium pulsari. Captatâ sic occasione in atrium Ecclesiæ prosilit , & arrepto januæ manubrio vocanti Diabolo negat se porro secuturum. Cui Dæmon ; Nisi brachio gestares rem illam , scito, te non elapsurum fuisse. Videns ergò faber , Sathanam sibi propinquare non posse, procurrit ad portam, gravíque pulsum evocat janitorem; urget ingressum, & finitis matutinis precibus P. Marco Jacobo , causam sui adventûs enarrat, & asyli, & auxilii gratiam implorat. Hunc igitur frigore, timore , lassitudine, & vulneribus propè exanimem primò corporaliter refocillari curat : subinde & spiritualiter contra reditum, & insultum sathanæ præmunit, ac tandem satis instructum confitentem audit, absolvit ab hæresi, peccatis, & pactis cum dæmone initis ; hominémque jam alium uxori restituit.

VI. Anno 1725. Friburgi Brisgojæ P. Felix Wolfacensis Concionator sub immenso pœnitentium, pauperum, & miserorum, quorum omnium per plus quadraginta annos se patrem spiritualem, Provisorem, & Curatorem gessit, ejulatu, & luctu mortalibus exemptus est ; qui omnes hujus prædicamenti paragraphos, & numeros explevit ; maximè indefessus ad ægrotantium, & morientium solatia operarius, diu noctúque aliorum obsequiis distentus, zelôque juvandi animas ad felicem æternitatem incitatus

Felix ,

Felix, ſi corporalia commoda ſpectes, non felix, ſed ſibi duriſſimus, quietis, cibi, & potûs propè incurius laborioſiſſimam vitam Dei, & proximi amore traduxit; ſibi tamen quietam; utpote cujus quies, ad inſtar aſtrorum, in motu conſtiterat. Cujus memoria cum perennante Friburgo perennabit. Hic aliquando grave cum orco certamen ſubeundum habuerat. Ea tempeſtate, qua Friburgum ſceptro chriſtianiſſimo regebatur, miles quispiam Gallus in hoſpitio ſuo ex improviſo in funus palleſcere, intemperiis agitari, incondito tremore concuti, ſudare, & triſtari viſus, atque lugubriter vociferari auditus fuit; quòd verò nemo domeſticorum idiomatis gnarus divinare, & quo remedio infauſtus juvari poſſet, P. Felix incunctanter accerſitur; qui cauſas lamentorum compendiô doctus: nempe hominem hunc ante aliquos annos ſceleratiſſimo cum ſathana vinculo conſtrictum jam jam à comparentibus inferni larvis ad exſolvendam pacti legem adigi, & exſpectari. P. Felix militem ſacris luſtrationibus, ſanctuariis, & injectâ ſtolâ contra orcum obfirmat, eúmque ad veram ſeriámque exhomologeſin hortatus benè ſperare jubet. Obtemperat ille, & confiteri incipit, fremente interim, altúmque murmurante avernali beſtia; quæ & violentos in rem ſuam, ùt ajebat, aſſultus tentabat, & Confeſſario pœnitentem eripere conabatur: quod ne fieret, P. Felix militem ſtolâ ſibi arctâ colligavit. Et ecce tremendum ſpectaculum! dæmon omni adhibitâ vi & Confeſſarium, & pœnitentem ita, uti præfertur, colligatos in altùm ſubvexit. Ridens tamen diaboli conatus Felix hominem ad proſequendam confeſſionem animat. Quo magis autem proceſſerat confeſſio, eò magis poteſtas dæmonis minui comperiebatur: eâ autem finita, & impertitâ abſolutione omnis ſathanæ vis, murmur, & fremitus ceſſavit, evanuit, & hominem probè conſolatum dimiſit.

VII. Nunc ad ea, quæ noſtri Exorciſtæ hominibus phyſicè à ſathana, hujúsque aſſeclis per veneficia, & maleficia damnificatis attulerunt beneficia, convertimur; quorum tamen non niſi celerem, & compendiariam enumerationem dabimus. Circa annum 1640. miles pellicem abigere juſſus ab hac adeò incantatus fuit, ut furioso ſimilis ſuum ſibi interitum machinaturus timeretur; quem tamen Capucini Benedictionum virtute ſolutis ligaturis ſibi reddiderunt.

Sub eadem tempora puella quædam innocens à milite Sueco importunè adamata; ſed quòd ejus amores angue pejus horreret, ab eodem philtro adeò toxicata eſt, ut præter voluntatem ſuam nil niſi militem illum cogitare, loqui, & deſiderare poſſet. Capucini rei certiores facti adhibitis remediis ſacris virginem & ab inſania, & à philtro liberârunt, contigit in agro Haslacenſi.

In comitatu Zeilenſi Capucini Wangenſes circa eamdem tempeſtatem homines per maleficium paralyſi conſtrictos ſacris benedictionibus, & medicinis curârunt: ſic quoque Veldkirchii Anno 1643. ſpectatiſſima quædam fæmina veneficiis omni membrorum uſu deſtituta, & à nullo etiam Galeno curabilis ſola rerum benedictarum, & à Capucinis adhibitarum operâ incolumis evaſit.

Ibidem eodem tempore filiolus quispiam paralyſi contractus herbis benedictis convaluit: mulier Montifontana ex altero brachio miſerè cruciata Capucinos appellat medicos; quibus ceram benedictam à muliere glutiendam præbentibus contigit, ut rupta cute oſſiculum quoddam eruperit, & ſanato deinceps vulnere ipſa immunis evaſerit. Ranckvvilæ duo conjuges maleficiati calamitoſam degebant vitam, ut experti unum illud alter alteri accinere, ſeu lamentari potuerit: non poſſum tecum vivere, nec ſine te. Miſerati Capucini homines illos ſacrorum remediorum ope penitùs ſibi conſentientes reddiderunt. Ibidem alii eodem malo vitiati periculosè ægrotare cæperunt, aſthmate, ut putabant, ſuffocandi. Ceram benedictam his attulit Capucinus; de qua cùm mulier portionem ſuam deglutiiſſet, ſanata: cùm maritus idipſum facere detrectâſſet, mortuus eſt.

Anno 1671. In agro Oppenovienſi juvenis quispiam ruſticus recenter matrimonio junctus diabolicis maleficorum hominum incantamentis eum in miſerum ſtatum redactus eſt, ut deſtinata morti victima brevi caſurus crederetur. Ubi tamen Capucini medicam vim ſuam in ſacris conſiſtentem miſello applicuiſſent, ad priorem mox ſanitatem reductus eſt. Quæ ab eo tempore uſque huc in ſimilibus calamitatibus præſertim à P. Sereno Rottvvilano geſta ſunt, fide majora, & miraculis proxima viderentur; quorum commemorationem hìc facere ſuperſedemus proprio Commentario ſervandam.

Anno 1679. Haslachii duæ fæminæ malis artibus præſtigiatæ, haud procul inde tres ruſtici in Cauponaria ex potu venenato maleficium haurientes miſerùm ſtatim diſcruciati: ſed ſumpto ſanctiori aquæ benedictæ poculo à Capucinis propinato & veneni malitiâ, & dolorum ſævitiâ exempti ſunt.

Anno 1681. in loco Aicken propè Seggingam honeſtæ duæ filiæ idem lugubre fatum habuerunt; & ſimili Capucinorum auxilio indemniſatæ fuerunt.

Anno 1691. In Marchionatûs Durlacenſis pago quodam nonnulla vetula Puello Acatholico panis fruſtulum porrexit; ex cujus eſu puer mox auditûs, linguæ, & rationis uſu dejectus lacrymabile parentibus ſpectaculum præbuit. Hi prædicantis opem implorant: ſed eo nihil præſtante Capucini in auxilium rogati puellum ſacerdotalibus luſtrationibus & linguæ, & auditûs, & rationis uſui, & parentibus integrum reſtituerunt. Idipſum hi Stauffenſes Capucini puero manum aridam ex maleficio contractam dolenti exhibuerunt beneficium.

Anno 1693. Ruſticus in pago Brisgojæ Munzingen compluribus annis calamitosè grabatarius, fruſtráque omnem medicinam periclitatus Capucinorum Exorciſticæ quoque curæ vim experiri ſtatuit. His ergò ſua adhibentibus æger omnibus artubus contremiſcere, ſudare, ſpumare, & arreptitii inſtar volutari, geſticulari, & contorqueri incæpit. Exorciſtâ tamen opus ſuum proſequente omne veneficium diſſipatum, vir ſtrenuis progreſſibus ad incolumitatem promotus, & integrè tandem curatus eſt.

Anno

Anno 1714. & ſequentibus ex Wirthenbergia homines Acatholici turmatim, & plena fiducia ad Capucinos Wilerſtadienſes, & Rottenburgenſes accurrerunt, variiſque languoribus pythonicis affectos iisdem curandos attulerunt; uſque adeò ut Præcones Lutherani ſub mulctâ Eccleſiaſticâ eos recurſu ad Capucinos, ùt vocabant, ſuperſtitioſos interdixerint. Quo tamen non attento, & impellente malorum magnitudine præter plurimos alios perſona quædam P. Lazarum ex Schvvende, loci Wilani domeſticum, ſtrenuúmque præſtigiarum diabolicarum triumphatorem acceſſit, auxilium extremis afflictionibus ſuis flagitans, quibus ex veneficio ſibi affricatis ad mortem uſque torqueretur. Exoratus P. Lazarus remediis ſpiritualibus ita eam ſoſpitavit, ut in argumentum perfectæ curationis oſſicula majora, lapilli, centones, claviculi, vitri teſtulæ, & alia hujusmodi ex ea emerſerint. Idem alium nonneminem ex eadem regione mala dæmonis arte in glomum fermè convolutum ſacrarum benedictionum, & ſimilium remediorum uſu pariter ad membrorum rectitudinem reduxit, poſtquam præſtigioſa variarum rerum fragmenta ad corpus humanum heterogenea elicuiſſet, ſpectantibus, ſtupentibus, & fidem facientibus utriusque Religionis, variæque fortunæ hominibus. Et cùm eadem tempeſtate, ſcilicet Anno 1715. non ſolùm hæc talia, ſed plura, quæ ad hoc totum Prædicamentum reduci poſſunt, partim oculis vidiſſet, partim aliàs comperiiſſet Reverendiſſimus quispiam Commiſſarius Pontificius ad componendam nonnullam Controverſiam in eas partes delatus, inde plurimùm exhilaratus vale Capucinis faciens his verbis uſus eſt: *Stabiles eſtote in opere Dei: ego labores, & ſudores veſtros deprædicabo S. Congregationi de Propag. Fide, & ipſi SS. D. N. Clementi XI.* VIII.

Anno 1735. In confiniis Riedlingæ filia quædam 17. annorum parentibus ſupra modum immorigera, maledica, & martialiter in blasphemias eloquens, quibus, licèt ea non à proferentis malitia, ſed aut à latentis veneficii deſpumatione, aut hoſpitati in ſe Cacodæmonis eructatione profecta viderentur, Parentes nimiùm quantùm affligebantur. Quid rei eſſet, periculum facturus quidam Capucinus in dignoſcendis, & expellendis ejusmodi morbis paſſim nominatiſſimus puellam exorciſmis, & antidotis ſpiritualibus curare inſtitit; quorum is exoptatiſſimus fuerat eventus, ut ſeu energumena, ſeu præſtigiata ſenſim in tranquillam, morigeram, benéque corpore & animo ſanam filiam reverſa ſit, omnibus rei conſciis ea mutatione attonitis.

Eodem anno in Wirthenhergia filiola ſexennis præſtigiarum toxicô in tantam rabiem vires corporis penitùs depaſcentem projecta fuit, ut inſolitis, & violentis membrorum contorſionibus, atque geſticulationibus horrorem miſella vel aſpicientibus incuteret. Implorantur quidem in rem pſeud-Paſtores; ſed cùm hi baalitides Epodi manuum ſuarum unctione, & gratiâ vacuarum impoſitione, jejunáque pſalmorum blateratione nil valerent, Capucinorum ſacra pharmacopæja implorata, atque etiam applicita fuit. Et mirum! vidiſſes ejectos ab ægra totos variarum rerum, & ſordium faſciculos, quos exorciſta omnium oculis

ſpectandos objecit. Exinde autem filiola omnis moleſtiæ expers ex luctu gaudium Parentibus fecit.

Anno 1736. In eadem Wirthenbergia anus quædam Dæmonis amaſia ruſticello puero libum porrexit, quocum maleficentiſſimum quoque virus devoravit, quod mox omnia ejus viſcera infecit, ut miſer torminum violentiâ conſumendus timeretur. Poſt naturalia incaſſùm tentata Capucini etiam opem ſuam rogati fuerunt. Impenduntur igitur herbaria balnea exorciſmis, & benedictionibus luſtrata; quorum efficaciâ præter crinium, ſtupparum, & piſorum manipulos viva etiam lacerta è poris afflicti corporis emerſit.

Anno 1737. porrò in Wirthenbergia haud procul Wilerſtadiô decennis puer veneficô ſtrigum afflatu in tantam phreneſin, & amentiam prolapſus eſt, ut pedibus in altum erectis capiti inſiſtere, frontem parieti illidere, veſtes, & quidquid obvium diſcerpere pro exercitio ſuo haberet. Advocati medici, & Chirurgi nec hilô profuerunt. Econtra Capucini operam Exorciſticam conferentes puerum mox maleficio, ægritudinis causâ, exemerunt, & incolumem Parentibus gratulati ſunt.

IX. Hæc, licèt non centeſima pars eorum, quæ in Provincia à ſui primordio per noſtros Exorciſtas, præſertim in magna nominis celebritate hoc officio ex charitate proximi fungentes, geſta ſunt, ſufficiant.

Nunc ſermone ad ea provehimur, quæ noſtris circa jumenta iisdem ligaturis pythonicis infirmata ediderunt. Sed ipsâ enarrandorum multitudine innumera ab eorum enumeratione cohibemur; quin ex iſtorum præteritione hiſtoria noſtra lacunam quandam paſſura ſit; cùm hujusmodi jumentorum à maleficiis indemniſatiônes ut quotidianæ; ita paſſim manifeſtæ ſint. Omnium locò unicum attexemus magnam facturum fidem, quia teſtimonio omni exceptione majori roboratum.

Anno 1736. Magiſter Jeremias Rueff Prælatus Clauſtri Reichenbacenſis (fuit id olim Monaſterium Ord. S. Bened. in faucibus Hercynii ſaltûs haud procul Freudenſtadio collocatum, & in qualitate Prioratus tantùm, Abbatiæ Hirſaugienſi incorporatum, atque ſubordinatum;) P. Sereno Rottvvilano famoſiſſimo orci, & veneficiorum maſtygi oppenoam ſequentes litteras ſtylo germanico ſesquipedali, & gallicis, germano-latinis phraſibus cothurnatas direxit:

„ Summè Venerande Pater.

„ Honore memet officio has exiguas ad ſummè venerandum Pa-
„ trem lineas ablegandi, & in iis cauſales me ad hanc audaciam impel-
„ lentes explicandi. Jam ab aliquo tempore eo infortunio premor, ut
„ homines malevoli, & lividi bucero pecori meo in ſtabulo inſidien-
„ tur, illiúsque unum poſt alterum incantationibus ſuis præſtigient, ita
„ ut intra 14. dierum ſpatium duo crepuerint. Hoc triſte fatum que-

„ rebar

„ rebar amicæ cuidam, & familiari; nempè Dominæ Conſuli Wol-
„ perin in Freudenſtadt, opportunè hîc in clauſtro apud Dominam
„ Filiam ſuam præſenti; quæ mihi ſuaſit, ut venerandi Patris opem
„ exorarem, cujus propenſam urbanitatem ipſa in ſimili caſu realiter
„ experta eſſet. Deprecor igitur temeritatem meam, qua impreſen-
„ tiarum dignitatem veſtram decenter rogatam, conventam, & im-
„ ploratam volo, uti laborem aſſumere, me autem in Monaſterio ad-
„ ventu honorare, & exoptatiſſima præſentia ſua nos dignari vellet.
„ Omnis noſtra poſſibilis complaiſantia obſequiis veſtris erit parata, &
„ perſiſto ego ſub commendatione in divinam protectionem cum om-
„ ni reconnoiſſantia, & alta veneratione ſummè venerandi patris addi-
„ ctiſſimus ſervus. M. Jeremias &c. ut ſuprà.

Superſcriptio:

„ Viro ſummè Reverendo, atque Clariſſimo Sereni,
„ Ordinis Capucinorum Patri perinclyto, Patrono
„ Æſtimatiſſimo. Ad manus proprias. *Oppenau.*

Perrexit illuc P. Serenus, ubi humaniſſimè ſalutatus, & habitus fuit. Benedicente eo totam domum, & ſtabulum Reverendiſſimus D. Prælatus (ſi ſuperis placet) modeſtiſſima devotione lumen benedictum portabat, Reverendiſſima autem domina uxor Abbatiſſa thuribulum herbis ſacratis fumigans ſubminiſtrabat, totáque ex nutu, & imperio Exorciſtæ pendebat. Impenſum benedictionis miniſterium animalibus in ſalutem profuit; in cujus rependium paſtor ille Luthericola poſt liberaliter hoſpitatum, atque dimiſſum P. Serenum largam eleemoſynam hoſpitio Oppenovienſi contulit.

Pro colophone nonnulla adhuc induſtriæ exorciſticæ ſpecimina exhibebimus; qua noſtri loca ſeu ſpectris, ſeu præſtigiis infamia exorciſmorum, & benedictionum virtute perpurgarunt, atque vel tranquilla, vel fæcunda reddiderunt. X.

In vallis Montifontanæ monte quodam ſolitario, & ſylveſtri horrendi cujusdam ſpectri larvati phantaſma, & homines, & pecora nimio terrore concutere, & diſſipare conſuevit. Puer aliquis ex parochia Schruns eum in montem quodam die ſub veſperum cum diris, & increpationibus à patre ſuo irato pro vacca inde domum reducenda emiſſus non ampliùs comparuit; qui cùm nullibi omninò reperiretur, & à nemine viſus eſſet, per ſpectrum illud periiſſe ab incolis ob quædam indicia creditus eſt. Hujc grandi malo ut obviaretur, Capucini Veldkirchenſes Anno 1645. conſilium, & auxilium rogati, poſtquam locum ſacris benedictionibus, & Eccleſiaſticis exorcismis luſtrâſſent, effecerunt, ut ab eo tempore haud ullum ampliùs ſpectri veſtigium apparuerit.

Anno 1682. Lauffenburgi ædes cujusdam civis, & clavarii graviſſimè, & ſingulis noctibus adeò infeſtatæ fuerunt ſive ab inferni lemuribus, ſive à ſtrigibus, ut incolæ his porrò ſufferendis impares domum deferendam, & aliam maximo ſuo incommodo conducendam arbitrati ſint: ſed cum iis novo habitaculo immigrantibus præſtigium, ſeu quidquid fuerit, commigravit, ut in eo æquè ac in priori boni homines terreri, atque

torqueri perrexerint. Tunc demùm Capucini ad aversuncandam hanc moleſtiam domibus magis, an hominibus infenſam adhibiti ſunt, qui ſacerdotalibus exorciſmorum, & benedictionum armis & ædibus & hominibus plenam ab iſtiusmodi infeſtationibus immunitatem attulerunt.

Haud diu poſt ibidem miles quidam præſidiarius ſimilem divexationem paſſus eſt ; quapropter à ſuis Officialibus mutandi hoſpitii gratiam exoravit ; at unà cum milite illa diabolica infeſtatio domicilium aliud ingreſſa eſt ; cùm prima ſtatim nocte miles in lecto antiquos ab infami ſpectro agones habuerit ſuſtinendos. A Capucinis igitur opem efflagitat. Suadetur inprimis perfecta conſcientiæ ſuæ emundatio ; deinde amuleta illi benedicta præbentur, quorum applicatione mox præſtigium, omnisque terror penitùs evaſit. Verùm cùm commilitones aliqui militem nimiæ credulitatis arguerent, & dicerent, ſpectrum illud ſe ipſo, non ſacrarum rerum virtute evanuiſſe ; ísque fidem his dictis adhibuiſſet, en ! ſequente nocte rediit maleficium, hominémque extremis angoribus exagitavit. Repetit apud Capucinos querelas, & preces; cui firmior in res ſacras æſtimatio, & fides inculcata, aliáque inſuper media data ſunt, quæ ſaltem effecerunt, ut larvæ, licèt ſingulis noctibus in cubili tumultuantes, lecto tamen undequaque ſacris antidotis circumſepto appropinquare non ſint auſæ ; quapropter ſuaſum ei fuit, ut acinace priùs benedicendo, quem ab alio milite acatholico mutuum habebat, versùs præſtigium feriat. Paruit is, & mirare ! altera nocte relicto priori domicilio, reſtitutum ſequitur acinacem, militémque heterodoxum eadem erynnis horrendùm tribulare incipit ; quam is mox evaginato inſtrumento perſecutus domo & cubili feliciter expulit. Hæc res militi huic de abjuranda, quam à maternis traxit uberibus, hæreſi, amplectendáque religione Catholica conſilium, argumentum, & anſam præbuit.

Anno 1717. P. Lazarus ex Schvvende ab Illuſtriſſimo D. Barone de Helmſtätt ad arcem ſuam ab Eumenidibus, & Empuſis adeò vexatam, ut impunè illam habitare non poſſet, evocatus, eam ſolus de nocte ingreſſus benedictionibus, exorciſmis, ſacrísque increpationibus umbras terrefacientes, & omnia hujusmodi noctium occurſacula penitùs in fugam, aut ad quietem coëgit ; domúmque, ac cubilia hactenùs moſtellaria integerrimè expurgavit, ac deinceps ſecurè habitabilia reddidit.

Anno 1721. Sagarum artificio cartharii cujuspiam Lindavienſis Acatholici officina, & inſtrumenta mechanica adeò faſcinata, & turbata fuerunt, ut papyrum nullam glutinare, aut ad ſtatum vendibilitatis perducere valuerit. In hac afflictione conſilium de imploranda Capucinorum Brigantii ope capeſſit ; rogátque unum ſibi in auxilium ſubmitti. Comparet Exorciſta, qui officium benedictionale rebus præſtigiatis impertitus hôc ipso mediô & maleficium abegit, & hominem indemniſavit.

Eodem anno in aliquo pago Rottvvilæ vicino ruſticus nonnemo domum ſuam à maligno ſpiritu horrendùm tumultuante uſque eò infeſtatam eſſe doluit, ut eam nec vendere, nec ampliùs incolere potuerit. Excitus autem è familia Rottvvilana Capucinus Benedictionibus, & exorci-

orciſticis anathematibus tantum præſtitit, ut orci furiæ inde proſcriptæ quietam ruſtico ædium ſuarum habitationem fecerint. Qualia porrò hujus generis noſtri in dæmonomachia verſati heroes P. Nicodemus Conſtantienſis, Clemens Offenburgenſis, Thomas Friburgenſis, Caſparus Uberlinganus, Lazarus ex Schvvende, Serenus Rottvvilanus, Engelbertus Dillinganus, & alii tum hominibus, tum communitatibus, ac locis officia præſtiterint, humilitati eorum, quâ illa notitiæ publicæ ſubtracta voluerunt, condeſcendentes, in contrahendæ ſcriptionis noſtræ occaſionem ea libenter ſilentio commendamus; & inſulſum aliquibus, aliis fabuloſum; nonnullis ſupervacaneum hujus paragraphi argumentum ridiculo quodam caſu condiendum duximus.

Anno 1645. dum miracula B. Fidelis paſſim celebrarentur, & proceſſus formati deſuper inſtituerentur, rumor inde longè latéque diffuſus eſt, & peregrinantium ad ſacellum Veldkirchii, B. Fideli quondam canonizando deſtinatum frequens increvit numerus. Uno dierum fæmina quædam comparuit, quæ ſe malo ſpiritu inſeſſam dixit; in cujus fidem ululatibus, ructibus, & geſticulationibus exoticis agitabatur, hominésque in ſui commiſerationem, & impendendam ſibi charitatem pellicere nitebatur. Verumtamen tam exactè ſimulare, & arreptitiam mentiri non didicerat, quin Patribus Capucinis ſuſpecta evaderet; qui ideò veritatem periclitaturi eam in multis examinant; ſed primô facilè intuitu in verbis capiunt; urgéntque ita, ut ingenuè faſſa ſit, ſe à prædicante Calvino-Turgovienſi quodam ad hoc conductam, & inſtructam fuiſſe; ut ipſe ludibrio hinc B. Fidelis, & Catholicorum miracula conſpergere, & palàm traducere faciliùs poſſet. Noſtri patres ergò fratrem laicum, ſalvo præfato Can. non oportet. diſt. 69. Exorciſtam creant, qui non aliis conjurationibus, exorciſmis, & Reliquiis, quàm nodoſo fuſte energumenam hanc ab hoſpite mentitio liberandam aſſumeret. Hic mandato exequendo ſuapte urbanitate idoneus, & promptus non dæmonem, ſed vetulam pigmentis, ulmeis tam atrociter pinxit, ut ejulans pro redimenda vexa ſanctè promiſerit, ſe totâ vita ſua haud fore unquam ampliùs obſidendam. Hoc ſtylo igitur fallere docta, abacta, & pro amicâ valedictione inſtructa fuit, ut pro ſui indemniſatione ad ſubornatorem prædicantulum formet regreſſum, eúmque quatenùs privilegii Canonis & fori expertem verberum acceptorum participem faciat, atque reclamanti, & immunitatem ſuam oſtentanti objiciat: nullibi ſcriptum eſſe: ſi quis dæmon Clericum percutiat, eum ideò excommunicari: atqui ſe non ab homine, ſed à dæmone, quem ille homini ingeſſerat, percuti meminerit.

PASSIO

Provinciæ Anterioris Auſtriæ.

ANALOGIA.

QUatenùs *Paſſio* à Philoſopho dicitur *actus patientis*, *ut patiens eſt quo mediante recipit formam*, ſanè hoc Prædicamentum Provinciæ noſtræ ad ſingulare decus, & formam elegantiſſimam competit, atque conducit. Ut aurum per ignem à ſcoria: ſic à nævis Provincia paſſionibus abſolvitur. Adverſi caſus ſemper victoriæ occaſio ſunt. Incurſionibus ſolidatam, denigrationibus dealbatam, humiliatione exaltatam, contemptu glorificatam, minoratione auctam fuiſſe Provinciam noſtram experientia teſtis eſt; nec fefellit unquam vetus verbum: quod alibi diminuitur, alibi exæquatur, adverſariis in allatis incommodis maximorum commodorum copiam ſubminiſtrantibus, ut propè verum ſit, quod de Chriſto patiente eleganter S. Leo: *Admiſit in ſe impias manus furentium; quæ dum proprio incumbunt ſceleri, famulatæ ſunt Redemptori.* Porrò cùm agere, & pati ſint proprietates annexæ cuilibet compoſito ex materia, & forma; ita ut aliquid agere poſſe ſe habeat à parte for-

formæ : poſſe aliquid pati , ſe habeat à parte materiæ ; conſectarium eſt , actu pati eſſe materiam informatam , & perfectam , prout agere , & pati perfecta ſunt entia , Complutenſes Commentar. in Dial. Ariſtot. &c. Tunc enim informis truncus in perfectam ſtatuam erit transformatus, poſtquam aſciis , runcinis , & dolabris probè , & improbè delevatus , atque fuerit lævigatus. Econtra in quodam Indiæ Regno vineæ creſcunt foliceæ , & pulcherrimæ ; quæ tamen nullum penitùs fructum producunt ; quod ratione caloris continui accidere dicunt ; quia in illis partibus nunquam ſævit frigus, quod poſſit arbores imprægnare : ſic pulchræ ſint licet actiones priori categoriâ relatæ ; ſíntque florentes : niſi tamen altera proprietas ; niſi paſſio , frigus , adverſitates , quæ ſanguinem , ſudores , & angores exprimant , acceſſerint, fructiferæ non ſunt.

ECPHRASIS.

NEc verò quisquam opinetur , paſſionem , quibus Provincia noſtra à ſuis auſpiciis nunquam non conflictata fuit , enarrationem eò reſpectu à nobis inſtitui , quaſi de adverſariis querulari , aut illis dicam ſcribere , aut apologias conficere velimus : longè ea mens à nobis abeſt ; ut qui peculiari nomenclaturâ Crucis Candidati , Religioſi crucis dicimur , & ſi ullus alius Ordo , certè noſter in modum Chori figuratus eſt ; in quo Odei ſacri moderatori Chriſto Pſalmum intonanti , reſpondemus , & cantum proſequimur. *Chriſtus pro nobis paſſus eſt* , inquit Petrus 1. Petr. 2. ac ſi dixiſſet : ille cantum paſſionis intonavit : addit mox Petrus : *ut ſequamini veſtigia ejus* , & hoc eſt reſpondere alternatim ait Auguſtin. in Pſalm. 87. qui titulum habet : *pro mabelet ad reſpondendum.* ſeu juxta græcam traductionem : *pro choro ad reſpondendum.* Quo ſuper S. Pater Aug. ita nos ſpiritualiſſimè inſtruit : Pſalmus iſte de Paſſione Domini agit , in quo per modum chori Chriſto Paſſionem præcinenti nos ſequendo reſpondere convenit. Longè igitur alius , & altior nobis de paſſione

ſcripturis ſcopus eſt ; ut nimirùm Ordinis noſtri Profeſſores patiendi deſiderio inardeſcant, in paſſionibus ſuperabundent gaudio , & ad eas ſuſcipiendas paratos , in perferendis hilares ſe exhibeant, Chriſtóque, & Fratribus anteſignanis indigna paſſis , & in Choro quaſi phonaſcis imitando reſpondeant. Illi verò , quibus ea ſors pro nomine JEſu à cauſis violentis , & extrinſecis contumelias , probra , verbera , & flagella patiendi non obtingit , tantò lætantiùs conſuetos Ordinis rigores , jejunia , vigilias , & rerum penuriam ferant. Paſſiones autem Provinciæ in tres §. reducimus , §. 1. ad ea , quæ in locis. §. 2. quæ in Perſonis. §. 3. quæ in tranquillitate ſuſtinuit.

§. I.

Paſſio quoad loca.

UT quælibet res multiplicari , & augeri ſuapte naturâ appetit, ita nuſpiam abſque violentia ſuimet diminutionem tolerat. Provincia noſtra plurimis locis incrementata fuerat , & incrementari poterat : ſed aut violentis repagulis prohibita ; aut adverſantibus cauſis minuta ; aut ſuadentibus rationibus augmenta fuerunt recuſata. De his promiſcuè.

Num. I. Locus Lindavienſis.

FErreo illo alteratæ Religionis ævo , & urbe Imperiali Lindavienſi jam dudùm ad Lutheri leges combinatâ ſolus Illuſtriſſimus nobilium virginum Parthenon priſci dogmatis ſemen ibidem retinuit ; quod ne & ipſum tandem ſuffocaretur : Illuſtriſſima Domina Maria Chriſtina Principiſſa Religioſos viros urbi inducendos cenſuit , quò quum Religioſiſſimum Gynecæum , tum domeſtici , tum alii in urbe Catholici ſacris horum officiis frui poſſent. Volvebatur tunc annus 1624. quo id conſilium non tantùm Provinciæ Patribus ; ſed magni nominis viris illuxerat ; quorum operâ ad ipſam aulam Cæſaream propagatum fuerat. Opportunè ad ſopiendas quasdam diſſenſiones Præſidium militare urbi per ſtratagema illatum Capucinorum coloniam tanquam Religionis ſuæ exercitio neceſſariam advocavit. Ut vero hi commodum ſtruendæ domûs Religioſæ fundum aſſequerentur , honeſtus quidam civis Lindavienſis poſt ejuratam hæreſin , & amplexata Catholica ſacra ad declinanda concivium odia aliò migraturus domum ſuam Catholicis venalem obtulit. Sed ea res protinus octipedem excitaſſe viſa eſt. Hæreſis namque in fermentum acta velis remisque obſiſtere, proteſtari , Privilegia , & Statuta clamare , quorum vigore non niſi

Lu-

Lutheranis ædes illæ venales eſſe debeant. Fruſtrâ tamen : quia cùm domus illa jam pro Capucinorum hoſpitio deſtinatâ fuiſſet, ab utraque parte cauſa ad Tribunal Cæſareum devoluta eſt. Ferdinandus II. Auguſtiſſimus Romanor. Imp. pro ſuo in rem Catholicam ardore Reverendiſſimum, & Illuſtriſſimum D. Joh. Jacobum L. B. de Stein, Equitem Teutonicum, & Archi-Commendatorem Altshuſanum Commiſſarium delegavit, qui negotium hoc in favorem Capucinorum cum Senatu Lindavienſi omni meliori modo pertractaret. Vix autem decretum Commiſſionis ſub die 30. April. 1629. legaliter Lindavienſibus innotuit ; confeſtim hi contra hoc, tanquam novitatem privilegiis ſuis adverſam ad arma conclamant, & proteſtationem aſiatiſmô conſarcinatam Cæſari dirigunt : qua non attenta Imperator D. Commiſſarium arctiori mandato inſtructum Lindavienſibus hortatorem ad imperata facienda ſubmiſit, ſecùs aculeos experturis. Illuſtriſſimus D. Baro de Raithnau in Hofen ceu rerum geſtor ad emendas ædes ſupra memoratas, & in commodum Capucinis domicilium convertendas de dato 21. Jan. 1630. à Cæſare inſtitutus eſt. Lindavienſes ergò deteriorum formidine tantis Commiſſariis ultrò refragari non audentes in dictarum ædium venditionem aſſenſerunt. Igitur Capucini in comparata ſic area crucem ſolenniſſimè erigunt, primum pro fabrica lapidem ponunt, ſacellum pro ſacris ædificant, & poſt nonnullam cum Lindavienſibus conventionem inſtructum hoſpitium immigrant, atque in eo ſpiritualibus exercitiis vacare incipiunt. Ut etiam in his functionibus à nemine turbarentur, Auguſtiſſimus Imperator de 30. Octob. 1630. & domum hanc religioſam, & Religioſos inibi exiſtentes, ac extituros in ſpecialem protectionem aſſumpſit ſtatutâ in contravenientes gravi triginta marcarum puriſſimi auri mulcta. Poſtquam ita aliquamdiu in ſtabili jam domicilio convixiſſent, ea in medio gentis pravæ habitatio religioſis exercitiis minùs opportuna eſſe cæpit : quapropter extra urbem in ipſo continenti terræ firmæ, ac inſulæ contiguo manſionem ſuam figere, ex divendendæ domûs urbanæ pretio ſuburbanas à quodam cive venales jam exhibitas comparare ædes conſtituunt, & altefatum Archi-Commendatorem propoſito huic faventem, atque opitulantem reperiunt. Sed enim Magiſtratus, qui hujusmodi ingratos, & operibus ſuis contrarios vicinos non tantùm urbe, ſed toto etiam territorio ſuo proſcriptos voluerat, cum haſta & ſcuto huic ædium permutationi obſiſtebat, & ne ullam quidem amicabilem conferentiam admittebat. Poſtquam nihilominùs Conſultiſſimus vir D. Albertus Everhard in vicem D. Protho-Commendatoris adhibitus graviùs in hoc argumentum diſputâſſet, & prætenſa obſtacula perrupiſſet, Lindavienſes rationum pondere obruti herbam, & aſſenſum porrexerunt. Rebus ita transactis Capucini Deo inprimis domum, tunc & ſibi habitaculum ſtruere aggreſſi ſtrenuè collaborârunt. Sed laborem fini jam jam propinquum Sueco-hoſtilis agminis ſuperventus fædiſſimè turbavit. Guſtavo Hornio namque copioſum militem expugnando Lindavio adducente urbis Gubernator metuens, ne templum Capucinorum hoſti in urbis expugnandæ commoditatem

ſerviturum eſſet , illud funditùs diruendum duxit. Suecô tamen aliorsùm diſtracto , ſubmotóque periculo Capucini locum repetierunt , & fano reſtaurando omnem operam impenderunt. Quemadmodùm autem decumani bellorum fluctus , horúmque continua reciprocatio nullam meliorum ſpem admiſerant : ita Patres Provinciæ redituri hoſtis formidine templo , & hoſpitio reparando aliqua adhibuerunt ; attamen majorem ad comparandum tertium quemdam locum , & fundum curam præſetulerunt. In quem finem duos Provinciæ patres ad Auguſtiſſimum Imperatorem Ferdinandum III. aliquorum Magnatum promotorialibus litteris munitos Oratores ablegârunt ; qui Commiſſione ſua eâ dexteritate defuncti ſunt , ut Cæſar pro ſuo in Religionis orthodoxæ incrementa zelo poſtulata probaverit , & diplomate Cæſareo ſæpefatum Reverendiſſimum & Illuſtriſſimum DD. Jo. Jacobum L. B. de Stein Archi-Commendatorem Commiſſarium inſtituerit , juſſerítque Rempublicam Lindavienſem ad concedendum aliquod in urbe ſpatium domicilio Regulari pro Capucinis cum nullius moleſtia ibidem habitaturis erigendo commodum omni modo perſuadere : quin ipſum quoque Magiſtratum Lindavienſem clementiſſimis de 4. Novemb. 1638. litteris , blandísque verbis in eam ſententiam pellicere dignatus ſit. Tametſi autem D. Commiſſarius aſſumpto in partem negotiationis Illuſtri Domino Ferdinando ab Handel cohortium Suevo-circularium colonello ad aſſequendam Cæſaream intentionem omnem aleam jecerit , & rudentem moverit ; ad pila tamen ubi ventum eſt , Lindavienſes ipſa Cæſaris humanitate inſolentes equis & quadrigis in contrarium nitebantur ; uſque adeò ut D. Archi-Commendator deſperato omni rerum proceſſu causâ deſtiterit , & hanc Provinciæ patribus remiſerit. Hi ergò videntes ſe hydram ſecaturos , ſi litterariis velitationibus contra Lindavienſes ſibi adeò infenſos certam proſequi vellent , ne cum habendis habitis quoque deſtituantur , ad reparandam domum , & Eccleſiam ſuburbanam animum admovent ; quod cùm Illuſtriſſimæ D. Principiſſæ minùs probaretur ; ſed ad parcendum ſumptibus inaniter profundendis potiùs videretur , ut Capucini intra mænia in domum quandam à ſe ipſis elocandam migrarent , placuit conſilium tum patribus , tum fautoribus ; diſplicuit autem Lindavienſibus ; ut qui die 22. Maji 1640. ſolenni proteſtatione Capucinos urbe excluſos voluerant. Ex horum igitur parte Auguſtiſſimo Imperatori denuò ſupplicatum fuit ; qui gratioſiſſimo Reſcripto Illuſtriſſimum D. Maximilianum Wilibaldum Truchſeſſium Comitem de Wolfegg , recentem urbis tutandæ Gubernatorem inſtruxit , ut Capucinis domicilium intra urbem fundari , ipſósque in tranquillum hujus incolatum reſtitui curaret. Hoc Cæſaris decreto , & ſtrenua D. Gubernatoris operâ freti Capucini , haud porrò attentâ illegali proteſtatione Anno 1641. incæptæ novæ fabricæ inſudant , eámque proſpero ſucceſſu ad ſupremum propè faſtigium provehunt. At recrudeſcente armorum ſtrepitu , & ſeveriùs hinc inde graſſantibus Suecorum ſignis ab opere uſque ad annum 1647. ceſſandum fuit ; quo etiam die 4. Januarii Wrangelius Lindavio expugnando initium dedit , confiſus Lindavien-

davienſes ob communem religionis amicitiam haud adeò obſtinatam facturos defenſionem. Sed quam fortè non inaniter eo nomine Wrangelius ſpem conceperat; hanc inclytiſſimus Heros D. Gubernator inſigniter deluſit; ut qui authoritate ſua & cives ad officium adigebat; & bellicarum rerum peritiâ irritam hoſti impugnationem faciebat. Hic enim haud dubium in eo rerum curſu ampliandæ victoriæ deſtinatus Wrangelio ſcopus pro ſcopulo, & meta fuit; ad quam fortuna ejus auſpicatum anni initium ſortita improſperè tamen impegit, hæſitque, ut tandem cum dedecore vaſa colligere, hoſtique ſuo & urbem, & palmam cedere compulſus ſit. Obſervatum autem fuit, quòd Balliſtarii globorum, lapidúmque ejaculatione potiſſimùm in Parthenonem collimaverint, huicque ſubvertendo ſtuduerint; ut ſi Martis opus nil ſuccederet, ſaltem odii Religionis veſtigia urbi imprimerent: at verò globi, & lapides omnium opinione in Illuſtrium Virginum collegium delapſuri vi divinâ averſi, & in templum, ædésque Lutheranas perlati ingentia his damna intulerint. Erat in hoſpitio ad Coronam focaria Catholica; quam hera ſua aliquando admirabunda interrogat: equid cauſæ eſſet, quòd globi omnes licèt rectà impetito Papiſtarum templo parcerent, econtra perniciosiùs in Eccleſiam, domósque Lutheranas graſſarentur? cui famula: deſineret, inquit, mirari; templo enim Catholico nil adverſi contingère poteſt ex eo, quòd Capucini, & omnes Catholici ibidem coram expoſito ſanctiſſimo Sacramento proſtrati diu noctúque ardentiſſimis ad Deum precibus inſiſtant: quo audito mulier illa coquæ largam eleemoſynam Capucinis afferendam conſignat, eósque ſuo nomine rogari jubet, quatenùs etiam pro ſe, ſuísque ædibus Numen deprecentur; ſalutem, & gratiarum actionem remittunt Capucini; atque ad ejus vota Deum ſe precaturos pollicentur; factúmque proinde, ut nec quidquam mali poſterùm illius ædibus interretur. Poſt ſolutam obſidionem cùm ruinæ, & munimenta reſtaurarentur; Capucini quoque aream expurgare, templo reſuſcitando durante obſidione à quodam Lindavienſe inſolenter exuſto operam navare, hortúmque plantare cæperunt. Sed heu! Anno 1648. in lucem prodierunt irreligioſiſſima pacis religioſo-Weſtphalicæ capita; quorum tenore res Religionariæ in eum ſtatum, quo calendis Januarii 1624. fuiſſent, reduci debuerant. Quibus acceptis Lindavienſes plùs juſto in horum articulorum obſervantiam morigeri mox per Notarium, & Teſtes die 17. Novemb. Anno 1648. conformiter ad pacta emigrationem Capucinis denuntiant. Acerrima ſubinde controverſia ſuſcitata fuit, utrùm Capucini huic pacis articulo eſſent obnoxii? poſtquam acriter ultrò citróque ab utriusque Religionis Juriſconſultis pro, & contra conflictatum fuiſſet, litis deciſio Catholicis & Lutheranis arbitris permiſſa fuit. Et cùm illi non pro eo zelo, quo debuiſſent, & potuiſſent, rerum ſatàgerent, contra Capucinos pronuntiatum eſt; qui & reſervato ſibi liberum Parthenonis acceſſum, ubi, & quando ab Illuſtriſſima D. Principiſſa ad ſpirituales functiones poſtulandi eſſent, convaſatisque reculis ſuis, ac excuſſo in Lindavienſes pulvere urbe egreſſi ſunt; in quorum exo-

do res ad omnem poſteritatem memorabilis contigit. Dum Nuntius de Capucinorum exilio ad aures cujusdam fœminæ Lutheraniſſimæ, uxoris ipſius Conſulis Habisreitingeri allatus eſſet, mirè exultans exclamavit: Ah quando! quàm citò hæc læta evenient nova, ut barbati iſti homines urbe ſint ejiciendi? tantâ certè, ubi hoc fiet, lætitiâ perfundar, ut animam præ gaudio ſim effuſura. Dictum factum, divina Nemeſi veridicam hanc propheriſſam volente. Cùm enim præſidium Cæſareum urbe excederet, cùm eo quoque Capucini diſceſſerunt. Inter cæteros ſpectatrix aderat prædicta mulier, quæ Capucinos exulantes aſpiciens, in tam ſardonicum riſum ſoluta fuit, ut hujus vehementiâ & fœtum, quo gravabatur, & ſpiritum ejecerit, condigno luctu extremâ gaudii occupante, ſubinde Capucinis reſervatum ſibi Parthenonis acceſſum pro ſpiritualium officiorum ratione exercentibus Lindavienſes & hunc abrogatum, & Capucinos perpetuò urbe excluſos voluerunt, & actu, nulla habita Decreto Cæſaris ad querelas Principiſſæ de die 14. Decemb. 1649. emanato reverentia eosdem ingreſſu prohibuerunt. Quin imò Conventûs Norimbergenſis ſententiæ ab Electorali Cancellaria Moguntina die 31. Jan. 1650. legitimè publicatæ, qua iisdem Capucinis libertas frequentandi Collegii aſſerebatur, audaciſſimè contravenientes per publicum Decretum ad Portas urbis affixum Capucinos in urbem intromitti ſeveriſſimè interdixerunt. Demandata eis quidem à Cæſare fuit hujuscę Decreti caſſatio: ſed illi fulmen Cæſaris tanquam fatuum aſperniati pervicaciæ ſuæ inhæſerunt, atque prohibitionem caſſandam potius renovârunt, hócque propoſito totum Catholicæ Religionis exercitium vel in ipſo Collegio ſenſim exterminare intenderunt. Nunc demùm dii beati: Auguſtiſſimus Imperator ad iterata Illuſtriſſimæ D. Principiſſæ gravamina exſertâ Majeſtatis ſeveritate, acerrimi ſtyli reſcripto, & Imperialis banni, aliarúmque cenſurarum comminatione effrontem hæreticorum genium aquilam timere, & obedire docuit. Ab eo tempore acceſſus ad Parthenonem Lindavienſem Capucinis fuit apertus, & confirmatus, quo uſque hodie liberè utuntur.

Num. II. Locus Pforzhemienſis.

ANno 1633. Capucini à Cæſareano milite Pforzhemium contra Georgium Fridericum Marchionem Durlacenſem perduellionis compertum occupante illuc quoque introducti fuerunt Catholicis officia Religionis præſtituri. Quod ubi Reverendiſſimus D. Gangolphus Epiſcopus Davalienſis, Vicarius Generalis, & Suffraganeus Spirenſis inaudiiſſet, ſequens ad Patres ibi commorantes Decretum ſubmiſit. „ Cùm aſſeratur eſſe ſpem, ut PP. Capucini Reſidentiam in oppido Pforzheimb obtenturi ſint, datur eisdem licentia ſæcularium, & aliorum quorumcunque ad ſe venientium confeſſiones excipiendi, & abſolvendi; idque ad ulteriorem uſque diſpoſitionem. „ Signatum in Hirſchau die 29. Octob. 1635.

Cùm

Cùm interim Elector Bavarus rerum etiam Pforzhemii potitus esset, & plebs, milésque Catholicus Capucinos è Cathedra Instructores ex optâsset, is de 18. Maji 1636. concessit, ut P. Fridericus à Liechtenstein Capucinus Ordinariam Pforzhemii cathedram curaret, illique, & confratribus opportuna Domus in habitationem assignetur.

Parochiâ Ersingensi Pastore suo orbatâ ad preces Reverendissimæ D. Abbatissæ jure Patronatûs ibidem gaudente Altefatus Reverendissimus D. Vicarius Generalis ad Patres Pforzhemienses ita perscripsit: „ Quem„ admodùm à D. Abbatissa Albæ Dominarum quidam sacerdos pro Pa„ rochia Ersingensi præsentatus quidem fuerat; qui tamen ad manus „ acceptâ competentia clanculò denuò recesserat; id eò pro tali rerum „ exigentia hisce consentitur, quatenùs PP. Capucini ad interim eam „ Parochiam è Missione Pforzhemiana usque ad futurum S. Joannis „ Baptistæ festum debitè provideant; ne desertæ illæ oviculæ penuriam „ patiantur: ita tamen, ut ex tunc legitimus Parochus præsentari de„ beat. Spiræ 7. Jan. 1637.

Quin & Reverendissimus D. Joan. Jacobus Schorrer SS. Theologiæ Doctor præcipuus Capucinorum fautor summa contentione apud Reverendissimum Officium Spirense peroravit, quatenùs eisdem Capucinis ceu missionariis animarum Pforzhemiensium cura plenè, & cum necessariis facultatibus ad tempus committeretur. Verùm utcunque Reverendissimus D. Vicarius Generalis facillimè in postulata descendisset; ne tamen aliis Religiosis, qui ante hac Domicilia Pforzhemii per nonnulla etiam sæcula habuerant, & in reformatæ Religionis calamitate iniquissimè inde ejecti jus eo quocunque tempore remeandi integrum servaverant, ex eodem jure eamdem curam affectantibus; sed repulsam passis æmulandi præberetur occasiò, præfati Domini Oratoris instantia recusationem accepit: præsertim quoque ex eo, quòd illi Religiosi, in quorum Ecclesia Capucini evangelizare hactenùs consueverant, quamquam minùs prudenter, minúsque religiosè eos hoc exercitio interdixerint, illósque longiori ibi subsistentiâ dejicere in animum induxerint. Infestus tamen suecorum reditus, & urbis in eorum manus relapsio eam funestam tulit Sententiam: *Nec mihi, nec tibi*, omnibus emigrare, & emanere jussis. Prævalentibus tamen armis Cæsareo-Catholicis, & Suecis cum Luthero, hujúsque ritibus denuò expulsis refloruit Catholica Religio; & in hujus Ministerium Anno 1643. rediere quoque Capucini à victore postulati. Sed Anno sequente, ut alternatrix est martis alea, redux in urbem Lutheri potestas armata exilium iteratò Capucinis scripsit. Tandem autem Anno 1647. Reverendissimus P. Innocentius à Calatayrone Minister Generalis fortè pro sua sanctimoniæ prærogativa præscius, quòd anno sequente per Pacis Monasterienſis decisionem Pforzhemium perpetuis Lutheri faucibus sit addicendum, locum penitùs deserere jussit, & deserendum decrevit, atque pro deserto declaravit: proinde Capucini abolitâ hac Missione Pforzhemio æternum dixerunt vale. Novissimis quidem temporibus; Anno nimirùm 1735. Excellentissimus D. Generalis Lascius copiarum Rutheno-auxiliarium Po-

lemarchus ab otioſa ad Rhenum inactione in Ruſſiam remeaturus per hyberna Pforzhemii ſubſtitit, quo Capucinos ex Miſſione Wilerſtadiana Sacellanos domeſticos exoptavit, iisque pro Religionis Catholicæ exercitio aliquos menſes uſus eſt.

Num. III. Locus Stuttgardienſis.

QUo tempore Udalricus Wirthenbergiæ Dux iterùm iterúmque Majeſtatis reus Principatu ſuo dejectus, hicque ab Imperatore Auguſtiſſimo Ferdinando III. legitimo armorum titulo occupatus, & ſtrenuiſſimo Heroi Alvvico Comiti de Sulz gubernandus committebatur, hic Deo, Religioni, Cæſarique fideliſſimus Belli-Dux de conſenſu Auguſtiſſimi Principalis PP. Capucinos Stuttgardiam, Ducatûs Metropolin induxit, memor, quanto rei Catholicæ bono iidem Patres in Rhætia, ubi is ea tempeſtate rerum militarium ſummâ potiebatur, quâ B. Fidelis Sigmaringanus ibidem à furentibus hæreticis in odium fidei trucidatus fuerat, miſſione perfuncti fuerint, & ubique perfungi ſoleant. His regularibus colonis Anno 1634. P. Gedeon ex Bodmann, vir à virtutis, & eruditionis nomine, aliorúmque officiorum, & honorum functione ſuſpiciendus, ac altiora aſcenſurus, niſi acutiſſimæ podagræ compedibus vinculatus, & diſcruciatus in humilioribus hærere compulſus fuiſſet, ex patrum placito ſuperior præfectus eſt, & in congruo domicilio cum ſuis collocatus ita Religionis Catholicæ officia adminiſtravit, ut & adverſi dogmatis homines prudenti, manſueta, gravi tamen, & religioſa ejus converſatione ædificarentur. Conſtitutum quidem fuerat zeloſiſſimo Imperatori totam Wirthenbergiam ad avitæ Religionis tramitem traducere, eúmque in finem operâ Capucinorum uti; his adeóque exoptatiſſimæ meſſis, & duraturæ manſionis ſpem fecerat. At variante belli fortuna Dux Winmarienſis undequaque lauris, & palmis affluens exercitum ſuum inſolentiùs, ac impunè Wirthenbergiæ infudit, atque Anno 1638. Stuttgardiâ ſubactâ præſidium tum militari-Imperiale, tum regulari-orthodoxum ejecit, piorum adeò conſiliorum texturam, & omne Religionis Catholicæ veſtigium penitùs antiquavit. Ab eo namque tempore ſola Lutheri ſynagoga in toto Ducatu ſtabulata conſpicitur, quæ præſertim violenta pacis religioſæ authoritate confirmata; Dux verò Udalricus in poſſeſſionem Principatûs ſui, bonorúmque Eccleſiaſticorum uſurpationem reſtitutus fuit.

Sereniſſimus Wirthenbergiæ Dux Eberhardus Ludovicus, licèt Acatholicus, Capucinis tamen haud parùm benevolus his in gratiam quorumdam Aulicorum, & Officialium militarium, qui Romanæ Eccleſiæ addicti fuerant, in privatis Stuttgardiæ, & alibi ædibus ſacra Catholica adminiſtrare permiſit. Adhuc magis ea exercendæ Religionis libertas ampliabatur, ubi Eberhardo Ludovico Anno 1733. vivis exempto Sereniſſimus Princeps Carolus Alexander, jam prioribus annis myſteria orthodoxa profeſſus, cum Sereniſſima Domina Maria Auguſta Principiſſa de Taxis Catholicâ matrimonio junctus, & lectiſſima trium filiorum Principum

pum ſobole fortunatus in Ducatu ſucceſſerat. Præterquam enim hic Capucinos in Aulæ ſuæ Sacellanos, & primò quidem ex Helvetica; tunc autem ex noſtra Anterior-Auſtriaca (quamquam priorum emigratio, & poſteriorum inſtitutio primùm poſt mortem hujus Sereniſſimi Principis contigerit) aſſumpſerat; inſuper quoque de ſtruenda ſtabili, & formali reſidentiâ ad caſtrum S. Ludovici cum P. Provinciali noſtro conſilia miſcuit; imò nil refragatis ſtatibus Acatholicis Architectum ichnographicam hujusmodi Capucinorum hoſpitii idæam delineare, & quantocyùs ad ipſum fabricæ opus progredi juſſit. Sed poſtquam optimus Princeps die 4. Martii 1737. in præfatâ S. Ludovici Baſilica ſive naturali, ſive artificiali (Deus ſcit) morte extinctus eſſet; cum eo extincta quoque fuerunt memorata fundandi hoſpitii regularis propoſita. Sereniſſima vidua nihilominùs tres è noſtris Patres non ſolùm pro publicis Catholicæ Religionis officiis in Capella Aulica Stuttgardiæ quoad omnia Parochialia debito cum conſenſu Celſiſſimi ac Reverendiſſimi DD. Ordinarii exercendis; ſed etiam pro ſereniſſima juventute in myſteriis fidei catechizandis, atque inſtruendis in aula ſuſtinuit, & gratioſiſſimè habuit. Sed ut in aulis ſæcularibus ſemper rerum obliquus eſt curſus, præſertim ubi homines, quibus nec ara, nec fides, quique ex eodem ore calidum, & frigidum efflandi uſum habent, Principis gratiâ, multò magis Principiſſæ, tanquam panagææ Dianæ, duodecim artium fœminæ, & ſuapte naturâ, & ingenio chamæleonte inſtabilioris, pollent; ita patres pro tempore Miſſionarii de aula, & Religione optimè meriti, & ad ſpeciem à Sereniſſima vidua ipsamet dilaudati, & clementiſſimè ſuſpecti, intempeſtæ noctis ſilentio à ſomno excitati, ac de mandato Duciſſæ eo momento aula, urbe, & miſſione excedere, & per rhedam jam paratam Wilerſtadium perducti ſunt, quin eis vel ſpatium ſcripta, libros, veſtimenta, aliásque res ſuas convaſandi permiſſum fuiſſet, ſed inſuper quoque poſt biduum P. Miſſionario Ludvvigsburgenſi eadem emigrandi lex denuntiata; ſicque miſſio illa per Principem Lutheranum admiſſa, quadraginta propè annis tanto Religionis Catholicæ emolumento, & animarum ſalute; quantis Operariorum periculis, incommodis & ſudoribus adminiſtrata Anno 1741. à muliere Catholica abolita, & abrogata fuit, lugentibus filiis Principibus, bonisque omnibus virorum iſtorum ejectionem. Hujus cauſas, fabros, & artifices hìc enumerare dedignamur, & rem illi committimus, qui megarica hujusmodi machinamenta explorata habet, & cum promerita ultione manifeſtare noverit. In vicem Capucinorum quidam Sacerdotes ſæculares ad aulam conducti ſunt.

Num. IV. Locus Sigmaringanus.

QUemadmodùm ſereniſſimus Princeps Joannes, Comes de Hohenzolleren Sigmaringen &c. dudùm propenſos in pauperum Capucinorum familiam oculos conjecerat; ita tunc vel ardentiùs ad hos in Comitatum, & Reſidentiæ ſuæ locum inducendos æſtuabat, poſtquam B. Fidelis Sigmaringanus glorioſo ſangui-

ne pro veritate Evangelica effuſo patriam ſuam, noménque, & Principatum Zollerano-Sigmaringanum purpuraverat. Tantum enim hujus ſui olim civis, & ſubditi felicitate gloriabatur, ut eum inter Illuſtriſſimæ, ac vetuſtiſſimæ ſuæ familiæ ornamenta, domi foriſque, togâ, & ſago comparata auctarium collocaret. In hujus igitur venerationem per gratioſiſſimas profectò litteras de 24. Auguſti 1622. quinto poſt exantlatum B. Fidelis martyrium menſe exaratas Reverendos Provinciæ Patres Solodori Capitulariter conſedentes invitavit, adductiſque opportunis ad eos perſuadendos rationibus allexit, uti locum Sigmaringanum impræſentiarum oblatum, ipſiſque à ſe gratuitò cedendum regulariter poſſidendum, habitandúmque acceptarent, omne tum fabricæ promovendæ, tum ſubſiſtentiæ auxilium pollicitus. Verùm quòd allatâ hac epiſtolâ Capitulum jam ſolutum, & Patres ad ſua regreſſi fuiſſent, P. Matthias Augienſis, tum Provinciæ antiſtes, poſt humillimam gratiarum actionem Sereniſſimo Oratori renuntiavit, tempore elapſo nil porrò agendum, ſed ſequentis anni Capitulum exſpectandum eſſe. Vix ergò id Badenam Ergoviæ die 12. Aug. 1623. fuerat conſcriptum; cùm Illuſtriſſimus Princeps occaſioni imminens maturè prioris ſtyli, & thematis epiſtolam Patribus direxit, & ſe vel ideò voti ſui damnandum fore ſpem concepiſſe ſignificavit, quòd ſe non minoris conditionis eſſe crederet, quàm ſint privati nobiles, urbes, & Status, quibus Reverendos Patres in ſimilia poſtulata conceſſiſſe noſceret. Sed, quæ fuit illius ævi ferrea neceſſitas plura hujusmodi loca recuſandi, re ad Capitularem urnam vocata, examinata, & diſcuſſa, potiorum ſuffragiis deciſum fuit oblatam reſidentiam deprecari; ut quibus Monaſteriorum pluralitas, & Provinciæ dilatatio ob peſſumituræ regularis obſervantiæ metum penitùs odioſa extiterat. Reſponſò igitur negativo Illuſtriſſimus, ac piiſſimus Princeps à Patribus maximè invitis affligendus, atque offendendus fuerat; quem nulla in repulſæ excuſationem adducta, & conglobata rationum momenta dulcorare, aut pro deinceps in Capucinos mitigare poterant. Nihilominùs in ſinceræ erga S. P. Franciſcum devotionis argumentum alios hujus ſectatores; nimirum RR. PP. Franciſcanos de obſervantia Provinciæ Bavaricæ accerſivit; illíſque in loco Hedingen nonnullis ab urbe lapidum jactibus diſſito commodiſſimum Monaſterium ſtruxit; quo illi usque hodie feliciter perfruuntur, ubi in Eccleſia Parochiali poſt beatificationem B. Fidelis frequentiſſima ad hujus cunas, & reliquias religioſè ibidem expoſitas peregrinatio, & devotio increvit, plurimis jam gratiis, & miraculis decorata.

Num VI. Locus Trochtelfingenſis.

IN præcipuum Regionis ſupra Alpem ſitæ oppidum Trochtelfingen, ditionis Fürſtenbergico-Möſskirchenſis tum ad ipſius Illuſtriſſimi Landgravii Territorialis inſtantias, tum plebis urbanæ æquè, ac paganæ deſideria Capucini velut in cura animarum Cooperatores introducendi fuerant: prout & altefatus Landgravius Egon Anno 1622. effica-

efficaciſſimis litteris hujusmodi ſubſidiarios in agrum ſupra relatum à Provinciæ Primoribus impetrare nitebatur ; iis uſus rationibus, quæ ſingularem, imò paternam ejus in ſubditos ſuos intra religionis, & pietatis Catholicæ officium continendos, & ad ſalutem æternam promovendos curam, & ſollicitudinem vel maximè commendabant. Cùm enim locus iſte Wirthenbergiæ penitùs Lutherizatæ confinia quaquaverſum attingat, veritus D. Landgravius, ne ſuperſtitio religioſa territorio ſe ſuo inſinuaret, & ſubditorum aliqui ex pravorum conſuetudine hæreſi afflarentur, propoſitum, imò votum conceperat hoſpitium aliquod Capucinorum, velut munimentum ; & viros Miſſionarios tanquam ſpeculatores Trochtelſingam collocandi. Sed quæ cauſæ Provinciam compulerunt ad refutandum ſui incrementum in loco Sigmaringen ; illæ ipſiſſimæ eamdem coëgerunt ad excutiendum locum Trochtelſingen, haud ſanè absque gravi ejusdem vulnere. Præterquam enim quòd hic locus fratribus noſtris longo itinere Riedlingâ Rottenburgum deſcendentibus commodum, ac intermedium præbuiſſet diverſorium, maximè quoque affligebat patres noſtros ſubrepta Apoſtolatum ſuum in illa meſſe exercendi occaſio ; qui eapropter perpenſis rationibus ab Illuſtriſſimo D. Landgravio exhibitis cum Paulo gemiſcebant ; *Quis infirmatur, & ego non infirmor ? quis ſcandalizatur, & ego non uror ?* 2. Cor. 11. ſed fato obtemperandum fuerat, quin Excellentiſſimus D. Comes eâ repulsâ, quam inſuper ſtricta P. Generalis locum memoratum acceptandi prohibitio exculpaverat, ullomodo offenderetur.

Num. VII. Locus Wiſenſteigenſis.

Licèt occaſio tuliſſet fines Provinciæ cum finibus Epiſcopatûs Conſtantienſis commenſurandi, & Wiſenſteigam uſque proferendi ; attamen præmemoratis duorum ſupra locorum rationibus, tanquam valido comate, & violenta neceſſitate intra terminos à patribus nimiam propagationem averſatis præſcriptos coërcebatur. Cùm enim Illuſtriſſimus D. Comes de Helffenſtein Rudolphus Udalrici filius hærede maſculo careret, Deum, & S. P. Franciſcum hæredes inſtituere propoſuit : atque hujus executioni intentus Capucinos perquàm amantes permovendos ſuſcepit, quatenùs ad Comitatum ſuum ab hæreſum reliquiis expurgandum, & impoſterùm in vera Religione ſtabiliendum in urbe Wiſenſteig tabernaculum ipſis ſuisque ædificandum, incolendum acceptarent, omni alio ſubſidio, quæ ſolo mendicatu aquiri non poſſent, juvandi. Arriſerant quidem aliquibus motiva ab indicata pro Religione utiliter laborandi commoditate petita. Nemo in hiſtoria verſatus ignorat, quanta Illuſtriſſimi nominis Comitum de Helffenſtein fuerit antiquitas, merita, ſplendor, & gloria Eccleſiaſticis, ſæcularibus, & militaribus provinciis parta ; quam tamen Udalricus Comes enormiter defædavit ; cùm inter primos fuerit eorum, qui dato Eccleſiæ Catholicæ repudio conſarcinatæ Confeſſioni Auguſtanæ ſacramentum dixerunt. Ejectis ſuo dominatu

natu Eccleſiæ Collegiatæ Canonicis, & Sacerdotalibus uxorios ſubſtituit Præcones; reditus Eccleſiaſticos ærario ſuo addixit; ſubditisque ſeu volentibus, ſeu nolentibus novellam Lutheri doctrinam obtruſit. Antiquatam nihilominùs gloriam poſtliminiò iterùm reſuſcitavit, cùm Anno 1567. Concilii Tridentini authoritate commotus coram multis gravibúsque viris Lutherum revomuerit, & anathematizaverit, ſicque in gremium Eccleſiæ Romanæ reverſus ſit: qui & in fide deinceps conſtans Anno 1570. piè in Domino defunctus eſt. Denique, ut ipſemet ſcriptis prodidit, maximam quoque vim ad eum in ſanctiora dogmata retrahendi habuit, quòd in Auguſtana confeſſione nullum neque in doctrina, neque in cæremoniis fundamentum, vel concordiam inveniret; neque apud ſuos Concionatores invenire potuerit; ſed ſit iis ad alios ſemper remiſſus, atque rejectus, & unà cum ſubditis in vaſtiſſimos errores abductus: tum etiam quòd ſicut Lutherus; ita & omnes poſteri illius in ſuis ſcriptis inconſtantes ſint, & modò hæc, modò alia pugnantia, ſibíque ipſis contradicentia doceant. Quapropter abactis Doctoribus ſpuriis orthodoxos revocavit, Canonicos, & Sacerdotes legitimos reſtituit, hísque hortator fuit, ut magno ſtudio reducendæ deceptæ plebi, inſtaurandis altaribus, ſacrísque Catholicis urbi & dominatui ſuo reddendis incumbant; quorum labori ipſum D. Comitis exemplum maximum pondus attulit. Rei enim novitate non ſolùm ſubditi; ſed vicinarum quoque civitatum, & pagorum homines attoniti, tractíque ad Eccleſiam Catholicam rediérunt; quin & celeberrimus medicinæ, ac doctrinæ apoſtatricis Profeſſor venerandus Gablerus exemplo D. Comitis convictus palinodiam religionis cecinit, & catholiciſmum amplexus eſt. Illuſtriſſimus D. Comes Rudolphus Udalrici filius, qui à priſca fide nunquam defecerat, de uſurpatis bonis Eccleſiaſticis in conſcientia anxius, ad compenſandum uſum fructuum, dictante Eminentiſſimo DD. Cardinale Marco Sillico Epiſcopo Conſtantienſe Anno 1594. Religioſis S. P. Franciſci ſororibus congruum ædificavit domicilium, & neceſſaria vitæ ſubſidia attribuit. Cùm itaque conſcientiam ſuam alleviâſſet, per Capucinorum coloniam Religionis integritati proſpectum voluerit. Horum, inquam, contemplatione aliquibus locus acceptandus ſummopere videbatur, ſed quia fruſtra contra torrentem potiorum ſuffragiorum nitebantur, & hæc meſſis ejus colendæ cupidis negligenda fuerat.

Num. VIII. Locus Horbenſis.

Cùm PP. Capucini Rottenburgenſes frequenter per annum Horbam Apoſtolandi causâ ſollicitati excurriſſent, uſque adeò horum converſandi methodus, zelúsque animarum quum Plurimùm Reverendis DD. Præpoſito, & Canonicis Eccleſiæ ibi Collegiatæ, tum Senatui populóque Horbenſi probabatur, ut de regulari hoſpitio ipſis ponè ſe ſuſcitando deliberatum, & unanimi omnium conſenſu decretum fuerit. Non diſplicuit iſthoc propoſitum Provinciæ patribus humaniſſimâ

mâ Horbenſium invitatione, locisque benevolâ oblatione pulſatis; qui eapropter non ſolùm Miſſionarios Rottenburgenſes admonuerunt, ut pia Horbenſium ſtudia fovere, de chriſtiana eorum Republica benè mereri, illorúmque animos religioſâ converſatione, & in ſpiritualibus obſequendi promptitudine adhuc arctiùs ſibi obſtringere ſatagerent: ſed quoque Reverendiſſimi P. Generalis deſuper conſenſum impetrârunt calamum animante, & urgente enixâ, atque iteratâ Horbenſium inſtantia. Quòd verò ferociente adhuc Martis Aquilonaris tumultu noſtri negotium hoc remiſſiùs agere cæperint, alii quidam Religioſi ſcenæ ſervientes ab Horbenſibus fortè tarditate noſtra offenſis admiſſi, atque ſuſcepti fuerunt Anno 1650.

Num. IX. Locus Heitershemienſis.

REverendiſſimus & Illuſtriſſimus DD. Jo. Fridericus ab Hund S. R. I. Princeps, Ordinis Equitum Melitenſium Magnus per Germaniam Prior, & Commendator in Heitersheimb in ſui ad pauperes Capucinos benevolentiſſimi animi ſignum voto ſe obſtrinxit coloniam Capucinorum Heitershemio inducendi; ſimul atque Patres Provinciæ in voti ſui executionem invitavit; quin non exſpectato reſponſo formale Monaſterium ſuo ære Anno 1618. erexit, hócque omnibus numeris abſolutum Capucinis inhabitandum obtulit. Sed quia altioris Ordinis erat tam clementiſſimæ licèt oblationi aquieſcere, ipſus per litteras Reverendiſſimi P. Generalis arbitrium elicuit, ſi, & in quantum Patribus Provinciæ probaretur. Quapropter altiſſimè fatus Princeps per delegationem coram Capitulo Lucernæ congregato orator comparuit. A patribus tamen ob cauſas infra recenſendas impetrare nil potuit. Nil hoc reſponſo negativo moratus Celſiſſimus Princeps litteras ad P. Generalem repetiit; quin Eminentiſſimos, ac purpuratos Patres ad Summum Pontificem pro eadem re interceſſores adhibuit; unde factum, ut tum P. Procurator, tum Miniſter Generalis Provinciæ Patribus denuntiaverit, mentem Sanctiſſimi D. N. conſequenter & ſuam utriusque eſſe, ut acceptando Heitershemio votis Illuſtriſſimi Principis deferatur. Nihilominùs in negativa ſententia perſtiterunt noſtri, utpote perſuaſi, quòd nec ſummus Pontifex, nec P. Generalis ipſis quidquam præcepturi ſint, niſi cum clauſula generali, ſi &c. & quatenùs &c. quæ diſpoſitionem reddit conditionalem, & hunc ſenſum; ſi fieri poſſit ſalva rei obſervandæ integritate; atqui contra hanc primò Capucinis Heitershemium locandis cura animarum in aliquibus Parochiis ad domum Equeſtrem ſpectantibus annectenda & ſecundò reditus beneficiales ipſis ſuſtentandis applicandi forent. Tertiò quòd Conventus Heitershemienſis duas duntaxat horas à Neoburgenſi pariter Capucinorum Conventu diſtaret, eâ locorum nimia vicinitate & Decretis Pontificiis adverſaturâ, & mutua in quæſtuatione Conventibus damna allaturâ. Quartò quòd ipſa Monaſterii fabrica inconſultis Patribus, & ex propria Celſiſſimi Principis deſignatione

incæpta, atque conſummata prorſùs à ſimplici, & in Conſtitutionibus præſcripta Capucinorum Architectonica deflectat. Quintò, quòd non vanè, ſed rationabiliter, & quaſi ex certa futurorum ſcientia timendum eſſet, ne ſucceſſores Illuſtriſſimi Principis acta hæc reſciſſuri, Monaſterium abolituri, atque Capucinos, utpote ſupramemoratarum functionum ex titulo regularis obſervantiæ incapaces abrogaturi ſint. His ergo rationibus Celſiſſimus ac Reverendiſſimus Princeps triſtis quidem, ſed convictus ſtatuit Capucinos non ultrà gravare; ſed horum locò de aliis Religioſis circumſpicere: prout indigitantibus, & recommendantibus Capucinis RR. PP. Fratres minores S. Franciſci Conventuales, hos in hoſpitium regulare Incolas, & in Parochias Vicarios conduxit, atque temporali duntaxat domicilio donavit. Etenim in hujus Monaſterii elocatione, ut ex quadam Illuſtriſſimi Principis de 23. April. 1619. poſt latam de nobis repulſam ad P. Generalem Epiſtola perſpicuum eſt, libertatem ſibi reſervavit, Capucinos, quandocunque his opportunum, ſibi autem congruum eſſet viſurum, PP. Conventualibus iterùm dimittendis cum omnibus emolumentis, & oneribus ſubſtituendi. Et quidem poſt triennii ſpatium actu in hujus libertatis exercitium egreſſurus novas ad P. Generalem inſtantias aſſumpſit; imò ipſi ſummo Pontifici Gregorio XV. ſupplicavit; à quò cum Illuſtriſſimo Principi favorabile reſponſum rediiſſet, & conſenſus Pontificius Patribus noſtris per P. Procuratorem intimatus eſſet, res propè in ſciſſuram inter PP. Capucinos, & Conventuales verſa eſſet, ut qui meritò ſua contra nos gravamina ſuper ignominioſâ ſibi expulſione produxerant; quorum contextu Capucini opportunè uſi ſunt ad ſedandum Illuſtriſſimi Principis zelum, & RR. PP. Conventuales in poſſeſſione quieta firmandos; id, quòd Capucini ex ſincera, & fraterna charitate unicè intenderant.

Num. X. Locus Neoburgenſis.

NEoburgum Urbs ad Rheni fluenta, quatuor leucis infra Baſileam ſita opportunum RR. PP. Conventualium S. Franciſci aſceterium intra mænia ſua complectebatur; quod tamen ſub luctuoſo Religionis abrogatæ, & ſuperſtitionis Lutheranæ in vicinum Durlacenſem Marchionatum ſuſceptæ tempore abolitum, & Incolis Religioſis aliò translatis, veluti res derelicta ad urbis poteſtatem devolutum fuit. Hunc ergò locum jam undique fatiscentem Neoburgenſes, diſponente Deo, qui eumdem S. P. Franciſco olim dicatum, ad hunc ipſum redire voluit, Capucinis tam gratuito, hilaríque animo poſſidendum obtulerunt, atque tradiderunt, ut quidem Senatores, & Cives præ gaudio illacrymati fuerint. Vix autem hæc Capucinorum intenta colonia Neoburgo inferenda percrebuerat, cùm jam plurimi Ordinis Benefactores operis proſecutionem urgere cæperunt, opem & operam obtulerunt, & reipſa magnificè ſubminiſtrârunt. Exinde poſt impetratas neceſſarias facultates ad operis molitionem proceſſum, deſerti Monaſterii

rii ſtructura ad noſtrum Religionis ritum compendiata, reformata, dimiſſis ſuperfluis Eccleſiæ, & Conventus ſpatiis in Aſceterium Capucinis uſitatum combinata, & Anno 1615. conſummata fuit. Ab eo tempore per ſexaginta ipſos annos Capucini ibidem munere ſuo utiliter, & conſtanter inter mille millenas adverſitates, quarum belli Sueco-Gallici turbæ oppidò feraces extiterant, perfuncti ſunt. Ibi interim (pluribus ad §. ſequentem reſervatis) Anno 1634. contigit, ut heterodoxus quispiam officialis tormentarium (Conſtabilem vocant) Catholicum tormenti exploſione ligneam quandam Crucifixi imaginem extra muros urbis de ſublimi ſuſpenſam impetere juſſerit. Vix impiè obtemperans Iconoclaſta impiiſſima mandata perfecit; quum ecce ultione divina obrutus toto corpore palleſcere, rigere, copioſum à naribus ſanguinem nullo ſiſtendum remedio ſtillare cæpit; ita ut eum in hoſpitium ſuum deportari oportuerit. Senſit ille aculeum; quapropter iratum Numen placaturus è veſtigio poſt pœnitentiæ ſacramenti dictamnum ſuſpiravit corpore & animâ ſaucius; contritisque lacrymis, & humili confeſſione vulnus detegit, & Confeſſarium ſeriò obſecrat, ut factum, fatúmque hoc ad aliorum terrorem publicè è cathedra promulgaret. Ipſe verò paulò poſt cum ſanguine animam quoque effudit.

Neoburgo per pacem Germaniæ redditam Anno 1648. ingratis hoſpitibus liberato Capucini paulò quietiùs ſibi, Deo, & proximo vacare potuerunt; quod quidem uſque ad annum 1674. impigrè præſtiterunt. Eum verò annum ſibi, Conventui, & urbi exitialem habuerunt. Rex namque Chriſtianiſſimus Cæſari infensus nullam huic nocendi occaſionem prætermiſit; cujus adeóque juſſu Marchio Vaubrunius cum valida bellatorum manu Briſacô erumpens die 11. Martii urbem inobſervatus obruit, expilationi, & militum inſolentiæ expoſuit, direptam flammis exuſſit, eumdémque interitum Conventui Capucinorum denuntiavit, eam ſolam Capucinis gratiam exhibens, ut illis de comburendo Monaſterio præmonitis ſuppellectilem ſacram, & profanam, cæterásque res ſuas in tutum collocandi ſpatium relinqueretur. Die 9. Aprilis accurrens hoſtium manipulus circa horam quintam pomeridianam, urgente, ut ajebat, Regis juſſu, & exigente belli ratione, flammas Conventui injecit, quæ flammis auctæ, & pabulo incrementatæ tum Monaſterium & templum, tum fanum Parochiale, & ſacellum S. Joannis intra paucas horas in lamentabile buſtum converterunt. Hujus facinoris geſtorum gallicorum auctarii executionem illi dijudicandam committimus, qui aliquando idolum illud, rationem belli, & ſtatûs, ad examen vocabit; cujus interim ultrice Nemeſi factum eſt, ut is, qui primas intulit faces, mox à Præſidiariis Friburgenſibus comprehenſus, vivicomburio mulctatus: alius verò Eccleſiæ incendiarius è ſcalâ delapſus, capite in terram illiſo, cerebróque diſperſo miſerrimè extinctus promeritas illuſtrium geſtorum ſuorum pœnas ſubjerint, Capucinis interim cum cruce ſua Schliengam ſecedentibus, & inter ſuas, & civium, quin ipſorum quoque hoſtium lacrymas mæſtiſſimo Ordine ſepultæ ruinis ſuis urbi valedicentibus.

Num. XI. Locus Schliengenſis.

IAm olim prædominante in vicino Marchionatu Durlacenſi, latiúsque ſerpente Lutherana credendi, & vivendi libertate Schliengenſes exoptaverant præſidium aliquod regulare in Capucinis oppido Schliengæ invehendis conſtituendum. Quod tamen patres noſtri domorum ſuarum nimiam multiplicationem ex cauſis jam alibi allegatis ſollicitè ſtuduerint evitare, Schliengenſes ne per ſomnium quidem votorum ſuorum aſſecutionem ſperare poterant. Poſtquam, uti præfertur, Capucini Neoburgo expulſi Schliengam migrâſſent, & tum à civibus, tum Magiſtratu liberali hoſpitio ſuſcepti, & aliquamdiu ibi commorati fuiſſent, ex eorum contubernio Schliengenſes anteceſſorum ſuorum conſilia, & ſtudia hujusmodi Religioſos hoſpites perpetuo, & ſtabili domiciliô complectendi reſuſcitârunt, & primariis loci dominis in hanc ſententiam conſpirantibus, inter quos Eminentiſſimus & Sereniſſimus Cardinalis de Haſſia, Princeps Heitershemienſis &c. &c. familiam ducebat, cum multo argumentorum, & inſtantiarum apparatu Provinciæ patres in eamdem mentem traducere conati ſunt. Sed Patribus ob rationes â futuris contingentibus, & præſentibus rerum aſpectibus petitas conſtanter tergiverſatis, & oblatum favorem humiliter deprecatis Schliengenſes Penelopes telam texuiſſe experti, & ſubſidio ſpirituali ipſis quondam à Conventu vel Neoburgenſi reſuſcitando, vel Stauffenſi ſuſcitando in omni caſu neceſſitatis exhibendo contenti.

Num. XII. Locus Ettenhemienſis.

SIc etiam optima civium Ettenhemienſium deſideria, quibus Anno 1667. & ſequentibus æſtuabant in ſimile domicilium Capucinis in urbe ſua fundandum, fruſtrata fuerunt; partim quòd noſtri patres variarum contemplatione ſe in hoc negotio paſſivè habentes ipſis Ettenhemienſibus nil fuerint activè cooperati: partim quòd Celſiſſimus ac Reverendiſſimus DD. Epiſcopus Argentinenſis à nonnullis validis contradictoribus præoccupatus huic meditatæ Capucinorum coloniæ poſitivè, & conſtanter obſtiterit, quin ab iteratis Ettenhemienſium inſtantiis, & argumentorum, quæ operis hujus facilitatem, utilitatem, & quaſi neceſſitatem ſuadere videbantur, conglobatione: ac etiam Sereniſſimi Marchionis Badenſis Leopoldi, hujúsque lectiſſimæ conjugis Reverendiſſimi D. Epiſcopi germanæ ſororis interceſſionibus in mitiorem ſententiam traduci potuerit.

Num. XIII. Locus Schvvendianus.

ILluſtriſſimæ inter Equeſtrem Sueviæ nobilitatem familiæ ſurculus adhuc unicus D. L. B. Franciſcus de Schvvende prævidens ex improli matrimonio ſuo ſtirpem tot ſæculis celebrem in ſe defecturam, nec habens neceſſarios bonorum ſuorum hæredes horum vice S. P. Franciſcum

ciſcum in filiis ſuis Capucinos inſtituere, atque his ſtabilem in primario ditionum ſuarum oppido manſionem materiare conſtituit, & tantis rationum momentis, quibus Patres Provinciæ ad votis ſuis deferendum inducere nitebatur, ſinceritatem deſiderii ſui conteſtatus eſt, ut facilem obtinuerit aſſenſum ab iis, ob agitatum tunc diviſionis negotium aliquam duntaxat rei aggrediendæ moram pactis, & offerentibus interim quemdam ſupernumerarium Biberaci alendum, qui tanquam verbi dati obſes ad quæcunque ſpiritualia obſequia ab Illuſtriſſimo D. Barone expoſcenda, huícque opportuna Miſſionem in locum Schvvende exerceat. Sub hujus dilationis tempore contigit Perilluſtrem Dominum Baronem amantiſſima Domina Conjuge viduari, & ad ſecunda vota progredi; ex quibus longè exoptatiſſimam prolem maſculam ſuſcipere, ut ipſemet gratanter deprædicabat, SS. Franciſci, & Antonii interceſſione promeruit; licèt hujus jam hæredis intuitu tractatus illi de conſtruendo cænobio, Capucinis rem non urgentibus, ſubſederint. Perilluſtris D. Baro nihilominùs propoſito ſuo inhærens conſtanti eleemoſynarum profuſione moram, quam ipſe jam ex intervenientibus obſtaculis nectebat, compenſavit. Imò ne propoſitum ſuum omninò permitteret antiquari, intra caſtri ſui ambitum anno 1671. hoſpitiolum cum refectorio, & quatuor cellulis ad formam Capucinis communem conſtrui fecit; ubi noſtri eò per annum aliquoties ventitantes ſeparati ab arce, intra tamen hujus mænia, commodiſſimè hoſpitari poſſunt, & hodiéque ſolent. Subinde dominatu Schvvendiano ob extinctam virilem ſucceſſionem nuptiarum viâ Illuſtriſſima Comitum de Oëtingen familia potita fuit.

Num. XIV. Locus Laupheimenſis.

MAjoris, ac prolixioris erat molis locum Laupheimenſem Capucinis in domicilium conſignare, quò diu, & operosè Perilluſtris D. Nicolaus L. B. de Welden ſuſpiravit; qui præprimis Patres Provinciæ in ſententiam ſuam pertrahere conatus, hósque in binis Capitulis Anno 1676. & 1677. celebratis per litteras urgentiſſimas allicere dignatus eſt. His verò ob prævisa obſtacula vix ſuperabilia Perilluſtrem Dominum Baronem in propoſito pauſare perſuadentibus, ille maximos conatus aſſumpſit, quibus ad votorum ſuorum metam, perruptis quibuscunque obſtaculis, pertingere valeret, R. P. Emericum Hungarum Capucinum magnæ apud Aulam Viennenſem admiſſionis virum ad Auguſtiſſimos Imperatorem Leopoldum I. & Imperatricem Eleonoram &c. deprecatorem adhibuit, ad effectum impetrandi Promotoriales ad ipſum SS. D. N. Innocentium XI. quibus hic ut non ſolùm in meditatam hanc Capucinorum introductionem multis nominibus neceſſariam conſentire; ſed etiam P. Generali ejusdem acceptationem demandare dignaretur, flectendus eſſet; eo quidem ſucceſſu, ut Roma votis Illuſtriſſimi D. Baronis plenè reſponderit. Ad eliciendum Ordinariatûs conſenſum Illuſtriſſimus D. Benefactor Celſiſſimi ac Reverendiſſimi DD. Epiſcopi Eyſtadiani; Illuſtriſſimæ Nobilitatis Equeſtris Suevo-Danubianæ; Sereniſſimi Ducis

Lotharingiæ occaſione belli in eas terras delati interceſſione uſus eſt, quâ tamen, intervenientibus validis quibusdam contradictionibus ſcopum non aſſecutus eſt, Celſiſſimo ac Reverendiſſimo DD. Epiſcopo Conſtantienſe Franciſco Joanne præter morem difficilem ſe Capucinis, & interceſſoribus inexorabilem exhibente. Interim ferventiſſimus Weldius enervandis Æmulorum objectionibus intentus proprio marte, eáque ſoliditate adverſantium argumenta infregit, ut victus Reverendiſſimus D. Ordinarius Edictales emanaverit, &, cùm poſt rigoroſiſſimam Inquiſitionem DD. Commiſſarii in favorem Baronis retulerint, in tantum conſenſerit, in quantum Romæ, quò acta omnia ad ſupremam Judicaturam remiſſa fuerant, favorabiliter pronuntiandum erit. Utcunque Illuſtriſſimus D. Weldius his lætis rerum progreſſibus admodùm ſibi gratulatus ſit; gaudium tamen ejus turbavit Illuſtriſſimus D. Franciſcus Philippus L. B. de Welden altefati Nicolai germanus frater; qui ſe tanquam Con-Dominum, & Confeudatarium illegitimè in hoc negotio præteritum, atque neglectum conqueſtus eſt, & ſolenniter contra omnia acta, & actitata proteſtatus. Huic proteſtationi, tanquam opportunæ occaſioni inſiſtentes adverſarii inhibitorium ab excelſo regimine Ænipontano, ne ad fabricam Capucinis intentam procedi poſſet, evicerunt. Quamquam verò Illuſtriſſimi DD. Fratres in mutuam reconciliationem coaluerint, dicti Inhibitorii relaxationem exoraverint, & unitim erigendo Conventui animos, & opem apparaverint: quia tamen Anno 1680. Relationem huic operi prorsùs contrariam Reverendiſſimus DD. Ordinarius Romam dederit, cauſatus, quòd ea Religioſorum, & Monaſteriorum multiplicatio diverſa Epiſcopatui ſuo incommoda eſſet allatura, P. Procurator ad curiam Romanam tam alienum ab hujus cauſæ proſecutione animum induit, ut nulla deinceps ratione eò ſe flecti permiſerit. Rerum tandem pertæſus Perilluſtris. D. Baro Nicolaus & ipſe manum retraxit: res autem tota ſucceſſivè ad abandárum pervenit.

Num. XV. Locus Mons Suevorum in agro Campidunenſi.

CElſiſſimus ac Reverendiſſimus S. R. I. Princeps DD. Rupertus Abbas Campidunenſis jam Anno 1683. in perpetuum clementiſſimæ in pauperes Capucinos propenſionis monimentum his montem Suevorum, **Schwabens-Berg**/haud procul Campidunô ſitum in regularem incolatum deſtinaverat, eáque de re ſeriò, & multum cum Provinciæ Patribus egerat.: Quòd verò hi talem locum conditione Provinciæ aliàs odioſâ licitari debuiſſent, & hanc, & locum ſub humillima deprecatione excuſſerunt. Poſt longam intercapedinem idem Celſiſſimus, Anno nempè 1713. in eadem clementiæ ſuæ nobis exhibendæ conſilia rediit, & vel præfatum, vel alium principatus ſui locum domicilii regularis conſtructioni opportunum obtulit, atque

atque ut in alterutro firmam prehenderemus manſionem, vehementer inſtitit, omne in rem ædilitiam ſubſidium, & vitæ auxilia pollicitus, ſed plurima fuêre, quæ Patres à gratiæ oblatæ uſu avocaverant. Inter alia non poſtremum fuit religioſa ſollicitudo, ne vicinis Fratribus æmulandi, & de præjudiciis ſibi inferendis, coram Tribunali Epiſcopali querulandi occaſio præberetur. Pacis igitur religioſæ ſtudio Capucini hanc proferendorum finium ſuorum opportunitatem humiliter, & ſapienter neglexerunt; quam tamen alii religioſi mendicantes à Celſiſſimo ipſis oblatam ambabus manibus amplexi ſunt.

Num. XVI. Locus propè VVurzachium.

PAri munificentia Excellentiſſimus & Illuſtriſſimus S. R. I. Comes de Zeil-Wurzach Anno 1693. in alterutrum Comitatûs ſui pagum Eytrach, vel Marſtätten Diœceſis Auguſtanæ Capucinos locatos exoptavit, ac eum in finem cum Provinciæ Patribus diuturnas conſultationes, litterásque miſcuit. Et cùm hi aliquamdiu Excellentiſſimi D. Comitis pia deſideria prolatâſſent aſſumpto ſupplicantis habitu precum multiplicatione Patrum in recuſando conſtantiam fatigare, quin & ſuperare niſus eſt. Ut tamen erat vir ſapientiſſimus; ſic rationes, quæ acceptationem loci hujus diſſuabebant, nullâ indignatus disgratiâ novas perſuaſivas excogitavit, quas Patribus in ſenſum ſuum flectendis admovit, quò tandem ſcopum ſuum adipiſceretur. Fruſtra tamen & hæ fuerunt, Patribus rationabili negativæ ſuæ inſiſtentibus: & quod mireris, ea inter Dominum Comitem quacunque occaſione preces ſuas iterantem, & Patres has preces refutantes concertatio, ut ex multiplicatis ultrò citroque litteris elucet, ad noſtram usque ætatem protracta fuit. Tametſi Illuſtriſſimus D. Comes ſuccubuerit, quod alii maximam injuriam fuiſſent interpretati, tantus tamen illi in Ordinem noſtrum amor fuerat, ut nullam offenſi notam animi unquam præſetulerit; ſed ſubſidiis ſpiritualibus frequenter per annum eidem in loco Wurzach è Conventu Wangenſi præſtari ſolitis contentus animam quoque ſub aſſiſtentia hujusmodi P. Miſſionarii piè in Domino exhalaverit plenam beneficentiæ ſuæ mercedem in cœleſtibus percepturam.

Num. XVII. alia quædam loca.

ANno 1700. Sereniſſimus Princeps Ludovicus Wilhelmus Marchio Badenſis coloniam Capucinorum Ettlingam inferendam animo conceperat; quam à Patribus acceptatam tumultus bellici diſturbârunt. Anno 1713. Sereniſſima vidua regnans idem propoſitum reſuſcitavit executioni mandandum, niſi demùm furentis belli turbæ illud procraſtinatum voluiſſent. Noviſſimis temporibus, quadam benefactrice notabilis ſummæ legatum offerente, & civibus Et-

tlingenſibus impensè rem urgentibus tandem ad rem deventum fuiſſet, niſi Patres noſtri conſultò rei defuiſſent, utpote tantam locorum pluralitatem non tantùm non affectantes; ſed & dedignantes, ut jam alii noſtrûm locò ſubintroierint, & diſtractâ rei agendæ opportunitate omnis porrò aditus nobis jam ſit ademptus. Anno 1718. Prænobilis D. Alexander Schrenck à Schrenckenſtein, Sereniſſimi Principis de Hohenzollern Sigmaringen ſupremus ſtabuli Præfectus domum ſuam caſtrum referentem cum quindecim florenorum millibus in domicilium Capucinis Haigerlochii figendum obtulerat; quam tamen Patres Provinciæ variarum difficultatum metu recuſandam duxerunt.

Anno 1736. Alma Provincia Rhenana in ceſſione Miſſionis Carls-Rhueanæ Provinciæ noſtræ occaſionem augeſcendi præbuit: quæ à noſtris acceptata, à P. Generali approbata, ab Eminentiſſimo D. Cardinale Schönbornio, ceu Ordinario Spirenſi permiſſa; ſed per iniquiſſimas conditiones à Sereniſſimo Marchione Durlacenſe ad perverſum Miniſterii ſui dictamen poſitas annulata fuit.

Aliâ inſuper viâ Provincia noſtra incrementari, & Gamundiam, ac Dinckelſpilam uſque porrigi debuerat, ac poterat, inclytiſſimis ambarum urbium Magiſtratibus, & Capucinis propoſiti complicibus fortiter ad curiam Romanam inſtantibus, ut præfatarum civitatum Conventus à Provinciis Franconiæ, & Bavariæ nuper ſeparatis quodammodo deſerti, unà cum horum incolis, & aliis inſuper Religioſis Suevis Provinciæ Anterior-Auſtrircæ incorporentur. Noſtri tamen Patres multorum incommodorum, & abſurdorum, quæ ad hanc incorporationem, & Provinciæ extenſionem conſecutura forent, contemplatione, tum P. Miniſtrum, tum P. Procuratorem Generales per maximi momenti cauſas eò diſpoſuerunt, ut memoratis inſtantium precibus negativè reſponderint, ac denique prædictos Conventus Provinciæ Bavaricæ annumeratos voluerint.

Ex his ut plurimùm noſtrâ, & ſtudioſâ culpa neglectis, recuſatis, atque adeò deſertis; partim verò violenter nobis invitis per hæreticos, aut alios extortis locis, reſidentiis, hoſpitiis, & miſſionibus prudens Lector conjiciet, quàm injuſtè nobis imponatur inſatiabilis finium Provinciæ provehendorum, & Conventuum multiplicandorum cupiditas; cùm potiùs Patres noſtri per præfatam locorum neglectionem, & recuſationem Provinciæ nomini, & naturæ violentam (*Provincia* enim, ut ex longè retrò dictis apparet, idem ac *procul poſita*, & *provehenda* ſonat) procauſaverint, ut eorumdem locorum neglectus meritò ad hanc paſſionis categoriam enumerandus venerit, clamante Provinciæ ethymologiâ: *Plus ultra*. Reclamantibus Provinciæ Rectoribus: *Non plus ultra* fines ab anteceſſoribus prudenter, ac religiosè poſitos; ut ſubſiſtat opportunitas Provinciæ taliter contractæ, & limitatæ per viſitationes regulares proſpiciendi, meliúsque invigilandi diſciplinæ Monaſticæ integritati.

Quæ circa exuſtos, & deſtructos Conventus Conſtantienſem, Rhenofeldenſem, Friburgenſem, Mahlbergenſem, Badenſem &c. proximiùs ad paſſionem accederent, in horum deſcriptione jam attigimus. Quoad Biberacenſem, & Ravenspurgenſem §. ſequente adhuc nonnulla. §. II.

§. II.

Paſſio quoad Perſonas.

NUnc ad eos recenſendos progredimur, quibus exoptatiſſima pro nomine Jeſu contumelias, verbera, flagella, & diriſſima quæque patiendi ſors obtigit, quorum perſecutionibus afflicta primùm amantiſſima Mater Provincia; deinde iisdem glorioſa, velut illa Machabæorum Genitrix filios ſuos ad omnia quæque pro Deo, pro Eccleſia, Religione, & ſalute ſua patienter, & fortiter ſufferenda hortatur, animat, erudit, & offert: *Peto, nate*, quemlibet alloquens, *ut aſpicias ad cælum, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt: ita fiet, ut non timeas* odia hominum; *ſed dignus fratribus tuis effectus particeps, ſuſcipe mortem*, mortificationes, *ut in illa miſeratione cum fratribus tuis recipiam te.* 2. Mach. cap. 7. Inter hos dociles, & obſequentes Matri filios familiam ducit glorioſus Chriſti Martyr B. Fidelis Sigmaringanus; qui licèt ſolus ſanguine ſuo Provinciam ab actionibus Miſſionariis candidam, reddiderit quoque rubicundam; plurium tamen anteſignanus extitit, cujus tanquam uvæ in actualium cruciatuum torculari expreſſus, illisque oſtenſus ſanguis eos in prælium acuit ſuum quoque profuſuros, ſi perſecutio tuliſſet; ut adeò his non voluntas ad martyrium; ſed martyrium, & carnifices optimæ voluntati defuerint. Transmiſſo autem B. Fidele jam aliàs noto ad alios properamus. I.

Ante hujus exemplum P. Ludovicus Saxo jam in eo fuerat, ut cruentus Chriſti martyr evaderet; quem tamen divina miſeratio pluribus animarum lucris miraculo, ſolenni ſanctitatis ſuæ teſtimonio, deſtinavit. Is Lutherani, ſed Illuſtriſſimi viri Electoratûs Saxoniæ Cancellarii filius Lutherô etiam imbutus, illuſtrium ritu ad magna parandus in exteras terras emittitur, & Bononiam Italiæ urbem perveniens moras ibidem trahit ſuperni luminis admodùm feraces. Sacra equidem Catholica eidem adeò illuxerant, ut jejunas Lutheri ſuperſtitiones nauſeatus poſt ſufficientem catecheſin Religioni Catholicæ ſacramentum dixerit. Et cùm paternæ domui, futuris mundi dignitatibus, natalium ſplendori, & ampliſſimis fortunis hac alterius dogmatis profeſſione æternum nuntium remiſerit, ulteriorem S. Spiritûs tractum ſecutus, & Capucinorum religioſiſſima converſatione, paupertate, vitæque cælo rapiendo idoneæ methodo allectus in eorum conſortium admitti ardentiſſimè flagitavit. Repulſam primæ preces tulerunt, quòd hæreticis parentibus ortus à conſtitutionibus prohiberetur ſuſcipi. Spectatâ tamen juvenis indole, & conſtanti tum in fide Catholica, tum ad Religionem Seraphicam ardore Anno 1583. Bononiæ ſacro Ordinis habitu contegi obtinuit. Vix ea filii ad Eccleſiam Romanam (ut phraſi hæreticis uſurpata loquamur) degenerantis, & in Capucinum, ut lamentabantur, defigurati rumor ad parentes perlatus erat; quum ecce hi omnem rudentem moverant, nullum lapidem intentatum reliquerant, quo filium adeò prodigum à II.

tam exotico, nominíque, & familiæ tam erubeſcendo propoſito revocarent: igitur legatio expeditur, quæ famulitio, & nummis probè inſtructa Juvenem ad reditum in Patriam perſuaderet. Neque verò hæc partibus ſuis defuit; ſed præter opum, & dignitatum oſtentationem neſtoream quoque eloquentiam expugnando Ludovici animo adhibuit: qui tamen hæc omnia velut Calabri hoſpitis Xenia aſpernatus, cygneæ, vel ſirenum cantioni aures obſtruxit propoſiti tenaciſſimus Ulyſſes legatos re infectâ repatriare juſſit. Poſt profeſſionem Bononiâ Genuam; & inde, quòd idiomatis germanici gnarus eſſet, in novellam Helvetiæ Provinciam mittitur; ubi præter præclara virtutum exercitia tantâ etiam litteraturâ, ſuffragante induſtria, & acutiſſimi ingenii præſtantiâ, imbutus fuit, ut in evangelizandi gratiâ nullum ſibi ætate ſua ſimilem habuerit. Tam audacter ubique in graſſantia ſcelera invehebatur; tanto eloquentiæ flumine auditores obruebat, & tam eximios fructus Apoſtolicâ dicendi libertate protuberabat, ut nemo poſt Roſcium in ſcenam; poſt Ludovicum in Cathedram prodire auſus eſſet; cùm is totum egerit. Abbatis Cellanis inſano Zvvinglii, & Calvini dogmate, nimiùm infeſtatis ſupervenit P. Ludovicus Prædicator graviſſimis verbis, quod res, locúsque ſuadebant, de veritate Religionis Catholicæ, & mendaciis hæreticæ prolocutus brevi tempore ſanos in fide roboravit, nutantes ſolidavit; aliquos deſertores ad fidem revocavit, reliquos ſua dicendi facultate terruit, adeóque attrivit, ut fides Catholica quaſi de novo exorta, vel ab interitu erecta, quæ antè ab heterodoxis preſſa nec mutire audebat: imò Magiſtratui Abbatis cellano eam animoſitatem, & zelum inſpiravit, ut hæreticis omnibus migrationem ex oppido denuntiaverit. Ea re P. Ludovicus magnum ab heterodoxis odium in caput ſuum conflavit. Semel enim cùm in pagum quemdam prædicandi causâ excurriſſet, peractóque negotio domum reverteretur, duo Pſeudo-Paſtores in inſidiis collocati mox è ſylva Ludovico tranſeunda erumpentes virum Dei primò calumniis, & contumeliis aggreſſi; mox & manus violentas inferre conati ſunt, Martyrem creaturi, niſi eadem viâ Catholici quidam homines accuriſſent, qui Ludovicum latronum manibus ereptum ſecurè domum reduxerunt. Unam præ aliis fœminam in hæreſi obſtinatiſſimam in dicto oppido Abbatis cellano converterat Ludovicus; quæ hæreticis in ejus domo conventicula ſua celebrantibus ipſa quaſi Prædicantiſſa Biblia expoſuit. Hanc ergò fœminam plus nimio loquacem, & Catholicis infenſiſſimam Ludovicus adit; ad diſputandum provocat, tótque eam argumentis, & rationibus convincit, ut illa tandem in ſe reverſa ſectam abjuraverit; Catholicam fidem amplexaverit; háncque nuper adeò ſibi exoſam publicè, & ubique velut unicè legitimam commendaverit; & piiſſimam ſanè vitæ rationem ad leges Catholicæ ſanctitatis aſſumpſerit; digna; cui graviter ægrotanti P. Ludovicus eâ ipſiſſimâ hora, quâ Auguſtæ vindelicorum obiit, apparens diceret; ſe jam ad Patriam cœleſtem migrare; quod verum fuiſſe ſubinde compertum eſt. Exin P. Ludovicus, obedientia duce, Apoſtolicam in Solodorenſium vitia expeditionem ſuſcepit, qui

ibi

ibi ſicut ex privatis congreſſibus ; ita ex roſtris publicis non niſi victor cum ingenti animarum præda rediit. Badam Ergoviæ deinceps deſtinatus parem cum ferventiſſimi oratoris encomio fructum meſſuit, ſuæque eloquentiæ vi maximam ſibi ab Hiſpaniæ, Galliæ, & Cantonum utriusque Religionis Legatis, atque ab ipſo Celſiſſimo & Reverendiſſimo DD. Chriſtophoro Blaréro Epiſcopo Baſileenſi tum ibidem Comitiis præſenti exiſtimationem, & venerationem conciliavit : Magiſtratui autem Badenſi adeò ſe inſinuavit, ut de ſtruendo Badæ Capucinorum Conventu conſilia agitaverit ; quamquam nonnulli etiam Catholici his propoſitis validiſſimè obſtiterint, & ad reddendos Capucinos plebi odioſos ex dictamine ſtygii Adverſatoris varia in eos ſcommata evomuerint, famámque illorum confictis criminibus conſpurcaverint. Unus aliquis ſacrum ex Eccleſia calicem clam abſcondit ; & lamentationes mentitus Capucinos fures ſacrilegos, & Eccleſiæ raptores vociferatus proclamat. Sed clementiſſimo Numinis conſilio artes ſycophantæ detectæ, infamia in ipſum prolapsa, & Capucini cum fœnore abſoluti fuerunt. Ludovico inter hæc Catholicorum odia, ſua apud fidei hoſtes conſtitit authoritas, ita ut Tigurini Badam uſque conveniendi, & audiendi viri deſiderio properarent. Quin & in pleno Tigurii Senatu de eo illuc vocando conſultatum fuit. Et reipſa hæc vocatio ſucceſſum habuiſſet, niſi cathedræ peſtilentiæ incubatores miniſtelli mare cælo miſcentes cum haſta & ſcuto hanc Magiſtratui mentem ademiſſent. Verumtamen lucrum animarum, quod Tigurii fortè retuliſſet, Deus alibi compenſavit. Prout ipſe P. Ludovicus Auguſtâ in hanc Provinciam reſcripſit ; lætari ſe quòd Tigurii non fuerit receptus : ex eo enim tempore ſe tot animas, Deo ſibi opitulante, ad fidem Catholicam lucrifeciſſe, quot vix quatuor urbes Tigurinæ caperent. Cùm hujus viri fama longè latéque provolâſſet, ad quorumdam Magnatum inſtantias Anno 1595. P. Miniſtri Generalis decreto in Bavariam verbi divini ibidem prædicandi causâ transire jubetur. Gemebundæ ergò Provinciæ hic ſæculi ſui Paulus triſtis valefaciens in Auſtriam, & Bavariam progreſſus hæreſin ibi ſtabulatam nullibi conſiſtere paſſus acerrimè nulla habita perſonarum ratione inſectatus eſt, & quamplurimos ad ſanctiora traduxit. Auguſtæ Vindelicorum cùm confeſſioni à loco nomen ſortitæ graviùs, quàm adverſantium ſynagoga ferre poterat, immineret, ejúsque inanitatem plenis cornibus undequaque erumpentem detegendam aſſumpſiſſet, fatalia ſibi prædicantium Lutheranorum odia accerſivit. Semel dum concione peracta ad Illuſtriſſimum D. Fuggerum ab hoc invitatus ſe contuliſſet ; ibíque caſu ad apertam palatii feneſtram ſolus ſtaret ; ſubitò hæreticus quispiam laxatâ ex inſidiis bombardâ glandem in eum torquet ; quæ etſi non aberraret, ſed rectà in frontem Ludovici ferretur ; manifeſto tamen miraculo ea divinitùs evigorata impunè ad illæſi P. Ludovici pedes delabitur.

Eadem in urbe itidem accidit, hunc famulum Dei pœnitentium confeſſiones excepturum ad Eccleſiam ſe contuliſſe. Hæreticus ergò alius, & ipſe vatiniano in eum livore correptus, atque ut rationabilis ferebat ſuſpicio, à Lutheri venerabili, ſcilicet, Clero ad aſſaſſinium conductus, ſclope-

ſclopeto armatus feſtinè inſequitur. Quem vix in loco ad id optato, ac ſolito conſidentem, & pœnitentibus aures ſecurè præbentem conſpicit, cum ſclopeto in eum directo jam jam globo trajicere tentat. Sed ecce! ſubitò ſacrilegus homicida pavore cælitùs immiſſo toto corpore obſtupeſcit, ac contremiſcit, adeò ut ab incæpto ſcelere non ſolùm deſtiterit; ſed cùm vindicem Numinis manum perſpicuè ſenſiſſet, animo in meliùs mutato veniam à Deo, & P. Ludovico ſupplex popoſcerit; quin etiam Auguſtanæ confeſſionis deliria abominatus, & orthodoxa catecheſi initiatus in fide Catholica, quoad vixit, perſeveraverit. P. Ludovicus ergò tot agonibus pro Deo, & Eccleſia perfunctus, tot triumphis contra hæreſin & orcum glorioſus, tot opimis animarum ſpoliis inferno ſubtractis, cælóque illatis onuſtus, ovans Capitolio cæleſti invectus eſt, diem ſupremum obiens Auguſtæ Vindelicorum Anno 1608. die nobis incomperto; in pluribus adeò Provinciis, noſtra ut unâ adhuc cum Helveticâ, Bavarica, Auſtriaca, & Tyrolenſi nominis immortalitatem promeritus.

III. P. Joannes Krievvangenſis Confeſſarius religioſâ ſimplicitate inſignis, & in aliarum virtutum ſtudio nulli ſecundus, dignúsque habitus fuit, qui B. Fideli Martyri in Miſſionem Rhæticam ituro ſocius, in conquirendis, & catechizandis hæreticis Cooperator; & vix non etiam martyrii aſſecla fieret. Poſtquam enim B. Fidelis furentium hæreticorum manibus confectus eſſet, Prænobilis Dominus Abundius de Sales, licèt Acatholicus P. Joannem à rabie tumultuantium ſervaturus in domum ſuam abſcondit. Hic autem probro ſibi ducens in eo latibulo optatiſſimam martyrii occaſionem, & cum hac lauream negligere, domô elapſus ad Eccleſiam properat, calicem, & alia ad Miſſæ ſacrificium pertinentia ſacrilegis vulturibus ſubtracturus. Sed vix ab hæreticis conſpectus quæſita illis præda evaſit, alii eum mox trucidandum; alii captivitati addicendum vociferantur: interim unus enſem adeò in cervicem ejus vibrat, ut ictu validô in terram proſtratus quidem, habitu tamen religioſo impetum infringente, non niſi leviter in collo vulneraretur. Poſt hunc alii in eum armati irruunt; unúsque exſertâ machæra capitis abſciſſionem apparat. Flectit Joannes, collum ipſe caputiô denudat, & complicatis manibus ſuccłamans: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum.* Poſtremum ictum exſpectat. Intervenientes autem aliqui indiſtincto clamore carnificem ſiſtere jubent; quem dum etiam D. Abundius de Sales ſeriò dehortatur, alii duo nil pacatiores armis eum exagitant; quorum unus cuſpide in ſiniſtrum agni ad occiſionem parati pectus demersâ eum transfodere pertentat. Fallente tamen impetu ferrum impunè ſtringebatur. Mox alter retrorsùm pugionem in humerum dextrum adigit, totúmque perforâſſet, niſi oſſa ſcapulæ obſtitiſſent. Quidam manſuetiores virum cruori ſuo innatantem denuò levatum, & intra judicis ædes raptatum cubiculo includunt tanquam captivum, & alii carnificinæ ſervandum; ubi ſanguine introrsùm ad viſcera deſidente pænè ſuffocatus, & deliquiis obrutus jacuit. Refocillato autem, ſibíque reddito prima cura fuit explorare, quid cum P. Fidele ageretur? quem cùm gloriosè pro fide occumbentem intellexiſſet, dilapſis aliò latro-

tronibus, ipséque jam in libertatem aſſertus jam tunc, & ipſis, quibus ſupervixit, viginti novem annis, martyrii laureolam primis jam digitis prehenſam ſibi hac indulgentiâ, morte ipſa ſibi magis funeſtâ, ereptam fuiſſe uberrimâ, & perenni lacrymarum profuſione deploravit. Quoniam tamen ſe cruenti martyrii, & ſimilitudinis cum amantiſſimo Patre ſuo Fidele honore indignum reputavit, in juſtificationibus Domini progredi conatus eſt religioſiſſimè, ut vixit, mortuus Stanzii 5. Jul. 1651.

IV. P. Pius Veldkirchenſis præclarâ Caſtelmaurorum geneſi nobilitatus, ſed nobilior vitæ Religioſæ exercitationibus nil ſacroſanctiùs habuit, quàm ut ſtuderet eſſe, qualis audiret, nempè pius; quæ prærogativa inſigni eruditioni ſociata eum B. Fidelis in Miſſione Rhætica ſucceſſorem conſtituit. Ibidem cùm pro Apoſtolico zelo, & ardente proximi charitate graviſſimarum difficultatum, perſecutionum, itinerum, laborum, vigiliarum, inediæ, famis, ſitis, & odii devoratrice milites à recto fidei tramite devios catechizaret, ad familiam Eccleſiæ Catholicæ pelliceret, immorigeros diſputando confutaret, & verbo, omnes ſtrenui Miſſionarii partes expleret, à furentibus hæreticis contra pactorum fidem jugum Auſtriacum denuò excutientibus unà cum ſocio canibus, & armis ferarum more è loco Miſſionis fugatus, & perſecutus fuit; quem per invios ſylvarum anfractus, & altiſſima montium juga fugientem efferati, minarum cædísque ſpirantes Rhæti aſſequi non potuerunt, fallente homines viſu, & canes olfactu; quamquam cruenta veſtigia inſequentibus viam ad ſe deprehendendum indicâſſent; ſanguine nimirùm à pedibus, & tibiis à veprium, & ſcopulorum offendiculo læſis copiosè in terram depluo. Truculenti venatores jam proximè tergo ejus imminebant, nec tamen illum difficillimo itinere laſſatum, nec progredi ampliùs valentem; adeóque in obviis latibulis exſpectantem invenire poterant; licèt ipſe & venantium hominum, & latrantium canum clamores audiſſet, & induſtriam vidiſſet; protegente ſe Deo inviſibilis. Quamquam autem turpe, & illicitum ſit fugere perſecutionem: attamen nonnunquam fugam Chriſtus, & alii ſancti exemplo docuerunt, & Tertullianus fugam occulto quodam Chriſti præcepto inſpiratam ſuſcepit defendendam: Nec manifeſto adeò miraculo Deus perſequentium ſtudia eluſiſſet, ſi ipſi P. Pii fuga diſplicuiſſet. Ad aliud martyrii genus Pium ſervare Deo complacuit. Is tandem periculoſo, & maximè laborioſo deſcenſu per montium præcipitia deorsùm reptando in vallem Montifontanam pervenit, & in principali hujus pago, Schruns, ad nativas R. P. Luciani ædes divertit, quem, & hujus ſocium fame, & ſiti propè enecato, cute, & habitu undequaque laceratos, ac præ laſſitudine virium impotes præfati patris amantiſſima mater omni ſollicitudine & charitate hoſpitio ſuſcepit, & refecit. Deinceps Veldkirchium appulſus obedientiam ibidem à ſuperioribus impoſitam invenit in Miſſionem Valeſianam pergendi, in qua pro more ſuo Apoſtolico impigrè ſaluti animarum cooperando deſudavit. Guardianus Frauenfeldenſis ſubinde renuntiatus ruſticum Calvinicolam, cujus bovem morti proximum ſola benedictionis virtute incolumem reddidit, cum tota ejus familia ab hæreſis lepra curavit,

& catechizatum in ſinum S. Matris Eccleſiæ perſuaſit, atque aſſeruit. Denuò zelantiſſimus animarum venator in meſſem Valeſianam lue epidemicâ horridam dirigitur, ubi in præmium laborum ſuorum morbo peſtifero afflatus, poſtquam plurimos infectos ad æternitatem præmiſiſſet, gloriosâ charitatis victima cecidit die 17. Novemb. 1629. in Valeſia ſepultus.

Quàm propinquus martyrio fuerit P. Achilles Neoburgenſis, in Prædic. Qualit. §. 1. num. 1. jam delibavimus.

V. P. Hyppolithus Friburgenſis ea luctuoſa tempeſtate Guardianum Rhenofeldæ egerat, qua hæc urbs à Suecis ſubjugata manliano Ducis Winmarienſis imperio gubernabatur. Ut autem juſtus dolor de urbe Auſtriadûm Domui iniquiſſimè extorta, & in jus hæreticum devolutâ in familiari fratrum converſatione P. Hypolitho acerba nonnunquam lamenta, & meliorum vota expreſſerat; ſic unus fratrum Iſcariothis ſectator hæc Guardiani ſui verba Weinmario prodidit, eúmque de communicatione cùm Cæſareanis ſuſpectum reddidit. Cùm verò hic proſtitutæ conſcientiæ homo familiariùs cùm Winmario agere notaretur, P. Guardianus deterioribus præverſurus Badenam itinerans eumdem nil rei ſomniantem in ſocium aſſumpſit; ſed ibi Superiorum diſpoſitioni relictum non reduxit. Mox id reſciit Winmarius; qui cùm facilè cauſam tam inopinati itineris divinâſſet, in mandatis dedit, ut quamprimùm P. Guardianus ſine priori comite domum rediret, is ſubitò tentus in vincula, & carcerem rapiatur. Quod ita factum eſt; nam P. Hyppolithus cum F. Manſueto Elvacenſe Clerico vix Rhenofeldam redux protinùs juxta Ducis mandatum comprehenſus, in cuſtodiam abſtractus, à ſex militibus rigidiſſimè obſervatus, & à die 11. Auguſti uſque ad 28. Octobris cuſtoditus, famèque, ſiti, & aliis incommodis pro militum hæreticorum inſolentia vix non confectus fuit; quam iniquiſſimam ſortem, & ærumnas vir maximè religioſus cum ſumma ſpiritûs hilaritate ſuſtinuit. In feſto SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ è cuſtodia ad hoſpitium cum præfato ſocio ſub ea lege migrare juſſus eſt, ne arreſtô egrediatur, donec aliter in eum decernatur manſit; itaque ibi uſque ad feſtum purificationis B. V. M. anni ſequentis, nil adeò dolens, quàm quòd Miſſæ celebratione, auditione, vel confeſſione, & communione, & religioſa fratrum converſatione carere debuerit; quam tamen carentiam ſpectatiſſimarum virtutum exercitiis, contemplatione, & ardentibus ad Cœlum precibus compenſare, atque ſolari ſtuduit. Quòd verò Winmarius poſt exactiſſimam inquiſitionem, ſtrictáque examina nodum in ſcirpo quæſiiſſe, & nihil eorum ſubſiſtere, de quibus vir innocentiſſimus fuerat delatus, comperiiſſet, P. Guardianus cum ſocio captivitate exemptus, & abſolutus eſt. Quia frigoris, inediæ, & ſexcentarum moleſtiarum improbitas optimum Patrem propè enecuerit, ideò vix ad ſuos rediens in gravem infirmitatem incidit; qua cùm ſe conſumendum animadverteret, Eccleſiaſticis Sacramentis roboratus piiſſimè in Domino obdormivit Rhenofeldæ 15. Febr. 1639. cujus merita, & ſanctimoniam illuſtri documento patefacere dignatus eſt: Angelicis enim vocibus Hymnus: Te Deum Laudamus, ad ejus ſe-

ſepulchrum decantari auditus fuit ; quod non tantùm Reverendiſſimus D. Stephanus Neudorff Eccleſiæ Collegiatæ ibidem Præpoſitus , vir tanta fide dignus , quanta virtute , & doctrina præſtans , ſub jure jurando ſeipſum aliquoties audiviſſe aſſeveravit , ea propter Capucinis virum beatum , virum ſanctum , & Martyrem gratulatus : Sed & milites excubitores id diſtinctè cum ſtupore audiverunt , & ſe mutuò interrogârunt : quid rei de intempeſtæ noctis ſilentio Papiſtis in Eccleſia eſſet ? unde muſica tam ſuavis , & Capucinis inuſitata ? alii etiam tantum ſplendorem in templo fuiſſe affirmârunt , quaſi magna id luminum copia irradiatum eſſet. Altera die fama de inſolito hoc viſu , & cantu totam urbem , & regionem implevit , ita , ut hæretica centurionis cujusdam uxor palàm edixerit : ſanctum utique hunc Capucinum fuiſſe oportet , cujus exequias cœleſtes Muſici cantu & ritu adeò ſolenni celebrâſſent.

P. Conſtantinus à Schina admodùm Clericus cum aliis duobus Fratribus heri profeſſis ductore P. Petro ex Williſau Anno 1620. Rhenofeldâ Friburgum tendens & Hattingam , pagum Lutherano Durlacenſem milite hæretico oppletum tranſiens unà cum ſociis comprehenſus , palliis , breviariis , aliiſque reculis omnes exuti , ludibrioſè inſuper , ac propudioſè contra omnem honeſtatem habiti fuerunt , certantibus inter ſe lixis , & colonibus , quibus ea legio conflata fuerat , uter alterum militari , & hæreticâ inſolentiâ ſuperaret ; arbitratis , ſe magnum Principi ſuo obſequium præſtituros , ſi luculentiora odii in religionis Catholicæ homines ſpecimina præberent. Hi ergò perditiſſimi ſcurræ , ſub pileum petulantiæ vocatis plus trecentis quà ruſticis , quà militibus , religioſos in ædes quasdam perductos omni maledicentiæ genere exagitant , verbísque injurioſis verbera ſuperaddere incipiunt ; ac tandem eò impietatis crudeliſſimæ progreſſi ſunt , ut de evirandis hiſce ſeniore , & juvenibus Capucinis conſilium caperent , conſtitutis jam , qui dato ſigno lumina hypocauſti extinguerent , & cruentum opus peragerent. Viſo hoc periculo P. Petrus tandem , qui hactenùs admodùm conſternatus , pavidúsque , & inops conſilii & ſibi , magìs autem fratribus ſuis metuebat , ori fræna laxat , & graviſſima oratione in expudoratæ frontis nebulones invehitur : unde vobis , ait , authoritas , homìnes religioſos , nemini injurios , legitimis obedientialibus inſtructos , viâ regiâ incedentes tam iniquo adducendi arreſto , & tanta in eos machinandi , quæ nec Turcæ , nec Barbari eſſent auſſuri ? Sed agedum , audete , perficite , quam animo concepiſtis crudelitatem , me vate , capite veſtro luendam. Ex nunc enim ad juſtitiam provoco ; quæ ſi mihi deneganda foret , æterni Judicis nemesin appello , quæ actutùm cervicibus veſtris inſtabit , ſceleſtiſſimi mortalium ! Edicite mihi quantocyus nomen , & hoſpitium Præſidis veſtri militaris indicate , & cavete , ne ejus me acceſſu prohibeatis. Hæc tanto cum fervore prolocutus fuit , ut inſolens nequitia erubeſcere , & metuere incæperit , atque ad ejus juſſum fratres à ſe ſeparatos é veſtigio illi reſtituerint profligati ſcurræ. Altero manè loci Prædicans rei ſeriem doctus recenti lixivio milites iſtos obruit , & nî velint extrema experiri , Capucinis omnia ſua reſtituere ,

VI.

& in pace eos dimittere jubet, quod & factum. In hac ſcena ſingulariter enituit F. Conſtantini conſtantia, qua ſibi honorem tanta pro nomine Jeſu tolerandi gratulabatur; & humilitas; qua ſtemmatis ſui prærogativam conſtanter occultabat; cujus manifeſtatione facilè ſibi vel ab hoſtibus majorem conciliare potuiſſet reverentiam. Audiens dicaſterium Auſtriaco-Anterius Enſishemii tunc moratum facti hujus indignitatem juſtas apud Marchionem Durlacenſem querelas deſuper movit; qui juſſo contra maleficos proceſſu authorem tragædiæ laqueo; reliquos ſingulos promeritis ſuppliciis addixit.

VII. P. Coſmas Lauffenburgenſis Anno 1633. Enſishemii tum moras trahebat, quando Cæſareus Belli-Dux Merſius cum electa militum cohorte inobſervatus urbem obruiſſet; & præſidium Sueco-Gallicum ejeciſſet. Breviſſima tamen ea victoria fuerat. Nam paulò poſt Merſius iterùm expulſus, & Sueco-Gallus loco potitus eſt. Tunc verò oleum camino additum! Capucini namque prioris tragædiæ à ſe vel inſtructæ, vel adjutæ poſtulabantur. Inter hos præprimis P. Coſmas, tanquam ex diuturno incolatu viarum peritus ſuſpectior habebatur, & ſeriæ quæſtioni ſubjiciebatur; qui cùm ſe omni culpâ carere conſtanter aſſereret, Centurio quispiam executione proceſſum auſpicaturus eumdem bombardæ globo trajicere jubet, qui juſſus erat, vexillifer humanitate in virum innocentem commotus imperata detrectat. At verò ille exaſperatus ſtricto in eum gladio, ut mandata perageret, inſtitit. Itaque cùm furiis deferendum eſſet, ſignifer exploſionem in P. Coſmam in genua procumbentem, & agonem ſuum Domino commendantem parat, & exequitur. Sed en! eo ſclopetum vibrante non ſolùm ignis non excutitur; ſed mortis hoc inſtrumentum illicò ita reſolvitur, ut rota igniaria ſeipſa diſſiliens humi delaberetur. Capitaneus nil inde pacatior alterius bombardæ plumbum in Capucini viſcera adigi imperat. Signifero paritionem deprecanti, Capitaneo hanc imperiosè urgenti, & P. Coſmæ decretorium fulmen exſpectanti ſupervenit alius majoris Ordinis Officialis, qui furorem Centurionis damnat, renitentiam aquilliferi approbat, & evaginato parazonio P. Coſmam defendendum ſuſcipit, atque abſolutum ad ſua reverti jubet. Nec verò huic piæ Officialis æquitati ſua merces defuit. Cùm enim paulò poſt gravi morbo obrueretur, P. Coſmas beneficii memor eumdem viſitat; cujus hortamenta ſalutis ægro ſaniora videbantur, quàm inania Lutherani prædicantis ornamenta. Igitur ab hoc averſus promptiores Capucino aures præbuit; plenámque ab hoc fidei Catholicæ notitiam accepit, admiſit, & ejurata hæreſi Religionem catholicam profeſſus, catholicè confeſſus, catholicè viaticatus catholicus obiit, P. Coſma vitam ſuam ad leges Seraphicas limatam uſque ad annum 1663. proferente, & Biberaci die 13. Febr. ſimili exitu coronante.

VIII. P. Chriſtianus pariter Lauffenburgenſis, paritérque Enſishemii, ſed ut loci Guardianus, ſpectator, imò paſſivus actor fuerat tragædiæ, quam item milites Sueco-Gallici Duce Weinmarienſi gubernium tenente exhibuerant. Vix etenim præfatus Mareſchallus, urbem profunda nocte ſecuram per aſſultum occupaverat, cùm mox pleríque homines utriusque ſexûs

ad

ad Monaſterium Capucinorum, ſacram, ut ſibi perſuadebant, anchoram reperturi confugerunt ; quos tamen hoſtes à tergo inſecuti ſunt. Horrendum auditu ; horrendius viſu, quàm barbaro furore res acta fuerit. Aliqui inermes mox trucidati, plures vulnerati, cæteri unà omnes cum Monaſterio ad atomos diſpoliati fuerunt. Capucini nil talium antehac experti ante mortem in mortem palleſcentes, à lavernionibus ut res in cænobio reconditas patefaciant, iuſſi, ſecùs furori ſuo victima futuri, in Eccleſiam velut captivi concluduntur, diu noctúque à ſtationariis cuſtoditi, & cùm in eo tumultu nullus rerum abſconſarum conſcius eſſet, adeóque manifeſtare nil poſſent, mortem ſibi proximè inferendam præſtolantur ; ad quam ſe mutuò animabant, & coram venerabili ſacramento comprecantes agonem ſuum Chriſto conſecrabant. Interim toto Monaſterio à prædonibus expilato, & rebus etiam ad Capucinos ſpectantibus ſpoliato cuſtodiâ relaxatâ, & milites ad urbem diripiendam digreſſi ſunt. Capucini in Conventu omnia ſus déque versa repererunt. Id autem, quod ad cumulum malorum faciebat, aliquorum fratrum ægrotantium ſumma rerum inopia fuerat ; quam P. Chriſtianus paternè miſeratus, & charitatem virilem indutus accedit heterodoxum urbis Gubernatorem, & obtentâ affandi copia poſtremam fratrum ſuorum pauperiem exponit, humilliméque ſuplex, ut pro his aliò transferendis ſalvum conductum extradere dignaretur. At efferus homo fronte in rugas contracta ſe id permiſſurum rotundè negat, & Patrem ocyùs è conſpectu ſuo exeſſe jubet. Tunc enimverò & P. Chriſtianus fervore excandeſcens acrioribus Gubernatorem verbis allocutus eſt : arbitrabar me, inquiens, in hominem, in Chriſtianum, & Chriſtianiſſimo Regi à ſtipendiis exiſtentem incidiſſe pauperem Capucinum habiturum ab eo in tanta calamitate, rerúmque anguſtia & ſolatium, & auxilium : ſed ut video, coram tyranno omni ſcythâ, omníque etiam truculentiſſima tygride me ſtare comperio. Si dominatio tua nulla tangatur miſeratione hominum, quòd Catholica, & Seraphica Religione Deo conſecrati ſint, eâ ſaltem tangeretur, quòd calamitoſi, quòd miſeri ſint, qui etiam jure belli ſacrati habentur. Cùm ergò his aliorsùm transferendis ſyngraphi gratiam crudeli inhumanitate deneges, quid aliud tibi, niſi illos inedia conficere conſtitutum eſt ? Si Deo, ſi Regi chriſtianiſſimo hac immanitate tua te commendaturum, & militarem gloriam hoc facto, cujus vel barbari puderent, augmentum capturam fore arbitraris, en me cum miſeris trucida. Sed memineris velim miſeram te meſſem meſſurum ; nam ſuſpenſus in te eſt fatalis ictus, brevi in te vindex lapſurus. Velut tonitru ille perculſus, & in agnum manſuefactus, uxorémque intuitus & in poſtulata protinùs conceſſit, & annonam aſſignavit, ac conjux è menſa coctum piſcem ad Monaſterium ſubmiſit, pluráque deinceps beneficia indigenti familiæ exhibuit. His Anno 1637. geſtis P. Chriſtianus uſque ad annum 1676. ſupervixit, meritísque, & ſenio onuſtus chriſtianiſſimè devixit 17. Maji Bludenti.

IX. Urbe Neoburgenſi à Gallo-Suecis ſubjugatâ barbarum in morem etiam in Capucinos à militibus, & ruſticis Durlacenſi-hæreticis ſævitum fuit. Non ſolùm omnia in Monaſterio pro inſolentia militari ſus

déque verſa, ſacra profanis mixta, direpta, lacerata, & deprædationi addicta: ſed etiam aliqui fratres odioſiſſimè apud Rhingravium heterodoxi agminis Imperatorem traducti, de graviſſimis ſceleribus accuſati, per dies 14. arctâ cuſtodiâ tenti, & iniquiſſimis aliis artibus ad mortem uſque vexati fuerunt. Compertum eſt, quòd ruricolæ Durlacenſes pro ſpiritu Lutherano reſtes adduxerint, iis Capucinos, quotquot deprehenderent, immaniſſimè ſtragulaturi. Urbi quidam ex infima hominum fæce egreſſus, Waltherus nomine, Gubernator datus eſt, qui Capucinos variis modis affligere, in excurſionibus apoſtolicis turbare, converſatione cum Civibus tanquam ſuſpectâ interdicere, has moleſtias humiliter deprecabundos ſibilis, & ſarcaſmis excipere, ac deſpectiſſimorum Æruſcatorum loco, è quorum ſorte tamen ipſemet antehac fuerat, à conſpectu ſuo repellere inter exercitia ſua, geſtáque militaria recenſere videbatur. Tandem verò huic emunctæ naris hæretico reverentior Capucinos tractandi lex à rege Chriſtianiſſimo querelis, & precibus Capucinorum implorato, præſcripta fuit. Duo milites Albam è ſacriſtia Capucinorum ſuffurati, eámque partiti induſia ſibi ex illa confecerunt; quorum ſacrilego uſu mox ambo fatali ægritudine corripiuntur: & uno quidem eâ miſerè extincto alter à fœmina Catholicâ cauſam ægritudinis edoctus mox furti ſui portionem reſtituit, & incolumis evaſit. Anno 1638. Catholici, non attento hæretico Dominatu ſolennem in Feſto Corporis Chriſti proceſſionem per Urbem inſtituerunt Capucinis pariter gregi Orthodoxo immixtis. Erat inter alios mulier hæretica, quæ propolam inter milites circumforaneum agebat, eóque die in menſula nundinali panes, vinum aduſtum, & alia triobolaria expoſuerat vendibilia. Ea circumgeſtatam propè ſe Euchariſtiam intuitura ſcamnum aſcendit, & præter ſacrilegos alios ſarcaſmos & hunc in Catholicos, ipſúmque Chriſtum conjecit: En! ajebat, quomodo Papiſtæ Deum ſuum in caveam compactum circumferant. Dixerat, & quòd illa intendebat, hæretici in liberalem riſum proruperant; at ſubitò menſa illa, nullius hominis operâ, ſed occulta vi tanto fragore concutitur, ut panes in ampullas viſtreas impingentes non ſolùm eas violentiſſimè diſrumperent; ſed omnia prorſus in terram elíderentur, & ſparſim effunderentur. Mutuis hæretici aſpectibus attoniti, & hoc factum ſupernæ vi tribuentes eorum aliqui unà cum prædicta fœmina excuſſo Lutheri dogmate Eccleſiæ Romano-Catholicæ acceſſerunt. Anno 1641. cuidam Centurioni Sueco cum pretioſis veſtibus decem Philippei furtô ſublati fuerant. Hujus uxor ſimiliter hæretica plurimùm anguſtiata verberum metu non audebat furtum detegere Marito; ſed ad Capucinos pro conſilio, & auxilio precabunda confugit. Hi primò differentiam religionis cauſati negant ſe quidquam in ejus ſolatium poſſe; at inſtantiis ejus victi comprecantur S. Antonii Reſponſorium: quo factum, ut altero manè veſtes cum nummis neglectim ſuper ciſtam projectæ in cubili ambobus apparerent. Ægrè primò aſpectu miles incuriam uxoris habens acriter eam corripuit; quæ gaudio ſuperfuſa mox totum rei eventum enuntiat. Stupuit iſte, neque ingratus omni, quo illic mo-

ra-

rabatur, tempore humanus, & beneficus in Capucinos extitit. Hæc talia clementiſſimus Deus fieri deſtinavit, ut haberent Capucini, quibus inter tot adverſa, & triſtia nonnunquam lætarerentur.

X. Biberaci fratres noſtri à Lutheranis indigniſſimè habiti, proditionis poſtulati, & iniquiſſimis dolis exagitati, tandémque laſſati deſerto loco inde migrandum duxerunt. Eò reduces eamdem furoris hæretici crambem ſorbendam habuerunt; dum Sueci prædones Anno 1634. & ſeq. Monaſterium ingreſſi ſub comminatione pœnaliſſimæ torturæ Capucinos ad revelandas divitias inibi ſequeſtratas adigere tentarunt. Sed cùm poſt examinatos omnes quoque angulos nil inveniſſent, Calicem, horologium, ſtragulas, crepidas, aliáque abſtulerunt. Quantos angores, contradictiones, criminationes, & alia adverſitatum genera in prima hujus loci fundatione, & in ejus deſtructi recuperatione, atque reſuſcitatione Capucini exantlaverint, narratu non ſumus. Furtorum, inhoneſti cum fœminis commercii, & intentatæ ad turpia ſolicitationis, & quidem in confeſſionali &c. per ſummam calumniam poſtulati, atque paſſim traducti fuerunt. Sed victrice ſemper innocentiâ per ſtrictiſſimas inquiſitiones compertâ, calumniatoribus ad palinodiam coactis Capucinis ſua fama conſtitit.

Poſt abſolutam primi domicilii fabricam cùm campanula turri adaptaretur, una fœmina æſtro Lutherano perícta in argumentum extremi adverſùs Capucinos odii in ea deteſtanda verba linguam ſolviſſe audita fuit: utinam, priusquam hi nebulones, Capucini, campanulam hanc pulſent, tinnientémque ego audire debeam, morte priùs è vita eripiar! hæc effata, precata, & pro ſua dementia exaudita fuit. Nam Capucinis prima vice campanulam pulſantibus hæc mulier ſana, & vegeta ſubitò corruens, extincta, & in horrendas Dei vindicis manus judicanda incidit. Simile redhoſtimentum duo cives Luthericolæ tulerunt, qui in deſtruendo primo Monaſteriolo ſingulare ſtudium, gaudiúmque animi teſtantes è ſupernis lapſi cervices fregerunt.

Similia omninò fata Capucinis Ravenſpurgenſibus in erectione primi, impetratione, & reſtauratione alterius Monaſterii, cui Lutherani cum haſta, & ſcuto adverſabantur, devoranda fuerant; quorum in ejus Conventûs hiſtoria potiora retulimus.

In Conventu Brigantino frequens, & ardua exercendæ patientiæ occaſio fuit. Duo fratres Wangâ Brigantium redituri à militibus hæreticis palliis, & veſtimentis ſpoliati ſunt. Alius proditoriæ cum Cæſareanis correſpondentiæ per calumniam accuſatus, indéque in arreſtum compactus, acerrimè inquiſitus, atque à ſclopetariis à Pilato ad Herodem ductus; compertâ verò ejus innocentiâ, & delatore ſycophantâ ut illi apud Danielis tribunal in aſſertionibus ſuis variante, ac denique fatente, ſe ad accuſationem conductum fuiſſe, dimiſſus eſt.

XI. Circa eamdem belli tricennalis tempeſtatem miles hæreticus omni pænè licentiâ militari in Monaſterium, & Capucinos graſſatus eſt. Unus quidam inſolentior bombardâ pectori fratris viâ ſua incedentis jam admotâ eum cum juramento: dæmon me rapiat, nî te protinùs occidam,

in agonem conjecit ; quo exploſionem exſpectante alter miles ſclopetum divertit, & ferocem ab executione dehortatur ; qui vix ægrè obtemperans eodem adhuc die glande trajectus occubuit. In eumdem Conventum quidam noctu ingreſſi illud expilaturi, & reſiſtentes Capucinos trucidaturi ; ſed ſolo excitabuli fragore à F. Laico commoto feliciter fugati fuerunt.

Nec mitiores Capucini Engenſes experti ſunt hæreticos milites ; quorum unus incitato equo in duos fratres itinerantes inſiliit, nunc evaginato gladio illos exagitans, nunc minoris ſclopeti exonerationem in eos apparans, nunc caputio, nunc barbâ hinc inde raptans extremùm miſeros defatigavit, tandem alterutrum, vel utrumque mactaturus, niſi ſupervenientes Tuellio præſidiarii crudelem exarmatum ad ſua diſtraxiſſent. Hic verò ſanus, & robuſtus cùm cubitum conceſſiſſet, manè extinctus in lecto repertus eſt ; utpote præcepto : *Nolite tangere Chriſtos meos*, à Chriſto vindice tactus. Alius quispiam in pago Müllhauſen, haud procul Engâ, pro ingenio hæretico Eccleſiam ingreſſus arripit, & in medium producit aſelli, & Chriſti inſeſſoris ſimulacrum, quod aſcendens per ſacrilega ludibria ſubditis calcaribus adigit, interímque Chriſtum, & Catholicos mille ſcommatibus proſcindit ; deinde circumſpiciens Effigiem S. P. Franciſci apprehendit, & innumera in Monachum hunc pannoſum convitia eructat, conjicit, & conglobat, ceu ſimilium in orbe Monachorum orthodoxorum (fallar, niſi nonnemo noſtra ætate ignominioſum hoc epipethon in Capucinos uſurpatum ab hoc hæretico doctus ſit) Archi-Patrem ; horrentibus, qui aderant, piis Catholicis ; corridentibus verò malis hæreticis. Dii laneos quidem pedes habent ; ſed eò acerbiùs, quò tardiùs maleficis incumbunt. Os ſacrilegis facetiis etiamnum militi plenum erat ; cùm ſubitò inviſibili impulsu ex Altaris ſuppedaneo eliſus in ultimo ejus gradu nefandum caput tam potenter impegit, ut rupto cranio chori pavimentum cerebro, & cruore reſpergens animam repentè ad infernum effuderit, horrentibus ſingulis qui aſtiterant, & manifeſtam irati Numinis vindictam vel manu palpantibus.

XII. Lutherani Durlacenſes, & Wirthenbergenſes Miſſionariis noſtris Wilanis graviſſimas nonnunquam moleſtias irrogârunt, & vel ad mortem uſque inſectati ſunt. In arcem Heimſenſem Marchionatûs Durlacenſis exercitii Catholici causâ Capucini ne ſe conferrent, ſub certæ necis comminatione prohibiti ſunt. Ut verò poſteri Miſſionarii diſcant non timere, ſed in Dei protectionem confidere, & urgente charitate ſaluti animarum incumbere, mortémque oculis ſuis obverſantem eapropter aut contemnere, aut ſubire, non attentâ illa prohibitione morientibus in illa arce Catholicis Apoſtolica fidelitate, & animoſitate aſtiterunt. Talia diſcrimina ſubierunt in præfati Principatûs pago Enzenberg, ad quem in Catholicorum ægrotantium auxilia acceſſu nulla prædicantium machinatione, nullo Officialium Lutheranorum imperio, nulla ruſticorum cruditate arceri ſe paſſi ſunt, prævalente, & tutante viros Apoſtolicos charitate. Hæc intra annos 1664. & ſequentes uſque ad annum 1700. geſta, & multiplicata ſunt : quo anno Præcones Lutherani Miſſionem ad Caſtrum S. Ludo-

Ludovici à Duce Wirthenbergiæ permiſſam, & â Capucinis cultam ſummo odio deteſtati, averſati, hujúsque abolitionem extremis artibus machinati ſunt, ornatum Eccleſiaſticum illi templo illatum non modò profanantes, ſed per ſcurras, lixásque ad hoc conductos dejicientes, diſtrahentes, & P. Lazaro ibidem pro tempore Miſſionem curanti præſentiſſimam mortem comminantes, nî à finibus iſtis, & conatibus, ùt vocant, Papiſticis faceſſeret. Huic odio, & attentato ut quendam juſtitiæ colorem allinirent, ruſticum ſubornârunt, qui animum Catholicam fidem amplexandi mentitus Capucinum pro catecheſi, & ſuſceptione ad ſacra orthodoxa rogaret; ut Patre Lazaro virum hunc, hujúsque poſtulata admiſſurô cauſam haberent illum violati limitis agendi (interdictum námque Capucinis fuit, quemquam in eo Miſſionis loco ad Catholicam Religionem traducere, aut erudire) totámque adeò Miſſionem annihilandi, ſed P. Lazarus pro circumſpectâ ſua prudentia, & dictatæ legis obſervantia ruſticum humanis verbis dimiſit, & malevolorum fraudes eluſit.

Anno 1711. Pſeudo-Eccleſiaſtici Wirthenbergenſes zelo, & ſucceſſu præfatæ Miſſionis offenſi, eáque propter livore tabeſcentes nihil non egerunt, quò unum ex Miſſionariis, præſertim P. Lazarum in caſſes ſuos inducerent, datâ operâ vitæ, & famæ ejus inſidiati, cujus unum accipe ſtructum paradigma. Mulier quædam Catholica, ſed ad impias fraudis Lutheranæ technas quum addiſcendas, tum exequendas peſſimè docilis inſtigata eſt, ut P. Capucinum pro aſylo adversùs hæreticorum ſe perſequentium furorem imploraret. Hæc perſonam ſuam excitis pretio lacrymis, fictísque ejulatibus ad vota explevit, & geſtibus ad decipiendum, flectendúmque in miſerationem, ac tutelæ conceſſionem P. Lazarum apprimè compoſitis nullum latentis aſtutiæ veſtigium prodidit. Nihilominùs præfatus Pater dolum ſubodoratus ex arena mulierem hinc faceſſere juſſit, cauſatus, domunculam ſuam non eſſe receptaculum fæminarum, tergiverſantem, & per omnia ſacra obſecrantem contracta in modum indignati fronte, & voce in tonum imperativum exaſperata ad abitum urgens, ſecùs baculô viam demonſtraturus. Vix eâ cum nasô aduncо dilapsâ ſupervenit vigiliarum Præfectus cum armatorum globo, & à Capucino minacibus verbis repoſcit, mox ut fæminam in cubili ſuo abſconſam produceret. Negavit ſubridens Pater, apud ſe abſconſam eſſe fæminam. At ille adhibita vi totam domum, omnésque ejus angulos ſcrutatus eſt. Cùm verò ædes quæſitâ muliere vacuas reperiſſet, diſcedens his Patri valedixit: bonâ fortunâ tuâ innocuum te video: quòd ſi noxius eſſes, dii me ament! infauſta tibi accidiſſent. Eidem Patri Lazaro providendis quibusdam Catholicis ægrotis occupato quidam corycæi in via ſubſidentes necem allaturi erant, haud ſanè declinandam, niſi triginta Catholicæ Religionis Equites, neſcitur, unde erumpentes, optimum virum tutati fuiſſent. Cùm is aliquando in S. Stephani Proto-Mart. Feſto Catholicos auditores ad conſtantiam, & fervorem in officio ritûs Catholici è cathedra hortaretur, exulcerati inde Lutherani denuò mortem ipſi machinati lapidibus ſe armârunt, & in

inſidiis collocati è Lazaro novum Stephanum creare conſtituerunt. Ipſe tamen ab amico periculi admonitus per longas viarum ambages ſanguinarium facinus declinavit. Alii Miſſionario noſtro Lutheranus ſtratiota ſe gladium in ejus viſcera adacturum minitatus eſt, ſi certam aliquam perſonam in agone luctantem accedere, & ſacris providere attentaret. Ille tamen inſuperhabita comminatione iſta liberè zelo ſuo indulſit.

Anno 1719. P. Martialis ex Sateins ex ſtatione Wilana in ſimile charitatis officium egreſſus paſtoris Lutherani inſtinctu ab officiali Wirthenbergico comprehenditur; cuſtodiæ mancipatur, & per quinque dies, non absque ignominiarum acerbitate detinetur; ab ipſo tamen Sereniſſimo Duce tametſi Lutherano ibidem prætervecto, ac de arreſti iniquitate edocto clementiſſimè in libertatem aſſeritur.

Contigit aliquando duos è noſtris Patres apoſtolandi gratiâ in Helveticæ-Turgojæ pagum Weinfeldam Conſtantiâ emitti. Hos ergò viâ ſua incedentes homo quidam Zvvinglii ſectator inobſervatus ſubſequitur, & ſuggerente hæreſi, ac odio, quo in viros religioſos flagrabat, contum ferreum gravem, & annuloſum, nullâ data cauſa, vel offenſâ, ſubitò vibrat, eóque junioris Patris caput tam potenter impetit, ut ſemianimis corrueret, & ex hiante vulnere copioſus ſanguis proflueret: quo facto graſſator celeri fugâ ſe proripuit; vulneratus autem ægrè in pagum ductus, & cataplasmatus ſenſim iterùm reſpiravit, ſicario nebulone debitas aſſaſſinii pœnas daturo, niſi interveniente Capucinorum condonatione, & deprecatione fuiſſet aggratiatus.

XIII. Hæc quæ recenſuimus potiſſimùm ab hæreticis illata ſunt; ideò faciliùs ignoſcenda. Graviora ſunt vulnera ab amicis, & fidei domeſticis inflicta. Sic enim aliquando Provincia magis doluit in afflictione, quâ Gallus Capucinos exagitavit; quia Catholicus, quia Chriſtianiſſimus, quem in Conventibus Haslacenſi, Friburgenſi, Stauffenſi, Mahlbergenſi, & aliis, noſtri barbaris ferociorem experti ſunt; à quorum adverſorum ennumeratione conſultò ſuperſedemus, cùm ea ex parte in antecedentibus jam comprehendantur. Illud verò ad divinæ clementiæ commendationem meritò publicandum eſt, quod circa F. Arbogaſtum Wangenſem Laicum accidit Stauffæ. Prædones Gallici poſt expilatum Monaſterium angariaverunt præ cæteris dictum fratrem, ut eis indicaret pecunias in Cænobio reconditas. At ille conſtanter tergiverſatus, eorúmque manibus elapſus in cellam ſuam ſe proripit, & tergore ſuo, ut erat vir robuſtus, januam obfirmat; inſequuntur milites plus viginti, ſclopetis, & nudis armati gladiis, januam tentant effringere, & reſiſtentiâ fratris efferatiores vim omnem adhibent, jugulaturi renitentem, ubi primùm aditus patuerit. Cùm ergò violentis, ac iteratis pulſibus cellæ janua tandem diffracta eſſet, & bonus frater vim porrò ſuſtinere non poſſet, deſperatâ vitâ cedit ingruentibus, & ſe Deo commendat. Ecce tibi! Quaſi inviſibilis à nemine tenetur, aut læditur, ſed impunis per medium illorum ibat, qui tamen ſtrictos enſes, & catapultas ei trucidando paraverant. Illud quoque atrocitatis exemplum

vel

vel Echino lacrymas expreſſerit, quod Galli incendiarii in Conventûs Mahlbergenſis exuſtione Anno 1677. ediderunt. Monaſterio fratribus nil præmonitis, ſed laudes Dei Matutinas in noctis medio choraliter concinentibus jam totum flammis comprehenſum fuerat. Igitur ſubitò omnes vitam ſervaturi ad portam properant; ſed proh dolor! incendii vis egreſſum jam interceperat. Ad Eccleſiæ fores ergò introrſùs reſerandas confugiunt. Verùm easdem extrorſùm hoſtes vectibus obſeraverant, ut nec inde effugium daretur. Videbant ergò jam pauperes religioſi, quò hæc Gallorum nocturna, & heroica (ſi ſuperis placet) expeditio ſpectaret: nimirùm ut ipſi cum Conventu, ſuppellectili libraria, & domeſtica, cum ſcriptis, veſtimentis, & cujusque ad uſum ſuum pertinentibus reculis voracis flammæ pabulum, victima, & quod de valdè crudelibus proverbio dicunt, Agamemnonis hoſtia fierent. Tam horribilis igitur mortis formidine rurſùs ad Chorum redeuntes, ibi tandem etiam per flammas circum circa allambantes exſiliunt, & ita ægerrimè; haud citra gravem aliquorum aduſtionem, conclamatis cæteris omnibus, præter Graſſatorum; ſed juxta Dei voluntatem vitam retulerunt. Funeſtiſſimus Galli cantus, non jacentes, & lentos excitaturus; ſed vigilantes, & Dei cantu occupatos per faces lethiferas ſempiterno addicturus ſomno! Sed tranſeat cum cæteris.

§. III.

Paſſio quoad tranquillitatem.

EX hac propoſitione: *Capucini poſſunt acceptare, fundare, & habitare nova loca, Monaſteria, & Conventus, ſervatâ tamen forma Conſtitutionum Apoſtolicarum, &c.* per ſe notâ, ac inſuper per Conſtitutionem Gregorii XIII. ſanct. mem. P. Maximi, emanata de Anno 1574. confirmata, ipſóque exercitiô, & vel in hac ſolâ Provinciâ triginta quinque locorum habitatorum experientiâ ad oculum patente, fluit hæc alia propoſitio: Capucini, de quibus præſumitur, quòd juxta Conſtitutiones Clement. VIII. in Conſtit. 99. *Quoniam.* Gregor. XV. 31. *Cùm alias.* Urbani VIII. Conſtit. 25. *Romanus* & Conſtit. 43. *Cùm ſæpe. &c.* Doctrinam Eminentiſſimi D. Cardinalis de lauræa. in Epitome. Verbo: *Monaſteria nova.* Et denique cum debitis præcautionibus à Doctiſſimo Van-Eſpen Jur. Eccleſiaſtici part. 1. tit. 24. cap. 3. prolixâ ſolicitudine inculcatis, fuerint admiſſi, introducti, & in locis, ac Conventibus ſuis ſtabiliti, uti ex toto quantitatis Prædicamento conſtabit; *Capucini in quieta, & tranquilla poſſeſſione tam locorum, quæ incolunt, quàm quæſtuatione, quam in iis exercent, relinquendi ſunt, & poſſunt eos, tanquam tranquillitatis eisdem competentis turbatores arcere, illísque ſalvâ conſcientia, & integrâ charitate reſiſtere, qui eis vel loca diſputare, vel præripere; vel in quæſtua-* 1.

tione præjudicare, diſtrictus ipſorum invadere, & intra terminos canonicæ Diſtantiæ Conventus erigere pertentant.

II. His præmiſſis liquidum evadit, quàm peſſimè & importunè Proceſſus undequaque, & omni tempore Provinciæ intentati tranquillitatem noſtram turbaverint, quibus agebatur de locis, quorum occupandorum jus præhabueramus, nobis præripiendis. Sic anno 1638. & nonnullis prioribus, Conventus Biberacenſis, & Bludentinus. Anno 1650. 1652. 1653. 1654. Waldishuttanus, vel Lauffenburgenſis, Villinganus, Stauffenſis, Marchdorffenſis. Anno 1694. Argenſis, & annis plus viginti Stockacenſis per acerrimos Proceſſus in curiis Epiſcopalibus, Lucernatibus, Romanis, & Imperialiabus agitatos contra eorumdem locorum Candidatos vindicari, & impetrari debuerunt. Sic quoque Neoſtadium habuit potentes apud S. Nuntiaturam contradictores; ſed vel maximè Wilerſtadium, à cujus occupatione Capucinis Romanâ, Epiſcopali Spirenſi, Magiſtratûs ſententiâ jam aſſertâ per obſtinatiſſimam controverſiam fueramus eliminandi. Fervente eâ, ac jam in favorem Capucinorum deciſâ controverſiâ antagoniſtarum Superior Provincialis ad quemdam agri Wilerſtadienſis Parochum divertens notanter huic dixit: ſe indubiè prævidiſſe, ſubditos ſuos Capucinis in cauſa ſuccubituros, hos verò prævalituros fore. Objicienti verò D. Parocho: eccur ergò tanti litium ſtrepitus cum tot expenſis, animorum ſciſſuris, plebísque ſcandalo permiſſi fuiſſent? repoſuit ſubridens: Capucinos aliquantùm tentandos, vexandos, atque ad hujusmodi bella per praxin docendos fuiſſe, cauſa poſterioribus annis ibidem inter hos, & Capucinos excitata fuit alia: domunculâ enim jam jam collapſurâ Capucini eam reſtaurare, & in commodiorem formam redigere, nec non ſacellum nonnihil ampliare volentes ab eo opere per integrum proceſſum cohibiti fuerunt. Tanta contentione infinitorum quà laborum, faſtidiorum, ac ſumptuum, quà peſſimi inter ſæculares exempli ferace res acta, & uſque ad annum 1713. producta fuit, ut denique Sac. Congreg. de propag. fide; ad cujus ſpecialem judicaturam, & jurisdictionem Wilerſtadiana miſſio pertinet; quin & ipſe SS. D. N. Clemens XI. P. M. interpoſita authoritate ſua, cognitâ juſtitiæ pro parte Capucinorum pugnantis causâ, adverſarii receptui canere, & juſtis Capucinorum molitionibus acquieſcere juſſi fuerint. Quin ipſe etiam Reverendiſſimus Pater Generalis ſuperior ſubditis ſuis, maſtygibus noſtris Roma de 1. Septembris 1714. in hunc tonum reſcripſerit: *Præcipimus vobis, ne Patribus Capucinis impedimento ſitis, quin Wilæ commorentur in majori numero, Capellásque multiplicent in eorum Eccleſia.* Sic tandem hæc controverſia ſpiritualium à Miſſione, & converſatione religioſa fructuum maximè impeditiva religioſiùs terminata, quàm inchoata, & tranquillitas reſtituta fuit.

III. Anno 1690. quidam Religioſi in his terris prorsùs incogniti, & nunquam viſi neſcio, cujus dictamine, aut ſuaſu in montem Bildſtein, peregrinatione ad Thavmaturgam ibi B. V. Mariam percelebrem nidum ſuum collocare conſtituerunt, húncque jam Anno 1666. affectatum, & per recommendatitias ab Auguſtiſſimo Imperatore Leopoldo I. & excelſo

celſo Regimine Oenipontano obtentas ſpe propè jam devoratum ; renitentibus tamen ſtatibus, & urbibus Ciſarulanis ſibi elapſum hac potiſſimum tempeſtate, qua Auguſtiſſimi Romanorum Regis noviſſimè electi Joſephi I. clementiſſimas promotoriales oſtentabant , occupare ſummis conatibus allaboraverunt. Ut verò horum Religioſorum introductio, ut alias difficultates, & abſurda inde generanda non attingamus , Conventui noſtro Brigantino gravia ex multis reſpectibus damna foret allatura ; ideò Patres noſtri, vocatis in ſocietatem conſiliorum aliis tum Religioſis , tum venerabili Clero , conatibus conatus redhibuerunt ; plurimísque conſtitit tum excurſionibus in diſtantia loca , tum ſupplicationibus ad Auguſtiſſimum Imperatorem , tum inſtantiis ad Celſiſſimum ac Reverendiſſimum DD. Epiſcopum Conſtantienſem validiſſimis Magnatum precibus in favorem dictorum Candidatorum conſtanter pulſatum; tum denique Patrum noſtrorum conſultationibus, & litteris ; quæ omnia ingentem actorum cumulum conficiunt ; donec tandem hujusmodi competentes, Auguſtiſſimo Imperatore viſis rationibus in contrarium pugnantibus , rem haud porrò urgente , & Celſiſſimo DD. Ordinario fortiter reſiſtente, conclamatâ cauſa quieverint , & alios inquietare deſtiterint.

IV. Sic etiam alii Anno 1670. Veldkirchii in Brisgoja. Waldkirchii , Bleibachii Anno 1671. Stauffæ Anno 1683. Conſtantiæ 1694. & eodem Endingæ. Anno 1695. Rorſchachii in Helvetia , Anno 1696. ad ædes Laurethanas Conſtantiæ, & Schliengæ. Anno 1699. iterùm Waldkirchii, vel Bleibachii Brisgojæ & in peregrinatione Trimontana, à Capucinis culta, & promota. Item ibidem Anno 1743. Anno 1656. 1701. & 1739. Juliomagi. Aliis etiam annis alibi hinc inde : ut in monte ſancto ; in monte cornuli, vulgò Hörnleberg / Tettnangæ, Zeilæ &c. &c. manſiones figere in animum, & propoſitum induxerunt , & nullum non lapidem volverunt, quò aut in omnibus , aut in quibusdam locorum prædictorum vota, & conamina ad optatos exitus perveherent. Verùm enim verò cùm ubique de præjudiciis Capucinorum Conventibus in vicinia conſtitutis certò inferendis ageretur, horum adeóque tranquilla poſſeſſio, & jus quæſtuationis in præfata loca aquiſitum turbaretur, Capucini commodis ſuis licitè, & optima fide intenti velis remísque talium Religioſorum introductioni , & domorum Regularium multiplicationi ; utpote aliàs Epiſcopis exoſæ, Benefactoribus plus juſto oneroſæ, & præexiſtentibus, uti præfertur, damnoſæ reſtiterunt , & eam imploratis Epiſcoporum auxiliis, Jurisconſultorum arbitriis, & dominorum territorialium favoribus inanefacere ſummis æquè ſtudiis conati ſunt , eo effectu , ut locorum memoratorum Candidati in omnibus (ſi Seelbachium excipiatur) fine ſuo exciderint.

V. Nolit ſcandalizari Lector, quòd talia narremus, quæ à foribus, & calamo Religioſo quàm longiſſimè proſcripta eſſe conveniret; cùm paſſiones, æmulationes , offenſiones , & quod ignorari à Capucinis deberet, intereſſe temporalis ſtudium detegant. Jurisconſultiſſimus Alciatus , hujus , ut inſolentis voculæ, *intereſſe* veniam petiit ; quia non putavit latinè dici

poſſe. Nos pariter veniam ejusdem verbi *intereſſe*, utpote in Capucinis abſurdiſſimi precaremur, niſi Antonius Fumeus in L. quod ſæpè, &c. in fine ff. de contrahend. empt. illud ita definiret: *Id, quod intereſt, eſt damni dati & lucri ceſſantis æſtimatio.* Cùm igitur ex antedictis, magis tamen ab experientia certum ſit, per has coloniarum religioſarum multiplicationes de damno Capucinis dato rem eſſe, nemo prudens inficiabitur, Capucinos omni jure illud propulſare poſſe. Pariter, quia lucri, ſed ſpiritualis, ceſſatio inibi vertitur; longè magis eisdem licitum eſt jure ſuo contra quosvis hujus lucri adverſarios uti, hisque reſiſtere. Lucrum autem ſpirituale hoc conſiſtit in tranquillâ, & pacifica functionum religioſarum, ſive quæ ad propriæ, ſive quæ ad aliarum animarum lucrum, & profectum tendunt, exercitatione; quæ in concurſu tam vicinorum adeò æmulorum, horúmque continuis vexationibus turbatur, & nonnunquam in ſcandala, diſſenſiones, & offenſiones Benefactorum deſinit; ut ſanè hi ejusmodi ptochimachiâ exulcerati cauſam, & animum nanciſcantur manum ſuam, qua utraque pars litigans vivit, contrahendi, & ambos ad eos mendicos ablegandi, quos acerbè pungit, ſtrigillátque Petrus Heigius Lib. 2. q. 27. Sícque & nos, & adverſarii noſtri ea commendatione excidamus, quâ dicimur *Perſonæ Religioſæ mendicitatem Religionis cauſâ profeſſæ ex voto, alioquin non inertes, nec otioſæ, ſed ut liberius inſerviant, rebus ſæcularibus expeditæ, Dei Miniſterio; qualium ſunt ſacræ mendicantium familiæ quatuor divorum Auguſtini, Franciſci, Dominici, & Carmelitanorum.* Cap. Unic. ſanè de Religios. Domib. in 6. & Ludovicus à Peguera. deciſ. 4. num. fin. Non igitur, ut anaxyrida oſtentare velimus; ſed ut luctum, quem ab hujusmodi diſceptationibus patimur, exprimamus, hoc talia commemoramus; à quorum recenſitione, magis autem perpeſſione pro religioſæ tranquillitatis ſecuritate exempti eſſe mallemus.

VI. Sic quoque Provincia eos tumultus, jurísque ſtrepitus ægerrimè tulit, & hiſce ad poſterorum inſtructionem enumerandos duxit, quibus moleſtias regulari tranquillitati, & immunitati inimicas averruncare debuit; quales nonnullæ in hiſtoria Conventuum Veldkirchenſis, Villingani, & aliorum recitantur. Hujusmodi fuit Anno 1695. quando gregariæ fæcis homines Conſtantiæ tumultuosè, ſatísque licentiosè liberos intra granarium urbis, & muros clauſtrales tranſitus prætenderunt, quo in hortum noſtrum, ipsámque culinam, refectorium, & cellas non viri tantùm, ſed mulieres quoque, & inſolentior utriusque ſexûs juventus proſpicere, aliáque domui Religioſæ inconvenientia procauſare queat.

Friburgi Brisgojæ Annis 1714. & 1721. Canonia S. Auguſtini Conventui ibidem noſtro proximè contigua novi operis molitione, tumultuosâ muſicâ, aliísque incommodis tranquillitatem noſtram, & regulares exercitationes admodùm turbavit, uſque adeò, ut dum Capucini indemnitati ſuæ proſpecturi molitionibus iſtis, lumini obfuturis, proſpectum liberum in hortum, & Monaſterium noſtrum inducturis, ac officia divina, meditationes, Chorúmque noſtrum diſtracturis obſiſterent, ad proceſſus acerrimos in Curiis Epiſcopali, & S. Nuntiaturæ Lucernenſis

agi-

agitatos, ac pro vario hominum affectu liberalium ſcommatum, contumeliarum, & exprobrationum fæcundos ventum fuerit. Hæc denique controverſia per S. Nuntiaturæ ſententiam utcunque ſopita fuit.

Similem adverſitatem attulit Conventui Conſtantienſi obtruſio Reverſalium à Capucinis ſubſcribendarum in puncto aquæ fontanæ, in cujus quieta fruitione Conventus ipſis viginti ſupra centum annis perſtitit, jam olim à Sereniſſimo Archi-Duce Maximiliano de 19. Sept. 2. Octob. & 4. Decembris Anno 1604. ab hujusmodi Reverſalium imputatione, utpote aliàs inſtituto, & immunitati Capucinorum adversâ abſolutus. Res ab initio cum multo acrore agebatur! & qui Capucinis jugum ſervitutis cujusdam civilis imponere jam paraverat, causâ ad excelſum Regimen Oenipontanum devolutâ, experiri debuit, ſe in viros incidiſſe jurium ſuorum gnaros, & tutores. Anno 1730. Pro Capucinis pronuntiatum fuit, litis authore per alias adverſitates cælitùs immiſſas in Benefactorem Capucinorum denique cicurato.

Solemnia ſunt Conventuum noſtrorum incommoda aſyliſtæ, qui, præſertim milites deſertores, & malefactores ad Monaſteria noſtra confugientes Officiales tum civiles, tum militares in maximas ſubinde disgratias, & violentas perſecutiones adversùs Capucinos provocant; quarum complures experientias Conventus Briſacenſis, Friburgenſis, Rhenofeldenſis, & Engenſis, aliique exhibere poſſent.

Anno 1697. ſtriges, projectiſſimæ ſortis lamiæ, haud dubiæ deſpotæ, & proci ſui infernalis regulare pædagogium Marchdorffenſe averſantis imperio inſolentiſſimis vexationibus juvenes Novitios turbare, nocturnis terriculamentis anguſtiare, nonnunquam cachinnis, & obſcænis muſtitationibus perſtrepere; aliàs titillationibus, & compreſſionibus dormientes excitare, vigilésque variis modis affligere aliquamdiu inſtiterunt. Igitur tyronibus hac plagâ eximendis, ac in propoſito ſuo ſoſpitandis opportunum judicatum fuit, ut gymnaſium hoc aſceticum Marchdorffiô Waldishuttum transferretur. Simillimum quid Uberlingæ An. 1724. circa juvenes ſtudioſos noſtros accidiſſe compertum eſt; cui malo benedictionibus, exorciſmis, aliisque viis remediatum fuit. Ex his ergò ſuperficialibus duntaxat enumerationibus, omiſſis innumeris, colliget Lector, quàm meritò Provinciæ noſtræ paſſionis categoriam aſtruxerimus; quam & hiſce finimus, non habituri patiendi finem, ut quibus finis propoſitus eſt patientia animas noſtras poſſidere.

)✠(

UBI, SEU LOCATIO

Provinciæ Anterioris Auſtriæ.

ANALOGIA.

INutilis, ſupervacanea, & extra rhombum videbitur hæc inſtituenda prædicamentalis *Ubi* tractatio; partim quòd illud per definitionem Provinciæ in prædicam. ſubſtantiæ relatam ſufficienter jam importetur; partim quòd ex hiſtoria Conventuum ſat, ſupérque eluceat, quemlibet horum, & conflatam ex his Provinciam alicubi eſſe locatam; partim etiam quòd Regio hujus Provinciæ, tametſi per analogiam ſub vaſti cujusdam corporis figura nobis præſentatæ, aliis & aliis dominiis, ac territoriis interpolata non patiatur ſe intra loci prædicamentalis anguſtias includi; cùm ſuperficies ambientes non ſint undequaque Auſtriacæ; adeóque Provinciæ ſub reduplicatione ut Anterior-Auſtriacæ non poſſit fingi, aut determinari locus adæquatè ipſam ambiens, ſeu circumſtans: accedit, quòd in loco eſſe non poſſit, niſi corpus ſenſibile. Sed prout hactenùs analo-

gia

gia nos à ſcrupulis, ſcopulísque Ariſtotelicis feliciter exemit; ita eam nos, qui totum numerum, & ſeriem porphyrianam exhaurire conſtituimus, & hîc illis exempturam confidimus, venerabundo reſpectu, & immortalis gratitudinis affectu, qua Provinciæ alumni in auguſtiſſimum, dulciſſimúmque nomen Auſtriacum feruntur peccatum contra leges Philoſophiæ à nobis committendum facilè excuſaturô nec moratur nos, quòd ſuperficies ambientes non ſint ubique Auſtriacæ; quia per affectum incolarum, ſalvo cujusque domini territorialis jure, & dominio reali, fiunt Auſtriacæ; cùm huc trahamus illud Juris-Conſultorum: *Ubi tu Cajus, & ego Caja.* Sive, ubicunque hujus Provinciæ Capucinus, ibi & Auſtria &c. quamquam & hoc cum ſuis limitationibus dictum à nobis ſit.

ECPHRASIS.

BIs, ac ter, quod pulchrum, ùt adagio ferunt; cùm nulla ſit ſatietas rerum delectabilium, quale eſt nomen Auſtriacum, quibus ea vis ineſt, ut quò ſæpiùs, ac preſſiùs inſpiciuntur, ac repetuntur, hôc magìs, ac magìs placeant. Quamquam igitur jam memoraverimus, quòd Provincia ſub *vite, & ficu* 3. Reg. c. 4. Auſtriaco nimirùm nomine, & protectione absque timore accubuerit, & conquieſcat; placet idipſum amplìus audire, ut, quæ ſparſim de Provinciæ Anter. Auſtriacæ, & Monaſteriorum, ex quibus ea conflata eſt, ubicatione dicta ſunt, hîc in cumulum congeſta pervideri commodiùs poſſint. Et ut diutiùs huic nomini Auſtriaco immorandi anſam haberemus, nonnullam de Auſtria hiſtoriam §. 1. hujus diviſionem §. 2. derivationem Provinciæ noſtræ, hujúsque geographicum ſyſtema §. 3. dabimus.

§. I.

Auſtriæ antiquitas, & nominis variatio.

I. MAnum de tabula, & calamum noſtrum longiſſimè referimus à magno illo Problemate: quis poſt mortem Auguſtiſſimi Romanorum Imperatoris Caroli VI. glor. mem. Terrarum, & Regnorum hæreditario-Auſtriacorum Dominus ſit: utpote cujus deciſio, quæ calamô hactenùs dari non potuit, ſub gladii deſolatorii incude etiamnùm deſudat. Tantum abeſt, ut ſcriptione noſtra in hoc grande argumentum involemus; ut potiùs ſuſpensô judiciô noſtro ea tantùm relaturi ſimus, quæ ad multos paraſangos illi nec minimum vicinentur. Ex antiquiſſimo autem ſcripto curioſam, nec injucundam hiſtoriam accepimus, & hîc in animis legentium juveneſcere voluimus, quamquam nec hiſtorici antiqui, nec hodierni, qui de rebus Auſtriacis agunt, hujus mentionem faciant; ſed tota fides penès authoritatem P. Felicis Fabri Monachi Ulmenſis Hiſtor. Suevor. lib. 1. cap. 13. maneat. Ex eo igitur ita in compendio narramus. Antiquiſſimis temporibus Pagani, poſt hos Judæi, & denique Chriſtiani rerum in Auſtria potiti ſunt. Et quidem annis mille quadringentis octoginta duobus ante, & trecentis octoginta novem poſt nativitatem Domini hæc dominorum, imperiorum, & nominis variatio duravit. Primus, qui legitur inhabitâſſe terram hanc, fuit nobilis orientalis, qui eam Judaisaptan nominavit. Transacto aliquo tempore dominium an hæreditaria ſucceſſione, an armorum viribus, ignoratur, aquiſivit Laptan, qui Regionem Svvariz vocandam cenſuit. Poſt multum annorum tractum ſucceſſor Pinian dictus obtinuit à Principibus, ut terra iſta, quæ hactenùs ſub qualitate Marchionatûs innotuit, in Ducatum eveheretur, & abolito priori nomine Svvariz Sannas compellaretur (ne apud hiſtoriæ gnaros riſum incurramus, ut quibus nomina Marchionatûs, & Ducatûs tam antiqua non ſunt, proteſtamur, quòd non niſi relata referamus.) Evoluto plurimi temporis decurſu Dux in Sannos, qui vocabatur Anz, terras iſtas Pannaus denominatas voluit; quas autem ſucceſſor Dux Zema aliter, & Tantonium baptizavit. Hi omnes ſive Marchiones, ſive Duces gentilitatis ſuperſtitionem ſectati ſunt.

II. Porrò Provinciæ hujus faſces adeptus eſt Peymann, qui filio ſuo reliquit Tantonium. Hic Sennan dictus ritum Judæorum induxit, ipſe cum duobus fratribus circumciſus, & judaizatus. Dein regnavit Septani etiam Judæus, & nomen Provinciæ indidit Mittanaus; quòd Dux Laptan Judæus ex poſt mutavit in Fannaue. Inde regnante Ranthanais Duce vocari cæpit Avarata. Sed Dux Raban pari anteceſſorum nominandæ Regionis jure uſus illam nuncupari voluit Sylam; Dux Nathan verò Rarasma; Janner Nathani Succeſſor eam Corrodantiam nominavit. Hic Janner Filium habuit nomine Monton, qui Patre defuncto de Calcaria in Carbonariam; & de Judaismo ad Paganismum tranſit, & Du-

Ducatum ſuum idololatrare compulit. Transactis multis temporibus quidam nomine Rathan Dominus Provincialis ſine liberis obiit, & terra absque legitimo hærede manſit. Quod audientes Romani quemdam ex Pannonia inferiore Roland nomine Ducem Corrodantiæ inſtituerunt; qui etiam improlis deceſſit, ſicque tam paganorum, quàm Judæorum poteſtas in terra illa antiquata eſt. Romani accepto de Rolandi morte nuntio Comitem quemdam Aman nomine Corrodantiæ præfecerunt, qui conſanguineus erat S. Alexii, & cum uxore ſua Helena Chriſtianus Chriſti fidem Regioni illi invexit; & ob ejusdem fidei profeſſionem, ac propagationem Martyrio affectus eſt. Tres hujus filii acceſſo Ducatu nomen ejus tranſtulerunt in Oſterland, ac denique ab alio ſucceſſore nomen Oeſterrich regio adepta eſt.

Stabilito ſic Chriſtianiſmo Dux Eberhardus ex mærore ob duorum filiorum, quos ex Suſanna Bavariæ Ducis filia ſuſceperat, mortem ſibi enato nomen Ducis faſtidivit, & abrogato Provinciæ Ducatu eam iterum in Marchionatum decreſcere voluit; qui extincto Eberhardo ad Imperium devolutus eſt. Cæſar autem Regi Bohemiæ Auſtriam fiduciario nomine conceſſit, quæ poſt mortem Regis pariter improlis ad Imperium rediit. Henricus auceps Imperator eam Ottoni Hungaro dedit, in cujus ſtirpe aliquamdiu permanſit; ea autem deficiente iterùm ad Imperium relapſa eſt. Anno 1014. Imperator cuidam Alberto ſub nomine Marchionatus Auſtriam contulit, in cujus ſtemmate uſque ad annum ferè 1113. perennavit; quo tempore iterùm in Ducatum evecta eſt. Stirpe verò in Duce Friderico, unà cum Conradino Sueviæ Duce Neapoli capitis ſupplicio affecto extinctâ iterùm ad Imperium rediit Anno 1246. quam Ottocarus Bohemiæ Rex armis invaſit, & ſubjugatam aliquamdiu uſurpavit, donec à Rudolpho Habsburgico in Regem Romanorum electo eâ pulſus, exutus, & ſic Auſtria Imperio iterùm vindicata fuiſſet. Hîc pedem ſiſtimus nec ultrà proferemus. An autem hæc tam veraciter ſcripta ſint, quam nos fideliter deſcripſimus, haud aſſeremus. III.

In hoc ſaltem conſentientem habemus Aventinum, qui Lib. 4. rerum Boicar. aſſerit, Auſtriam à primævo ſæpiſſimè mutatis Cultoribus cognomina ſua mutâſſe. Convenit etiam, quòd Henricus auceps, non quidem Ottonem, ſed Leopoldum, quem Marchionum Auſtriæ Genarcham dicunt, Auſtriæ inveſtiturâ donaverit. De ipſius autem Leopoldi anteceſſoribus res intricatior eſt, quàm ut eorum ſeries attexi queat; quam adeóque & nos fruſtra indagaremus, quando neque gloriæ gentis id admodum intereſt; cui Leopoldus, ſi vel nova ab eo inciperet, impertiri nobilitatis ſatis potuit; proinde neque Leopoldus quintus eo nomine, qui Auſtriacas origines, laudabili in Principe ſtudio, in membrana adhuc ſuperſtite explicavit, Leopoldo primô Antiquiorem producit, eíque ut familiæ Authori ejusdem ornamenta omnia imputat. Hic ergò Leopoldus, cum Ephebus etiamnum Henrico Cæſari olim venanti, & prædæ ſtudio longiùs à comitibus abrepto unus omnium latus tegeret, evenit, ut Cæſari telum in deſtinatam feram IV.

libranti, in illo ipſo articulo, arcus rumperetur, triſtiore, quàm pro jactura, infortunio, quod antequam deteſtari Cæſar poſſet, Leopoldus correxit, ſuo arcu, ut erat intentus, armatúsque, in tempore ſubjecto; hunc cùm in feram feliciter laxâſſet, laudatâ officioſi Juvenis ſolertiâ eidem pollicitus eſt, quæ prima Provinciarum Rectore orbaretur, illius imperium navatæ operæ præmium illi ſe potiſſimùm conceſſurum: Anno 928. cùm Rudigerius de Pechlaria Orientali limiti Præfectus deceſſiſſet, magnísque ſtudiis pro ſe quisque Palatinorum niteretur, Leopoldus Cæſarem commonefacit promiſſi, ísque extemplo competitoribus omnibus antelatum voti ſui damnavit. Leopoldus Provinciam cum ſplendidiſſimo Popularium, Clientúmque Comitatu ingreſſus res ibi maximas geſſit, ſtirpémque ſuam, & in hac Marchionatum Auſtriæ uſque ad ſupradictum Fridericum propagavit. Hæc ferè ex Chronico Manuſcripto Bibliothecæ Cæſareæ. Utcunque res ſe habeat, nos ad alia properamus.

§. II.

Diviſio Auſtriæ.

I. MIſſis iis, quæ de Auſtriæ ad Habsburgicos translatione feudataria; de ejus in Archi-Ducatum erectione, ampliſſimis Privilegiis, Incrementis, & ſatis diſputari ſolent, ſolam, & ſuperficialem ejus partitionem, quatenus hæc nos ad propoſitum noſtrum inducit, recenſebimus. Dividitur ergò Auſtria in inferiorem, interiorem, ſuperiorem, & Anteriorem. Inferior complectitur omnes illas infra Aniſum ſitas urbes, & diſtrictus, qui ſereniſſimæ Domûs Auſtriacæ dominium adorant, & augent: Ut Vienna, Cremſa, Neoſtadium, Monaſterium Neoburgicum, Laxenburgum, Schönbrunna, Thermæ Auſtriacæ, Starenberga, Weitra, Fanum S. Hippolythi, Tragiſanus, Gottvicum, Melicium, quæ ſunt celeberrima Monaſteria quibus & accidit Campilium.

II. Auſtria ſuperior continet tractum, loca, & urbes ſupra Aniſum, uti ſunt Lentium, Aniſſus, Laureacum, Styra, Falciana, ſeu Quilibis, Efferdinga, Gemunda, Monaſterium Cremſenſe.

Auſtria interior tres Ducatus Styriæ, Carinthiæ, Croatiæ, Comitatum Goritiæ, Tergeſtum Iſtriæ Auſtriacæ caput, Fanum S. Viti Flomonienſis, & Tarſetum complectitur, & uſque ad mare Adriaticum porrigitur. Porrò ſuperioris Auſtriæ nomenclaturam obtinuit Comitatus Tyrolenſis, quatenùs hæc totam Atheſiam Oeníque vallem concludit; ad quem item pertinet Auſtria Anterior, conſiſtens in Marchionatu Burgavienſi, Landgraviatu Nellenburgico, Landvogteja Altorffenſi, Dominatu, ſeu Toparchia Cisarulana, Comitatu Hohenbergenſe, & Schauenſteinenſe, Brisgoja, Conſtantia, & urbibus Rhenanis Waldishutto, Lauffenburgo, Segginga, & Rhenofelda, aliisque urbibus,

bus, quæ Sueviam Anterior-Auſtriacam conficiunt; ut Cella Ratholdi, Stockachium, Rottenburgum, Menga, Riedlinga, Munderkinga, Ehinga &c. &c. Hæc omnia dicuntur Regio incorporata Principali Comitatui Tyrolenſi, & hujus excelſo Regimini Superior-Auſtriaco ſubordinantur.

§. III.

Provinciæ derivatio, & choro-ac geographicum ſyſtema.

ET in hac Anterior-Auſtriaca Suevia, Toparchiis, Statibus, & Urbibus tota hujus Provinciæ ubicatio fermè deprehenditur. Dixi tamen fermè; nam adæquatè convertibilia non ſunt hæc prædicata: *Omnia Monaſteria conficiunt Provinciam Anterior Auſtriacam: omnia Monaſteria Provinciæ ſunt in locis Auſtriacis ſita: Et in ſolis terris Auſtriacis ſunt Monaſteria Capucinorum* Non, inquam, valet hoc; cùm Provincia dictâ Regione Anterior-Auſtriaca quaquaversùm latiùs ſe extendat ex unâ: ex altera verò parte non in omnibus terræ Auſtriacæ locis ſint Monaſteria; & denique intra ipſum ſinum terrarum Auſtriacarum ſint Monaſteria, haud tamen Auſtriaca; quia in territoriis alienis ſita. Quoad Provinciæ extenſionem Orientem versùs longiſſimo montis Rhæticonis tractu à Comitatu Tyrolenſi; & Ilarâ fluvio à Vindelicia ſeparatur; versùs Meridiem nominatiſſimo Rheno fluvio erga Helvetiam clauditur; quà Occidentem ſpectat, præfatus Rhenus curſu illac retorto eam continuo tractu à Suntgoja, & Alſatia utraque ſejungit: tandem quà Septentrionem reſpicit, hinc in Wirthenbergenſis Ducatûs, & Marchionatûs Badenſis ſinum deſinit; inde à Danubio decantatiſſimo Germaniæ fluvio excipitur. Et ut ſic, quà magis patet, circiter triginta longitudinis; viginti verò milliaria germanica latitudinis numerat: quousque ipſa præfata ditio continuò Auſtriaca non pertingit. Sed neque ipſa Sereniſſima Domus Auſtriaca in illas omnes terras, in quibus Provincia per Conventus ſuos reſidet, proprietatem, & dominium habet, utpote Imperii Principibus, Comitibus, Statibus, Epiſcopis, Abbatibus, Urbibus, Equitum Teutonicorum, & Melitenſium Ordine, Abbatiſſis, item Equeſtri nobilitate Cantonum Hegojæ, Allgojæ, Lacûs Acronii; Danubiani, & Niccarani intermixta jurisdictione, & proprietate fruentibus. I.

Quamquam hæc variorum Dominatuum, & territoriorum, quibus Provincia noſtra inſerta eſt, mixtura admodùm ſit amica ex ea parte, qua purè Catholica eſt: non tamen æquè ex ea parte, qua contrariorum dogmatum vicinitate conſtat. Sic enim præter Conventus Biberacenſem, & Ravenſpurgenſem, qui notoriè civitatibus in Religione, & politiâ parificatis adjacent, omnia propè alia Monaſteria noſtra confinis Lutheri, Calvini, Zvvinglii, & qui ex his naſcuntur, ſectariorum contacta II.

ſunt ; utpote Brigantium , & Arga Lindavio urbi Lutheranæ : Immenſtadium, & Wanga Campiduno, Memmingæ, & Leutkirchio urbibus Lutheranis ; Riedlinga, Rottenburgum, Wilerſtadium, & Haslachium Ducatui Wirthenbergiæ Lutherano : Bada, Mahlberga, Briburgum, Stauffa &c. Marchionatui Durlacenſi Lutherano : & eidem Briſacum : Rhenofelda, Lauffenburgum, Waldishuttum, Enga, Cella, Villinga Stüehlinga, & Conſtantia Helvetiæ Zvvingliano-Calvinianæ ; ut Turgojæ, Schaffhuſio, Lithopoli, Territorio Tigurienſi, & Beronenſi, Baſileæ ; & iterùm Marchionatui Durlacenſi : Rottvvila, Stockachium, Enga etiam Wirthenbergiæ vicinentur. Fatemur nihilominùs, quòd per plerasque horum adverſæ Religionis ſtatuum terras, pagos, oppida, & urbes Capucini non ſolùm jam impunè audeant itinerare ; ſed etiam ab aliquibus magna humanitate, & charitate foveantur, hoſpitentur, quin & eleemoſynis devinciantur ; econtra illi in variis afflictionibus pro conſilio, & remedio ad Capucinos confugere ſoleant ; utpote horum converſatione, & penitiſſimâ rerum, bonorúmque temporalium inopiâ manſuefacti, & iis uſque ad ſuam converſionem nonnunquam familiariùs uti incæperunt ; longè à primis illis temporibus, quibus Capucini in his terris adhuc recentes, & peregrini fuerant, diverſi ; cùm ab hæreticis tum aut velut ſuperſtitioſi homines odio haberentur ; aut veluti humani generis monſtra abhorrerentur.

III. Ad planiorem prædicamentalis, ſeu provincialis *Ubi* oſtenſionem exhibemus Provinciæ in tres cuſtodias partitionem.

Conſtantienſis Cuſtodia.

Hæc aliarum ob cathedram Epiſcopalem princeps primò complectitur urbem Conſtantiam, Provinciæ Metropolim, & Directorialem ; Sereniſſimæ Domui Auſtriacæ addictam. Inde ſecùs Rhenum, ac propè Lacum Venetum Cellam, pariter Juris Auſtriaci abſorbet ; & ad Septentrionem deflectens Hegoiam, & in hac Engam urbem, quæ Sereniſſimo Principi de Fürſtenberg-Stüehlingen feudi nomine ab Auſtriæ Archi-Duce conceſſa eſt, aſſequitur. Exin dicto territorio immorans Stüehlingam, ceu noviter plantatam Coloniam Capucinorum attingit. Hinc Villingam urbem Anterior-Auſtriacam, ſylvæ nigræ accubantem ſalutat : à qua plano itinere ad Nicri fluminis ſcaturiginem, Rottvvilam urbem Imperialem divertit ; fluminísque hujus curſum ſecuta Rottenburgum urbem Anterior-Auſtriacam pervenit; ubi Nicarum trajiciens in Wirthenbergiam, Wilerſtadium S. R. I. urbem uſque ſe ſe protendit : hinc rediens, curſúmque ad Orientem retorquens ad Alpes, Danubiúmque procurrit, & numerata inter Conventûs Cuſtodiales Riedlingâ, urbe Anterior-Auſtriaca Möſskirchium Sereniſſimi Principis de Fürſtenberg-Möſskirch ſedem properat ; levísque profectione Stockachium ditionis Nellenburgo-Auſtriacæ urbem obtinet : mox ad Acronium revertitur, & huic finitimam reperit Uberlingam, urbem Imperialem : quoinde ad Orientem verſa Marchdorffium pertingit urbem Celſiſſimo ac Reverendiſſimo DD. Epiſcopo Conſtantienſi ſubditam. Inde verò ſurſùm ulteriùs delata Argam, quæ unà Comitatum Montfortenſem conſtituit, jurisdictionis cuſtodialis limi-

limitem involvit ; quo diſcurſu quidem in circumferentia 40. circiter leucas emenſa duodecim hoc in ſpatio Conventus, & tres Reſidentias includit, incluſa ipſa ſolo Epiſcopatu Conſtantienſi ; & quoad Miſſionem Wilanam, Spirenſi.

Friburgenſis Cuſtodia.

Secunda Provinciæ Anterioris Auſtriæ cuſtodia eſt Friburgenſis, à IV.
Friburgo Brisgojæ Metropoli, nuncupata, Conſtantienſi in circumferentia largior eſt. Nam Friburgo, quæ eſt Auſtriaco-Archi-Ducalis, à munimentis, acropolibus, Regimine, & Academia ejusdem nominis celeberrima exiſtit, recedens Neoſtadium pleno dominio ad Sereniſſimam Domum Fürſtenbergo-Stüehlinganam pertinens oppidum in Hercyniæ ſaltu accubans aſſecuta, inde relicta à ſiniſtris Hegoja per propagatæ ſylvæ nigræ latebras, montes, ac valles ad Rhenum, Waldishuttum, urbem Anterior-Auſtriacam perducitur ; Rhenóque celerrimo Lauffenburgum ejusdem jurisdictionis ; hinc Rhenofeldam ejusdem Dominatus urbem vehitur ; hujúsque fluminis ductu infra Neoburgum finito, & arrepto pedeſtri itinere Stauffam nuper Reverendiſſimo Aſceterio Benedictino S. Blaſii à Domo Auſtriaca oppignoratam urbem ſalutat ; exin Briſacum urbem Anter. Auſtriacam ingreditur, & hinc navigio per Rheni decurſum Badenam urbem Sereniſſimo Marchioni Baden-Badenſi propriam uſque pervehitur ; niſi quòd dicta urbs tribus à Rheno ſtadiis diſſita pede petenda ſit : ubi curſum remetiens Oberkirchium oppidum, Celſiſſimo ac Reverendiſſimo DD. Epiſcopo Argentinenſi ſubjectum aſcendit ; ac quaſi per otium Oppenoam ejusdem dominii Epiſcopalis urbeculam, & ſtationem Miſſionariam digreditur. Inde verò reduci Offenburgum, urbs Imperialis occurrit ; & ulteriùs versùs Aquilonem Haslachium, urbs Dominatûs Fürſtenbergo-Stüehlingani obviàm procedit : deinceps verò Mahlbergam, urbem dominio Marchio-Badenſi cohærentem retrogreditur : exhinc denuò Friburgum veluti ſui principium, & finem, numeratis in circuitu 44. circiter milliaribus, relabitur. Itaque complectitur in ambitu ſuo duodecim Monaſteria, & unum hoſpitium : Epiſcopos reveretur Conſtantienſem, Baſileenſem, Argentinenſem, & aliqua ex parte Spirenſem.

Wangenſis Cuſtodia.

Tertia Provinciæ Cuſtodia eſt Wangenſis ; quæ ab ipſa hac urbe V.
Wangâ S. R. I. devota & nomenclaturam, & initium ſumit : quæ inde Immenſtadium, ſede, & proprietate Illuſtriſſimorum DD. Comitum de Königs-Egg Rottenfels celebre oppidum, Provinciæ versùs Tyrolin limitem profertur : inde per vias aſperas Bezavium, principem ſylvæ Brigantinæ pagum Anter-Auſtriacum eluctatur. Bezaviô rur-

rursùs per altiſſima juga Bludentum , alteram Provinciæ extremitatem versùs montem Arulam , urbem Dominatui Auſtriaco parentem difficillimo itinere exſpatiatur : ex quo loco quaſi præfatæ Arulæ jugis deterrita cursum ſecùs Ilæ fluenta Veldkirchium , urbem Anter-Auſtriacam , indéque ejusdem ditionis urbem Brigantinam liberiori aurâ fruitura deſcendit : ubi ſecundùm latus Acronii maris aliquamdiu procurrens , & ad Septentrionem declinans Ravenspurgum urbem Imperialem attingit ; & Sueviam profundiùs ingreſſa Biberacum urbem etiam Imperialem , & versùs Aquilonem Provinciæ limitaneam ultimò complectitur , & ita in ſeipſam Wangæ recurrit , poſtquam circulum triginta circiter milliarium percurriſſet. Numerat itaque octo Conventus , tribus Epiſcopatibus , Conſtantienſi , Curienſi , & quoad aliquas Miſſiones Immenſtadio trans Ilaram fieri ſolitas , Auguſtano contentos.

VI. Ut digito hactenùs dicta demonſtremus , nihílque eorum, quæ ad pleniſſimam *Ubi* provincialis notionem deſiderari poſſint , reliqui faciamus , mappam topographicam Lectorum oculis objectandam cenſuimus ; quæ ſecundùm probatos, expertósque Geographos delineata diſtantiam locorum ex ſcala milliarium metiendam , & poli elevationem indicat , ut ex ea tutò in quocunque Conventu horologia ſolaria fabricari , atque delineari poſſint.

27
28
SEPTENTRIO
29
30
Confinia Provinciæ Rhenanæ
Landau
Lauterburg
Hagenau
Rastatt
Ettlingen
Rhein fl.
Neckar fl.
Stutgard
Ellingen
Baaden
Gersbach
Oberkirch
Weilerstatt
Oppenau
Offenburg
Haslach
Mahlberg
Rottenburg
Heigerloch
Rottweil
Freyburg
Villingen
Neustatt
Donaueschinge
Stauffen
Hüningen
Baasel
Seckinge
Rheinfelden
Lauffenberg
Stülingen
Engen
Schafhausen
Rheinau
Costanz
Stockach
Uberlingen
Marckdorff
Merburg
Buchorn
Buchau
Möskirch
Riedlingen
Ulm
Ebingen
Kirchberg
Biberach
Altschausen
Waldsee
Zell
Ravensburg
Wangen
Langenargen
Wasserburg
Lindau
Bregenz
Kempten
Immenstatt
Bezau
Hohe Embs
S. Gallen
Roschach
Appencell
Veldkirch
Vaduz
Bludenz
Rapersweil
Habspurg
Lucern
Zürch
Baade
Aarafl.
Thur fl.
Rhein fl.
Donau fl.
Gunz fl.
Mindel fl.
Iller fl.
Mindelheim
Memmingen
Confinia Provinciæ Helveticæ
Confinia Provinciæ Tyrolensis
Chur
Fontes Rheni
Inn fl.
PROVINCIÆ FF. Minorum Capucinorum Anterioris Austriæ Topographica delineatio.
Milliaria Germanica 15 mung gradu
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10
Monasteria PP. Capucinorum.
Urbes celebriores.
Oppida.
27
28
MERIDIES
27
30

Digitized by Google

DURATIO, ÆTAS, SIVE QUANDO

Provinciæ Anterioris Auſtriæ.

ANALOGIA.

Eldem, cui antecedens, cenſuræ, & cavillationi hæc ſubjacebit categoria, ſeu duratio, ætas, & quando Provinciæ Anterior-Auſtriacæ, cùm ea ſufficienter tùm ex prædicam. Relationis, tum Quantitatis, vel Monaſterii cujusque fundatione colligi queat; equidem Plotinus Enn. 6. lib. 1. cap. 13. arguat: *quando quæ ſunt in prædicamento, cur non ſunt in eodem, in quo & tempus? cur novo opus eſt prædicamento? ſi tempus eſt in quanto, & hæc in quanto erunt.* Sed huic cenſuræ ſimili, ac priori, occurrimus ratione; quòd nimirùm nobis conſtitutum ſit profixum huic univerſo operi titulum penitùs explere, præſertim cùm definitio *Quando*, ſeu temporis campum nobis aperiat ſuper ſpecialia quædam hactenùs non importata diſputandi. Definitur autem *Quando*: quòd ſit *accidens, ſecundùm quod res dicitur commenſurari tempori præterito, præſenti, & futuro.* Ex Ariſtot. in prædicam. & 5. metaphyſ. Cæterùm analogiæ auxilio

ab ea ſubtili inquiſitione exempti ſimus: an ratio formalis quando in extrinſecâ denominatione à tempore primi mobilis conſiſtat; an verò hujus prædicamenti forma cuilibet rei exiſtenti ſit intrinſeca. Apage cum his, quæ nihil ad Mercurium noſtrum, ſed ad planum hiſtoriæ reſpicimus, quò nos ducet

ECPHRASIS.

CElerrimo autem pede, &, quod ajunt, levi minerva dabimus Antiquitatem, & durationem Provinciæ, quam unico §. expedimus, complexuro tamen aliqua in forma apologiæ contra eos, qui Capucinos univerſim; maximè autem hujus Provinciæ alumnos de juventute, & novitate inſtituti ſui cavillari, atque ſugillare non deſiſtunt; & tamen venerandæ antiquitatis veſtigia, quæ Capucini præſeferunt, non niſi lividis oculis contemplantur; eáque aut abolita vellent, aut in argumentum illa Ariſtarchi obeliſcis jugulandi vertunt; ſícque alienis damnis, quæ libenter inferrent, evulſis aliorum barbæ capillis, famæque obſcuritate, quam illis continuò machinantur, ſplendeſcere, pulchreſcere, atque diteſcere cupiunt; quamquidem eorum cupidinem non tergiverſamur: ſed tamen honeſtiorem illis aquirendi modum precamur.

§. unicus.

1. TAmetſi libenter quidem, & ultrò fateamur, Provinciam hanc nulla antiquitatis, & durationis retrò humanam recordationem porrectæ ſæcula oſtentare poſſe; utpote cujus initiatio, & origo in hominum hodie ſuperſtitum memoria exiſtit; cùm à tempore diviſionis, & ortæ ex hac nomenclaturæ uſque ad hanc tempeſtatem non niſi ſeptuaginta octo annos numeret; ut adeóque de ea nobilitae, & præſtantia, quam veneranda, & omni memoriâ ſuperior vetuſtas conciliare, rebúsque afferre ſoleat, juxta illud; quò quid antiquius, eo etiam cenſetur nobilius. Leg. 1. ff. de Albo ſcrib. & antiquior dicitur charior, & potior. L. Poſtliminium 19. §. transfugæ in fin. ff. de Cau. & poſtlim. gloriari nequeat; neque ulli alteri ſe præferre poſſit; cùm antiquiora debeant eſſe priora. L. fin. ff. de Fide Inſtrum. Hinc eſt, quòd nonnemo ſeverior Zoilus illam tò *Almæ* prærogativam Provinciæ ab exteris honoris, & urbanitatis gratiâ tributam, & ab hac admiſſam taxandi argumentum captaverit, cauſatus, quòd iſthoc

hoc typho crepans epitheton non niſi rebus ſanctitate, antiquitate, & dignitate claris, pulchris, & inclytis debeatur, ut ex L. unicâ. Negot. C. de Milit. Feſto Lib. 1. Virgil. Ecloga 8. & Horatio colligitur. Atqui, transmiſſâ ſanctitate, & dignitate, perſpicuum eſt, quòd Provinciæ hujus antiquitas talis non ſit, quæ eamdem prærogativam *Alma* fundare, aut juſtificare poſſit, cùm nullis opus ſit Mabilloniis, Conringiis, Marcis, Welſeriis, Lautheriis, Gretſeris, Henricis Caniſiis, aliisque Antiquitatum ſcrutatoribus, qui vetuſtiſſimos Codices, manuſcripta, Diplomata, & alia Provinciæ hujus Documenta eruderent, litterásque, & ſcripturas ab uſu hodierno remotas, aut vetuſtate corroſas reſuſcitent, atque ad exactæ critices regulas judicent, aut legitiment; non inquam, talibus indiget antiquariis Provincia heri nata; cùm, ut Juvenal. Satyr. 6. canit, non habeat:

Ignotósque mihi tenet antiquaria verſus.

NIhilominùs tamen, quid quid hic Momus omnia Capucinorum ad Critolai libellam trutinare aſſuetus extrà fides noſtras obganniat; qui tamen expectare debuiſſet, an Provincia hæc unquam ſuammet antiquitatem oſtentaverit, ſe admirata ſit, aliis prætulerit, &, ut verbo dicitur, in armis acciſaverit; quòd, cùm nunquam audiverit, nec demonſtrare poſſit, ſanè fruſtrà bellum Cononi curæ fuit, ſtultiórque Morychô in alieno negotio depugnandi Provinciam aſſumpſit. Nihilominùs, inquam, vel ad majorem Zoili Stomachum jam primùm Provinciæ ætatem exhibebimus, illámque de vetuſtate commendabimus; eò animati, quòd ex L. Fin. C. de fundand. Republi. L. 7. incipit, nemo dempto. C. de fund. rei privatæ acceperimus, vetuſtum meritò dici, quod excedit quadraginta annorum ſpatium: quo quidem antiquiſſimis, & primitivæ quaſi Eccleſiæ coævis Religioſorum, & Monachorum ordinibus, & Monalteriis nil derogatum, nec nos eisdem coæquatos volumus.

Volvebatur annus poſt reparatum hominem 1581. quo ſanctiſſimus ille Archi-Præſul Mediolanenſis, S. R. E. Cardinalis, & vigilantiſſimus ovium ſuarum Paſtor, Carolus Borromæus, omnibus, quibus eum orbis Chriſtiano-Catholicus celebrat, elogiis ſuperior, & paſtorali ſollicitudine in omnem modum intentiſſimus quo peſtilentiſſimum hæreſum ea ætate graſſantium virus à finibus Italiæ arceret, & ex vicinæ Helvetiæ partibus, ubi illud jam jam invaluerat, radicitus evelleret, ſi unquam priùs, nunc ardentius, dum Romæ agebatur Generale Capitulum PP. Capucinorum, ſanctiſſimo D. N. Gregorio XIII. P. M. ſupplicaverat, ut in ſuccollandæ religionis ſubſidium Capucinorum coloniam in fines Archi-Epiſcopatûs ſui, ſive in Helvetiam plantandi, atque inducendi copiam faceret. Neque ulteriori Demoſthene ad univerſalem Eccleſiæ Patrem in poſtulata flectendum opus fuit. Ut enim erat cùm puſillo Capucinorum gregi latiùs diffundendo, tùm fidei Ca- 11.

tholicæ ſtabiliendæ, propagandæque flagrantiſſimus ; ita Patribus Generali, & Definitoribus in Capitulo adhuc Congregatis Apoſtolicâ Authoritate mandavit, quatenùs idoneos, & Apoſtolicos viros Uraniam primùm ; dein & in alia Helvetiæ loca ſubmitterent, Conventus, ubi opus, & opportunum fore arbitraturi eſſent, conſtituerent, ac Religionis ſemen, uberiori aliquando fætu fœcundandum, in alias quoque Germanorum plagas diffunderent. Patres igitur Apoſtolico Mandato obſequentes P. Franciſcum ab aquis Bormiis, virum divinâ, & humanâ litteratura inſtructiſſimum, & ſpectatæ ſanctitatis famâ celebrem cum aliis quatuor ſociis illuc terrarum deſtinaverunt ; qui Uraniam appulſus, variámque, lætam, ac triſtem fortunam expertus tandem in contiguo oppidi colle Domicilium adeptus eſt, cujus fuſiorem ennarrationem qui exoptat, apud Boverium Tom. 1. Annal. ad ann. 1581. & ſeq. inveniet. Ibi ergò labarum S. P. Franciſci Seraphici erectum, primarius Provinciæ lapis poſitus, ac prima religioſæ phalangis caſtrametatio fixa fuit. Ex quo ſanè inferri poteſt, quòd hæc Provincia tum adhuc una cum Helvetica illud jam à ſui primordio participaverit encomium, quod Jacobus Gualterus, vir cùm primis de Catholica fide bene meritus in ſua tabula chronographica ab Anno 1500. usque ad anno 1600. concinnata Capucinorum religioni univerſim tribuit : *Ordo RR. PP. Capucinorum ſub regula S. Franciſci in magnum Eccleſiæ bonum inchoatur Anno 1525. ut ajunt Florimundus Raymundus Lib. 7. de orig. hæres. c. 5. & R. P. Paulus Moriggia Mediolanenſis in Lib. quem ſcripſit de origine omnium Religionum cap. 43. ut ex eo referunt tum idem Florimundus, tum R. M. Joſephus Zarlinus Clugienſis in Tract. de orig. Capucinorum : vel certè aliquot antè annis, ut copiosè diſputat idem Zarlinus, ibidem, inchoatur, inquam, ut murus admodùm opportunus pro Domo Dei adverſùs inſurgentes per id temporis anabaptiſtas, Carolſtadianos, Ælolampadianos, Libertinos, Zwinglianos, David Georgianos, aliósque Coævos-Anti-Chriſti prodromos, & Eccleſiæ Turbatores.*

Ea autem largiente Domino ſpiritualis puſillæ hujus Coloniæ fœcunditas fuit, ut anno 1583. primum Altorffii Capitulum celebrari potuerit, quamvis tota religioſæ Communitatis ſumma tribus tantùm locis hoſpitaretur. Anno 1593. autem eò usque jam Conventuum, & fratrum numero arcreviſſe deprehenſa eſt, ut primus Provincialis locorum ad conſtituendam Provinciam utique ſufficientium eligi potuerit, & electus ſit. Paucis verò labentibus annis Provincia Helveticos transgreſſa limites in Alſatiam ea tempeſtate adhuc ſereniſſimæ Domui Auſtriacæ ſubditam, Brisgojam, Sueviam, & alia Anterior-Auſtriacas, Statuúmque Imperialium terras promiſcuè ſe ſe diffudit, tantáque & locorum, & hominum frequentiâ ſenſim aucta fuit, ut ſuperiores jam potiùs recuſandis, quam conquirendis domiciliis fatigarentur. Notanter diximus, Provinciam *promiſcuè* quaquaverſum ſe ſe diffudiſſe ; quo (manente, & ſalvo Almæ, ac venerabiliſſimæ Provinciæ Helveticæ honore pioritatis in *dici*, ſeu in compellatione Provinciæ ut *Helveticæ*, ſub qua etiam Conventus Anterior-Auſtriacæ comprehendebantur) coævita-

vitatem Provinciæ Anterioris Auſtriæ in *eſſe* aſſerere, & poſterioritatem denominationis fateri voluimus: & hæc quidem, uti jam iteratò dictum, poſt diviſionem primùm nata eſt: illa verò ex ſimultate Conventuum promiſcuè acceptatorum, & conſtructorum elucet. Nam in primò illo Capitulo Altorffenſi Anno 1591. locus Friburgenſis jam acceptatus; ſed ob intervenientes difficultates ejus occupatio uſque ad Ann. 1599. dilata fuit.

Sic quoque eodem anno loca Frauenfelda, & Rhenofelda, nempè 1596. Anno 1600. Veldkirchium. 1602. Conſtantia &c. recepta ſunt; cætera colligenda ſunt ex hiſtoria Conventuum noſtrorum, qui plerique unà cum Conventibus Helvetiæ concreverunt. Idem dicendum de ſimultate, & coævitate virorum ex terris Anterior-Auſtriacis, & Imperialibus oriundorum cum Helvetis; qui non ſolùm multitudine, ſed & geſtorum officiorum dignitate illis parificati fuerunt, prout alibi diximus. Hinc Provincia adhuc in cunis vagiente piiſſimus ille vir P. Matthias Bellintanus Salodienſis Viſitator Generalis Provinciæ extra Helvetiam, & in partes Anterior-Auſtriacas propagationem veluti neceſſariam judicavit, hæc verba liberè fatus: *Sinche non uſciamo fuori di queſti monti è ſuizzeri, non hauremo ſuggetti per la noſtra Religione.*

IV. Verùm ſint hæc ita, ut jactatur, inſtat nonnemo; quanta hæc antiquitas uno, & dimidio concluſa ſæculo? Nos verò reſpondemus: Satis vetuſtum, quòd ſatis opportunum. *Duo contra duo, & unum contra unum*, ait Eccleſ. 33. duo peſſimi Novatores, in Germania Lutherus, in Gallia Calvinus Eccleſiaſticam diſciplinam, & doctrinam; Evangelicam nempè ſanctitatem, & veritatem validiſſimè impugnatum ex inferni ſpecu eruperunt: & ille quidem ruptis omnimodæ honeſtatis repagulis quidquid agendi; hic verò quidquid credendi libertatem aſtruxerunt. Duo contra duo. Contra duos iſtos ſeductores ſuſcitavit Deus geminas Congregationes; RR. PP. Jeſuitarum unam, & Capucinorum alteram: quarum hæc anachoreticam vitæ auſteritatem conſiliis Evangelii attemperatam, tanto Eccleſiæ bono, cæli proventu, animarum ſalute, infernique diſpendio ſemper uſurpatam, à carnaliſſimo autem Anti-Evangeliſta Luthero penitùs relaxatam reſtauraret, atque contra hujus antinomum tueretur. Opportuniſſimè in hunc ipſiſſimum finem Capucini hujus Suevo-Helveticæ Provinciæ venerunt; dum nempè paſſim adulteria, fornicationes, polygamiæ, ebrietates, commeſſationes, impudicitiæ, jejuniorum neglectus, præceptorum divinorum, & Eccleſiaſticorum contemptus, aliáque vitia impunè frequentarentur; horum Religioſorum evangelica converſatione, prædicatione, & mortificationum exemplis corrupti ſæculi mores in his quoque partibus dedoceri, & in meliores reformari cæperunt. Satis itaque antiquum, quod ſatis opportunum, ut mox pluribus demonſtrabimus.

V. Et quidem, ſi major annorum, & ſæculorum â nobis deſideretur ſenectus; non ſolùm à S. Patris Franciſci; ſed ab ipſis primitivæ Eccleſiæ temporibus ætatem Religionis noſtræ deducimus. Acutè quodam in loco Cornelius ille Tacitus ſcripſit: *Vetera extollimus, veterum incurioſi.*

curioſi. quo forſan illorum vanitatem pungere voluit, qui plurimum temporis, & ſumptuum impendunt conquirendis, colligendísque antiquitatum monimentis, parati, ut quondam illi, vel lucernam Epicteti mille drachmis, & baculum Proti Stoici auri talento, vel monetam vetuſtiſſimæ ſignaturæ vix denarii pretium æquantem ttecentis philippeis redimere; aliáque tum litteraria, ſeu ſcripta, ſeu picta vetuſtatis inſignia inter theſauros ſuos maximè pretioſos recondunt; econtra antiquarum virtutum, & laudabilium morum, atque geſtorum præfatis antiquis tabulis, & membranis conſignatorum incurii ad diem, ritúmque præſentem juvenilia vivunt. Profectò ſi honore, & laude digni ſunt antiquarii illi ſolertiſſimi, qui veterum manuſcripta, documenta, & diplomata in pulvere, & oblivione ſepulta quaſi ad vitam reſuſcitant, prout hocce ſtudium noſtra præſertim tempeſtate plurimùm viget, & maximi habetur; cur non majorem laudem, & venerationem mereantur homines illi Seraphici; qui primævam S. P. Franciſci, imò Apoſtolicam, Evangelicam, Chriſtíque ipſius vivendi rationem contrariis mundi, carnísque principiis antiquatam, & oblitteratam nova profeſſione reſtaurant, & è ſepulchro reſuſcitatam non ſcriptis tabulis, ſed opere mundo reſtituunt? atqui tales antiquarii ſunt Capucini, aut certè ut ſint, adſtringuntur (dolet Religio, mæret Provincia ſi qui tales non ſint; monétque externos eò reſpicere, quod ait lex. *ſed licèt.* ff. de officio præſidis. *Romæ*, in Provincia &c. *quid factum* à diſcolis, *non tam ſpectandum eſt, quàm quid fieri debeat.*) Tales, inquam, ſunt Capucini. Qualiter hi primævam Ordinis Seraphici à S. P. Franciſco inſtituti ætatem vitæ ſuæ methodo referant, ſequenti categoria dicitur. Nunc eosdem Apoſtolis, ipsíque Chriſto per inſtituta ſua contemporaneos aſſeremus, & verbis alioquin haud noſtris, ne ſophocles, & laudiceni Baſilica facinora noſtra prædicaturi, & laureolam in muſtaceis quæſituri videamur, negotium peragemus; quò faciunt Antonii Mariæ Gratiani *in vita* Joannis Franciſci Commendoni Cardinalis apud Graveſonium Hiſtor. Eccleſ. tom. 7. ſæculo 16. Colloquio 6. encomia conglobata: *Horum Capucinorum vita* ad imitationem Chriſti, & SS. Apoſtolorum *omnis dura, atque inops; cibus illis victúsque in dies quæſitus ſimplex ſine lenocinio, aut conditione ulla: pellere, non irritare famem, corporìque alimenta præbere, non etiam oblectamenta volunt, quod crebris inſuper jejuniis, vigiliísque exercitum, domitúmque habent, quò purior mens, ſolutiórque divinarum rerum contemplationi, atque cultui vacent. Veſtitus, cæteræ vitæ congruens, horridus, viliſque, unica tunica, ac brevi pallio operiuntur, è ciliciis aut non abſimili materia confectis, perpetuóque, iisdem nullo æſtatis, aut hyemis diſcrimine, ſine calceis nudo pede per nives, per ſaxa aſperáque incedunt, crepidati tantùm ſacra faciunt. Quietem aut humi, aut peranguſto grabato, ſtrammentóve recumbentes, capiunt, non alio, quàm quo amiciuntur veſte contecti. &c. &c.*

VI. Ex quibus verbis ceu corollaria deducuntur, quòd, ut loquuntur Doctores, & Expoſitores Regulæ, paupertas Capucinorum paupertati Chriſti, & Apoſtolorum; eorum ſine ſaculo, ſine pera ad prædicandum emiſſio,

emiſſio, binorúmque, atque binorum itineratio Evangelicæ inſtitutioni quàm proximè accedat : veſtitus primitivæ Eccleſiæ viris Religioſis, & Patriarchis, Prophetis, & Apoſtolis aſſimiletur. Nam illi, ut ait Cornel. à Lap. in cap. 3. Matth. *veſtiebantur cilicio, vel ſacco cilicino, uti nunc veſtiuntur Capucini.* Habitus forma, de qua in futuro prædicam. ampliùs, qua utuntur Capucini, illam Chriſti inſtructionem exequitur : *Si quis vult poſt me venire, tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.* Luc. 9. Habitus enim Capucinorum præſefert omnimodam crucis formam. Cultus exterior corporis, e. g. mentum promiſsâ barbâ veſtitum denuò Chriſtum, hujúsque Apoſtolos refert, qui barbam geſtâſſe noſcuntur : Chriſtum verò barbam promiſſam portâſſe prætet teſtimonia SS. Patrum indicat ipſa ratio ex cap. 50. Iſaiæ deducta per legitimam conſequentiam : *corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus ; ſive ut Vatablus deducit : volentibus ſcilicet vellere pilos genarum, & barbæ.* S. Birgitta quoque, & S. Bonaventura barbæ Chriſti meminerunt, quam in ejus paſſione avulſam, ac concreto ſanguine deturbatam ſcribunt. Nec obſtant aliæ & aliæ conciliorum diſpoſitiones, quibus Clerici prohibentur comam nutrire, & barbam ; quia enim nulla jam lex de tondenda, vel promittenda barba extat, unicuique citra ullam fidei, aut morum jacturam in ſua ſenſu abundare liberum eſt ; quam libertatem Capucini vel ideò magis amplexi ſunt, quòd barba promiſſa Apoſtolicam Auſteritatem, aſperitatem, ſui, mundíque contemptum indicet, eósque Chriſti, & SS. Apoſtolorum imitatores efficiat : quin tamen Capucini alios, qui barbam radunt, cujusdam erroris, aut imperfectionis arguant, vel neglectæ Chriſti imitationis inſimulent ; ſed potiùs illis applaudunt, tanquam optimo fine barbam tondentibus ; cùm hæc tonſio maximi olim mæroris, ac luctus hieroglyphicum eſſet, quod maximè Religioſis, & Monachis convenit, qui teſte S. Hieronymo contra vigilant. c. 6. plangentis officium exercent. Econtra & ipſos conveniret meliùs de barbis Capucinorum ſentire, & credere, quòd hos taxando, & in contemptum Longobarbos vocitando ignominiam committant etiam in Chriſti, Apoſtolorum, & S. P. Franciſci injuriam vergentem. Diximus, S. P. Franciſci ; cùm ex innumeris teſtimoniis evidentiſſimum ſit, eum barbam nunquam raſiſſe ; de quo præter complures alios R. P. Bonitus Compaſſon ita teſtatur : *Barbam raſam portâſſe Seraphicum Patriarcham nunquam legimus ; illam verò nutriviſſe exemplo Chriſti, & Apoſtolorum, probant ſatis ejus ad vivum depictæ effigies, quæ Aſſiſii in ejus ſacris ædibus, & Romæ in privato Pontificis ſacello, tanquam pretioſæ Reliquiæ ſtudioſiùs conſervantur.* Quòd ſi nihilominùs barbas Capucinorum ludum facere eis luberet, ægrè non ferant, quòd Capucini eis aculeum Sidonii Apollinaris lib. 4. Epiſt. 13. quo hic Epiſcopum Contillanenſem, Germanicum nomine impetiit, infigant : *veſtis aſtricta, tonſus cothurnus, crinis in rotæ ſpeciem acciſus, barba intra pugarum latebras merſis ad cutem ſecta forficibus.*

VII. Quæ omnia cùm ita ſe habeant, quorum pleniùs demonſtrandorum non deeſſet totus argumentorum torrens, ſi adeſſet concinnitas ea hîc loci citra inſtituti noſtri offenſionem adhibendi, mirari ſatis non poſſu-

poſſumus, ſi ulterior quædam antiquitatis noſtræ prærogativa à nobis exigatur, ſecùs inter juvenis, herique natæ Religionis, & Provinciæ alumnos computandis; cùm tamen luculenta adeò vetuſtatis indicia oſtentare poſſemus; quamquam parum hoc nobis ad conſequendum ultimum finem noſtrum ſuffragaretur, ſi jactata originis ſenectute tumidi ab ea ætate conſequenda ſuperſederemus, quæ non in diuturnitate, aut annorum, vel ſæculorum numero; ſed in vita immaculata conſiſtit, ut Sapientiæ cap. 4. inſtruimur. Ideò etiam Tullius de ſenectute præcipit: non tam cani, non tam rugi auctoritatem repentè accipere poſſunt; ſed honeſta acta, & Superior ætas fructus capit auctoritatis extremos. Quæ hic dicit de ſenectute hominum, nos intellecta volumus de Religionis, & Provinciæ antiquitate.

VIII. Denique non gravabuntur illi, qui vel maximè Capucinis de Inſtituti juventute inſultant, & cyclobori voce eos apud vulgus in poſtremo filiorum S. Franciſci ſcamno collocant, edoceri, quòd malè ſe Capucinis naſcendi prioritate anteferant; cùm illis ſint poſteriores. Igitur loripedem rectus, ſeniorque juvenem derideat. Capucinorum namque initium (intellige reformationem, & denominationem, manente eorum quoad eſſentialem inſtitutionem coævitate cum S. P. Franciſco) computandum eſt ab Anno 1519. quo Leo X. P. M. canonizavit S. Franciſcum de Paula ordinis minimorum fundatorem, ut benè probat Reverendiſſimus Epiſcopus à Campo polito Lib. 7. c. 8. de Excellentia, & nobilitate Seraphicæ Religionis; notat enim, quòd eodem die præfatæ Canonizationis B. P. Matthæus (advertant hoc Capucino-Maſtyges, qui P. Matthæum à Baſcio Apoſtatam, fugitivum, & ab ordine abnoctatum clamant, cùm tamen R. P. Balduinus Junius inſignis fratrum minorum regularis obſervantiæ ſcriptor in ſuo Chronico morali part. 4. ad ann. 1206. eundem vocet *devotiſſimum fratrem:*) inchoavit Congregationem Capucinorum, licèt approbationis Diploma obtinere necdum potuerit à ſede Apoſtolica, fretus interim vivæ vocis oraculo ſacrum Inſtitutum renovandi: Anno tamen 1525. Clemens VII. Pont. Max. ad interceſſionem Sereniſſimæ Duciſſæ Camerienſis Catharinæ de Cibo, quæ meritis, & interceſſione B. Patris Matthæi à Baſcio à morbo epidemico prodigioſè à Deo ſanata fuit (nec creditur, quòd apoſtatæ gratiâ miraculorum polleant) memorato P. Matthæo duas authenticas elargitus eſt; quarum virtute reformationem incæptam liberè, ac validè proſequi potuit, & proſecuta deinceps litteris Apoſtolicis confirmata fuit. Econtra Patres Diſcalceati ſub eodem Clemente VII. Anno 1528. in Hiſpania. Anno 1532. Patres Recollecti ſub eodem Clemente VII. in Hiſpania. Anno 1533. item ſub Clemente VII. Patres Zoccolantes in Italia initium ſumpſerunt; quarum reformationum ipſa Capucinorum reformatio extitit occaſio, ut præfatus Epiſcopus à Campopolito evidenter demonſtrat. Videntes enim alii Capucinos in ſua Congregatione jam ſtabilita, & confirmata, ſpiritu ferventes; econtra verò præcluſum ſibi ad Capucinos tranſitum prohibitione Apoſtolica ab ipſismet Capucinis pacis ſtudio procurata, quamplures regularis obſervantiæ zelatores eodem ferè tem-

tempore in diverſis Ordinis Provinciis quorum alii de aliorum conſiliis erant inſcii, cogitaverunt de nova reformatione facienda; ſícque Capucini initium dederunt variis familiis reformatis. Jam ſic: Oportet eos, qui dant occaſionem, occaſionatis eſſe priores, & præexiſtentes: ergò Capucini prioritate reformationis prædictis anteponendi ſunt. Suffragatur Jus Canon. cap. Religionum. de Religioſ. domib. in 6. ubi ſtatuitur, quòd prout una priùs altera à Sede Apoſtolica gratiam approbationis obtinuit, illa hanc præcedat &c. Ex his perfunctoriè dictis confidit Provincia noſtra quòd deinceps haud ſaltem de juventute ſugillanda ſit ampliùs.

HABITUS

Provinciæ Anterioris Auſtriæ.

ANALOGIA.

NE quis õpinaretur, quaſi prædicamentum prædicamenti meditemur, & ſub tò *Habitus* aquiſitos animæ habitus virtutum, ſcientiæ &c. indicare velimus, qui utique ad prædicamentum qualitatis ſpectantes jam pridem commemorati ſunt, aſſerimus, nos habitum prædicamentaliter, & logicè ſumptum intelligere; quatenùs hic eſt corporum, & eorum, quæ circa corpus ſunt, per modum ornatûs, vel deornatûs, ſive veſtitionis adjacentia. Ubi notant Philoſophi, quòd hæc adjacentia *idem ſic*, ac circumpoſitio veſtis, *cum hæc*, ſeu habitus ſeorſim ſpectatus, vel in arca ſervatus non ſit prædicamentum; ſed prout eo circumpoſito aliquis dicitur habituatus, tunicatus, vel loricatus &c. Omiſſis verò iis, quæ circa

hoc diſputari ſolent : an hoc concretum , eſſe veſtitum , importet modum à veſte , & corpore diſtinctum , vel extrinſecam duntaxat denominationem &c. ? potiùs aliam evitare objectionem nobis incumbit ; qua iterùm prædicamenti prædicamentum ſomniare putabimur : cùm veſtis actu adjacens ſit ſubſtantia &c. ſed ab hoc ſcrupulo nos abſolvit S. Thomæ authoritas , ſtatuentis , nihil impedire , rem denominantem eſſe ſubſtantiam , ſi denominet per modum accidentis , ut in veſte corpus circumdante contingit. His ita præjactis major difficultas exurgit ; qua ratione nimirùm , & qualis habitus Provinciæ congruere , ſeu potiùs affingi poſſit ? verùm in promptu reſponſio eſt , ſi reflectamus , quòd ſub analogiâ Provinciæ in obliquo , ac ejus definitione importemus perſonas Provinciæ inquilinos , ac taliter , talitérque veſtibiles ; ut ſi v. g. Virgil. l. 1. Georg. canat : *cultúsque , habitúsque locorum.* vel Plautus : *lineâ cooperta textrinâ Gallia &c.* cùm tamen nec Galliæ , nec aliis regionibus geographicè ſumptis , ſed hominibus in iis degentibus cultus , aut habitus competat. Igitur eò propoſitum noſtrum ſpectat , ut de Capucinorum hujus Provinciæ habitu temperatiſſimè diſputemus.

ECPHRASIS.

IN quem tramitem directiſſimè nos induxerunt doctrinalia Magiſtri Joannis Parreith Profeſſoris Ingolſtadienſ. verba ; quæ in Tract. de Iſagogibus Porphyrii , & Prædicamentis Ariſtotelis Anno 1506. edito Quæſt. incidentali de Prædicam. decimo ſic habent : *Quomodo hoc eſt habituatum ? & aptè reſpondetur : Capuciatum.* Quoniam enim Capucini hanc ſuam compellationem ſortiti fuerunt à Capucio acuminato , & longo ; idem capucium per Synecdochen ſub nomine totius indumenti , quo Capucini utuntur , venire , ac intelligi conſuevit. Cum autem forma Habitus ceu illegitima à variis malè fuerit impugnata, operæ pretium duximus hodier-

nis

nis fratribus noſtris geſtorum,& ſcriptorum inReligiõe ignaris panopliam quandam ſubminiſtrare, è qua arma depromant, quibus adverſariorum tela his occaſionaliter provocati, & obruti, ex arena retundere valeant. Tametſi enim Capucini longè alio dimicandi genere inſtructi; illo nimirùm, quod Evangelium, & S. P. Franciſcus illis præſcripſit: *Orate pro calumniantibus, & perſequentibus vos &c.* ſilentio & patientiâ adverſariis hiſtricè armatis palmam manſuetudinis, & modeſtiæ extorquere noverint; & pro lingua agreſti aut mutam, aut civilem reponentes amaráque aliorum dicteria, calumnias, & odia inter compendia ſua, & ſpolia deputantes prudentiorum judicio victores plerumque evadant: cùm tamen nonnunquam ſæculares hujusmodi præliorum ſpectatores inermè Capucinorum ſilentium inopiæ armorum dederint, & antagoniſtis ad inſignem Religionis noſtræ vilipenſionem victoriam adjudicaverint, decet omninò Capucinos competentibus quoque armis inſtructos incedere; qualia cudet §. 1. contra eos, qui Capucium, & Habitum Capucinorum. §. 2. contra eos, qui legitimam Capucinorum geneſim ſugillant. §. 3. evidenter demonſtrabit Capucinorum penitiſſimam ad S. P. Franciſcum filiationem.

§. I.

Capucini geſtant legitimam, & primævam Habitûs formam.

QUi Capucinorum habitum novitatis à S. P. Franciſco, primiſque hujus fratribus nunquam ſomniatæ, minùs uſurpatæ; ſed citra omnem prudentiam, & rationem vel à F. Elia, vel à P. Matthæo à Baſcio levitatis, propriique arbitrii ſectatoribus adinventæ, & introductæ poſtulant, ex Chron. Ord. l. 1. c. 8. p. 1. evincere conantur, quòd S. Pater nullam certam habitûs formam inſtituerit, & uſurpaverit; ſed incerto caſu, aut fortuna ex paſtoritio ſago arrepta forfice habitum ſibi in Crucis formam præſciderit. Sed argumentum hoc ipſis adverſariis adverſatur, probátque, nec eos habere fundamentum geſtandi Capucium rotundum,& abbreviatum cum mozzeta,& ſcapulari. Sed præterquam quòd abſurdiſſimum religioſis ſit habitûs Seraphici originem incerto caſui, aut fortunæ, Gentilium idolo, tribuere, hujus futilitatem quoque oſtendunt ea, quæ habentur p. 1. l. 1. c. 7. & lib. 2. c. 19. Chron. Ord. ubi luculentiſſimè diſſeritur de certa, & conſtanti habitûs forma, qua S. Pater, & hujus primi ſocii uſi ſunt. Ad Chronica igitur provocati ad Chronica & nos provocamus; in quæ tantò ſecuriùs compromittimus, quòd illorum authoritati multa debea- I.

tur fides, ut Felin. in cap. ex parte. de Reſcript. & Bartol. in L. Legata ff. de ſuppellect. leg. graviſſimè diſputant. Atqui forma habitûs in locis allegatis Chronic. non ſolùm certa; ſed & illi, quâ Capucini utimur, conformis aſſeritur. Nec contra nos quidquam concludit textus regulæ ab adverſariis adductus, qui ſic habet: *poſteà concedant eis pannos probationis: videlicet duas tunicas ſine Capucio &c.* niſi eisdem Miniſtris aliud ſecundùm Deum *aliquando videatur.* Reg. c. 2. Ex quibus poſterioribus verbis arguunt, quòd à Miniſtrorum voluntate, & arbitrio dependeat, Novitiorum habitum determinare, immutare, vel confirmare. Sed tantùm abeſt, ut per præfata verba Miniſtris detur authoritas aſſignandi, vel mutandi habitûs formam pro Novitiis, ut potiùs illa ad Caparonem, ſeu mutabile illud Novitiatûs ſymbolum, quo ab Habitu Profeſſorum diſtinguitur, referantur. Sic enim habetur in brevi quadam regulæ declaratione, quæ legitur in Fundamento trium Ordinum Bartholomæi Piſani &c. 3. *Niſi eisdem Miniſtris &c. ſolùm refertur ad Caparonem immediatè præmiſſum; ut ſcilicet pro reverentia intrantis ordinem poſſint indulgere, quod probationis capucium non portent.* Quod equidem tunc fieri ſolet, cùm Princeps, aut Eccleſiæ Prælatus ad Religionem accedit. Demus autem, quòd penès ſuperiores ſit habitum Novitiorum determinare, prout antiquis temporibus novitii annum probationis agebant in veſtimentis ſæcularibus, & primùm poſt Profeſſionem Ordinis habitu donabantur: ſucceſſivè autem in ipſo religionis acceſſu religioſè veſtiri cæperunt, alligato tamen quodam diſcerniculo, quo à Profeſſorum habitu diſtinguebantur; quod diſcerniculum dependebat ab arbitrio ſuperiorum: unde natus eſt ille Canon: *Monachum non facit habitus, ſed profeſſio* c. porrectum. c. ex parte, de Regular. c. conſuluit. Qui Clerici, vel voventes. ad innuendum verò, an habitus importet profeſſionem oportet juxta Abbat. in c. ex parte de Regular. & Gloſſ. in Clement. eos. de Regul. dari aliquam habituum diſſimilitudinem, nimirùm vel in colore, vel ſciſſura, vel forma, ſive figura &c. Quæ diſſimilitudo forſan in arbitrio ſuperiorum fuerat, niſi Regula ipſa eam determinaverit. Demus, inquam, hujus diſſimilitudinis aſſignationem libertati Miniſtrorum: an ergò liberum quoque erit Miniſtris determinare, vel mutare habitum profeſſorum? fortè ita, cùm textus loquens de habitu Profeſſorum dicat: *Qui verò jam promiſerunt obedientiam, habeant unicam tunicam cum Capucio, & alteram ſine Capucio, qui voluerint habere.* cap. 2. Reg. per quæ poſtrema verba cuique libertatem factam eſſe habendi duas tunicas cum, vel ſine Capucio. Sed quòd hoc argumentum arenæ nitatur, ut nil de domeſticis Regulæ Expoſitoribus, Ordinis Doctoribus, & Pontificum declarationibus, præſertim Clement. Exivi. de verb. ſignif. dicamus, vel extraneis notum eſt, quòd manente determinatione habitûs cum capucio, & quidem ſub præcepto æquipollente, ac ſub mortali obligante per illa verba: *qui voluerint habere*, fratribus libertatem datam eſſe habendi alteram tunicam ſine Capucio, ad arcendum f &c. Sic enim Azor. Inſtit. moral. lib. 12. cap. 2. ait: Novitiis a n eſſe à Regula tunicam ſine

Ca-

Capucio ; Profeſſis tunicam cum capucio, tanquam determinatam Ordinis veſtem ; per quod inſuper ruit argumentum dicentium , quòd S. P. Franciſcus nullam certam habitûs formam aſſumpſerit, & præſcripſerit.

Urgent quidem ex Declarationibus Pontificum Nicolai III. Clement. V. & Joannis XXII. adhuc , quod determinatio formæ habitûs penès Miniſtros ſteterit. Nicolaus III. enim in cap. exiit qui ſeminat. §. licèt &c. Miniſtris, & Cuſtodibus conjunctim indulget , ut penſatis fratrum neceſſitatibus, & aliis circumſtantiis, quæ ſecundum Deum, & Regulam attendendæ videntur, pluresè, quam duas tunicas fratribus concedere valeant. Similia propè ſtatuit Clemens V. qui inſuper Miniſtris concedit, ut de vilitate veſtium, quibus minores indui debent , judicare queant , eorum ſuper hoc conſcientiam onerans , niſi in veſtibus vilitatem ſervent. Clementina exivi. §. præterea. Joannes porrò XXII. in Extravag. Quorundam. §. in primis. & §. Quo circa præter antedicta ſuperaddit : Quòd Miniſtri, Cuſtodes, & Guardiani determinare , arbitrari , ac præcipere valeant, cujus longitudinis , & latitudinis, craſſitiei, ac ſubtilitatis ; atque ſimilium accidentium eſſe debeant tam fratrum habitus , ipsorúmque Capucia, quàm interiores tunicæ. Sed , qui hæc Pontificum ſtatuta, ſeu indulta attentè legit , & ſepoſito partium ſtudio conſiderat , fateri debebit , quòd præfata verba nec minimum attingant eſſentialem habitûs formam ; utpote quam ſupponunt determinatam , & immutabilem ; ſed duntaxat referenda ſint ad accidentalia ; ut expreſsè in Conſtitutione Joannis habetur : atque ſimilium accidentium. II.

Quæ autem in allegata Extravagant. formam habitûs attingere videntur, ad reformandos , ſeu eliminandos Fratricellos Narbonenſes intelligenda ſunt, quorum hiſtoria videatur apud P. Boverium &c. tom. 1. annal. ad calcem. demonſtrat. 1. num. 13.

Cùm ergo res ita ſe habeat , ac prætereà Eccleſiaſtica lege. 2. q. 1. cap. vidua. ſancitum ſit, ut unaquæque Religio Deo ſacra ſuam habitûs formam, ac diſtinctionem conſtanter retineat , qua ab aliis diſcerni queat : quapropter citra contumeliam S. P. Franciſci , & Ordinis à ſe inſtituti dici porrò nec poſſit , nec valeat , quòd hic Seraphicus Ordo à ſui exordio uſque ad Joannem XXII. P. M. certa, ac conſtanti habitûs formâ caruerit ; ſupereſt indagare; an forma, qua utuntur Capucini , ſit illa primordialis, & genuina, quam S. Pater aſſumpſit, & inſtituit. Salvis , & integris aliarum Reformationum habitûs formis , quibuscum nullum nobis bellum eſt, ſolùm ſtatuimus, S. P. Franciſcum inſtituiſſe habitum cum Capucio, qui Capucinis uſitatus eſt ; cui quidem aſſertioni tam luculenta, támque copioſa ſuffragantur teſtimonia , ut eorum multitudine obruti ancipites hæreamus, quænam omiſſis aliis potiſſimùm ſeligeremus. Ad evitandam partialitatis ſuſpicionem diſſimulabimus Capucinorum authoritates ; ſolósque allegabimus extraneos.

R. P. Joannes Rauſſerius Andegavenſis Ordinis Minorum de obſervantia libro, quem de ſtatu, & origine Seraphici Ordinis S. Franciſci inſcripſit , quæſtionem illam pertractans : Quisnam fratrum Minorum habitus [illegible] ? tandem authoritate Sedulii Commend. in vit. S. Franc. cap. 2. III.

nixus, ita concludit : *Certè liberè fateri oportet, Ordinem à ſuis incunabulis, atque adeò ipſum S. Patriarcham Franciſcum eo habitu, Capucio, ac indumenti forma uſos fuiſſe, quo nunc Capucini utuntur : qui habitus, cùm circiter ducentorum annorum ſpatio intermiſſus fuiſſet, poſtremò Clementis VII. authoritate Anno 1526. fuit reſtitutus.*

Ingenuam hanc apertæ veritatis confeſſionem ante Rauſſerium R. P. Marcus Ulyſſiponenſis, Chronicorum D. Franciſci Auctor, non ſemel orbi conſpicuam fecit. Chronic. p. 2. c. 1. ubi de templo D. Franciſci à Domina Jacoba de ſeptem ſoliis erecto agens, ita ſcribit : *Succeſſu temporis auctum fuit Monaſterium iſtud, in quo nonnullæ Icones Capucinorum habitu ad vivum depictæ, quo fratres minores eo tempore utebantur.* Chron. p. 3. l. 9. c. 15. cùm de Capucinorum Reformatione agit, hæc verba habet : *F. Matthæus de Baſſo primus fuit, qui his temporibus Capucium acutum deferre cæpit. Hic S. Pater cùm eſſet ſpiritu fervens, & magno erga ſanctam paupertatem zelo flagraret, viſo S. Patris Capucio, aliud ſimile ſibi paravit, & habitum vilem indutus, ſimplex, nudis pedibus incedebat.* His adſtipulatur celebris ſcriptor Dominicanus Alphonſus Cicaonius, qui in vita, & geſtis Pontificum, in Gregorio X. ita aſſerit : In Capitulo Generali Ordinis S. Franciſci Narbonæ celebrato Ordinis habitus, quo nunc fratres minores utuntur, paululùm commutatus eſt : *nam antea Capucinorum more indaebantur.*

R. P. Lucas Waddingus vir litteraturâ, & religioſitate inter fratres minores de obſervantia inſigniſſimus, poſtquam plura de habitu Capuciato, pyramidato, & acuto, qui S. P. Franciſco proprius erat, diſſeruiſſet annal. to. 1. tandem ita decernit : *Religioſiſſimi Patres Congregationis Capucinorum plus cæteris ad hanc formam accedunt.* R. P. Bonitus Compaſſon Sabaudus Ord. Min. Conventual. in tract. de præſenti ſtatu totius Seraphicæ Religionis Fratrum Minorum inter alia ſic habet : „ Capucini verò ſic nun- „ cupati ſunt à Capucio Ordinis antiquo, quod permiſſu Clementis VII. „ reſumpſerunt. Ipſi enim regularis obſervantiæ, & antiqui habitûs utram- „ que formam jam deperditam, anno ſalutis 1525. reſtituerunt. Forma „ verò habitûs S. Franciſci, & Ordinis Seraphici eſt capucium longum, & „ acuminatum, ſeu pyramidatum, tunicæ coloris cinerei absque mozeta, „ vel ſcapulari conſitum. „

Hic verbis ſuis fidem conciliaturus allegat Reverendiſſimum P. Petrum de Campo Polito obſervantem, & Epiſcopum, in lib. de Excellentia Seraphicæ Religionis cap. 7. ſic perorantem : „ pyramidato duntaxat capucio „ tunicæ coloris leucophæi, ſeu cinerei absque collario, mozeta, aut ſca- „ pulari, ſeu pectorali conſuto, quæ eſt prima, & antiqua Ordinis habitûs „ vera forma, quam retinent Capucini. „

R. P. Bartholomæus Cimarella Ord. frat. minor. de obſervantia in Chronic. p. 4. l. 8. c. 49. in vita B. Joannis Guadalupi ait : „ Li Padri Capuc- „ cini gli devono haver molt' obligo, poiche fù il primo, chi rinovò, è „ commenciò in quei tempi à portar il capuccio aliquanto aguzzo, cucito „ all' habito, come uſava di portarlo il P. S. Franceſco &c. „ Plurimos alios transmittimus prædictorum teſtimoniis ſat ſupérque contenti; ex quibus

bus ſola verba: *reſtituere*, *reſumere*, *renovare* &c. premimus, quæ utique rebus aliquando exiſtentibus, ſed deperditis, abolitis, & antiquatis adhibentur; reſtituere enim idem eſt, ac retrò ſtatuere, & in eum caſum rem conſtituere, in quem fuiſſet, ſi nihil, adversùs quod facienda eſſet reſtitutio, eveniſſet, ut ait Alciatus de verb. ſignif. & Brechæus in l. plus eſt, ff. eodem, in quem ſenſum etiam cadit c. ex litteris extr. de in integr. reſtit. ubi dicitur, quòd reſtitutio ſit prioris ſtatûs redintegratio. Hinc elicitur, quòd habitûs forma à Capucinis aſſumpta non ſit nova, & heſterna; ſed, cùm illi à ſcriptoribus citatis tribuantur verba: *reſtituere*, *renovare*, *reſumere*, primævam habitûs formam ſucceſſu temporis oblitteratam, mutatam, atque deperditam reſuſcitet, & reſtauret, atque redintegret.

Antiquitatem fidelem veritatis depoſitariam in cauſam noſtram appellamus. IV. Qui enim de alicujus rei poſſeſſione contendunt, cùm nulla certa ratio haberi poteſt, qua quis illam proprio jure poſſideat; tunc ad unum Antiquitatis jus recurritur; inquiritúrque, quis prior illam poſſederit: huic enim rem deberi leges præſcribunt, l. 3. c. de ſervit. & aqua. L. ſi quis diuturno uſu. ff. de aquir. poſſeſſ. Hinc Tertullianus de vero, & falſo Evangelio diſceptans, antiquitatem, velut potiſſimum veritatis argumentum, adfert, ita ſcribens: „Ego meum Evangelium dico verum; Marcion ſuum. „Ego Marcionis affirmo adulterum, ille meum. Quis inter nos determi„nabit, niſi temporis ratio ei præſcribens authoritatem, quod antiquitùs „reperietur, & ei præjudicans vitiationem, quod poſteriùs revincitur. In „quantum enim falſum corruptio eſt veri: in tantum neceſſe eſt, ut præcedat veritas falſum. Tertull. l. 4. cont. Marcion.

Juxta hoc demonſtrandi genus parco verbis, & ad antiquiſſimas icones, quæ habitum S. Franciſci referunt, provoco; quales Reliquiarum locò habentur in Eccleſia S. Mariæ Majoris, Baſilica Lateranenſi, in oppido Fighini, in oppido Piſciæ, in urbe S. Miniati, Florentiæ in ſacello Bardorum, in urbe Beneventana; Capuæ in urbe Campaniæ, Teani, in alia urbe Campaniæ, Neapoli, in campo aquoſo, in oppido villæ-francæ, in cœnobio de Jancourt Flandriæ loco; in urbe Idomarenſi, in urbe Bruxellenſi, aliísque compluribus locis, ubi viſuntur Effigies S. Patris ipſiſſimo Capucinorum habitu contecti. Item Florentiæ aſſervatur habitus, quo ipſemet S. Pater uſus eſt: ſimilis Aſsiſſii in Eccleſia S. Franciſci; alius in Eccleſia S. Claræ; talis quoque Piſis. Item habitus B. Petri Catanei Aprulti in Calabria: B. Morici, qui Oropiti aſſervatur. B. Eleutherii in Alvernia: qui omnes hodiernam habitûs formam, cui Capucini aſſueverunt, exhibent. Romæ etiam in Eccleſia S. Marcelli Capucium aſſervatur; cui ſimillimum eſt Capucium B. Ruffini in Eccleſia S. Claræ Aſsiſii cuſtoditum.

Quod S. Antonium Paduanum attinet, hunc habitu pariformi, cum V. Capucio longo, acuminato, & pyramidato uſum fuiſſe præter antiquiſſimas picturas teſtatur quoque Reverendiſſimus in Chriſto Pater Felix à Caſcia, Ordin. Minor. Conventualium Generalis, cujus rei Anno 1628. publicam fidem fecit ſigillo ſuo firmatam; cujus authentici teſtimonii tenor hic eſt:

„Glorioſum D. Antonium Padavinum eamdem habitûs formam geſta-

„re, quam Seraphicus Pater noſter S. Franciſcus deferre conſueverat; licèt „cunctis Religionis noſtræ Seraphicæ hiſtoriarum dogmata profitentibus fa„cilè colluceſcere queat : attamen quia nonnullis, in rebus noſtri Ordinis „non admodùm verſatis claritas hæc in dubium revocari poſſet, nos ratio„nibus, cauſis, honeſtísque fundaminibus adducti veritatem hanc non „imus inficias, & quantum in nobis eſt, ut juxta noſtrum ſenſum clariùs „eluceſcat ; prædictum D. Antonium Ordinis noſtri Minorum, eamdem „habitûs formam, qua idem Seraphicus Pater S. Franciſcus, dum lucis uſu„ra frueretur, utebatur, geſtâſſe credimus : hujusce ſiquidem habitûs for„mam arbitramur ; Capucium acutum, & ad pyramidalem figuram de„ſcendens, tunicæque compaginatum. Æquum enim, & conſonum vi„detur talem filium tanti patris veſtitu conſimili cohoneſtatum fuiſſe, qui „eamdem prorsùs Regulam, & vitæ inſtitutum, uti è fonte manans rivu„lus, admirabiliter obſervavit, laudabiliter transegit. Et eò vel maximè, „quia probatorum Authorum monumentis apparet, ſublato ex humanis, „& ad celſa ſydera evocato Seraphico P. S. Franciſco : habitûs ſui formam „imperturbatam diutina temporis intercapedine perſeverâſſe ; & mutatio„nem, ſeu variationem non ſuſtinuiſſe. Quod inſuper perſpicuum eſt (ſi „vetuſtioribus picturis eſt adhibenda fides) in Eccleſia Patrum Reformato„rum in urbe, qui de obſervantia nuncupantur, apud D. Franciſci trans „Tyberim : quamplurimi enim ibi conſpiciuntur effigiati fratres, præſſer„tâ induti habitûs fotmâ. Iconiorum quoque Baſilicarum S. Joannis in „Laterano, & S. Mariæ Majoris, alibíque teſtimonio comprobatur : quæ„libet enim harum Eccleſiarum in ara majori S. Franciſci, & Antonii Pata„vini continent effigies, muſivo labore contextas ; Capucium acutum, „& tunicæ conjunctum geſtantes, cingulo craſſiori circumdatas, & ſanda„lia in pedibus geſtantes, nominibus propriis, hinc inde latino idiomate „appoſitis. In fidem &c. Romæ apud SS. duodecim Apoſtolos die 8. „Octob. 1628.

(LS.) *F. Felix Generalis Ord. Minor. Conventualium.*

VI. Quamvis hoc teſtimonium ſufficere debuiſſet naſutulo illi in Prædic. Paſſ. allegato cohibendo, quò minùs adversùs Capucinos, qui imaginem S. Antonii habitum Capucinorum geſtantis, cum inſcriptione : *verior habitûs forma* &c. &c. elargiebantur, prorumperet, eósque pœnis à S. Congreg. latis exinde obnoxios ebuccinaret. Attamen aliis fundamentis ſciolus ille [illegible]iora à Capucinis edoctus eſt. Non latebat namque Capucinos decretum SS. D. N. Alexandri VII. novo Indici lib. prohib. Anno 1664. inſertum, quod tale eſt : *Inſcriptiones omnium imaginum S. Antonii de Padua; in quibus dicitur, formam habitûs, in qua depictus eſt, eſſe eamdem, qua ipſe uſus fuerat : vel in quibus aſſeritur, in hoc vel illo Ordine S. Franciſci eſſe veram legitimam, & non interruptam ejusdem S. Patris in filios ſucceſſionem, inhærentes decreto aliàs edito 10. Jun. 1656. prohibentur. Romæ 20. Novemb. 1663.* Sed econtra quoque non ignorabant Capucini, quòd præfatis die, & anno ipſis à Sede Apoſtolica conceſſum fuerit, ut imagines S. Antonii de Padua in eorum habitu pingi, effigiari, & inſcribi poſſint,

verior

verior habitûs forma, quam S. ille geſtavit. In cujus confirmationem à Reverendiſſimo, & Illuſtriſſimo DD. Aloyſio ab Aquino, Protho-Notario Apoſtolico, utriusque ſignaturæ Referendario, ac Judice Ordinario decretum emanatum eſt de die 17. Decemb. 1676. (cujus tenorem in extenſo vide in Bullario Ordinis R. P. Michaëlis Tugienſis Capuc. tom. 1. fol. 117.) quo Capucinis non ſolùm licitum fiebat, ut ſtatuam S. Antonii in eodem habitu ſculptam ubique terrarum (excepto in loco theſauro Neapolitano nuncupato) exponere ; ſed omnes graviſſimis cenſuris innodantur, qui dictos Capucinos vexant, turbant, moleſtant, quando imagines cum inſcriptione : *verior habitûs forma*, notatas exponunt. Latere igitur illum qualemcunque emunctæ naris ardelionem non potuit, aliud eſſe dicere : *formam habitûs ſimpliciter eſſe formam veram*, per quod omnis alia forma excluditur ; id quod in ante citato decreto S. Congreg. prohibetur : & iterùm aliud : *formam habitûs eſſe veriorem*, ſcilicet ad alias comparatam hanc magis ad veram accedere. Si cui ſubtili Scoto ad hanc diſtinctionem urgere alluberet : Comparativum *verior* toto gradu anteſtare poſitivo, *vera*. Si igitur pœnis decreti obnoxius eſt poſitivus ; multò magis id erit comparativus. Sed reſpondetur, Summum Pontificem, & S. Congregationem die 27. Septembris 1659. decidendâ hac ipſiſſimâ theſi occupatam longè aliter de poſitivo, & comparativo ſenſiſſe. Cùm enim ea tempeſtate Effigies S. Antonii in habitu Capucinorum à quodam Chalcographo R. P. Aloyſio de Verona cum his verbis dedicaretur : *Aggradiſca V. P. preſente imagine del ſantiſſimo Antonio di Padoa ſplendore lucidiſſimo della Serafica Religione Franciſcana con la vera forma dell' abito del nuoſtro Serafico S. P. Franceſco, che porto ſempre come ſuo legitimo figlio, vivendo ambe due in un medemo tempo &c.* In Congregat. S. Rit. Ordinaria coram ſanctiſſimo ad relationem Eminentiſſimi D. Cardinalis Rospiglioſi ſua Sanctitas mandavit in imagine S. Antonii de Padua Veronæ impreſſa cum habitu Capucinorum---- Dedicationem reduci ad formam decreti Congregationis indicis ; nempè ubi dicitur : *la vera*, dici : *il più vera forma*. Ergò tum ſanctiſſimo, tum Eminentiſſimis S. Congregat. Patribus verior habitûs forma, minus eſt, quàm vera forma.

VII. Tametſi multa, & propoſito noſtro plura in hoc argumentum diſſeruerimus ; pauca tamen, & non niſi ſuperficialia eorum adduximus, quæ dicenda reſtarent. Ne verò ita perditè in amorem Capucii, & habitûs exarſiſſe videamur, ut totam gloriam noſtram in eo vindicando collocemus ; apertè huic opinioni contradicimus, ſcientes, quòd non in habitu, ſed in virtute ; in ſpiritûs religioſi fervore ſtet ſumma Fratris Minoris : quapropter mallemus de legitimi habitûs, quàm de virtutum, ex quibus Religioſus conſtare debet, inopia redargui. Interim ingenuo S. Franciſci Filio duriſſimum accidere debet, ſi habitus, non quatenùs eſt Capucini, ſed quatenùs eſt ejusdem S. Patris, à quibusdam olim vaticano fulmine percuſſus, in hæreſis, ſchismatis, & apoſtaſiæ ſignum derelictus, abolitus, verisque S. Patris ſectatoribus geſtari prohibitus, fuerat traductus, hodiéque traducitur. Qui hæc talia audent, meminerint, ſe non in Capucinos ; ſed in S. P. Franciſcum

ciſcum contumelioſos eſſe ; & rogamus eos , ut hiſtoriam de fratricellis ; & Conſtitutionem Joannis XXII. attentè, integrè , & fideliter legant ; ex qua mitiùs de habitu noſtro , nunquam excommunicato ; nunquam in ſignum apoſtaſiæ derelicto , nunquam abrogato , ſeu prohibito ; ſed potiùs à Clemente VII. & pluribus ſucceſſivè Pontificibus canonizato , à tota S.R.E. approbato , & deprædicato ſentire diſcent ; & loqui. Interim credant, nos ea, quæ in genuini habitûs commendationem diſputavimus, minimè in aliorum aliter, & aliter inductorum contemptum dicta velimus ; cùm eorum habitûs formas omnes debitè veneremur ; econtra trementes, ac timentes in noſtra gloriemur, memores, quòd non in ſolo rerum corporearum nitore,atque pompa ; ſed etiam in ſordibus , in vilitate veſtium eſſe poſſit jactantia, eò periculoſior , quòd ſub nomine ſervitutis Dei decipiat , ut ait S. Auguſt. Lib. de Serm. Domini. Quid enim Pellanea tunica , quid hiſpidus S. Franciſci habitus , ſi vita, ſi mores habitui diſſentiant ? Tunc enim verò per ludibrium monſtraremur digito : Simia in purpura ; ſeu profanus in ſacris; meritóque in nos torqueretur illud Herodis Attici : *video barbam , & pallium, Philoſophum non video.* quod in eos quadrare dicitur qui univerſam vitæ ſanctimoniam juſtitiam ſuam , & gloriam non in animo, neque in moribus ; ſed in ſolo externo habitûs cultu conſtituunt. Horum uti nos probè memores ſumus, ita & alios huc attentos exoptamus, quo fieret , ut miſſis de habitu altercationibus, & ſcandalis inter ſæculares inde naſci ſolitis quisque in ſuo veſtitu pacificè permittatur.

§. II.

Capucini ſunt legitimi S. P. Franciſci Filii.

1. Licèt talis quis eſſe præſumatur , in quali habitu reperitur. *L. item* apud Labeonem. §. ſi quis Virgines. ff. de Injuriis. Ita, ut ſicut Capucinus legitimo S. Franciſci habitu utitur ; ita etiam pro legitimo ejusdem S. Patris habeatur filio. Verùm Æmuli noſtri eidem inſiſtentes regulæ pariter arguunt, atque ſubſumunt : Sed Capucini illegitimo utuntur habitu : ergò & pro illegitimis habendi ſunt. Nos tamen Argumentis §. priori adductis freti ad demonſtrandos legitimos natales noſtros procedimus ; quò nos trahunt Propoſitiones illæ non minùs ſcandaloſæ, quàm nobis contumelioſæ in Prædicam. Paſſionis nuper allegatæ , & olim publico ſcripto in vulgus ſparſæ ; quas in gratiam authoris ne nominare quidem volumus , ne Cretenſes cum Æginéta agere videamur. Illæ autem Propoſitiones non in omnibus libri aliàs juſti , & debitis approbationibus muniti exemplaribus ; ſed tantùm in aliquibus reperiebantur ; quæ quidem exemplaria erubeſcendis contra Capucinos , haud quidem nominatos , ſarcaſmis, & impoſitionibus infamia; ideóque Cenſuræ per doloſam induſtriam ſubtracta hinc inde liberrimè Magnatibus, Prælatis, & Benefactoribus (quo fine, pronumerat conjicere) diſtribuebantur. Horum aliqua ab amicis Capucinos

cinos miſeratis in Provinciam hanc Suevo-adhuc Helveticam communicata ſunt. Patres noſtri licèt juſtiſſimè commoti, in quantum præfata Exemplaria injurias, atque vituperia complectebantur, patienter diſſimulanda: quatenùs tamen in vilipenſionem Authoritatis Pontificiæ, in Religionis ignominiam, & in publicum ſcandalum vergebant ad altius Tribunal ſignificanda arbitrati unum tale falſificatum, & mala fide in vulgus protruſum exemplar Celſiſſimo, & Reverendiſſimo DD. Federico Borromæo ad Epiſcopatus Conſtantienſem, Curienſem, Baſileenſem &c. Nuntio Apoſtolico Lucernam ſubmiſerunt. Hic rei indignitate commotus librum, quòd hic expreſſè Apoſtolicis Conſtitutionibus contraveniret, & enormia generaret ſcandala, ſolenni, & acerbiſſimo Decreto confixit; Authorem, & legentes anathemati ſubjecit, opúsque aboleri præcepit de dato Lucernæ 25. Junii 1655. Perculit hoc fulmen Authorem, qui ad innocuum, & legitimum ſuum librum provocans Sereniſſimam Auſtriæ Archi-Duciſſam Æniponti in ſui defenſionem, & patrocinium nactus ab hac obtinuit, uti per Secretarium ſuum Pellegrinum de die 30. Auguſt. 1655. quæruloſam pro Authore Apologiam Celſiſſimo D. Nuntio direxerit, innuens illum quatenùs priùs condemnatum, quàm auditum, adeóque præter jus, & fas gravatum interceſſorias à ſe petiiſſe, eſſéque paratum innocentiam ſuam coram comprobare &c. ideòque eatenùs ſe rogare, ut audiatur.

Sed & ipſe Author ad eumdem D. Nuntium excuſatorias dedit, quem cùm ſciret exemplar ſpurium habuiſſe, dicta inibi per hoc ſolum exculpare niſus eſt; quòd Capucinos nullibi nominet, nec intelligat; utpote qui habitus, & Inſtituti ſui approbationem à ſede Apoſtolica habeant: conſequenter cùm neque in Capucinos contumelioſus; neque Conſtitutionibus Apoſtolicis refractarius extiterit, ſuſpenſionis relaxationem petiit, & flagitavit. Verùm Celſiſſimus D. Nuntius ſibi à viro adeò bilingui, amphidextro, & doli manifeſtè comperto imponi minimè paſſus jejunas ejus excuſatorias, & proteſtatorias facto contrarias projecit irreſponſas, precibúsque refutatis librum, quà calumnioſum, & clandeſtinis pagellis auctum ſuſpenſioni ſubjacere voluit. Econtra Sereniſſimæ Archi-Duciſſæ reſpondit, & ei non tantùm exemplarium diverſitatem; atque adeò vafrum ſcriptoris animum detexit: ſed &, quæ in ſuppoſititiis ſcandaloſa, detractoria, & Capucinis ignominioſa continebantur, per formalia inſinuavit. Quo Author & ulteriori patrocinio, & æſtimatione aliunde comparata excidit. Hæc nempè mala fide agentium lucra. Fraus nemini patrocinatur. Hanc rei geſtæ ſeriem junioribus noſtris ſubtrahere non potuimus, ut dato ſimili caſu ſciant, ubi ſilendum, ubi non.

II. Sed ante hunc quondam Capucinis illegitimi natales objiciebantur, & illi ex ipſis brevibus Apoſtolicis, quibus ceu veri S. P. Franciſci filii aſſerti, atque deprædicati ſunt, ex numero, & hæreditate filiorum dicti S. Patris eliminandi, atque excludendi fuerant. Poſtquam enim SS. D. N. Paulus V. Bullam ſuam de die 15. Octob. 1608. emanâſſet, quæ ita habet: „Eccleſiæ militantis Regimini, auctore Domino, nullo meritorum ſuffra-

„ gio præſidentes, ex injuncto nobis officii debito providere tenemur, ut „ qui ſub B. Franciſci vexillis, qui inter ſtrenuos Chriſti Duces gloriæ „ ſplendore coruſcat, in hujus vitæ militia ſub ſtrictioris ejusdem B. Franciſ- „ ci Regula diſciplinæ, altiſſimo obſequium præſtant, & per corporis ca- „ ſtigationem, per divitiarum contemptum, ſuíque ipſius abnegationem, „ jejuniis, orationibus, ſacris prædicationibus, aliisque religioſis operibus „ vacantes, verbo, & exemplo veros ſe ſe beati Franciſci imitatores, & „ germina oſtendunt, tales ab omnibus absque ulla controverſia habeantur. „ Cùm itaque, ſicut accepimus, à nonnullis revocetur in dubium, an fra- „ tres Ordinis ejusdem S. Franciſci Capucini nuncupati, ſint verè fratres „ minores ? Et etiam, quoniam Regulam S. Franciſci profitentur, filii „ S. Franciſci, cùm tempore S. Franciſci inſtituti non fuerint ? paritér- „ que, an eorum Conſtitutiones aliquid habeant, quod Regulæ S. Fran- „ ciſci repugnet ? nos dubia hujusmodi, Apoſtolicæ declarationis oracu- „ lo decidere cupientes, cum venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. „ Cardinalium Concilii Tridentini interpretum conſilio, maturâ delibera- „ tione habita, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, auctoritate „ Apoſtolica declaramus, fratres Capucinos eſſe verè fratres minores, „ ac etiam (quamvis tempore S. Franciſci minimè inſtituti fuerint ; cùm „ tamen ejus Regulam profiteantur, atque eorum inſtituta congruant „ tam Regulæ ſtatutis, quàm ejusdem Regulæ declarationibus &c. &c.) „ filios S. Franciſci &c. &c.

Continuò aliqui ſubinſertæ parentheſis, *quamvis tempore S. Franciſci minimè fuerint inſtituti*, prætextu, & clypeo inſurrexerunt, plenísque buccinis, & publico ſcripto, temerarii Pontificis interpretes, divulgaverunt : „ Capucinorum Ordo non eſt Ordo Minorum S. Franciſci, niſi „ ex declaratione Pauli V. ſummi Pontificis &c. ut legi poteſt in ejus Bul- „ la : in qua idem ſummus Pontifex proteſtatur, in dubium extitiſſe, an „ prædicti fratres ſint verè Fratres Minores ? unde decernit : Quamvis „ tempore S. Franciſci inſtituti non fuerint. „

III. Sed quis hos conſtituit Judices verborum ſummi Pontificis ? præter uſurpatæ interpretationis temeritatem illis objicitur propudioſa ignoratio eorum, quæ interpretari volentibus attendenda ſunt. Interpretatio fieri debet, non ad litteram, ſed ad mentem. Et hoc uti in omnibus negotiis humanis ; ita & in Reſcriptis, & Privilegiis maximè, de ipſorum genuino eruendo ſenſu, ubi ad venandam principis intentionem, eò recurrendum eſt, & potiùs ſtandum menti, quàm nudis Reſcripti verbis, non enim intentio verbis, ſed verba intentioni ſerviunt, uti inſtruit Willhelm. Anton. de Freudenb. de Reſcript. Morator. tit. 9. concluſ. 66. n. 125.

Atqui veroſimillimum eſt, prædictorum verborum interpretationem toto cælo à mente, & voluntate Pontificis recedere ; cùm per ea nil aliud ſignificare voluerit, quàm, quòd Capucinorum Congregatio (quatenùs Religionis corpus eſt à Conventualium, & obſervantium corporibus diſtinctum) tempore S. Franciſci inſtituta non fuerit. Sed rationibus aliquantulùm dimicemus : vel ſucceſſio Ordinis, veráque ad D. Franciſ-

cum

cum Filiatio à tempore, vel à propagata Regulæ obſervantia cenſenda eſt ? ſi primum : ergò omnis legitima non ſolùm Ordinis, ſed etiam Eccleſiæ ſucceſſio ſublata eſt. Unde enim veros Sacerdotes, veros Epiſcopos, verósque Pontifices Eccleſia haberet, ſi eorum ſucceſſio à tempore Chriſti in carne, & mundo verſantis, & inſtituentis judicanda eſt ? Imò ſi ratio temporis veram ſucceſſionem præſcriberet, ipſimet, qui ſe modò ſolos, ac legitimos S. Franciſci filios eſſe gloriantur, ſuâmet ſententia ſe illegitimos, à vera ſucceſſione extorres, ſpuriósque condemnarent ; utpote qui tempore S. Franciſci inſtituti non fuerunt, ſed compluribus poſt ſanctum Patrem annis è PP. Conventualium familia prodierunt. Ergò dicendum eſt ſecundum : nempè quòd legitima ſucceſſio cenſenda ſit à propagata Regulæ obſervantia. Si autem hoc ; quid obſtat, quò minùs Capucini ſint, dicantur, & habeantur veri S. Patris filii, licèt eorum Congregatio ſub hodierna denominatione, & Hierarchia tempore D. Franciſci necdum inſtituta fuerit ? Certè, cùm perſpicuum ſit, quòd Patres de obſervantia tempore S. Patris necdum extiterint, non videmus, qua veritate Leo X. P. M. in Bulla : *Ite & vos.* & in poſteriori Conſtitutione : *Licèt aliàs* &c. Patres obſervantes ceu veros, & legitimos S. Franciſci filios, ſine ulla interruptione, ſeu diviſione à tempore editæ Regulæ ab eodem deſcendentes declaraverit, & commendaverit, niſi ſapientiſſimus, & æquiſſimus Pontifex veram deſcendentiam, & propagationem à S. Patre ex obſervantia Regulæ arbitratus eſſet, uti verba dictarum Bullarum clarè indicant ; quo nomine, regularis nimirùm obſervantiæ altefatus Pontifex Primatum Ordinis à PP. Conventualibus tempore licèt anterioribus in PP. Obſervantes illis tempore poſteriores tranſtulit.

Ideóque iterùm ſic : vel potuit Leo X. Patres Obſervantes Conventualibus poſteriores, & à temporibus S. Franciſci remotiores ; quin & Patres Reformatos ipſis Capucinis poſteriores declarare, atque deprædicare legitimos S. Patris filios nunquam interrupta propagine ab eodem deſcendentes ; vel non potuit ? ſi non potuit, ergò cum Capucinis etiam obſervantes, & vel maximè Reformati à ſucceſſione legitima excludendi ſunt, & excluſi manent. *De ſimilibus enim ſemper idem eſt judicium.* C. inter cætera. de Reſcript. & L. non poſſunt. ff. de Legib. ſi negant adverſarii ſimilitudinem cum Capucinis ; nos eam adſtruimus cum Jaſon. in L. Creditori ff. de oper. nov. nuntiat. ſtatuentis : *ſimile, ut dicatur, ſufficit eſſe ſimile in eo caſu, de quo agitur.* Si autem potuit Leo X. etiam idipſum potuit Paulus V. qui & ipſe Capucinos declaravit veros S. Franciſci filios ; quod ante ipſum jam præſtiterunt Clemens VII. & Paulus III. SS. PP. ſi reſpondeant, ſibi nunquam in animum veniſſe de poteſtate Principis, ſeu Pontificis diſputare ; ſive de potentia ſua in his quæ ſpectant ad ſuam Jurisdictionem contra L. diſputare. C. de crim. ſacrileg. licet tamen diſputare de Principis ſcientia per l. 3. in fin. ff. de ſuppell. leg. ſimiliter & de voluntate. L. ex facto. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit. Princeps enim, & Pontifex non præſumitur velle quid ſtatuere contra jus, & in damnum tertii : & ſiquidem aliquid conceſſerit, ibi præſumitur importunitate obſtre-

ſtrepentium imperitorum circumventum eſſe, juxta L. 1. C. de petit. bonor. ſublat. & C. cùm in juventute. de purgat. Canon. item C. ſi quando. §. fin. de Reſcript. Et hinc quotidie videmus, contra Reſcripta Principum opponi de ſubreptione, & obreptione; quia in eis ſemper debet ſubintelligi: ſi preces veritate nitantur. C. ſuper litteras. de Reſcript. & L. 2. per tot. tit. C. ſi contra jus, & utilit. publ. prout Author Propoſitionum in Prædic. Paſſ. allegatarum Conſtitutionem, ſeu Bullam Clementis VII. à P. Matthæi à Baſcio importunitate circumventi de ſub- & obreptione non obſcurè ſuſpectam habere, & papam de nimia credulitate arguere videtur. At quidquid ſit de Principum ſæcularium, & aliorum Pontifice inferiorum voluntate, & ſcientia &c. negatur omninò competere Religioſis, ſingulari regulæ præcepto ad penitiſſimam ſubmiſſionem erga ſedem Apoſtolicam adſtrictis vel minimum jus, & authoritatem de Papæ ſcientia, cùm habeat jura in ſcrinio pectoris. c. 1. de Conſtitut. vel ejus voluntate, & conceſſionibus, quæ juſtæ præſumuntur, & absque nullius præjudicio. Anaſtas. German. tract. de Indult. Cardin. §. alioquin. num. 32. diſputandi, dubitandi, aut judicandi, multo minùs eum de admiſſa ſub- vel obreptione, præſertim in approbatione alicujus Ordinis religioſi, quæ ad ipſum ſolum ſpectat. c. Religionum. de Religioſ. Domib. in 6. arguendi, quod ſpecialiter prohibitum eſt per C. ſi Papa. diſt. 40. Ad ſuperabundantem horum ſecuritatem non otiosè Paulus V. in ſua Bulla ſupra citata dicit: *cum venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium Concilii Trident. Interpretum conſilio, &c.*

IV. Per quæ verba ad aliud probationis argumentum tranſimus. Cùm enim Patres SS. Concilii ſingularem curam habentes circa obſervantiam regularum, & votorum eſſentialium omnibus utriusque ſexûs Religioſis communium; maximè ea, quæ paupertatem ſpectant, ad tranquillandas conſcientias decidere volentes ſequens Decretum edidiſſent: *Concedit S. Synodus omnibus Monaſteriis, & Domibus tam virorum, quàm mulierum, & mendicantium, exceptis FRATRIBUS Fratrum S. Franc. Capucinorum, & eorum, qui de obſervantia vocantur; etiam quibus ex Conſtitutionibus ſuis erat prohibitum, aut ex privilegio Apoſtolico non erat conceſſum, ut deinceps bona immobilia eis poſſidere liceat. Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 3.* Patres Concilii ſanè hoc Decreto Religionem Capucinorum velut approbatam, & legitimam recognoſcere voluerunt. Patet etiam exinde, in quali exiſtimatione fuerit apud Sac. Concilium reformata Capucinorum religio; etenim S. Concilii Patres ſciebant, D. Franciſci religionem in altiſſima paupertate fundatam bonis omnibus terrenis ita renuntiâſſe, ut ipſius regulam in tota puritate voventibus prohibitum ſit aliquid ſuper terram poſſidere. Ideò dicti SS. Patres inter exceptos à communi ſanctione circa poſſeſſionem bonorum immobilium Capucinis locum primum dantes illos laudabili diſtinctione inter veros S. Franciſci Filios, illiúsque regulæ obſervatores computaverunt. Ad horum confirmationem facit, quòd Capucini in illo S. Concilio admiſſi fuerint; quòd non fuiſſent, ſi illorum Religio approbata non extitiſſet. Interfuit autem S. Concilio Reverendiſſimus P. Thomas Tiphernas Civitatis

de

de Caſtello in Umbria dictorum Capucinorum Generalis, vir utique ſanctimonia vitæ, morum gravitate, ſapientia, & maturo conſilio ſpectatiſſimus; qui cùm de bonis immobilibus omnibus religioſorum Ordinibus concedendis inter Patres deliberari intellexiſſet, ſpiritu, & amore paupertatis excitatus in pleno Patrum conceſſu ſurrexit, & quorumcunque tam mobilium, quàm immobilium bonorum poſſeſſioni apertiſſimè renuntiavit, provocans ad S. Franciſci regulam; ſecundùm quam, utpote omnem bonorum poſſeſſionem excludentem, ſe cum toto Ordine ſuo vivere velle publica proteſtatione declaravit.

Idem P. Thomas, antequam ad Concilium accederet, prudentiſſimo Conſilio verum S. P. Franciſci habitum Florentiæ apud Hetruriæ Duces religioſè ſervatum delineari fecit, & monogrammam figuram publica Tabellionis fide munitam ſecum ad Concilium detulit; & peropportunè. Nam à S. Concilii Patribus rationem habitûs Capucinorum poſtulatus, eisdem allatam veri habitûs S. Patris figuram objiciens inde Capucinos & vitæ, & habitûs formam accepiſſe graviſſima oratione comprobavit: atque hoc pacto iis, qui ex adverſo pugnabant, ſilentium impoſitum fuit. Geſta ſunt hæc anno 1562.

Sed longè ante, nimirùm Anno 1545. in principio Concilii Tridentini aderat pro parte Reverendiſſimi P. Franciſci Æſini Miniſtri Generalis Reverendiſſimus P. Bernardinus Aſtenſis, qui ſanctitate morum, & doctrinæ præſtantiâ maximum ſibi apud Concilii Patres nomen, & authoritatem comparaverat. In eo Concilio inter duos Conventualium, & Obſervantium Generales pluribus diſceptatum fuit, cuinam eorum univerſi Ordinis ſigillum deberetur. Generalis obſervantium Miniſter Leonis X. ſummi Pontificis Bulla, & authoritate ſe cum Ordinis Primatu, ipſius quoque ſigillum aſſecutum fuiſſe aſſerebat: quod cùm legitima poſſeſſione teneret, ab ea ſe minimè deturbandum eſſe contendebat. At contra Minorum Conventualium Generali acriter reluctante. Tandem poſt multas hinc inde altercationes Patrum Conventualium Generalis in Concilio ſurgens in hæc verba perorat: *Ampliſſimi Patres; ſi de Ordinis antiquitate agitur, res nemini dubia eſt, Ordinis ſigillum nobis deberi, qui antiquitate obſervantium familiam præcellimus, atque iis in Ordine priores ſumus. Si verò ex Regulæ obſervantia res examinanda, ac terminanda ſit; profectò neque nobis, neque obſervantium Ordini ſigillum ullo jure tribuendum eſt; ſed Capucinorum Religioni debetur, in qua Regulæ obſervantia viget.* Hujus Magiſtri Generalis dictum cùm univerſis Concilii Patribus placuiſſet; jam in Concilio de Ordinis ſigillo Capucinorum Congregationi dando agebatur: quod cùm P. Bernardino Aſtenſi à Concilii Patribus ſignificatum eſſet; maluit is Capucinorum Religionem humilitate potiùs, quàm ſigillorum pompâ præcedere. Quare conſtanter oblati ſigilli honorem recuſat, ea duntaxat laude contentus, quòd Capucinorum Congregationem velut legitimum B. P. Franciſci fætum, ac S. R. E. filiam à patribus agnoſci, ac ſacris Concilii Canonibus inſeri, atque confirmari conſpexerit. Ex his facilè quilibet elicere poteſt, ſucceſſionem Ordinis, verámque S. P. Franciſci ſobolem nec à Summis Pontificibus, nec à Concilio Oecumeni- V.

co, nec ab Eminentiſſimis DD. Cardinalibus deſumi à prioritate temporis ; ſed à vigore obſervantiæ. Cùm ergò hic apud Capucinos Pontificum, & Concilii teſtimonio reperiatur ; hísque ſuffragetur confeſſio R. P. Franciſci Gonzagæ obſervantis. lib. de orig. Relig. Franciſcanæ, tit. de orig. Fratrum Capucinorum, qui illud inter ſuos Obſervantes, & Capucinos diſcrimen agnoſcit : quòd illi Regulam juxta Pontificis Declarationes : Capucini verò juxta litteram obſervent, nullásque præter Nicolai III. & Clementis V. SS. PP. Declarationes admittant : mirabile profectò videri debet, quòd Capucini adhuc de filiatione S. P. Franciſci, & propagatione ſpirituali excludantur. Sed excluduntur tamen.

VI. Quapropter SS. D. N. Urbanus VIII. P. M. ſanct. mem. hujusmodi dicteriis, & vexationibus parùm religioſis finem, & repagulum poſiturus inſiſtens tenori ſupra citatæ Pauli V. Bullæ hanc confirmavit, & explicavit per novam Bullam, quæ incipit : *Salvatoris, & Domini noſtri &c.* ita decrevit poſt alia : „ Cùm autem ſicut dilectus filius Franciſcus Genuenſis eo„ rumdem fratrum Capucinorum Procurator Generalis, nobis nuper ex„ poni fecit, prætextu illorum verborum, videlicet : quamquam tem„ pore B. Franciſci inſtituti non fuerint, à nonnullis in dubium revoce„ tur, an iidem fratres Capucini ex vera, & nunquam intermiſſa linea „ S. Franciſci originem trahant : Nos æquum, & rationi conſonum fore „ cenſentes, ut qui verbo, & exemplo veros ſe ſe beati Franciſci imitato„ res oſtendunt, tales ab omnibus absque ulla controverſia habeantur ; „ attentiúsque conſiderantes, eorumdem fratrum Capucinorum origi„ nem, ſeu principium illorum eſſe realiter, & cum effectu computan„ dum à tempore primævæ, & originalis inſtitutionis Regulæ Seraphicæ, „ cujus obſervantiam ipſi fratres Capucini ſemper ſine aliqua interruptione „ continuârunt ; eorumdem fratrum Capucinorum quieti, quantum no„ bis ex alto conceditur, conſulere - - - - - - &c. volentes, ſupplica„ tionibus dicti Franciſci Procuratoris Generalis totius Ordinis eorumdem „ fratrum Capucinorum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis, in„ clinati ; re priùs per venerabiles fratres noſtræ S. R. E. Cardinales nego„ tiis Regularium præpoſitos maturè diſcuſſa, de eorumdem Cardinalium „ conſilio, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, fratres Capucinos „ præfatos fuiſſe, & eſſe ex vera, & nunquam interrupta lineâ, ac veros, „ & indubitatos fratres Ordinis S. Franciſci, & illius Regulæ obſervatores, „ ſúbque ipſius beati Franciſci Regula militâſſe, & ad præſens quoque mi„ litare ; sícque ab omnibus, & ſingulis cenſeri, ac reputari, & judicari debere, „ irritúmque, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcien„ ter, vel ignoranter contigerit attentari, Apoſtolica Auctoritate tenore præ„ ſentium decernimus, & declaramus. Quo circa &c. &c. Datum Romæ a„ pud S. Mariam Majorem ſub annulo piſcatoris die 28. Jun. 1627. &c. &c. „

Et cùm neque hæc Conſtitutio Capucinis pacem attuliſſet, quin poſt eam ſemper, ac ſemper uſque ad noſtram ætatem hujusmodi criminationes frequentatæ fuerint, & frequententur ; ideò SS. D. N. Clemens XII. Pont. Max. beatæ record. ſub dato 14. Maji 1735. Bullæ Pauli V. & Urbani VIII. de verbo ad verbum confirmatæ, roboratæ, earúmque obſervantia ſub graviſſimis cenſuris inculcata fuit.

§. III.

§. III.

Ampliùs ſtabilitur perfecta Capucinorum ad S. P. Franciſcum filiatio, & ab eo deſcendentia.

SUpradictis omnibus nec minimùm attentis dantur adhuc alii, qui ad Congregationem Capucinorum omni pudore ſuffundendum, ei illegitimæ geneſis maculam alliniendam, illámque à vera Ordinis ſucceſſione excludendam ejusdem authorem conſtituunt Bernardinum Ochinum Senenſem, Capucinorum Generalem, & notorium à Religione, & Eccleſia ad hæreticos transfugam, horúmque deinceps inſignem coryphæum. Quòd P. Bernardinus talis fuerit, dolentes fatemur: quòd ad preces, & ſuſpiria totius Religionis agnito, & ejurato hæreſis errore pœnitens obierit; imò ab hæreticis pro fide Catholica occiſus fuerit, ſuppetunt luculenta hujus rei teſtimonia; quòd autem auctor Capucinorum extiterit, apertiſſimè negamus: nec tamen abſtergenda hac calumnia multum occupamur, hanc provinciam extraneis, majorem ideò fidem habituris relinquentes. Florimundus Remondus de origine hæreſ. lib. 3. cap. 5. fol. mihi 352. iis, qui Bernardinum Capucinorum conſtituunt auctorem, reſpondet: falluntur. Capucinorum, qui ſunt Religioſi, ſeu Monachi ſecundùm primam S. Patris Franciſci inſtitutionem reformati, Congregatio initium cæpit Anno 1525. Ochinus verò demùm Anno 1534. eum Ordinem eſt ingreſſus, & octennium in eo commoratus Anno 1542. eumdem reliquit. Citat deinde Florimundus Moris. Hiſt. Relig. c. 13. & libellum italicè de initio fratrum Capucinorum à R. P. Mario de Mercato conſcriptum. Similia teſtatur Beſoldus in theſauro pract. litt. C. n. 15. quòd nempè capucium oblongum ſit ejusdem rationis, & formæ, cujus fuit illud, quod S. P. Franciſcus, ſociíque ejus geſtârunt &c. Item Servin. tom. 1. des Plaidoyéz fol. mihi 163. & ſeqq. I.

Si quis verò nos urgeat, ut Congregationis noſtræ authorem aſſignemus: hunc ad Bullas Pontificum remittimus, ut in iis legat Fundatorem noſtrum. Atqui Bullæ, inſtat, nullum indigitant, & nec Matthæi à Baſcio; nec Ludovici Foroſemproniani; nec Bernardini Ochini; neque alterius Reformatoris mentionem faciunt. Reſpondemus: hoc ipſum eſſe, quo gloriamur; cùm cæleſti, ſine dubio, acciderit conſilio, ut Pontifices in ſuis litteris Congregationis noſtræ approbatoriis, ſeu confirmatoriis nullum ſpecificè denominent, cui hæc tribuatur Reformatio. Cur verò id? ideò, quia neque nova Religio, neque nova Ordinis forma ſimul cum Capucinorum inſtitutione in Eccleſia cæpit: ſed antiquus duntaxat minorum Ordo, olim à B. Franciſco inſtitutus, novam tantummodò ex Regularis obſervantiæ reſtitutione formam adeptus fuit: quid alio inter homines inſtitutore, aut parente opus eſt, à quo novi hujus ſeminis propagatio fiat? an non unus omnium Franciſcus tam prioribus, quàm poſterioribus filiis ad propagationem ſatis eſſe cenſebitur?

Quòd autem B. Franciſcum velut immediatum, & genuinum Patrem, ac fundatorem ſuum Capucini agnoſcere, eóque gloriari poſſint, facit proximior Capucinorum cum S. Franciſco ſimilitudo. Quòd verò filia- II.

tio probetur ex ſimilitudine extrinſecâ Patris,& Filii, tuetur Tiraquell. ad l. 7. connubial. gl. 1. p. 7. n. 51. & ſeq. Mohed. deciſ. 1. & 2. qui fil. ſint. legit. ubi inquit,hoc argumentum naturæ eſſe fortiſſimum, & in irrationabilibus admitti probationem ex ſimilitudine. Menoch. præſumpſit. 53. cum hac libro 6. n. 45. &c. Tametſi autem hæc de generatione naturali intelligenda ſint; perſpicuum tamen eſt, quòd aptiſſimè per analogiam etiam ſpirituali quadrent, & fortè magis, quàm naturali; cùm ipſe Salvator noſter non eos ceu veros Abrahæ filios approbet, qui per carnalem geneſin ab Abraham deſcendunt; ſed eos potius, qui per opera Patri ſuo aſſimilantur. Jam verò quòd Capucini habitu, vita, indole, & cunctis morum lineamentis S. P. Franciſcum referant, inprimis fatetur R. P. Compaſſonius, dicens: *Si exterioris hominis ſpectemus indumentum, à planta pedis usque ad verticem Capitis Capucinos S. Franciſco conformes reperimus.* Tunc & id ipſum confirmant quorumdum fratrum de obſervantia ſanctimonia vitæ, & Prophetiæ dono illuſtrium vaticinia. Sic enim Bernardinus Feltrius in corona fratrum de ſtatu religionis diſſerens, linguam in has voces explicavit: ſunt de hîc ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant B. Franciſcum in Ordine reſurgentem. Qui verba hæc audierunt, & trigeſimo primo poſt ejus mortem Anno Capucinos viderunt, certè in his & præſagii veritatem, & S. Patrem reſurgentem agnoverunt. Sic & F. Auguſtinus Fulginas ſpectatæ ſanctitatis Laicus ad quemdam Tertiarium, à mentis raptu recenter ſolutus palam edixit: poſt breve tempus B. Patrem noſtrum Franciſcum iterùm reſurgentem, iterúmque redivivum cernes: & hunc, quem vides, minorum Ordinem, perfectè ſecundum S. Franciſci vitam, ac Spiritum reſtitutum perſpicies. Sed & P. Franciſcus Politianus, quem Rudolphus Toſſin. Hiſtor. Seraph. Relig. Lib. 2. fol. 154. inter ſanctos, virtutibus, miraculis, ſpiritúque prophetico præſtantes Conventuales collocat, dum aliquando in urbis Aſſiſii platea verba ad confluentem populum faceret, captata digreſſione ſic effatus eſt: Audi Civitas mea! audi Urbs, magna Patris mei Franciſci natalis: mira, ſed vera refero; jam non multum temporis dilabetur, cùm novum, ac reſurgentem, B. Franciſcum oculis tuis perſpicies: reſurgentem, non corpore, ſed habitu, & ſpiritu. Tum ad pueros quosdam converſus: Vos, inquit, o pueri; vos B. Franciſcum redivivum videbitis; jam enim propè eſt in januis. Quod certo deinde teſtimonio probatum fuit: ex his enim, qui B. Franciſci Politani ſermoni eo tempore præſentes aderant, cùm ſenex quidam poſt exortam Reformationem, ad Capucinorum Monaſterium, haud procul Aſſiſſio diſtans acceſſiſſet; præfata B. Patris illius verba fratribus referens, tanta in eis intuendis lætitia afficiebatur, ut lacrymarum imbribus largiter perfuſus ſæpè in hæc verba erumperet: Satis eſt, ò bone Jeſu! ſatis eſt: jam ſanctum Franciſcum redivivum, atque ad nos revocatum cerno.

III. Complura hujusmodi brevitatis gratiâ transmittimus, neque immoramur adducendis aliis Capucinorum cum S. P. Franciſco ſimilitudinis fundamentis; qualia E. g. ſtatui poſſent ſimplicitas Pſalmodiæ, ædificiorum, præſertim parvitas Eccleſiarum, acerbitas criminationum, & perſecu-

ſecutionum, & patiens harum tolerantia; ut ſanè nonnemo magni nominis, & ſæcularis dignitatis vir in hac Provincia noſtra id Capucinis teſtimonium dederit: Sæpiùs, inquiens, mecum ipſo admiratus ſum, quòd alii frequenter ad me ventitantes toties quoties linguam ſuam ſeu detractoriè maledicam, ſeu irriſoriè ſcomaticam in Capucinos laxaverint; econtra Capucini pariter ſæpè mihi præſentes, licèt talium gnari nec ullo unquam verbulo acerbiori illos repercuſſerint, aut provocati quidquam contra eos, quod charitatem offendere poſſet, regeſſerint. Igitur majorem in Capucinos, tanquam veros S. Franciſci filios æſtimationem concepi, &c. Arcanam hanc occupandæ æſtimationis, & venandæ Benefactorum affectionis artem iisdem optimis viris pariter precamur; qui noſſe deberent, quòd laceranda aliorum famâ ſuam non augeant, & miſera gloria ſit, quæ ex ſtructa alterius infamiâ paratur. Quòd olim aliquis, Congregationem Capucinorum extirpandam dixerit, cùm intra centum ſuæ Religionis annos nullum canonizatum ſanctum oſtentare potuerit; id profectò præter maledici mentem Capucinos ad propinquiorem S. P. Franciſci ſimilitudinem evehit. Enimverò P. Bernardinus Aſtenſis vir ille à S. Concilii Trident. Patribus ob ejus ſanctam vitæ converſationem, & prudentiæ ſingularitatem ſumo honore habitus, Ordinis Capucinorum Generalis, in hæc aliquando verba perorare auditus eſt: Se tot ſanctos viros in Congregatione agnoviſſe, quorum niſi ſanctimoniam Capucinorum religio, piâ diligentia, ſub humilitatis modio potiùs occultare, quàm palàm exponere ſtuduiſſet; ii ſanè plurimis apud populos miraculis coruſcarent. Verum tamen ſingularis hæc Dei providentia eſt: ne religio, quam Deus humilitate potiùs, quàm rerum ſplendore, ac magnificentiâ vult creſcere; tot ſanctorum, quos peperit, gloriâ plus æquo extolleretur; atque in ſuamet luce caligaret. Hac enim de cauſa & B. P. Franciſcus, B. Petrum à Cataneo, miraculis poſt mortem emicantem, obedientiæ imperio compeſcuit, ne eo miraculorum fulgore religionis humilitatem in diſcrimen adduceret. Denique cùm D. T. O. M. religionem diurnam eſſe velit, etiam potiùs propriis, ac veris apud ſe virtutibus florere, quàm alieno miraculorum aut ſanctorum ſplendore clareſcere curat. Hinc plerosque in ipſo Reformationis exordio viros inſigniter ſanctos extitiſſe conſtat. quorum virtutes, ac præclaram vitæ Sanctimoniam Capucinorum religio, hoc divinæ ſapientiæ ſpiritu imbuta, ac S. P. Franciſci haud inepta æmulatione ducta, potiùs humilitate obtegere, quàm vanæ exiſtimationis ſtudio eventilare ſtuduit.

IV. Sed præterquam ille ordinis noſtri Ariſtarchus, quoad linguam ſuam charitate vacuam, & felle in alios evomito plenam non correxerit, ſanctorum ordinis ſui ſyllabum ſeipſo non auctaturus eſt, ſcire eum oportet, quòd Capucini omnium ſanctorum B. Franciſci Filiorum ſocietate, & communitate; imò & fraternitate gaudeant. Nam ſummi Pontifices ante oculos habentes, Patres Capucinos dignè computari inter veros D. Franciſci filios, ipſis communicaverunt omnes ſanctorum cultus, qui uſque nunc tribus S. Franciſci Ordinibus conceſſi ſunt;

omnésque plenarias indulgentias, primo, & ſecundo ordini conceſſas. Vide ſis Bullas Pontificum deſuper emanatas, in Ordinis Bullario R. P. Michaëlis Tugienſis. &c. Imò latiùs porrigitur hæc Capucinorum cum omnium religionum ſanctis communicatio; ut qui cùm R. P. Cornelio à lapide Commentar. in 1. ad Cor. 1. v. 13. præclarè diſſerente ſentiunt: Verus Religioſus cum S. Bernardo in apolog. dicet: *unum Ordinem opere teneo, cæteros charitate.* Franciſcanus ſum ordine, ſed charitate Dominicanus, Auguſtinianus, Benedictinus. &c. itaque omnium Ordinum, & Religionum Religioſus ſum; unius opere, reliquorum charitate. Quare omnium ordinum bonis lætor; omnium proſpero ſucceſſu gaudeo, nulli invideo, omnes enim mei, & ego omnium. *Nunquid diviſus eſt Chriſtus* in diverſis Religioſorum Ordinibus? abſit. Idem enim Chriſtus omnium Religionum eſt Inſtitutor, Auctor, & Rector; idque ad majorem earum inter ſe unionem. Quòd ergò cauſa debet eſſe majoris unionis; non ſit cauſa turpiſſimæ, Deóque exoſæ diviſionis; ne audiamus illud: *Cùm ſit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales eſtis. &c. &c.*

V. Ad ulteriorem Congregationis noſtræ cum primæva Ordinis inſtitutione conſtabiliendam ſimilitudinem juvat ex officio S. P. Franciſci canere: *Tres Ordines hic ordinat, primúmque fratrum nominat minorum, pauperúmque, ſit dominarum medius; ſed pœnitentium tertius ſexum capit utrumque.*

Quod noſtra Congregatio pertineat ad primum, ſatis hactenùs ad oculum demonſtravimus. Quòd ſecundus, ſeu dominarum ad æmulationem primordialis Ordinis inſtitutionis immediatè poſt ortum reformationis noſtræ ſecutus ſit, ex eo manifeſtum evadit, quod ſubjicimus: ſub anni 1576. finem Romæ Monaſterium Monialium S. Claræ primæ, & arctioris Regulæ, quæ vulgò Capucinæ nuncupantur, Joannæ Arragoniæ, Aſcanii quondam Columnæ Talequitii Ducis uxoris pietate, ac opibus fundatum à SS. D. N. Gregorio XIII. ſub arcto obedientiæ præcepto, Capucinorum curæ, atque adminiſtrationi commendatum eſt, per Bullam, quæ incipit: *Paſtoralis officii cura &c.* Poſt quod plura alia per orbem ſub nomine *Capucinarum* enata ſunt; qualia & Provincia noſtra quatuor in ambitu ſuo complectitur: S. Annanſe propè Brigantium: Juliomagenſe: Marchdorffenſe, & Seggingenſe. Quod jam tertium, ſeu Tertiariorum Ordinem concernit; hujus conferendi facultas Capucinis diu jam acriter diſputata fuit, & fortè adhuc diſputatur, ſaltem in hac Provincia noſtra: cùm nimirùm Capucini tanquam illegitimi uſurpatores juris alios ad Ordinem Tertiarium ſuſcipiendi; populique adeò deceptores paſſim traducti fuerint. Sed parciùs iſta! transmiſſis pluribus aliis, quæ Capucinis ad jus in hac materia aſſerendum conducere poſſent, hoc unico utimur argumento: Patres Minores de obſervantia potuerunt, & poſſunt conferre habitum Tertiarii, cum omnibus aliis emolumentis ex hoc unico fundamento, quòd ipſis ut fratribus minoribus tale jus fuerit permiſſum: atqui etiam Capucini ſunt viri fratres minores: ergò & ipſis permiſſum fuit conferre habitum Tertiariorum. Iſta arguendi methodus non eſt no-

va,

ta, neque noſtra ; nam illam in terminis terminantibus hujus controverſiæ impreſſam reliquit Pignatellus tom. 3. conſult. Canon. conſultat. 34. & probat ulteriùs propoſitionem ; quia ita judicatum fuit per Sac. Congreg. Epiſcop. & Regular. per diverſa tribunalia orbis : & quia aderat immemorialis conſuetudo pro parte Capucinorum : qui Pignatellus etſi ab aliquibus citetur in contrarium ; attamen totam conſultationem conſideranti patebit, eum malè, & violentè in partem contrariam trahi, & apertè pro Capucinis ſtare.

Fuerunt quidem, qui inferrent, exſtare Conſtitutionem, & decreta variarum Congregationum, quibus hæc poteſtas, & facultas expreſsè declaratur adempta Capucinis &c. Sic enim R. P. Matthæuccius in Officiali Curiæ cap. 52. num. 10. fol. 404. apertè ſcripſit : Capucinis eſt abſolutè à Sede Apoſtolica habitûs Tertiariorum prohibita collatio. Sed per M.R.P. Petrum Mariam de Lucà emeritum, ac ſedulum Procuratorem Generalem humiliter admonitus, & convictus de aſſertæ prohibitionis inſubſiſtentia ingenuè faſſus fuit, ſe non habuiſſe notitiam Decretorum S. Congregationis in hac cauſa privativè inter PP. Capucinos, & PP. ſuæ Religionis in Regno Sardiniæ agitata annis 1703. & 1704. emanatorum ; ex quibus eruitur, Capucinis in dicto Regno ob rationes particulares ; minimè ad totum Ordinem extendendas, prohibitam eſſe dictam collationem ; adeóque nominatus P. Matthæuccius paratum ſe obtulit ad præfatam propoſitionem Capucinis univerſim ſumptis contumelioſam in proximo opere ſuo moderandam, & recantandam. De prætenſa autem Pauli V. Bulla in odium Capucinorum edita nemo ſedulus indagator quidquam reperire potuit, aut poterit. Videatur de his Petrus Marcellinus de Luccia tract. de jure F. Fr. Capucinorum deciſo §. 19. qui pro tempore præterito clariſſimè deducit, & ſtabilit jus Capucinorum in conferendo habitu Tertiariorum legitimè uſurpatum : pro præſenti autem, ac futuro tempore idem jus fortiſſimè ſtabilitum, atque confirmatum fuit per Conſtitutiones Benedicti XIII. Pont. Max. *Ratio Apoſtolici.* 9. Kalendas Junias 1726. & aliam ſucceſſivam. *Dilecti Filii,* 21. Jul. 1728. ac iterùm Clementis XII. *Apoſtolicæ ſervitutis* &c. 23. April. 1735. quæ Conſtitutiones in Bullario extenſæ cùm ſint declarativæ juris Capucinorum, non ſolùm fundant jus illorum de futuro ; verùm corroborant, & aſſerunt id de præterito ; vi quarum ſæculares utriusque ſexûs perſonæ à Capucinis in Ordinem Capucinorum aſſumptæ, inveſtitæ, & gratiis, indulgentiis, ac privilegiis huic Ordini conceſſis donatæ minimè dici poſſunt, ac debent à Capucinis deceptæ ; cùm legitimè acta nil deceptionis oleant.

VI. Si qui adhuc Fraternitatem Capucinorum dedignantes hos non inter fratres minores ; ſed inter Eremitas Camaldulenſes computandos cenſent, nil inde triſtamur ; cùm nobis declaratio, & authoritas Pontificum nos inter veros S. P. Franciſci filios, fratrésque minores aſſerentium potior ſit, quàm talium qualiumcunque minùs Seraphica antipathia. Quamquam verò conſortium RR. PP. Eremitarum Camaldulenſium, & communicatio Privilegiorum, quibus ipſi gaudent, per Conſtitutionem Clementis VIII. *Quæ ad proſperum.* &c.

24. April. 1596. Capucinis aſſerta nobis ſanè multis nominibus pretioſa eſſe debeat ; tum quòd ea Camaldulenſium Congregatio non ſolùm reformationem noſtram eximiè adjuverit, ſoverit , & in adverſis conſolata ſit ; atque in ſua Romualdina Lib. 3. cap. 14. multa præclara in ejus commendationem ſcripſerit ; ſed etiam iidem PP. Camaldulenſes Capucinos tot afflictionibus arietatos piè miſerati publicas pro iis preces ad Cœlum fuderint. Tum quòd illud conſortium, & conſortium ſimilitudinem , & filiationem ad S. P. Franciſcum non ſolùm non diſſolvat; ſed magis ſolidet ; cùm ipſe S. P. Franciſcus Eremitoriis frequenter delectatus , uſúsque ſit ; & fratribus Eremiticæ vitæ amatoribus ſpecialem vivendi methodum præſcripſerit. Collat. S. P. cap. 3. Nihilominùs tamen penitùs negamus , quòd Capucini eatenùs Eremitæ ſint , quin pariter & fratres minores eſſe poſſint ; cùm per præfatam Clementis VIII. Conſtitutionem eis ita communicatio Privilegiorum Camaldulenſium aſſerta ſit ; ut tamen ſimul etiam Privilegia Fratrum Minorum participent , ut Eminentiſſimus D. de Lauræa ex Ordine fratrum min. Conventualium ob inſignia merita, editósque libros ad Theologiam ſacram ſpectantes ad Purpuram aſſumptus in ſua Epitome Canonica verbo *Capucinus* deducit. Et licèt in Bulla Clementis VII. qua Capucinorum Congregatio ab obſervantium Ordine ſeparata fuit, Viterbii 5. Nonas Julii 1528. emanata dicatur , *quòd fratres ad Eremitoria , ſeu loca quæcunque ſe conferre , in iis habitare , vitámque auſteram , & Eremiticam agere poſſint ;* inde tamen non elicitur , quòd Capucini vi inſtituti ſui ad Eremiticam vitam adſtricti ſint. Benè quidem non ignoramus, quòd nonnulli corrupto , vel mutilato Bullæ ſenſu ex iisdem verbis Capucinos non niſi Eremitas nuncupare , & ſcribere , imò à Filiatione S. P. Franciſci excludere ſoleant. Errant autem hi in ſenſu ſuo , cùm verba Bullæ non ſimpliciter , ſed cum addito , & cohærenter ſint intelligenda ; videlicet Eremitæ , ſeu *vitam Eremiticam ducentes ſecundùm regulam prædictam.* Hinc ſicuti Carthuſienſes , & Camaldulenſes &c. etiamſi in Eremis degant, ſimpliciter Eremitæ nominari non poſſunt, cùm ſint verè Monachi ; vel , ſicut PP. Obſervantium Anteſignani , ſeu Auctores , FF. Joannes de Vallibus , Gentilis à Spoleto , Paulutius de Trincis &c. quos cum ſociis *in locis ſolitariis , & Eremitoriis* Brulliani &c. vixiſſe , & regularis obſervantiæ primordia poſuiſſe , tam Ordinis Chronica Antiqua, quàm celeberrimus P. Waddingus tom. 16. fol. m. 372. expreſſè commemorant, nudo Eremitæ vocabulo non debent cenſeri ; ita nec Capucini ex unica loci circumſtantia Eremitæ dici poterant , cùm ex Regulæ profeſſione manſerint veri FF. Minores. Nec ex eo, quòd Regulam in locis ſolitariis , ab hominum commercio , & mundi tumultu ſeparati ſervaverint, amiſêre filiationem S. P. Franciſci , cùm hanc non locus , ſed profeſſio pariat. Inde fatus P. Waddingus optimè concludit : quòd PP. Capucini .... Eremitæ S. Franciſci dicti fuerint , ſicut & Diſcipuli Cæſarei ſpirenſis, nec non alii poſteriores alumni B. Angeli de Cingulo, Eremitæ S. Franciſci appellati ſunt , licèt veri , & genuini S. Franciſci filii ſint habiti , & debeant nuncupari. Fuit etiam hæc vitæ Eremiticæ inſtitutio , ſeu potius hic ſub vitæ , & regulæ Franciſcanæ obſervantia , ad

loca

loca ſolitaria receſſus neceſſarius, ut novellam Reformationem, non in ſola externi habitûs figura; ſed in vera vitæ reformatæ, & arctioris ſubſtantia, conſtitutam eſſe liqueret. Ita quidem ſolidiſſimè R. P. Michaël Tugienſis in Bullario Ordinis. tom. 1. in Not. ad Bullam Clementis VII. ſupra citatam. fol. 4.

Ex his omnibus data operâ, & haud absque optimo fine paulò proli- VII.
xiùs diſputatis cuilibet innoteſcere poteſt, quòd, ut vetus verbum apud Gell. l. 3. c. 16. habet, *idem Accii, quod Titii*, ſive, idem jus eſſe filio, qui decimo, & ei, qui undecimo menſe natus eſt. Liquet, inquam, Capucinos ab eodem unoque digrammate; ab eodem primævo Ordinis Authore, ab eodem Seraphico Patre procedere; à quo omnes alii ejusdem Regulæ Profeſſores derivatos eſſe ſtentoreo clamore ſe jactant: quibus equidem honorem hunc, & Genealogiam ſuam minimè invidemus; verùm exoptamus, ut & alios quoque inibi compatiantur, qui æquè ad eamdem familiam ſpectant, atque ipſi. Audiamus Ulpianum in l. 195. §. 1. ff. de verb. ſignif. ita commentatum. *Etſi*, ait, *Patrefamilias mortuo ſinguli ſingulas familias habeant; tamen omnes, qui ſub unius poteſtate erant, rectè ejusdem familiæ appellabuntur, qui ex eadem domo, & gente proditi ſunt.* Ex quibus ea aptiſſima analogia in rem noſtram fluit, ut arguere poſſimus: licèt poſt mortem S. P. Francici filii hujus in alias, & alias reformatas familias, nomenclaturas, & accidentales figuras abierint; ſi tamen conſtet, quòd ſub ejus poteſtate; obedientia, & Regula exiſtant, & ab eodem Patre prodierint, illius quoque familiæ principali accenſendi; & in ea tantò fraterniùs tolerandi ſunt, quantò propinquius, non tempore, ſed morum ſimilitudine ad primarium ſtipitem, & genearcham accedunt. Faceſſant igitur mutuæ inter ejusdem Patris filios criminationes, ne, dum alii ſemper in primis labris habent juſtificare originem ſuam coram hominibus, econtra Capucinos de illegitimis natalibus infamare, in eos id cum proportione judicium cadat, quod nonnemo vir ſapiens in hæreticos tulit. Admiranti enim, & cauſam roganti, cur Catholici in fide ſua tranquilli haud unquam in diſputationes de rebus fidei propendeant? heterodoxi autem ſemper eo diſputandi pruritu agitentur, reſpondit: Catholici in bona fide exiſtentes haud indigent ulteriùs de legitima religione ſua edoceri: econtra hæretici in conſcientia ſua nunquam quieti diſputandi ardore ſemper affectant, etiam Catholicos criminando, ad agnitionem veritatis perduci &c. Sapienti pauca. Capucini in bona fide, & poſſeſſione legitimæ ſucceſſionis, adeóque ſorte ſua contenti, non ſolent originem ſuam cum aliorum contemptu magnificare; ſed omnes alios fraternè compatiuntur; ut vel Acatholicus Juriſconſultus in theſauro juris verbo *Monachus* hoc eis elogium pangat: ſub regula S. Franc. degit etiam Ordo Capucinorum, qui in extrema mendicitate, cum maxima hominum admiratione, hilariter, & pacificè vivunt.

SITUS
Provinciæ Anterioris Auſtriæ.
ANALOGIA.

SItum hîc non in communi, & geographica ſignificatione, quæ in abſtracto ſituationem, ſive rei alicubi ubicationem importat; ut ſi v. g. Julius Cæſar. lib. 5. Belli Gall. dicit: *ſub caſtris ejus vagabatur, ut ſitum caſtrorum agnoſceret;* ſed in ſenſu magìs philoſophico, & prædicamentali accipimus; prout ſitus dicitur *ordo partium corporis ad locum; ſeu,* ut Gilbertus de 6 principiis eum definit; *ſitûs prædicamentum eſt accidens, ſecundùm quod res dicitur habere partes corporis certo modo affectas ad partes loci; ut ſedere, jacere, ſtare* &c.

Sic Albertus Magnus ſup. lib. Gilb. tract. de poſitione cap. 1. dividit *ſitum in rectè, & in flexè eſſe,* tanquam in ſpecies ſubalternas; ſub illis deinde velut imas ſpecies in ſeſſionem, cubationem, ſtationem &c. Quemadmodum igitur, analogiæ hactenùs uſurpatæ, & nunc uſque in finem uſurpandæ auxilio Provinciæ noſtræ categorias, quarum aliàs incapax eſſet, affinximus; ita ſub eadem eidem quoque ſitum, ordine noſtro prædicamentum ſitûs tribuimus, ea licen-

tiâ

tiâ freti, qua dicere conſuevimus: Status, Respublica hæc &c. nutat, ad ruinam vergit, caſui vicinatur; &, *maximas virtutes jacere neceſsè eſt, voluptate dominante.* Cic. 2. de finib. *Cùm abundè expertus eſſet, quàm benè humeris tuis ſederet imperium* &c. Plinius in Panegyri Trajan. &c. ſic etiam fremente Pſeudovate Luthero ſtat Papatus, Romana Eccleſia, Religio Catholica; quod propriè in *rectè*, ſeu erectum eſſe, ſua mole conſiſtere, & ſupra petram ſolidè fundatum omnes inferi portas nil in ſe prævalituras eludere ſignificat. Hac ipſiſſimâ locutione Provinciæ noſtræ ſitum aliquem; hujus verò notionem, rationem, & ordinem dabit conſueta

ECPHRASIS.

DIcimus ergò, quòd Provincia noſtra, licèt tot adverſitatum procellis jactata, & ad æmulationem primævæ Reformationis, imò originalis Ordinis Seraphici inſtitutionis validiſſimis perſecutionibus arietata, atque ad caſum impulſa fuerit, immota tamen, & erecta ſtet, atque in ſuo eſſe conſiſtat; animata equidem à clementiſſimo, ac providiſſimo rerum omnium ſoſpitatore, urgente: *Surge* (utcunque ab aliis dejecta) *& ſta ſupee pedes tuos.* Ezech. c. 2. Stetit autem hucusque in morigeris alumnis, & incolis ſuis, ſi non omnibus, certè principalioribus, hortanti Paulo graviter obſecundantibus: *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare.* Armatura Dei, quæ reſpuit tela tribulationum, eſt mentis conſtantia, magnanimitas, pectorísque fortitudo, quæ facit hominem in ipſa aliorum labentium ſtrage, & impellente labendi occaſione firmiter ſtare, mundíque tribulamina nec formidare, nec iis commoveri. Præter hanc mentis firmitatem, & poſt miſericordiſſimam Dei ſuſtentationem Provincia ſex validiſſimis columnis innititur, videlicet: ſummæ ſummorum Pontificum authoritati. 2. Clementiſſimæ Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ protectioni. 3. Potentiſſimæ Eminentiſſimorum Cardinalium tutelæ, quam item Ordinis protectorium nuncupamus. 4. Celſiſſimorum & Reverendiſſimorum Epiſcoporum Conſtantienſium gratioſiſſimæ benevolentiæ. 5. Reverendiſsimorum P. Generalium paternæ ſollicitudini. Et 6. oculatiſsimæ

A. RR. PP. Provincialium circumſpectioni; quarum columnarum nomina cujuslibet anni initio præfigemus; ſub quibus per modum brevis cujusdam chronologiæ, & vel in dictorum omnium anacephalæoſin, ſive in omiſſorum compenſationem ſtatum Provinciæ de anno in annum explicabimus, & poſt fratrum noſtrorum clades à morte illatam immediatè eorum reſarcitionem per adſcriptitios milites factam ſubjicimus, intextis nonnullorum, quos prædicamenta alia reticuerunt, elogiis: & gratiis per interceſsionem B. V. M. S. P. Franciſci, S. Antonii de Padua, & B. Fidelis Mart. prodigiosè in variarum calamitatum remedia editis, atque collatis: nec non inſertâ aliqua foris belli pacísque temporibus geſtorum commemoratione. Sit igitur poſt ſeparationem Provinciæ

Annus Chriſti 1668. Provinciæ diviſæ 1.

Clement. IX. 2. | Leopoldi I. 10. | Cardinal. Bonelli Protector. Ordin. 1.

Franc. Joan. Ep. Conſt. 23. | P. Fortunati à Cador: Gener. 1. | P. Placidi Frib. Prov. 1.

Hoc anno ſeparatæ Provinciæ primo, Sanctiſſimo D. N. Clemente IX. Eccleſiæ univerſalis clavum tenente; Auguſtiſſimo Leopoldo I. S. R. I. habenas moderante, quorum quanta fuerint in Provinciæ diviſionem, & ſtabilitionem officia, in Prædic. Relationis deprædicatum eſt: Eminentiſſimo D. Cardinale Bonelli Ordinem, atque adeò & Provinciam hanc protegente; Celſiſſimo ac Reverendiſſimo S. R. I. Principe, ac DD. Franc. Joanne Epiſcopatum Conſtantienſem gerente; Reverendiſſimo P. Fortunato à Cadoro ſecunda vice ſigillum univerſi Ordinis *noſtri* ferente. A. R. P. Placido Friburgenſe Provinciam Anterior-Auſtriacam primò gubernandam ſuſcipiente, & necdum quidem electo Patres Capitulares Provinciæ jam ſeparatæ ſub præſidio Reverendiſſimi P. Stephani à Ceſæna Commiſſarii Generalis & Apoſtolici die 17. Aprilis Wilæ Helvetiorum congregati primam electionem inſtituerunt; in qua legitimis ſuffragiis in Provincialem renuntiatus fuit prædictus A. R. P. Placidus Friburgenſis. In quatuor Definitores R. P. Marcus Jacobus Cellenſis. R. P. Pelagius Stauffenſis. R. P. Pancratius Engenſis. R. P. Bonagratia Habſenſis.

Exin facta eſt conventio inter PP. Helvetos, & Anterior-Auſtriacos de confiniis Provinciarum, & deſuper erectum fuit inſtrumentum à Reverendiſſimo P. Commiſſario confirmatum.

Ipſe quoque P. Commiſſarius decretum utrique Provinciæ præſcripſit, collimans ad perfectionis regularis ſtudium, mutuæ charitatis vinculum, ſæculi, & negotiorum ſæcularium fugam, divinorum Officiorum curam, paupertatis cuſtodiam, optimi exempli obligationem fratribus univerſis utriusque Provinciæ perſuadendam. Epiſtolam inſuper paſtoralem Provinciæ Ant. Auſtr. definitio admodùm prolixam ſuper paupertatis obſervantia; nec non de cæteris ritibus, & conſuetudinibus Ordi-

nis

nis compilavit, & ab eodem P. Commiſſario confirmatam ſingulis Provinciæ Conventibus in uniformitatis normam, & robuſtiſſimum Conſtitutionum Generalium, ipsiúsque S. Regulæ antemurale communicavit, atque inculcavit.

Actionibus Capitularibus, cæterísque ad Capitulum conſequentibus ita diſpoſitis, & ad finem productis, ſolutísque demum Comitiis, antequam R. P. Placidus Provinciæ viſitandæ initium daret, priùs ſe cum R. Definitione Helvetica Lucernam contulit, ibíque ex Archivio, hactenùs utrinque communi, ea omnia ſcripta, reſcripta, acta, & geſta, quæ ad noſtram hanc Provinciam, quomodocunque ſpectare videbantur, Conſtantiam, deinceps Provinciæ Metropolim transferenda. Hæc ſcripta &c. Nobis viris ad hoc conductis, bajulis committebantur, quæ verò incurii in via Conſtantiam versùs perdiderant. Quam jacturam, cùm nemo advertiſſet, duo bajuli depoſitis aliis ſarcinis in pace dimiſſi fuerunt. tunc demum RR. Patres deprehenderunt maximi momenti damna, quando præfata Acta nullibi reperire potuerunt. In ea igitur maxima afflictione itum fuit per preces communes ad Patrocinium S. Antonii: emiſſi nuntii & fratres iteratis vicibus, qui per viam illam ſacculum, quibus ſcripta involvebantur, inquirerent, ídque per Cathedras tam Catholicas, quàm Acatholicas promulgatum: bajuli à Definitione Helvetica æquè à Magiſtratu Wilano rigoroſè examinati negabant, pernegabant, ſibi ſimile quid traditum fuiſſe, ne incuriæ damnarentur, aut laborem inquirendo reſumere cogerentur, omnis exinde ſpes quidquam recuperandi fuerat abjecta; Quosque præterlapsîs omninò tribûs ſeptimanis, ex occaſione fortuita cuidam ſacerdoti dux viæ daretur unus ex ipſis, qui ſacculum tulerant & perdiderant. Eadem igitur via incedens, qua Capucinos duxerat, Sarcinulam ſepimento infixam conſpicit, in loco omni quaſi horâ frequentato, cùm ſit tranſitus regius ab uno pago in alium: atque adeò ſacculus mille tranſeuntium oculis expoſitus, à nemine tamen obſervatus fuit. Quod autem ſuper omnia mirêris: nix erat per illud tempus, & frequens diu noctúque pluvia, aut ſaltem ros matutinus omnia circumcirca copioſè humectans; adeò tamen ab his tempeſtatis injuriis, defenſæ manſerant ſcripturæ omnes, ut ne unius quidem guttæ notam, aut maculam contraxerint, quas igitur bajulus lætanter Conſtantiam RR. Patribus æquè lætantibus conſignavit. Quo beneficio cælum ſeparationem Provinciæ rati habere voluiſſe, creditum fuit.

Paucis interjectis R. P. Placidus Provincialis primum viſitationis curſum auſpicatus, & omnes Conventus ad normam ſuprà dictæ Epiſtolæ Paſtoralis inſtituere conatus eſt.

Peracto hoc viſitationis negotio convocavit Senatum Provincialem ad Conventum Pludentinum, circa finem Septembris hujus anni; ubi poſt acceptam, & redditam rerum Provincialium rationem, cum Patribus ſuper paupertatis Seraphicæ obſervantia conſultationem inſtituit. Hinc ab omnium Conventuum ſuperioribus exigebantur inventaria re-

rum tam ſacrarum, quàm profanaram, earúmque numerus, & qualitas ad menſuram liciti determinabatur.

Hæc cùm feliciter geſta eſſent, nonnulli tranſactæ regularis vitæ mercedem adituri, beata morte defuncti ſunt, videlicet:

P. Celſus, Friburgens. Guard. Rottvvilæ 21. Maji. F. Felix Polingens. Laic. Rottvvilæ 22. Junii. Fr. David, Bavarus, Laic. Marchdorffii 28. Junii. P. Conſtantinus Conſtantiens. Sacerd. Studioſus. Friburgi 25. Sept. F. Seraphinus, Cuppenhemiens. Cleric. Studioſus. Lauffenburgi 21. Octob. P. Joan. Maria, Bibracens. Sacerdos, Bibraci. 3. Novemb. P. Antonius Speihingens. Guard. Rottvvilæ. 14. Decemb.

Summa 7.

Horum loco jugum Seraphicæ Profeſſionis ſubierunt.

F. Tobias, Stauffens. Clericus. P. Jacobus, Weiſenhornens. Sacerd. F. Gregorius, Bludentinus, Cleric. F. Dominicus, Zvvifaltens. Cleric. F. Appollinaris. Rottenburg. Cleric. Fr. Benjamin. Rottenburg. Cleric. P. Ludovicus. Wolmading. Sacerd. F. Baſilius Stauffens. Cleric. F. Theobaldus, Rottenburg. Laic. F. Chriſtophorus, Friburg. Cleric. F. Salomon, Montefontanus Cleric. F. Petrus, Waldkirchenſ. Laic. F. Hilarius Friburg. Cleric. F. Angelus, Friburgenſ. F. Jo. Chryſoſtomus, ex Mittelberg Cleric. F. Leonardus Wangenſis Laic. F. Bartholomæus Friburg. Cleric. F. Sebaſtianus; Bezavienſis Cleric. F. Ildephonſus, Veldkirchenſ. Cleric.

Summa 19.

Hi ergo adſcriptitii milites & Provinciæ recentis primogeniti priorem cladem à morte inflictam numero ſupererogatorio reſarcierunt, & in viros plerumque eximios, ſtrenuosque operarios excreverunt.

Annus Chriſti 1699. Provinciæ diviſæ 2.

Clement. IX. 3. | Leopoldi I. 11. Cardinal. Bonelli, Protector. 2.

Franc. Joann. Ep. Conſtant. 24. | P. Fortunati à Cadoro Gener. 2. | P. Placidi Frib. Prov. 2.

Congregatio verna Brigantii 6. Maji habita, diſpoſuit varia ad utilitatem Provinciæ circa Novitiatus, ſtudia, & translationes fratrum pro re nata. Eodem anno die 7. Octob. Lauffenburgi item Congregatio inſtituta, priori argumento incubuit.

Provincia noſtra cum Tyrolenſi confœderationem iniit.

Veldkirchii Patres Societatis affectarunt hortum conventui noſtro ibidem contiguum; qui tamen ipſis à Senatu pro ſemper denegatus fuit.

Fervet ſtructura hoſpitii Wilani, non attentis, neque prævalentibus adverſantium contradictionibus. Locus Neoſtadienſis acceptatur: è contra refutatur Ettenhemienſis. Quinto Idus Decemb. diem ſupremum obiit Reverendiſſimus & Religioſiſſimus P. Fortunatus à Cadoro totius Ordinis noſtri Miniſter Generalis, cum magna ſanctitatis opinione.

Hoc etiam anno ingenti Chriſtianitatis diſpendio, nec minori terrore Machomet 4.tus per funeſtam pacis transactionem Inſulam Candiæ

in

in fauces ſuas accepit, unde publicæ preces univerſali Eccleſiæ indictæ.

E noſtris caſtris ad aſtra, ut piè confidimus, religioſa migratione diſceſſerunt.

P. Gebhardus Friburgenſ. Noith. Guardianus Uberlingæ 25. Januar. P. Raymundus ex Altenſtatt. CC. Wilerſtadii 8. Junii. F. Fortunatus Friburgenſ. Laic. Veldkirchi 8. Julii. P. Angelus Muggenbrunenſ. CC. Brigantii 19. Julii. P. Manſuetus Conſtant. Guard. Marchdorffii 24. Septemb. P. Berardus Conſtantienſ. Guard. Cellæ 10. Octob. F. Reinerius Friburg. Laic. Uberlingæ 13. Nov. F. Urſinius Friburgenſ. Cleric. Möſkirchii 15. Novemb.

Summa 9.

Horum ſtationes ita vacuatas mox iterùm ſuppleverunt recentes filii Seraphici F. Maſſæus Friburg. Laicus. F. Eugenius Rhenofeld. Cler. F. Fridolinus Segging. Laicus. F. Thomas Friburg. Cler. F. Lucas Rhenofeld. Cler. F. Leo Veldkirch. Cler. F. David Conſtantien. Laic. F. Vincentius Conſtant. Cler. F. Rochus Uberling. Cler. F. Maurus Conſtant. Cler. F. Amandus ex Bludeſch. F. Joſue ex Röttenberg Laicus. F. Beatus Müllhuſanus Cler. F. Heliodorus Schomberg. Cler. F. Valerianus Friburg. Cler. F. Caſimirus Ettlingenſ. Cler.

Summa 16.

Annus Chriſti 1670. Prov. diviſæ 3.

Clement. X. Pont. 1. | Leopoldi Imp. 12. | Friderici Borrom. Cardin. protect. 1.

Franc. Joa. Ep. 25. | P. Bonaventura Recinet. Vic. general. 1. | P. Placidi Friburg. Prov. 3.

Initium hujus anni toti Eccleſiæ Catholicæ comprimis lugubre fuit: nam Clemens IX. nomine ac re ſanctiſſimus Papa, à beneficentia, & pacis ſtudio nominatiſſimus die 10. Januarii extinctus Eccleſiam viduam fecit; cujus Succeſſor poſt quartum Sedis vacantis menſem die 29. Aprilis per majora conclavis tandem evaſit Eminentiſſimus Cardinalis Æmilius Altieri, aſſumpto Clementis X. nomine; qui tempore Regiminis ſui poſt præcipuam ceſponſæ ſibi Eccleſiæ ſollicitudinem plurimam quoque curam eò impendit, ne immanis Turcarum Tyrannus fines ſuos ulteriùs in Chriſtianitati damnum proferret; prout Poloniæ Regi præter auxiliares copias mula coronatorum millia arcendis, Profligandísque Muſelmannis impenderda contulit.

Hic Pontifex ad demonſtrandam ſuam in puſillum gregem noſtrum propenſionm Cardinali Bonello protectionem Ordinis reſignanti ſubſtituit Eminentiſſimum D. Cardinalem Fridericum Borromæum; cùm ſciret, eum Ordinis noſtri amantiſſimum, ac ſtudioſſimum eſſe. Licèt igitur hic plurimis aliis primæ notæ provinciis, & negotiis, quæ inter etiam Secretariatus ſtatus herat, occupatus eſſet; Protectorium Ordinis tamen hoc primo loco habuit. Unde ſicut hanc Provinciam noſtram peculiari amoris, & æſtimationis affectu ſemper complexus eſt, & eximiis encomiis tum

Romæ, tum Conſtantiæ celebravit : ita quoque de eo maximè gloriata eſt. Rottvvilæ 28. Aprilis Patres Provinciæ Congregationem Capitularem habuerunt. Remoram patitur ſtructura Neoſtadienſis per Decretum Celſiſſimi ac Reverendiſſimi DD. Nuntii Lucernenſis, à nonnullis Adverſariis perperàm informati injectam ; qui tamen magis genuinè edoctus libertatem fecit eò feliciùs, & velociùs dictam fabricam proſequendi.

Quamvis nec Capitulum, nec autumnalis Congregatio inſtituta fuerit ; convenerunt tamen RR. PP. Conſtantiæ, intervenientibus quoque Helveticæ Definitionis Deputatis : in qua exorti quidam ſcrupuli, & Difficultates circa Inſtrumentum Deſignationis limitum utriusque Provinciæ componendæ fuerant ; ad harum igitur abolitionem concertatum, atque reſolutum fuit novum quoddam temperamentum.

Quòd verò licèt Provincialatûs triennium ad exitum vergeret, & Capitulum Generale futuro anno celebrandum inſtaret, Provincia nullum coëgerit Capitulum, ipſa diviſio Provinciarum in cauſa fuit ; utpote in qua utrique Provinciæ hæc forma fuit præſcripta : ut nimirùm in primo proximo Capitulo Generali ſolus P. Provincialis Anterior-Auſtriacus ſine Cuſtode ; P. Provincialis Helvetus autem cum unico Cuſtode compareret : econtra in ſecundo Capitulo General. Helvetia Cuſtode careret ; Anterior-Auſtriaca verò gauderet : & ſic impoſterum eadem alternatione ambæ Provinciæ procederent.

Neque autem ſolis Helveticæ, & Anterior-Auſtriacæ ; ſed & Tyrolenſi, & Bavaricæ ; Rhenanæ, & Colonienſi Provinciis noviſſime ab invicem ſeparatis eadem prædictæ formæ, comparendi ſcilicet alternatim cum- vel ſine Cuſtodibus in Capitulis generalibus, lex ſcripta fuit ; quæ inuſitata Ordinis novitas omnibus Provinciis ultramontanis non minus ignominioſa, quàm intolerabilis videbatur. Harum ergò Provinciarum, quibus etiam acceſſerunt Auſtria, & Styria, Patres varia inter ſe communicabant conſilia, quomodo minùs honorificam hanc vocum privationem, ut quæ pœnæ non niſi ob graviora delicta infligi ſolitæ ſpeciem habet, excutere valeant. Denique in hoc convenerunt, ut Auguſtiſſimum Imperatorem, tanquam Provinciarum in Imperio, & ditionibus hæreditariis ſitarum cynoſuram pro auxilio, & litteris promotorialibus implorarent. Supplicatio igitur omnium prædictarum Provinciarum nomine conficitur, & à ſingulis earum capitibus ſubſcribitur ; quæ tantum valuit, ut Auguſtiſſimus primò ad ſummum Pontificem. 2. ad Eminentiſſimos DD. Cardinales. 3. & Germaniæ Protectorem de Haſſia. 4. ad Bonefium velut adhuc Ordinis Protectorem. 5. ad P. Generalem litteris ſingularibus prodictæ legis relaxatione intercederet. Quo verò eventu, deinceps docebitur.

Ravenspurgi Prænobilis quædam fœmina adeò in D. Antonium Paduanum confidit, ut diceret, ſe certam eſſe nil è domo ſua tutelæ S. Antonii commendatâ aufferendum : aut ablata ſine ullo dubio illuc iterùm reſtituenda fore. Contigit autem, ut hæc aliquando duos annulos aureos unionibus inſertis pretioſos perdiderit. Hinc prima cura fuit, ut S. Antonius per Capucinos imploretur : poſt omnia diligenter, ſed fruſtrà fuerunt perquiſita. Elapſis quibusdam diebus ancilla domeſtica

ad

ad fontem intra impluvium accedens in ejus fundo nitidi quid reſplendere conſpicit : expertura, quid eſſet, unum : & mox diligentiùs fæces refodiens, etiam alterum reperit annulum : quibus domum relatis tantam devotionem in S. Antonium auxit, quantum excitavit gaudium.

Cellæ Ratholdi civis experientiâ jam ſemel factâ fiduciam ſuam in eumdem ſanctum frequentavit, utilémque habuit. Nam deperditum nummum aureum humanâ ope deſperavit : ſperavit tamen recuperare cæleſti. Poſt invocatum S. Antonium interjecto toto octiduo filiafamilias publicam plateæ aream pro more verrere aggreſſa improviſò Duggatum ſplendidiſſimè micantem reperit, cùm tamen ea platea ſingulis diebus copioſè frequentata fuerit.

Simile beneficium alius ibidem civis in olla ænea ſibi ſurrepta, ſed prodigioſè reddita expertus eſt.

Civis Oppenovienſis decem florenos è ciſta ſua cleptos : mulier ibidem ſexaginta ulnas ligaminum è lino textorum humi inſolandos poſitos, ſed furto ſublatos, ille S. Antonii ope pecuniam ſuam in eadem ciſta clauſa : hæc verò ligamina in domo ſua è clavo pendentia mirabiliter invenit.

Eorum, qui ex vinea noſtra Seraphico-Anterior-Auſtriaca ad recipiendum æternæ retributionis denarium vocati ſunt, nomina ſunt iſta.

P. Bonaventura Friburg. CC. Offenburgi 24. Febr. P. Valerianus Segging. Conf. Offenburgi 24. Febr. P. Sixtus Tettnang. CC. Immenſtadii. 18. Mart. P. Euſtachius Veldkirch. Immenſtadii 5. April. F. Chriſtophorus Stadienſ. Laic. Wangæ 18. Septemb. F. Paulinus Weingartenſ. Laicus Ravenſpurgi 24. Sept. F. Hilarion Brigant. Laicus Badenæ 4. Octob. P. Florimundus S. Gallenſis CC. Engæ 11. Decemb. *Summa 8.*

Ex his, quatuor, ſcilicet *P.* Bonaventura, vir regularis diſciplinæ ſtudioſiſſimus, & magnæ perfectionis Capucinus, ſurdus, & aſthmaticus, horúmque malorum per plures annos patientiſſimus : P. Valerianus & ipſe optimæ notæ Religioſus : frater Hilarion, & F. Paulinus Laici apoplexiâ omnes ſublati fuerunt. De F. Chriſtophoro in prædic. qual. litt. C.

In iſtorum vices ſubintrârunt eidem vineæ operam ſuam locaturi.

F. Waltherus Bezavienſ. Laic. F. Euſebius Montifont. Cler. F. Franc. Carol. Orttenberg. Cler. P. Illuminatus Haslac. Sacerd. F. Tiberius ex foro Tiberii Cler. F. Athanaſius Uberling. Cler. F. Wernerus Friburg. Cler. F. Rogerius Veldkirch. Cler. F. Theobaldus Conſtant. Cler. F. Sanctus Roſchacens. Cler. F. Ægidius Mellaccens. Laic. F. Aurelianus Friburg. Cleric. F. Marcellinus Füeſſenſ. Cler. F. Juſtinus ex Sunthofen Cler. F. Theodoricus Veldkirch. Cler. *Summa 15.*

Annus Chriſti 1671. Prov. diviſæ 4.

Clement. X. 2. | Leopoldi I. 13. | Friderici Borromæi Protector. 2.

Franc. Jo. Ep. 26. | P. Stephani à Cæſena Gener. 1. | P. Perfecti Conſtant. Provinc. 1.

In capite hujus anni R. P. Placidus adhuc Provincialis ad Capitulum gene-

maximè circa renes profundiùs penetraret ; quo ille quaſi exanimis pro funere in Refectorium raptatus adhibitis confortativis denuò reſpiravit , & gangrænâ opportunis remediis prohibita paulatim iterùm convaluit.

Sanctus Antonius Paduanus propè Iſnam duo cochlearia argentea : Ravenspurgi magni pretii telam, & ſaccum frumento plenum ac philippæo æſtimatum prorsùs damnificatis reſtituit.

Mortalitatem exuti ad immortalia tranſierunt

P. Fridericus Conſtant. Stud. Sacerdos Conſtantiæ 21. Mart. P. Clemens Weingart. CC. Bezavii 8. Junii. P. Trudpertus Friburg. CC. Brigant. 31. Jul. P. Caſpar Friburg. Guard. lect. Friburg. 6. Auguſti. F. Salomon Montiſontan. Cler. Cellæ 16. Aug P. Pelagius Stauff Exprov. Defin. Frib. 28. Sept. *P.* Venerandus ex Rindermos Superior Waldishutti 30. Sept. *P.* Aurelius Friburg. Guard. Bad. 16. Oct. PP. Clementis, & Pelagii, & F. Salomonis amplior memoria habetur in prædicam. Qualit. *Summa 8.*

Iſtorum verò locum in Ordine hæreditarunt novelli Aſcetæ

F. Balthaſar Rhenofeld. Laicus. P. Romanus Conſtant. Sacerd. F. Luceſius Monac. Clericus. P. Pirminius Neuhauſenſ. Cler. F. Wolfgangus Conſtant. Cler. F. Humbertus Gengenbac. Cler. F. Nicodemus Conſtant. Cler. F. Zachæus Rottvvilanus Clericus. F. Chryſogonus Bludentin. Cler. F. Homobonus Embſens. Laicus. *Summa 10.*

Annus Chriſti 1672. Provinc. diviſæ. 5. Clement. X. 3. | Leopoldi 14. | Friderici Borrom. Protector. 3. Franc. Jo. Ep. 27. | P. Stephani à Cæſen. General. 2. | P. Perfecti Conſtant. Prov. 2.

Hoc anno Provincia quatuor locis , Wilerſtadienſi , Oppenovienſi , Neoſtadienſi, & Mahlbergenſi crevit ; quæ uſque quidem occupata, & habitata ; partim tamen ab aliis adhuc diſputata , horúmque ſtabilitas anceps reddita : partim quoad fabricas necdum perfecta fuerunt.

Ad diem 24. Aprilis Conſtantiæ RR. Patres Provinciæ Congregationem Capitularem habuerunt ; in qua finaliter decreverunt acceptare Mahlbergenſem à Sereniſſimo Marchione de Baden, & eo defuncto, ab hujus Sereniſſima Vidua oblatum, Clemente X. P. M. hanc acceptationem per decretum ſub dato Romæ 20. Julii. 1672. deinceps ratihabente, & permittente fabricam non in forma hoſpitii, ſed Conventûs fieri.

Poſt Provinciam circulatam P. Provincialis denuò RR. PP. Rhenofeldam ad diem 17. Septembris conſcripſit.

Reverendiſſimus P. Generalis ex Italia iter in Germaniam adornans, Provinciam Auſtriacam à Bohemica ſeparaturus, hujus audendi facultatem ab Auguſtiſſimo Imperatore per litteras Tarviſii idibus Octobris exaratas flagitandam duxit. Et quia in litteris Auguſtiſſimo ſignificavit, ſe à ſummo Pontifice obtinuiſſe, & Provinciis Germaniæ allaturum eſſe poteſtatem eligendi ſuos Cuſtodes, & habendi paria cum aliis Provinciis vota in Ca-

pitulis generalibus ; ideò facilem in terminis clementiſſimis permiſſionem munere ſuo fungendi ab Auguſtiſſimo impetravit.

Moleſtioris curæ negotium Cæſari, & Germaniæ hoc anno faceſſivit Rex Chriſtianiſſimus, qui non attenta Reginæ uxoris, Infantis Hiſpanæ renuntiatione ſolenni ad Provincias Belgii, ex quæſito tamen devolutionis jure prætenſiones ad easdem provincias formavit, has armorum vi validas redditurus, eáque viâ jugulum Batavis petiturus ; quapropter & Cæſar bello involvendus timebatur ; cùm etiam de ipſius re ageretur.

S. Antonius de Padua nonnullis ſe non minùs beneficum, quàm mirabilem exhibuit. Conſtantiæ Filia Caſpari Roſchacher Zonam argenteam furto ablatam poſt biennium, quo tempore in implorando divo rerum perditarum Patrono, tandem læta recuperavit. Ibidem alteri civi duo pallia ſurrepta : alteri, Coriario plurimæ pelles ſubductæ ad Capucinos pro conſuetis ſuffragiis exoratos, illa quidem in hortum projecta ; hæc verò ad portam collocatæ fuerunt à furibus per S. Antonium compulſis.

Wollmatingæ Servus hero ſuo cupreum lebetem ſubtraxit, qui per varias manus venditione in longinquum jam peregrinatus machinante S. Antonio mirabiliter ad Dominum ſuum rediit. Sic ancilla quædam Conſtantienſis veſtibus ſibi ablatis ejusdem Divi ope iterùm potita eſt. Pariter D. Locum-Tenens in Eglishofen trecentorum florenorum jacturam furtô paſſus ad patrocinium S. Antonii confugit. Et ecce ! fur ipſemet eos coràm reddidit, faſſus, ſe ſtimulis vehementiſſimis adactum non potuiſſe non ablata ad ultimum quadrantem reſtituere, S. P. Franciſci habitus etiam vim ſuam prodigioſam exſeruit, D. Jo. Jacobus Straub Typographus Conſtantienſis filiolum habuit biennem, qui deficiens, & emaciatus inter mortuos potiùs, quàm inter vivos fuerat recenſendus. Votum ergò Parens S. P. Franciſco nuncupat, ſe puerum triennio ſacro Capucinorum habitu contecturum. Vix autem voto ſuo ſatis facturus puerum hoc habitu contexit, ex eo momento is prodigioſè convaleſcere cæpit.

Mortis inhumaniùs in Provinciam graſſatæ falci ſuccubuerunt plerumque longiori vita digni.

F. Fidelis Cellenſ. Cler. Stud. Wangæ 25. Febr. de quo in Prædic. Qualit. litt. F. P. Bonagratia Habſenſis Definitor, de quo in Prædic. Qual. litt. B. Friburgi. 13. Martii. P. Gregorius Conſtant. CC. Ravenſpurgi 20. Mart. De quo in Prædic. Qual. litt. G. F. Monaldus Bezav. Laicus. Engæ 20. April. P. Hieronymus Möſkirch. CC. Möſkirch. 29. April. F. Joſephus ex Wotterdingen Laicus Cellæ 31. Maji. P. Marcellus Kuppenhem. Sacerd. Stud. Rottenburg. 11. Junii. F. Lambertus Friburg. Novit. Magiſter Uberlingæ 30. Junii. P. Hypolithus Friburg. Guard. Friburg. De quo in Prædic. Qual. litt. H. P. Timotheus Friburg. CC. Neoburgi. 30. Novemb. P. Electus Lauffenburg. Guard. De quo alibi.

Summa. 11.

Inter hos etiam F. Joſephus Laicus à vitæ innocentia, & auſteritate ſe commendabilem reddidit ; qui ruſticelli filius ad Novitiatum pergens in ipſo Portæ limine Stramineum, quo tectus advenerat, pileum à ſe projecit dicens : apage ſis vanitas mundi, id, quod exinde frequentem jocan-

jocandi materiam præbuit. Verùm reipſa hunc ſimplicem hominem in vili pileo multa reliquiſſe, & affectum quoque multa habendi reliquiſſe, effectus comprobavit. Teſtatum fecerunt viri graves, eum, quoad vixit, in nullam fæminam apertos oculos conjeciſſe, licèt eſſet complurib̃us annis janitor, poſt matutinum rariſſimè ad ſomnum rediit, ſed reliquum noctis coram Venerabili oratione, & cruentis ſupererogatoriis flagellationibus exegit. Vini parciſſimus fuit, plerumque frigidâ potatus. Humillimus inter humiles pacis, & ſilentii cuſtodiâ omnibus ſe charum reddidit. In mortis articulo gaudiis diffluens piiſſimè obiit.

P. Marcellus in ipſo perfectionis, & litterarum ſtudio vitæ curſum inſolito caſu ad provinciæ luctum abſolvit. Ob morbi aliquem acceſſum de medicorum conſilio Rottenburgum fuit locatus, ut acidulis uteretur, quibus per medicinam quandam præludere volebat. Verùm ea medicina pro vita mortem attulit. Cùm enim in mortario irrepurgato veneni reliquiæ, & ſpecies pharmacum intoxicaverint, ejus vi miſer juvenis enecatus fuit.

P. Lambertus vir erat cunctis numeris religioſſimus, dignúsque, ac idoneus, qui Tyronibus in inſtructorem, & formam daretur. Apoplexia Engæ; Uberlingæ alterà obrutus ſpiritum Deo jam priùs tranſcriptum conſignavit.

Illis autem per Religioſam plantationem ſuccreverunt lecti juvenes. F. Rochus ex Dejiringen Laicus F. Candidus Ravenſpurg. Cler. F. Fabianus Breiling. Laicus. F. Joannes Conſtant. Laic. F. Geminianus Doneſching. Cler. F. Juſtus Waldishuttan. Cler. F. Rupertus Cellenſ. Cler. F. Pius Wurmlingan. Cler. F. Irenæus Waldishuttanus Cler. F. Marcellinus ex Neuffren. Cler. F. Cæleſtinus Kuppenhem. Cler. F. Gaſparus Rhenofeld. Cler. F. Eduardus Sunthauſenſ. Cler. F. Criſpinus Rhenofeld. Laicus. F. Antonius Rottyvilanus Cler. F. Claudius Conſtant. Cler. F. Alexander Bezavienſ. Laicus.

Summa. 17.

Annus Chriſti 1673. Provinc. Diviſæ. 6. Clement. X. 4. | Leopoldi I. 15. | Cardinal. Roſpiglioſi Protect. 1. Franc. Joa. Ep. 28. | P. Stephani à Cæſen. General. 3. P. Perfecti Conſt. Provinc. 3.

Romæ die 6. Februarii Eminentiſſimus D. Cardinalis Protector Fridericus Borromæus omnium voto, & opinione Tri-Regno deſtinatus ex infelici phlebotomia pro ſanitate obitum ſibi accerſivit, & plurium ſpes, etiam noſtras inanefecit, atque præſertim provinciam hanc noſtram ingenti luctu affecit; quam jacturam ejusdem in Protectorio ſucceſſor Eminentiſſimus D. Cardinalis Roſpiglioſus plurimum ſolatus eſt, de quo Ordo juxta brevis Apoſtolici formalia, *Ornamentum & commodum* eſſet & acceptus: ornamentum quidem, cùm fuerit ſanct. mem. Clementis IX. ex fratre nepos: commodum autem, cùm pro ſua explorata in obſervan-

vantiam regularem æmulatione Ordinis decorem haud obiter curaturus ſperaretur.

Sesquiennale capitulum Conſtantiam ad diem 21. Aprilis convocatum fuit, ad quod Capitulares in minori, quàm ad præcedens, convenerunt, cùm Conventus Möſskirchenſis, & Villinganus etiam poſt ſextum tum ſcrutinium non acceperint diſcretos. Juxta moderationem Bullæ Clementis IX. à Clemente X. factam Definitoribus non Guardianis liberum erat ſine concurſu ad diſcretatum comparere in capitulo cum omni activitate. RR. PP. Florinus, & Elzearius Definitores non Guardiani ſe ſubmiſerunt electioni diſcreti, talésque facti in cauſa fuerunt, quòd iterùm duovota minùs in capitulo provinciali convenerint.

Per electorum ſuffragia in provincialatu confirmatur A. R. P. Perfectus Conſtantienſ.

Definitores leguntur RR. PP. Marcus Jacobus Cellenſis. Placidus Friburg. Florinus Oberſtorffenſ. Franc. Joſephus ex Busmanshauſen.

Sub finem Julii Reverendiſſimus P. Generalis per noſtram provinciam non viſitando (cùm viſitatione haud indigere dixerit in optimo ſtatu conſtitutam) Lucernam abiit Capitulo Helveto præſeſſurus. Hac occaſione Patres noſtri inſtantias fecerunt pro omiſſione Capitulorum ſesquiennalium : at repulſam tulerunt, P. Generali jubente Capitula intermedia frequentari.

Ad diem 8. Octobris RR. PP. Veldkirchii congregantur, & diſponunt pro re nata. Bellum à Rege Chriſtianiſſimo meditatum erumpit, totámque Germaniam horrore concutit, inſiſtente Rege prætenſionibus ſuis, & tribus jam Belgii provinciis victrice, miráque armorum velocitate ſubjugatis Auguſtiſſimus Imperator, & Rex Catholicus Hollandis ſub incude gementibus auxiliari conſtituerunt.

Piſcatores Conſtantienſes in Pontò Acroniano totos dies noctésque laborantes nil penitùs capere potuerunt, ut deſperatis rebus, & retibus convocatis domum remeare cæperint. Tandem unus inter eos, eja, inquit ad cæteros, in nomine S. Franciſci adhuc ſemel rete mittamus. Ipſius enim fratres in præſenti Capitulo congregati, tali capturâ indigent, & fruentur. Mirabile dictu ! rete trahentes ingentem piſcium etiam nobiliorum magnitudinem concluſerunt : & ne voto ſuo deeſſent, liberaliter Capucinis de ea capturâ participârunt. Hoc ipſo anno in feſto Portiunculæ alii etiam piſcatores in nomine Capucinorum rete miſerunt, navémque haud absque ſtupore halecibus Acronianis impleverunt.

Puerulus Conſtantienſis ex apoſtemate ad mortem decumbens habitu S. P. Franciſci veſtitur ; quo inſtantaneè factum, ut apoſtemate impunè rupto puer integrè convaluerit.

Osvvaldus Heller à debitore ſuo exegit decem florenos : ſed hoc debitum conſtanter negante, & pernegante Creditor non Judicem, ſed Advocatum D. Antonium per Capucinos deprecatores adiit. Et en ! altero die debitor conſcientiæ angoribus ſubitò, ut ajebat, immiſſis adactus Creditori ſe præſentem ſiſtit ; fatetur debitum, & hoc paratis pecuniis expungit, ſimiles angores obruerunt virum ex ruſtico militem, qui deſertâ domo,

mo, uxore, & liberis in Lotharingiam uſque profugus ibidem militiæ nomen dederat. Afflicta enim uxor precibus ad divum Antonium per ſe, & Capucinos Möſskirchenſes fuſis obtinuit, ut vir refuſo pretio dimiſſionem flagitaverit, eáque obtentâ domum redierit.

Alius vir in hoſpitio loci Raſt dicti, haud procul Möſskirchio, ex vino liberaliùs hauſto altum ſoporatus eſt; cui dormienti fur quidam decem florenos ex marſupio ſurripuit. Sibi redditus, furtúmque advertens recto gradu ad Capucinos properat, & Miſſæ ſacrificio, ac Reſponſorio in honorem S. Antonii conductis non diffidit ſe his remediis indemnem evaſurum. Nec id vanè: nam fur ſequenti nocte ipſos decem florenos per feneſtram in dictæ cauponæ hypocauſtum projecit, & auffugit.

In cenſum libitinæ poſt exactam religioſam vitam venerunt

P. Wilibaldus Neoburg. Guard. Rottvvilæ 20. Jan. P. Seraphinus Wolfacens. Sacerd. Offenburgi 7. Febr. F. Franciſcus Marchiobad. Laicus Lauffenburgi 5. Mart. P. Renatus Friburg. de quo in prædic. qual. litt. R. P. Cæſarius Munderking. Confeſſar. Rottenburgi 21. Mart. P. Gabriel Veldkirch. Sacerd. Waldishutti 22. April. F. Caſimirus Ending. Cler. Badæ 20. Maji. P. Ferdinandus Ravenspurg. Guard. Biberaci. 2. Oct. F. Leander Ranckvvilanus Laic. Friburgi. 26. Novemb. P. Germanus Delmontanus Guard. Friburgi 23. Decemb. *Summa 10.*

P. Ferdinandus in Tyrocinio, cui famâ ſanctitatis notiſſimus ille P. Jo. Chryſoſtomus ex Beüren præerat, tam immani dentium dolore torquebatur, ut extra ſenſum rapi videretur. P. Moderator ſuadet juveni devotionem quandam, & votum erga S. Apolloniam V. & M. Obtemperat ille, & poſt preces vovet, ſe in ejus honorem nullas in tota vita ſua nuces comeſturum. Et ecce! momento dolores ceſsârunt. Poſt multam annorum intercapedinem inadvertenter nucem maceratam melle coctam comedit: quo facto repentè odontalgia recruduit, peſſiméque cruciari cæpit. Hìc illi votum hujúsque oblivio, licèt inculpabilis in mentem venit: quapropter dolens illud renovat, & ſic denuò dolores inſtantaneè mitigatos ſenſit.

Habitu Seraphico ardenter ſuſpirato induti ſunt

F. Juvenalis ex Ludeſch Laic. F. Nathanaël Friburg. Cler. F. Seraphinus Veldkirch. Cler. F. Timotheus Haslacenſ. Cler. F. Benedictus Brigantin. Cler. F. Gabriel Conſtant. Cler. F. Arbogaſtus ex Engliz Laic. F. Paulinus Veldkirch. Cler. F. Magnus Möſskirch. Cler. F. Hortulanus Bludentin. Laic. F. Donatus Conſtant. Cler. F. Wilibaldus Friburg. Cler. F. Hieronymus ex Schnüfis Cler. F. Michaël ex Zaiſenhofen. F. Placidus Friburg. Clericus. *Summa 15.*

Circa unum horum, F. Timotheum, durante Novitiatu, mirabile quid contigiſſe compertum eſt. Ægrotabat is ex ulcere pectus occupante; quem ideò ad Matutinum comparentem P. Guardianus choro exeſſe, & in hypocauſto retrò fornacem preces Canonicas perſolvere jubet. Paret iſte, & in precum curſu titillatur tentatione juxta ægrorum privilegia ſedendi. Sed rejectâ inſtigatione pergit de genu precari. Dum ad lectiones veniſſet, graviori jam ad ſeſſionem impulſu fertur, impunem uti-

que, cùm aliàs in Choro ſederi ſoleat. Reſiſtit tamen iterùm, & quidem uſque ad nonam Lectionem ; ſub qua tandem victus nonnihil reſedit. Et ecce! momento ad feneſtram retrorsùm effuſiſſimos cachinos à quodam editos clariſſimè, & tremens percipit ; adeò etiam gravi lapſu ante feneſtram humi delabebatur aliquid, ut totum Refectorium contremiſceret. Tyrone in ſtuporem, ac metum conjecto editur quispiam ſonitus vehementior, ac ſi equus citato præter feneſtras curſu hinc inde quadrupedaret. Ex quo manifeſtè deprehenſum eſt, dæmonem ob hanc unicam ſeſſionem, de ſe non illicitam, triumphum egiſſe. Quid faciet, aliis non ægrotis, & ad Horas Canonicas adſtrictis, totum Breviarii curſum ſedendo deproperantibus.

Annus Chriſti 1674. Provinciæ diviſæ 7.

Clement. X. 5. | Leopold. I. 16. | Cardin. Roſpiglioſi Protect. 2.

Franc. Jo. Ep. 29. | P. Stephan. à Cæſen. Gener. 4. | P. Marc. Jacob. Cellenſ. Provinc. 1.

Die 7. Aprilis Cellæ Ratholdi congregati RR. Patres præter alia Ordinis negotia reſolverunt quoque typum vitæ B. Fidelis Sigmaringani martyris per R. P. Lucianum Montifontanum ſub titulo Probaticæ Ciſarulanæ &c. latinè, & germanicè compilatæ : & latini quidem idiomatis exemplar Auguſtiſſimo Imperatori ; germanici verò Auguſtæ inſcriptum fuit : quo non ſolùm eximiè delectati ; ſed & Auguſtiſſimus Imperator permotus fuit, ut efficaciſſima recommendatione cauſam Canonizationis B. Fidelis Mart. apud ſummam ſedem urgendam aſſumpſerit. Has easdem inſtantias ſummo Pontifici depoſuit Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus Elector Trevirenſis, quas propriis quoque ſupplicationibus ſecundârunt Celſiſſimi ac Reverendiſſimi DD. Epiſcopi Curienſis & Conſtantienſis. Nec *minùs in* ſocietatem talium precum venit Sereniſſimus Princeps Hohenzolleren-Sigmaringanus. Porrò & Univerſitas Friburgenſis, & Magnifici Helvetiæ orthodoxæ Cantones ſimilibus precum armis arcem Vaticanam arietârunt.

Æſtate his ſacris occupationibus inſumptâ, & P. Perfecto ad deponendam provincialatûs curam ultra triennium geſti ardente illuxit dies 6. Septembris, in quem conſcriptum fuit capitulum Brigantii celebrandum. Hîc ergò canonicis ſcrutiniis provincialatum aſſecutus eſt A. R. P. Marcus Jacobus Cellenſis : ad Definitoriatum aſſumpti ſunt RR. PP. Placidus Friburg. Elzearius Friburg. Pancratius Engenſis. Florinus Oberſtorffenſis.

Bellum in Alſatiam, & palatinatum jam propagatum carmen, & væ paſſim protuberavit. Acies enim Cæſaris conflata copiosè per partes Sueviæ, *inferioris* Brisgojæ in Aslatiam pergens ubique vaſtationem procreavit ; hâncque duplicavit inde rurſùs ad hybernia tranſiens ; copiis Cæſareanis in Sueviam ; Brandenburgicis in Franconiam locatis.

S. Antonius variis ſe invocantibus benignum, & ſalutarem exhibuit. In pago Luſtnau filiola bimula in lacunam quinque pedibus altam, in qua canabis macerari ſolet, lapſa, & capite deorsùm in fundo, pedibus ſurſùm

sùm erectis hærens, atque ſic aquæ à capite uſque ad genua immerſa, ac penitùs ſuffocata à mæſtiſſimis parentibus reperitur, jámque ut funus ad ſepulturam paratur. Poſt vota autem ad S. Antonium nuncupata cum omnium ſtupore puellula reviviſcit, & exacto voto integrè ſana apparet.

Meleagrides aliquot cuidam mulieri aufferuntur, furésque à S. Antonio compelluntur, ut juſtum pro ablatis pretium fæminæ conſignarent. Hoc exactore duo annuli perſonæ eorum jacturâ graviter læſæ redduntur. Möſſkirchii pauperi cuidamMercēario omnis pecunia diuturno ſudore comparata ſurripitur: ſed à juvene ignoto pauperi poſt preces ad S. Antonium fuſas via ſua incedenti ſalva reſtituitur.

Sed & B. Fidelis Martyr civi Veldkirchenſi, immanes dolores in crurium altero dolenti remedio absque remedio fuit. Vovens enim trinam templi Capucinorum viſitationem in honorem prædicti Venerab. Dei ſervi peragendam, qui antea greſſum nullum facere poterat, mox à voto edito hujus adimplendi capax evaſit, & abſterſis doloribus liberâ gradiendi facultate donatur. Ejusdem uxor incautè aquam bullientem effundens pedem alterum graviter lædit. Adhibuit Chirurgos; ſed his nil proficienbus aliquot in pede foramina cruciatuum auctaria hiare cæperunt. Miſſis igitur naturalibus, beneficióque mariti à B. Fidele eidem impenſo animata ad eumdem votum quoddam emittit; cujus ea virtus fuit, ut mitigatis doloribus, ſanatísque hiatibus integram valetudinem B. Fideli in acceptis referret.

Inter noſtros poſitis exuviis ſpiritum ad cœleſtes manſiones tranſmiſerunt

P. Theodoſius Arlunenſis Conf. Rhenofeldæ 6. Jan. P. Vitalis Friburg. Sacerd. Riedling. 7. Jan. P. Jo. Damaſcenus Segging. Guard. Novit. Magiſter Rhenofeld. 24. Febr. P. Bruno Neoſtad. Guard. Riedlingæ 4. Mart. P. Hartmannus Rhenofeld. Lect. Veldkirch. 11. Mart. P. Franciſcus Veldkirch. Sacerdos Engæ 30. April. P. Laurentius Marisburg. CC. Badenæ 6. Maji. P. Maximilianus Kislegg. Guard. Wangæ. 14. Maji. P. Elias Klufterenſis Superior. Uberlingæ 17. Maji. P. Alexius Friburgenſ. Sacerd. Haslachi 16. Aug. F. Gallus Offenburg. Laicus Biberaci. 2. Octob. F. Caſpar ex Oberſulmandingen. Laicus Bezavii. 27. Octob.

Summa. 12.

Inter hos præter P. Laurentium in Prædic. Qual. relatum, & P. Maximilianum inter Miſſionarios deprædicatum P. Jo. Damaſcenus ſumma religioſitate enituit, & Novitiis vitam Religioſam docendis adhibitus ſuam perfecit, ſimilíque, ſancto nimirùm fine concluſit. Eorum autem, quos à ſæculi fluctibus ad portum Religionis hoc anno adduxit, nomina ſunt ſequentia.

F. Leander Stauffenſ. Laic. F. Leo ex Scheer Sacerd. F. Joſephus Bezavienſ. Laic. F. Generoſus Wilerſtad. Cler. F. Euſtachius Friburg. Cler. F. Juniperus Hechlingan. Laicus. F. Edmundus Friburg. Clericus F. Bruno Ravenſpurg. Cler. F. Caſimirus Ettlingan. Cler. F. Ferdinandus Brigantin. Clericus F. Jo. Damaſcenus Veldkirch. Cler. F. Sylvanus ex Herdvvang Laicus F. Archangel. Brigantin. Clericus F. Leonardus Maſſopolita-

litanus Cler. F. Monaldus Bezav. Laicus F. Manſuetus Rottvvilanus Cler. F. Gaudioſus Veldkirch Cler.

Summa. 17.

Circa horum Anteſignanum, P. Leonardum, extraordinarium caſum contigiſſe accepimus. Nondum adhuc tyro iſte in habitu religioſo foràs Monaſterium emiſſus fuerat; qui tamen tempore recreationis ante dies eſuriales concedi ſolitæ pallia ante refectorium pendula intuens, ſi quando egredi juberetur, quale ex illis electurus eſſet, deliberabat; imò & elegantius illorum indutus, & peryſtilium ingreſſus, quemadmodùm aptè quadraret, experiri volebat. Dum ergò ita ſe ipſum contemplatur, en! ſubitò virum quendam inſolitæ magnitudinis, prolixâ barba crinitum, clericali tonſurâ in capite tonſum, pallio tamen Capucino indutum, prominentibus infra pallium caligis largè braccatis, quales Helvetorum eſſe ſolent, præſentem habet; qui ridentis geſtu novitio approximans tanto hunc terrore obſtupefecit, ut erectis in altum capillis, abjectóque pallio velociſſimè ad refectorium confugerit; quem eò properantem horribile Monſtrum inſequitur, & manu in hypocauſtum protenſa prehendere nititur. Juvenis in funus palleſcere ipſe rem geſtam Magiſtro fideliter recenſet; à quo de commiſſa qualicumque levitate larvam hanc alliciente, paternè corripuit, & à committenda deinceps dehortatur.

Annus Chriſti 1675. Provinciæ diviſæ. 8.

Clement. X. 6. | Leopoldi I. 17. | Cardinal. Roſpiglioſ. Protector. 3.

Franc. Jo. Ep. 30. | P. Stephani à Cæſen. General. 5. | P. Marci Jacob. Cell. Provinc. 2.

Hic annus Ordini noſtro criticus, veréque funeſtus eſſe videbatur.

Reverendiſſimus P. Generalis nationi Hiſpanicæ odioſus, Neapoli, quò curſum viſitationis direxerat, exeſſe jubetur, & terris Hiſpaniæ pedem inferre diſtrictim prohibetur.

In alia quadam provincia nonnemo Pater, & F. Laicus Capucini, ob leviſſimam ſuſpicionem, quaſi Magnati alicui mortem eſſent machinati, ignominiosè ad carceres rapiuntur; imò præſente jam carnifice, & inſtrumentis in conſpectum propoſitis Commiſſarii Inquiſitores torturam eis intentabant, nî ſpontè ſe reos confiterentur. Tunc enim verò bonus Pater juſtiſſimo zelo pro Religionis honore potiùs, quàm vitæ amore, inflammatus adversùs crudelem hanc, omnibus legibus contrariam cum perſonis Eccleſiaſticis procedendi formam proteſtatur, & Chriſtum, cujus Crucifixi ſimulacrum prehenderat, innocentiæ ſuæ teſtem tanta emphaſi invocat, nil veritus etiam ad tremendi Judicis tribunal contra accuſatores, & calumniatores provocare, ut Commiſſariis lacrymæ oborirentur, hîque non auderent ulteriùs progredi; ſed ad Principem regreſſi egerunt, ut innocentes abſolverentur, ac dimitterentur, ſolenniſſima perſona hujus tragædiæ auctrice poſteà brevi morte extinctâ.

Nec noſtra provincia ab amaro calicis iræ potu exempta manſit; cùm præter

præter maximæ, & deteſtandæ notæ proſtitutionem excidium urbis, & Conventûs noſtri Neoburgenſis ſuſtinere debuerit, de quo in prædic. paſſ. quoad loca.

Roma conatibus noſtris promovendo canonizandi B. Fidelis negotio adhibitis adverſata Recommendatrices Magnatum preces, quarum priori anno injecta mentio, fruſtrare videbatur.

Die 6. Maji RR. PP. Ravenſpurgi congregati, ne inter tot mala regularis quoque diſciplina peſſumiret, conſilia agitantes remediandis præteritis, & præcavendis futuris animum applicuerunt, eáque conſilia præſcripſerunt cæteris.

In hac Congregatione concluſum fuit à Reverendiſſimis DD. Epiſcopis licentiam exorare ordinandos noſtros mittendi ad proximum quemque Epiſcopum abſque dimiſſorialibus; cùm ob temporum injurias non ſemper pateret via adeundi proprium Epiſcopum. Et hæc gratia facta eſt.

Die 1. Octobris RR. Patres denuò, negotiis, & calamitatibus urgentibus Möſskirchii congregantur; ubi pro exulantibus fratribus Neoburgenſibus diſpoſitio facta; & controverſiæ, ſeu harum occaſiones ratione limitum cum provincia Helvetica, compoſitæ fuerunt.

Fervente inter Cæſarem, & Gallum cruentiſſimo bello exitiales flammæ quaquaversùm erumpunt. Incenſores Gallici Brisgojam totam devaſtant, & igne ferróque graſſantes præter Neoburgum alia quoque loca in cineres redigunt, aliis innumerabili pecuniarum pretio incolumitatem ſuam mercatis. Belli theatro intra Offenburgum, & Argentinam locato regio illa omnimodæ vaſtationi obnoxia etiam religioſas domos, præſertim noſtras in ærumnarum ſocietatem traxit.

Excellentiſſimus D. Baro de Neveu Cæſarei Reſidentis nomine Argentorati ſedem figere juſſus eò omnibus diebus Dominicis, & feſtivis è conventu Offenburgenſi Confeſſarium Sacerdotem vocavit, quo non ſolùm ipſe D. Reſidens cum ſua familia; ſed & plurimi alii Catholici omnis ſtatûs, & ſexûs, ad ſpiritualia obſequia uſi ſunt.

In agro Saſpacenſi exercitus Gallicus à Cæſareano extrema ſtrage afficitur ipſo Turennio campi Mareſchallo cum decem primoribus Polemarchis, & multis millibus gregariorum deſideratis. In defectu paſtorum Caſtrenſium patres noſtri Offenburgenſes in locum certaminis evocati multis agonizantibus, & vulneratis auxilio, & ſolatio fuerunt. Offenburgi fœmina quædam à medicis conclamata facto ad S. P. Franciſcum ſtigmatizatum curandi nimirùm pingi Effigiem ejus cum S. Stigmatibus, voto, cum omnium admiratione incolumis evaſit.

S. Antonius verò plurimis in variarum rerum jactura; ut panni à militibus ablati, pecuniarum, annulorum, zonarum argentearum mirabilem ſe præſtitit indemniſatorem. Graſſante febri, quam vocant Hungaricam, & quodammodo contagioſam plures è noſtris in officio charitatis conſtituti eam ſibi ad mortem temporalem hæreditarunt: alii aliis morbis ſublati ſunt. Nimirùm

P. Antonius Schopfens. Guard. Uberlingæ 3. Jan. P. Archelaus ex Gözis Conf. Badæ. 6. Feb. F. Waltherus Bezav. Laic. Wilerſtad. 29. Mart.

Ad tramitem prædictæ Conſtitutionis Clementinæ Capitulum ſesquiennale, quamquam belli calamitas id omiſſum exigeret, celebrari debuit, quod igitur numero quintum in provincia diviſa ad diem 17. Aprilis Waldishutti celebrandum indicitur : in eo provinciæ præfectura A. R. *P.* Marco Jacobo permanſit ; Definitores autem emerſerunt RR. PP. Placidus Friburg. Perfectus Conſtant. Franc. Joſephus ex Busmanshauſen. Florinus Oberſtorff.

Denuò aliquæ difficultates circa provinciarum noſtræ, & Helveticæ limites ſuſcitatæ deciduntur, & Dieſſenhovium jam in primævo diviſionis inſtrumento Anterior-Auſtriacæ adjudicatum de novo eidem confirmatur.

Hoc anno Sereniſſimo Duce Lotharingiæ ſummam rei militaris pro Cæſare adminiſtrante Philippiburgum ſeveriſſima obſidione Gallis extortum fuit ; quam victoriam altefatus ſereniſſimus potiùs cæleſti, quàm humano armorum auxilio tribuit. Singulis diebus, dum Offenburgi caſtra metatus eſſet, duobus ſacris de genu meditabundus interfuit ; & benedictionem cum venerabili Sacramento ſemper expoſito à noſtris ſibi impertiri voluit : frequenter, præſertim ante bellicas majoris momenti expeditiones conſcientiam exhomologeſi expiare, & ſynaxi ſemet roborare ſolitus, Princeps in Ordinem, & Provinciam hanc, atque Conventum præſertim Offenburgenſem ſanè beneficentiſſimus : quem ipſum Conventum in hoſpitium elegit Sereniſſimus Dux Saxo-Lauenburgicus, ſupremus ſiniſtræ Alæ Equeſtris Mareſchallus, febri correptus, & curæ cuidam vacaturus, qui ſemper unum è familiæ patribus ſibi præſentem voluit, teſtatus, ſe de P. Generalis licentia ſemper habitum Capucinorum ſecum vehere, eo contegendum, quandoque, & ubicunque moriturus eſſet.

Decernitur ſecundus Novitiatus, ut provinciæ plurimis viris per mortem minutæ utilitati profuturo meliùs proſpiciatur.

Hujúſce anni die 5. Octob. frequentatur Lauffenburgi Congregatio negotiis fæcundiſſima : inter alia Illuſtriſſimo D. Baroni de Welden Lauphemium nobis offerenti pro hîc & nunc datur negativa.

Divus Antonius, ſi unquam prioribus annis, ſpecialiter hoc currente ſtupenda prodigioſi patrocinii ſui teſtimonia edidit ; ex quibus unicum (cæteris plurimis ad generales Ordinis annales accenſitis) delibamus.

Inter Præſidiarios Rhenofeldæ milites gregarios quidam hæreſi à parentibus inſtillatæ tantâ pertinaciâ inhæſit, ut nullis adhortationibus, nullíſque rationibus ſaniora ſe doceri ſuſtinuerit. Accidit, ut diuturno, lethalíque morbo affligeretur, & magnis jam paſſibus ad extrema deveniret. Quamobrem domeſtici ægro vehementiùs imminuerunt, ſectæ inanitatem demonſtrárunt, validis argumentis Religionem Catholicam unicè ſalvificam perſuaſerunt, & infelicem, proximéque inſtantem æternitatem, nî reſipiſceret, denuntiárunt. At ſurdo fabulam. tandem verò affulgente ſuperni luminis gratiâ ſaniora admittit conſilia, deteſtatur hæreſin, amplectitur ſacra orthodoxa ; & ab uno noſtrûm poſt neceſſa-

riam inſtructionem primò ab hæreſi ; deinde & à peccatis, quæ generali confeſſione eidem detexerat, abſolvitur, jámque S. Synaxim ſumere parat, ſed ecce ! ſubitò cæpit animo linqui, & ab omni ſenſuum officio alienus nullum vitæ ſignum præſeferre ; adeò ut brevì vel acturum, vel jam egiſſe animam præſentes crederent, & Capellanus cum S. Viatico actu diſceſſum meditaretur. In eo Articulo Capucini miſerum hunc Catholicum quoque viaticatum exoptantes in preces, pedésque effuſi conſueto Reſponſorio prodigioſum S. Antonium in vota ciere frequenter incipiunt. Mirum dictu ! precibus vix dum abſolutis, ilicet ægro ſenſus, vóxque redit, eóque uſque perſeverat, donec acceptis devotiſſimè ſacris epulis felici ſomnô & oculos clauderet, & vitam.

Inſuper & acris in S. Meditationis neglectores, & prona in S. Antonii clientes numinis benevolentia illuxit, memorabili ſanà ad poſteros exemplo. Advectum erat in noſtrum Cænobium Rhenofeldenſe prægrande Saxum, ſolidando circa fontem pavimento deſtinatum. Accidit autem, ut è familia Pater aliquis ſacrum, quo alii piis vacabant meditationibus, tempus frivolis negotiis extra chorum profanaret. Inde fallendi temporis gratiâ vagus hinc inde cæpit obambulare,& ſeu caſu,ſeu curioſitate, ad prædictum Lapidem delatus, admiratione primò ſuſpenſus ſubſiſtere, dein ſpectandi deſiderio ulteriùs progredi, & totus jam jucundo adeò ſpectaculo paſcere oculos. Aſt hem victricem neglectæ orationis de Cœlo Nemeſin ! dum ſui incurius oculis manibúsque cautem curioſiùs explorat, præcipiti lapſu tota moles à nemine mota, nec facilè mobilis in incautum procubuit, haud dubiè ruinâ infelicem ſepultura, nì lucidiſſimum cœli, Paduæque ſidus, Antonius, ad quem corde, & ore clamans ille confugerat, ruentis Saxi violentiam nonnihil fregiſſet, & patrocinante manu adfuiſſet oppreſſo. Verùm enim verò magnitudinem miraculi illuſtriorem facit lapidis magnitudo ; quæ tanta profectò fuit, ut ſex etiam robuſtiſſimorum fratrum vires ſuperaret. Exoriri intereà ſubitus clamor, & totum Monaſterium tumultu miſceri : hinc feſtino gradu omnes ad afflictum advolare ; alii ſaxum amoliri ; alii ſuccumbentem ſub lapide eximere, & refocillare ; ſinguli denique S. Antonii merita certatim extollere, & ſuam patri ſalutem gratulari. At ille, relicto in pede uno, miraculi teſte, vulnere, tam manifeſto edoctus periculo, cavere impoſterùm, & ſapere didicit.

Geſtatus quoque S. Franciſci habitus votivus vim ſanè miraculoſam exſeruit. D. Bartholomæus Spanbrugger Officialis Möſskirchenſis habuit filiolum ſibi Synonimum ab utero matris per biennium adeò morbidum, morbóque emaciatum, ut vix oſſibus hærens nec greſſum figere, nec cibum ſumere potuerit, ſed liquoribus,& confortativis ſuſtentari debuerit. Poſt tentatam incaſſùm plurimam medicinam denique D. Parens miſellum curæ SS. Franciſci, & Antonii devovet, ſpondétque ſe puerum habitu Capucinorum veſtiturum : in quem finem eum jam ſic veſtitum altari S. Antonii imponit. Ex eo quaſi momento æger meliùs habere, vivaciùs colorari, vegetari, commedere, creſcere, & ambulare cæpit, & ſucceſſivè integrè ſanus evaſit.

Sed

Sed & B. Fidelis Martyr. multis calamitoſis incolumitatem attulit. Biberaci, Veldkirchii, Giſingæ fæminas in partu laborantes, & unà cum fætibus deſperatas invocatus felices puerperas fecit. Offenburgi, Neoſtadii, & iterùm Veldkirchii miraculosè ab hectica, febri maligna, & morbo caduco immunes evaſerunt.

Demùm mors in ſcena, quæ immiti falce plures in agro provinciæ demeſſuit, quàm provincia commodum tulerat.

P. Jo. Evangeliſta Lauffenburg. CC. De quo in Prædic. actionis. P. Victorinus Cellens. Sacerdos. F. Egidius ex Mellau. Laicus. F. Jo. Baptiſta Conſtant. CC. de quo in Prædic. qualit. litt. I. F. Fructuoſus Ettlingan. Laicus. F. Menradus ex Mühlen. Laicus. P. Lazarus Rottvvilan. Conf. P. Bernardinus Möſskirch. ſtud. Sacerd. P. Henricus Biberac. Guard. de quo in prædic. qualit. litt. H. P. Chriſtianus Lauffenburg. Guard. de quo in prædic. Paſſ. quoad perſonas. P. Victor Stauffenſ. Lector. P. Valerius Solodor. Sac. P. Angelus Friburg. Sacerd. ſtud. F. Prothaſius ex Mellau. Laic. P. Magnus Stauffens. Lector. de quo in prædic. Qualit. litt. M.

Summa 15.

Cùm ſapiens Eccli. 1. c. dicat, generatio præterit, & generatio advenit. ideò etiam illos ſubjungimus, qui hoc anno in vicem defunctorum Religioni, & provinciæ nati ſunt.

F. Caſparus ex Simmerberg. Laic. F. Reginaldus Rottvvilanus Cler. F. Joan. Joſephus Friburg. Cler. F. Cæſarius Veldkirch. Cler. F. Magnus ex Engentritt Laic. F. Cornelius Waldishuttanus Cler. F. Marianus Seggingan. Cler. F. Caſſianus Conſtantien. Cler. F. Chriſtophorus Conſtant. Laicus. F. Engelbertus Veldkirchen. Cler. F. Cyprianus Friburg. Cler.

Summa 11.

Annus Chriſti 1677. Provinciæ diviſæ 10. Innocentii XI. 2. | Leopoldi I. 19. | Cardinal. Acciajoli Protector. 2. Franc. Jo. Ep. 32. | P. Stephani à Cæſen. General. 7. | P. Perfecti Conſtant. Provinc. 1.

Die 27. April. Marchdorffii RR. PP. Congregatio habita fuit. Poſt quam P. Provincialis accepit litteras à R. P. Ildephonſo Auſtriæ Provinciali, nuntiantes, ſe in provincia ſua, conſtitutione Clementis X. p. m. licèt nullibi, niſi Romæ promulgata, & ad inſtantiam Auguſtiſſimi Imperatoris edita fretos ſtatuiſſe optima fide in capitulo ſuo eligere duos Cuſtodes ad capitulum generale ituros. Cùm interim provincialatus ad triennii complementum declinaret, præfatus P. Provincialis noſter capitulum Conſtantiæ die 17. Septembris, ordine ſextum, promulgavit celebrandum, patrésque decreverunt ſine ulteriori indagatione exemplum Auſtriacum imitari, atque in futuro capitulo duos Cuſtodes eligendos proponere. Poſtquam ergò juſtis ſcrutiniis A. R. P. Perfecto provincialatus

iteratò obtigiſſet, & RR. PP. Placidus Friburg. Pancratius Engenſ. P. Iſaias Ehinganus, & Franc. Joſephus ex Busmanshauſen Definitores evaſiſſent, in hujusmodi Cuſtodes Romanos electi fuerunt RR. PP. Placidus Friburg. & Marcus Jacobus Cellenſis.

In hiſce ſcrutiniis per errorem raro auditum quinque Definitores electi fuerant, P. Iſaia Ehingan. & P. Aloyſio Veldkirchenſi paria omninò vota ferentibus. Inde gravis quæſtio oriebatur, an vel totum ſcrutinium per hunc caſum vitiaretur? vel an ex duobus Patribus parium votorum Senior pro electo habendus eſſet? vel an ad novum ſcrutinium ſuper his ſolis duobus Patribus, aliis omnibus pro concurſu paſſivo excluſis, foret procedendum? concluſum eſt tandem, neutrum ex duobus illis pro electo habendum; unde ſcrutinium novum, & abſolutum, omnibúsque ad vocem quoque paſſivam admiſſis repetendum eſſe; in quo ſors ſupra P. Iſaiam cecidit.

Hoc anno truculenti Martis ferociam expertus eſt Conventus Mahlbergenſis, ut in prædicam. Quantit. & paſſionis, quoad loca dictum.

Habitus S. P. Franciſci Prænobili puero Antonio Joſepho de Michaëli Veldkirchenſi omni gradiendi facultate deſtituto ad plenam nervorum relaxationem, plantarúmque ſolidationem votiva geſtatione profuit.

S. Antonius Paduanus in agro Villingano cuidam ruſtico 12. florenos à fure è ciſta elapſos: Conſtantiæ prænobili fœminæ duos maximi pretii uniones caſu, ſeu furto perditos: in pago Noſelz propè Veldkirchium bovi jam deſperato incolumitatem: Veldkirchii cauſam juridicam propè conclamatam: ibidem præſtantis nominis mulieri pretioſam tiaram per virtutem Reſponſorii reſtituit, ſervavit, & reparavit.

B. Fidelis Martyr tantò magis orbi inclareſcere perrexit prodigiosâ beneficentiâ, quò minori locô Romæ habebantur Magnatum inſtantiæ ad promovendam ejus Canonizationem nuper oblatæ. Illuſtris Domina de Schröckenſtein, nata de Rietheim, & Joſephus Neyer ædituus in Burs ab intolerabili cephalgiâ: Simeon Neinhaz in Dorrenbüren: R. D. Jacobus Haffner Beneficiatus Veldkirchenſis ab immaniſſima odontalgiâ: Virgo Maria Adelhaidis Jurgin in Melz à lethifero morbo: Reverendiſſima D. Præpoſita in Riederen à Catharrho ſuffocativo: fœmina parturiens in Altenſtatt à graviſſimo partûs diſcrimine: Catharina Beckin juvencula Veldkirchenſis ab oculorum cæcitate: prædictæ puellæ frater, Vincentius à domeſtico, & terribili ſpectro afflatus, & attactus de repente quinque nigris tuberibus ſtigmatizatus, omníque exinde pedum uſu deſtitutus ab hac calamitate meritis, & interceſſione B. Fidelis piè invocati, & aliquo devotionis penſo demulſi optatiſſima omnes incolumitate potiti fuerunt.

Capucini etiam in loco Stauffen Brisgojæ mira præſtiterunt. Urbem enim à Gallis incenſam, cum reſtingendis flammis aquarum affuſione non ſufficerent, injectis rebus ſacris graſſanti elemento repagulum objecerunt, urbémque ex parte ſervârunt.

In

In agro Biberacenſi P. Guardiano ejus Conventûs ex oblivione intermittente ſchedulam promulgatoriam Indulgentiarum Portiunculæ in parochiam Baltringen ſubmittere, ipſa B. V. Deipara hanc omiſſionem reparare voluit. Nam A. R. D. loci Parochus fide digniſſimus, & ſenectute octogenariâ venerabilis ſacra die dominico feſtum præcedente peracturus ad Eccleſiam pergens propè ſtatuam B. Virginis Mariæ invenit ſchedulam easdem indulgentias promulgandas complectentem; quam ſublatam poſt concionem è cathedra recitat. Poſt divina curioſus, quis attuliſſet ſchediaſma, inquirit; ſed à nemine quidquam experiri potuit: ſed neque ſchedulam, ut exploraret ſcribentis manum, jam inviſibilem, ampliùs reperire valuit. Igitur id divinitùs geſtum Capucinis omiſſionem faſſis, & erubeſcentibus, recenſuit ad cautelam, & ſolatium.

Ad vitam immortalem, relicta mortali abierunt

F. Caſimirus Ettlinganus Cler. de quo in prædic. qual. litt. C. P. Syneſius Cellenſ. Sacerd. P. Feliciſſimus Offenburgenſ. CC. P. Elzearius Friburg. Definit. de quo in prædic. qual. litt. E. P. Januarius Worblingenſ. Definit. Guard. de quo in prædic. qual. litt. I. F. Rochus ex Deüringen Laic. P. Joſephus Conſtant. Guard. P. Adjutus Montiſont. Guard. de quo in prædic. qual. litt. A. F. Adjutus Gamundian. Laic. F. Probus Juliomagens. Laic.

Summa 10.

P. Syneſius vir ſimplex, & rectus, Deo, ac beatiſſimæ Virgini Mariæ apprimè deditus ad ſupremam ſenectam Ordinis rigorem religioſiſſimè tulit, narrare ſolitus, ſe in quodam habitâſſe Conventu, ubi fratris alicujus defuncti cella multo tempore à ſpiritu adeò infeſtata fuerit, ut nemo illam auderet ingredi, multò minùs incolere. Quapropter decretum fuiſſe cellam illam deſtruere, & in ea regione ſcalam ex inferioribus ad ſuperiora ædificare. Dum igitur hæc cella confringeretur, retrò tabulatum repertam eſſe ſchedulam articulis contra fratres benè fartam; quam cùm P. Guardianus ſibi allatam combuſſiſſet, omnem deinceps tumultum in dormitorio perterrefacientem deſiiſſe.

Ad præfatos fratres reſtaurandos Religioſam inter Capucinos vitam auſpicati ſunt

F. Jacobus Friburg. Laicus. F. Angelus Friburg. Cler. F. Jeremias Rottenburg. Cler. F. Martinus Friburg. Cler. F. Laurentius Waldishuttanus Laic. F. Osvvaldus Tugiens. Cler. F. Florimundus ex Vaduz Cler. F. Sixtus ex Weiler Cler. F. Matthæus Immenſtadienſ. Laicus.

Summa 9.

Annus Chriſti 1678. Provinciæ diviſæ 11: Innocent. XI. 3. | Leopoldi I. 20. | Cardinal. Acciajoli Protector. 3. Franc. Jo. Ep. 33. | P. Bernardin. à Portu Mauritio Gener. 1. | P. Perfecti Conſt. Provinc. 2:

Ante diſceſſum RR. PP. Provincialis, & Cuſtodum ad Generale Capitulum conventio habita fuit; & inde ſecundis avibus Romam petierunt;

runt; ſed non ſecundis rebus Capitulum ibi præparatum invenerunt. Summus namque Pontifex (neſcitur, cujus inſtinctu) liberam Capitularium electionem coarctans quinque Ordinis Patres, omnes Italos; P. Bernardum à Portu Mauritio, P. Iſaiam Mediolanenſem, P. Jo. Baptiſtam à Sabbio, P. Franciſcum de Seſtri, P. Sanctum de Verona per Eminentiſſimum D. Cardinalem Protectorem propoſuit, ut unus ex iis Miniſter Generalis, & unus Curiæ Procurator eligeretur: per quod Breve Apoſtolicum Ultramontani omnes à voto paſſivo ad hæc duo munia excluſi fuerant. Eodem tempore per eumdem D. Protectorem ejusdem Pontificis juſſu ab activo concurſu excluſi ſunt illi Patres Cuſtodes, quos Provinciæ Italicæ ad ſuperanda multiplicatarum Ultramontanarum vota ſub favore Bullæ Urbanianæ tanquam ſupernumerarios elegerant: Et ad novas inſtantias Auguſtiſſimi Imperatoris; nec non ad tumultum à PP. Gallis excitatum, producentibus mandatum à Rege Chriſtianiſſimo, vi cujus ipſi à Capitulo diſceſſuri eſſent, ſi prædicti Cuſtodes ſupernumerarii ad concurſum admitterentur, paritas votorum omnibus totius Ordinis Provinciis reſtituta eſt. Condeſcendentes autem omnes Capitulares pro hac vice in reſpectum ſummi Pontificis ad tenorem dicti Brevis ſcrutinia fecerunt, quibus eruti ſunt Reverendiſſimus P. Bernardus à Portu Mauritio Miniſter Generalis. P. Bonaventura à Recanato. P. Ildephonſus Auſtriacus. P. Martinus à Torricella. P. Ludovicus à Juli. P. Carolus Maria Maceratenſis. P. Jo. Baptiſta à Sabbio, Definitores Generales: horúmque ultimus Procurator Curiæ.

R. P. Provincialis cum ſuis Româ in provinciam redux congregationem inſtituit Ravenspurgi die 20. Auguſti; ubi iterùm Illuſtriſſimus D. Baro de Welden per litteras urgentiſſimas comparuit, quibus agebat, ut Lauphemium à noſtris in hoſpitium ſtabile acceptaretur: cui tamen, cùm Celſiſſimus ac Reverendiſſimus D. Ordinarius obſiſteret, *in terminis* annutivis reſponderi non potuit.

Gallis in viſcera Imperii germanici penetrare conatis fortiter reſiſtitur. Rhenofeldâ deditionem recuſante hoſtis receptui canit, & ad fortalitium Rotthuſanum perrumpere tentans validè repellitur; & in Brisgojam excurrit. Actum de Offenburgo fuiſſet, niſi Sereniſſimus Lotharingiæ Dux inſigni reſolutione periclitanti ſuccurriſſet. Per ſummos enim conatus, & ſtupenda velocitate & ipſe cum Cæſaris exercitu Offenburgum contendit, & ne quid Crequius Gallici agminis Dux in urbem auderet, potenter prohibuit, Gallósque in partes Alſatiæ remeare compulit; qui, ne Cæſaris miles Galli perſequendi opportunitatem haberet, Kehlam ad pontis Rheno impoſiti defenſionem excitatum munimentum ſolo æquarunt.

Veſtales Auguſtinianæ Conſtantiam inter, & Uberlingam in ſylva habitantes litteras cenſuales aliquot millia florenorum continentes deperdiderant. Tanto igitur damno triſtes S. Antonii Paduani opem per Capucinorum comprecationes efflagitant; quibus exauditis actum eſt, ut poſt quartum diem, dum operarii gramen in arvo circa Monaſterium demettunt, litteras illas, & ſyngrapha colligata in gramine projecta meſſori-

ſoribus occurrerent; quæ, licèt denſus ros per noctem cecidiſſet, tota tamen ſicca, munda, & illæſa in Monaſterium reportata ſunt.

Conſtantiæ nonnemo annulum plurimis conſtantem amiſit; quem centies in omni loco quæſitum invenire tamen non potuit: ſed S. Antonio devotè, ac meritorie invocato in eodem loco viſibilis apparuit, in quo paulò ante inviſibilis omnem indagandi induſtriam eludebat.

Ibidem perſona quædam plus octingentis florenis neſcio in quas latebras abſcondens mortua eſt. Hæredes ſummæ gnari, ſed ignari latibulorum totam domum ſubvertunt, omniáque perluſtrantes nihil reperiunt. Lucernam igitur accendunt: ideſt, S. Antonium precibus, & ſacrificiis per Capucinos demerentur; cujus favore theſaurus in apricum prodiit, in obvio quodam loco inventus.

Civis item Conſtantienſis cuidam Zvvingliano Helveto ſibi familiariſſimo tradidit quingentos florenos creditori ſuo Epiſcopo-Cellenſi afferendos. Bajulus ultroneâ hac præda illectus fur fieri maluit, quàm redire domum: quapropter civis afflictiſſimus trino ſacrificio, & Reſponſorio S. Antonium advocat, quibus peractis etiam Hæreticus vim S. Antonii experiri debuit. Nam vellicantibus animi ſtimulis fur à deſtinatâ fugâ cohibitus pecunias omnes viro Catholico conſignat in locum ſuum portandas; quod ad debitoris, & creditoris gaudium ritè factum eſt.

Similia idem ſanctus præſtitit in Sateins Immenſtadii, in pago Kaiſten propè Lauffenburgum, Rhenofeldæ, & alibi, quæ publicis tabulis evulgabuntur.

B. Fidelis Martyr. cum S. Antonio certamen beneficentiæ iniiſſe videbatur: tres enim Epilepticos, aliósque miſerè habentes devotè invocatus incolumes reddidit.

Duo quoque ruſtici Brisgoici pecora ſua ab harpiis gallis ſervaturi votum ediderunt, in eleemoſynam unum vitulum pro Capucinis Haslacenſibus mactandi; quo ſanè obtinuerunt, ut dum cæteri agricolæ pecora ſua à prædonibus gregatim abacta lamentrabantur, dictis ſua omnia integra remanerent.

Parciùs hoc anno mors tyrannidem ſuam in provinciam noſtram exercuit, non niſi ſex noſtrorum è medio ſublatis.

F. Domitius Friburg. Laic. F. Archangelus Brigantinus Cler. P. Arſenius Lucernenſis CC. P. Seremus Stauffenſis CC. P. Placidus Friburg. Ex-Provincialis Definitor. De quo in Prædic. Qualit. litt. P. P. Benedictus à S. Blaſio CC. *Summa. 6.*

P. Arſenius in diviſione Provinciarum huic noſtræ ſe aggregavit. Ante ingreſſum Ordinis Sacerdos, & Parochus jam fuerat. In omni ſcientia, practica, & ſpeculativâ inſignis lecturam aliquamdiu utiliſſimè exercuit. In Poëſi ſingulariter felix, lauróque digniſſimus: ſed quod hoc omne multis ſupergreditur paraſangis, vir optimus, & usque ad ſcrupulos piiſſimus extitit.

Podagrâ inutilis effectus præſtitæ utilitatis intuitu minimè pro inutili,

ſed pro emerito ſumma charitate habebatur, ſibi per infractam patientiam utiliſſimus.

P. Benedictus & ipſe vir mitiſſimus fellis expers videbatur. Per aliquot annos adversâ valetudine depreſſus à Choro abeſſe compellebatur, quod eum ipsà ægritudine acriùs cruciabat. Cum nomine conſumati Religioſi vitam poſuit, meliori victurus.

Huic Catalogo lubet ſubnectere Illuſtriſſimum & Generoſiſſimum D. Nicolaum Comitem de Montecuculi, Principis, & Belli Ducis illius famoſiſſimi nepotem; qui cùm ſub Legione Mansfeldianâ Centurionis officio fungeretur, adhuc juvenis Hochburgi obiens Haslachii inter Capucinos tumulum ſibi delegit; ubi die 26. Februarii ab iis ibidem tellure repoſtus eſt.

Fuit & alter, Franciſcus Comes Montecuculus, qui, dum pontem navalem Cæſareani infra Philippoburgum Rheno inſternere conarentur, ipſe pro faciliori hujus negotii expeditione alteram Rheni ripam eò usque contra impreſſiones Gallorum tutari juſſus eſt. Verùm quia hoſtibus agminatim ingruentibus cohibendis impar exiſteret, ipſe in caſu deſperatiſſimo fortiter pro Cæſare, & imperio pugnans occubuit, & morituriens diſpoſuit, ut penès Capucinos in templo Marchio-Badenſi tumularetur, cui & ibi delatum, ipsíque parentatum fuit, ut Epitaphium die 12. Auguſti ipſi poſitum indicat.

Hìc jacet
Magni Raymundi Principis Montecuculi
Fortunarum inſcriptus Hæres,
Sed non fortunæ,
Qui æquis paſſibus & ad gloriam, & ad
Vitæ exitum properavit
Cujus fatum nimis properum
Omnibus viſum
Niſi morti, & ſibi.
Morti,
Quæ dum palmis onuſtum vidit,
Jam ſenem credidit.
Sibi,
Qui cùm pro Cæſare pugnando obiit,
Satìs vixiſſe putavit.

Nepoti ſuo amantiſſimo Franciſco Marchioni à monte Cuculo S. C. M. Camerario, & Marchionis de Grana Legionis Locumtenenti Colonello ſupremus Cæſ. equitatûs Generalis Excellentiſſimus Æneas Comes à Caprara erigi curavit anno 1678. die 12. Auguſt.

Lacunam per ſupradictos fratres defunctos matriculæ provinciæ inflictam reſarcierunt F. Bonifacius Rottvvilanus. Cler. F. Willhelmus

Ett-

Ettlinganus Cler. F. Frobenius Delemontanus Cler. F. Carolus Eugenius ex Schvvaningen Cler. F. Philippus ex Breülingen Laic. F. Clemens Friburg. Cler. *Summa. 6.*

Annus Chriſti 1679. Provinciæ diviſæ 12.

Innocent. XI. 4. | Leopoldi I. 21. | Cardinal. Acciajali Protector. 4.

Franc. Jo. Ep. 34. | P. Bernard. à Port. Maurit. General. 2. | P. Perfecti Conſt. Provinc. 3.

In Capitulo provinciæ ſeptimo die 21. Aprilis Wangam conſcripto A. R. P. Perfectus Conſtant. in proſequenda præfectura ſua confirmatus: RR. PP. Marcus Jacobus Cellens. Pancratius Engenſis. Florinus Oberſtorffenſis. Franciſcus Joſephus ex Buſmanshauſen Definitoriatum conſecuti ſunt electione plana, quali brevior eſſe non potuiſſet.

Publicatur illa conſtitutio Pontificia, quâ ab Auguſtiſſimo Imperatore impetratâ deciſum fuit, ſtructuram cœnobiorum deinceps fieri poſſe ſolo conſenſu Epiſcopi absque recurſu ad ſedem Romanam: item duas Congregationes, & tot viſitationes ab uno Capitulo triennali ad aliud ſufficere.

Hoc non attento ob emergentes Provinciæ neceſſitates extraordinaria habetur Congregatio Cellæ die 17. Julii.

Quòd Hiſpani, & Batavi clandeſtinam cum Gallo pacem iniiſſent, tota belli moles in Cæſarem ſolum devoluta eſt; à quo ut ſe jam ſub cultro infideliter relictus expediret, iniquis conditionibus & ipſe pacem Noviomagenſem; ipſo bello funeſtiorem, mercari compulſus eſt, Friburgo, maximo Sueviæ noſtræ luctu, damno & provinciæ noſtræ periculo, Gallorum poteſtati conceſſo.

Galli per modum ſatisfactionis pro Conventu noſtro Mahlbergenſi, nuper inhumanè exuſto elargiuntur quingentos florenos. Sanè cyclopis donum; cujusmodi ſunt fermè tyrannorum, & latronum beneficia; qui ſolent hoc ipſum magni beneficii locò imputare, quòd non ſeverius nocuerint.

Friburgi noſtris à Gallo denuntiatur Monaſterii noſtri demolitio.

Copiæ Imperiales ad penitiſſimam Sueviæ emunctionem illuc in hyberna locantur.

Benignior hominibus D. Antonius Paduanus, ut quibus hic varia bona exhibuit.

Ruſtico in Kaiſten quatuor boves ſibi abactos: Parthenoni Seggingenſi vaccam à milite magicis artibus è grege attractam, jamque in longinquum vendendam: Lauffenburgi magnam pecuniæ vim militis cujusdam uxori furto ablatam: nonnemini aurigæ Oberdorffenſi in valle Kinzingana, ſomno indulgenti quinquaginta florenos per inſolentes lixas è ſacculo ſurreptos: quibus mulieribus panni linei magnas, & plures quantitates rapacium digitorum prædas: agricolæ Durlacenſi marſupium ære turgidum inofficiosè circumciſum: Biberacenſi equum; & alteri

bovem abſtractum cæleſti machinatione S. Antonius exactè reſtitui fecit.

Lauffenburgenſem puerum parentibus ſuis immorigerum, adeóque fugitivum, & Dynkirchium uſque jam dilapſum S. Antonius novennali devotione à ſorore dicti juvenis peractâ invocatus diſcolum internis ſtimulis velociſſimè repatriare compulit.

Puero Brigantino uſque ad quartum ætatis annum muto linguæ, & loquelæ gratiam attulit. Nec minor B. Fidelis ergà ſibi devotos. Honeſtiſſima fœmina Roſchacenſis à ſurditate: Juvenis Veldkirchenſis ab Epilepſia: civis Confluentinus ab eadem, qua triginta jam annis tenebatur: fœminæ Haslacenſes duæ à partus periculo per merita, & interceſſionem B. Fidelis Martyris, feliciſſimè exempti, ſanique facti ſunt.

Viventium ſocietatem egreſſi in terram viventium, ut piè confidimus transmigrârunt

F. Agapitus Uffholz Laic. P. Sylverius Bezav. CC. F. Noë ex Ferenbach. Laic. P. Gervaſius Villingan. Guard. F. Jordanus Bludentinus Laic. P. Leo Conſtantienſis Sacerd. P. Luceſius Monacens Sacerd. *Summa. 7.*

F. Agapitus cum improbo labore, quo Fabricis fidelem navavit operam, eximiam morum probitatem conjunxit, devotiſſimi Laici teſtimonio munitus è vita exceſſit munitior SS. Sacramentorum uſu.

F. Noë quondam miles, &, ùt vocant, Corporalis, pari fidelitate, qua priùs Cæſari, Deo deinceps militavit; & ipſe laudabili, utilíque converſatione haud exiguum nomen promeritus eſt, haud dubiè in libro vitæ regiſtratum.

P. Gervaſius prudentiâ, maturitate, vitæ auſteritate, & monaſticæ diſciplinæ zelo inſignis inter digniſſimos ætate ſuâ Guardianos computabatur, altiora conſcenſurus, niſi mors eum altiùs promovendum aſſumpſiſſet.

His defunctis noſtris mox aliæ novellæ plantulæ ſuccreverunt

F. Barnabas Rhenofeldenſ. Cler. F. Thomas Stauffenſis Laic. F. Felix Wolfacenſis Clerc. F. Wenceslaus Uberlinganus Clerc. F. Rochus ex Weiler. Laic. F. Prothaſius Ænipontanus Clerc. F. Marquardus Waſſerburg. Clerc. F. Ruffinus Störzinganus Clerc. F. Cherubinus Montifontan. Clerc. *Summa. 9.*

Annus Chriſti 1680. Provinciæ diviſæ. 13. Innocent. XI. 5. | Leopoldi I. 22. | Cardinal. Acciajoli Protector. 5. Franc. Jo. Ep. 35. | P. Bernard. à Port. Maurit. Gener. 3. | P. Marci Jacob. Cellenſ. Provinc. 1.

Die 11. Januarii Congregatio Veldkirchii celebrata fuit à provinciæ patribus, inter quos conventum Regi Chriſtianiſſimo pro ſubſidio ad comparandum novi Monaſterii Friburgenſis fundum, & auſpicandam ibi fabricam ſupplicare. Confectus igitur libellus ſupplex, & Briſaci ab ipſo P. Provinciale Intendanti gallico præſentatus eſt: qui omne auxilium ſuum pollicitus ſupplicantem Friburgum ad facienda præparatoria remiſit.

Capu-

Capucini Friburgenſes interim domui ſapientiæ immigrant. Rex Galliæ ad propoſitam novam ſtructuram bis mille ducentos quinquaginta florenos ſuppeditat. Comparatur area, & non ſine difficultate maxima, urgente ipſo Gallico Gubernatore ad inſignem Magiſtratûs offenſam, ſuſpicati Gubernatorem à Capucinis ad urgendum fuiſſe inſtigatum, primus lapis poſitus eſt, Magiſtratu poſt manifeſtatam Capucinorum innocentiam, inſigniter cooperato, & congratulato.

Sub his, & aliis negotiis, ver, & æſtas defluxerunt, & appropinquavit tempus triennalis Capituli, in quo, provinciæ octavo, Conſtantiæ die 13. Septembris celebrato eligentium ſuffragiis arenda provinciæ denuò obtigit A. R. P. Marco Jacobo Cellenſi; RR. PP. Iſaias Ehinganus, Aloyſius Veldkirchenſ. Franc. Joſephus ex Busmanshauſen, Florinus Oberſtorffens, Definitores proclamati ſunt.

Inter plurima nubila Phæbus aliquis illuxit ad eximium Religionis noſtræ ſolatium, & honorem; dum R. P. Marcus d' Aviano provinciæ Venetæ Prædicator zeloſiſſimus, à ſummis Germaniæ Principibus, nempè à Cæſare, Ducibus Lotharingiæ, & Neoburgico, Electoribus Bavariæ, Moguntino, & Colonienſe, Archi-Epiſcopo Salisburgenſe, Epiſcopis Auguſtano, & aliis expetitus, ubique tot miracula in ſanandis ægris, leproſis, claudis, cæcis, mutis, ſurdis, epilepticis, energumenis, & omnibus aliis calamitoſis patravit, ut jam tota Germania Catholica nil niſi de hoc Thavmaturgo loqui poſſe videretur.

Inſuper & Auguſtiſſimus Imperator R. P. Emericum Sennel à Commoromio in Hungaria, provinciæ ſuæ Definitorem, Cuſtodem, & Guardianum Viennenſem, ſibique per pluſculos annos à conſiliis conſcientiæ exiſtentem Epiſcopum Viennenſem, & S. R. I. Principem conſtituit: cujus elogium vide in Bullario R. P. Michaëlis Tugienſ. tom. 1. fol. 130.

B. Fidelis Martyr filiolæ auditu penitùs deſtitutæ ad hujus reſtitutionem integram prodigioſo fuerat auxilio.

S. Antonius Paduanus periculosè febricitantem optatâ incolumitate donaverat. Reliquiæ S. Fridolini Clingavio, quò ob timores bellicos tanquam in tutum collocatæ per annum quieverant, Lauffenburgum in noſtram Eccleſiam revectæ, & inde per confertiſſimam proceſſionem ad littus Rheni navigabilis deductæ; atque navibus Seggingam Parthenoni reſtituendæ maximo cum jubilo reductæ fuerunt, comitatis has quatuor Capucinis tanquam exoratis, & deputatis ſacri theſauri cuſtodibus.

Inter mortales agere deſierunt actionum ſuarum præmia adituri

P. Robertus Enſishemianus Sacerd. F. Simpertus ex Uttenvveiller Laicus. F. Osvvaldus Uthuſanus Laicus. F. Wendelinus Rottenburg. Laicus. P. Amadæus Marispurg. Guard. P. Jodocus Conſtantien. Sacerd. P. Mauritius Altshuſanus Guard. P. Theophylus Friburg. CC. F. Zacharias Seggingan. Laicus. *Summa 9.*

Horum vice in Regulam S. Franciſci jurârunt

F. Leodegarius Lauffenburg. Laic. F. Leutfridus Neoſtad. Laic. F. Lambertus Friburg. Cler. F. Gervaſius Uberlinganus Cler. F. Menradus Rottenburg. Cler. F. Ignatius Rottvvilanus Cler. F. Michaël ex Wollmanding.

ding. Cler. F. Jo. Evangeliſta Wangens. Cler. F. Amadæus Düringens. Cler. F. Marcus Jacob. Biberac. Cler. F. Gaudentius Argens. Cler. F. Melchior Rottvvilanus Cler. F. Antonius Malterdingens. Cler. F. Didacus Rottenburg. Laicus. F. Mauritius Oenipontan. Cler. F. Marinus Oenipontan. Cler. F. Januarius Achenſis Tyrol. Cler. F. Caſimirus Dillingan. Cler. F. Illuminatus Steinhemienſis Cler. *Summa 19.*

Annus Chriſti 1681. Provinciæ diviſæ 14. Innocent. XI. 6. | Leopoldi I. 23. | Cardinal. Acciajoli Protector. 6. Franc. Jo. Ep. 36. | P. Bernard. à Port. Maurit. Gener. 4. | P. Marci Jacob. Cellenſ. Provinc. 2.

Veldkirchii die 29. Jul. Congregatio RR. PP. celebrata fuit, variis per provinciam reſtaurandis occupata.

A Reverendiſſimo P. Procuratore Generali intimatur decretum S. Congreg. ſuper. Epiſcopos, & Regular. vi cujus de novo, & ad tramitem Conſtitutionum noſtrarum Generalium diſtrictim prohibetur ſæcularibus ſub quocunque facultatum obtentu ſepulturas in noſtris Eccleſiis concedere, ſub pœna privationis paſſivæ, & activæ vocis per triennium. Sed decreti hujus explicatio mitiorem nonnihil ſenſum, quàm verba ſonant, attulerat, & ſpectatis circumſtantiis perſonarum, & caſuum in belli tempore contingere ſolitorum P. Provincialem extra ſcrupulum eſſe juſſerat, ſi quando exigentibus cauſis rationabilibus aliquæ majoris momenti perſonæ ſepulturis donentur.

Circa finem Auguſti ex Bavaria provinciam noſtram ingreſſu ſuo lætificavit R. P. Marcus d' Aviano, quem R. P. Provincialis per duos Deputatos Campiduni ſalutavit, invitavit, atque conduxit, ceu magnum Ordinis noſtri ornamentum. Ipſe enim ubique locorum, *præſertim* Conſtantiæ infinita quaſi ſpectatæ ſanctitatis argumenta; ſive miracula in ſanationibus inſtantaneis, liberatis arreptitiis, maleficiis diſſolutis ſola benedictione, vel manuum impoſitione effecta ſparſit, ut maximi quique Principes, Epiſcopi, Abbates, Comites, Barones, & urbes eximia ejus veneratione tenerentur, & ingentis gratiæ locò haberent, ſi vir iſte ad eorum lares diverteret, aut ipſi hujus affatu, vel benedictione potirentur. Hinc nonnulli Infulis, & doctrinâ nominatiſſimi omnem eloquentiam, calamósque ſuos pangendis huic ſervo Dei præſtantiſſimis elogiis, ſcribendísque contra obtrectatores apologiis impenderunt. Hos inter Celſiſſimus ac Reverendiſſimus Princeps, & Epiſcopus Brixinenſis ad aulam Oenipontanam, & Celſiſſimum ac Reverendiſſimum Principem, & Abbatem Campidunenſem eximium teſtimonium de Thavmaturgi hujus ſyncera pietate, vitæ ſanctitate, & ſancto animi candore dedit; cujus exemplum in monimentis noſtris habetur. Contigit autem huic, quod olim Chriſto: aliqui enim dicebant, quia bonus eſt, ſimplex, & rectus, Deo deditus, charus, & ſanctus eſt: alii verò, non ſolùm hæretici; ſed & Catholici, imò &c. non, ſed ſeducit turbas &c. & in principe dæmoniorum

niorum ejicit dæmones &c. miracula, ùt olim Pharaon &c. patrat &c.

Concionibus ſuis plerumque ſub dio italicè, & inſperſis quibusdam terminis germanicis, & latinis periodis coram innumera hominum frequentia habitis tantas animorum commotiones excitavit, ut auditores, quaſi peregrinum idioma intellexiſſent, aut quòd fortè divina virtute revera intellexerint, ubertim lacrymarentur, & miſericordiam Dei pectorum tunſionibus, ſuſpiriis, aliísque pœnitentiæ geſtibus provocarent. Ex provincia noſtra relicto nobis fragrantiſſimo ſanctitatis odore, & exiſtimationis emolumento in Helvetiam tranſiit.

Alias Germaniæ lacrymas excuſſit Rex chriſtianiſſimus, qui Imperio germanico imminens, non attenta pace nuper Noviomagi ſtipulata cameras reunionis Briſaci, Metis, & alibi conſtituit; decem Imperii civitates in Alſatia armorum vi ſubegit, ipsámque Alſatiæ Metropolim, Argentoratum ditioni ſuæ adjecit, Primoribus urbis jam priùs Gallo comparatis adventantem regium exercitum patulis januis, & exporrectis brachiis intrò ſuſcipientibus, civibus autem rerum ignaris priùs ſe in aliena poteſtate conſtitutos admiratis, quàm ad hoc deſideratis. Hac expeditione Eccleſia Cathedralis tota Capitulo Cathedrali, & catholicis reſtituta fuit.

S. Antonius Paduanus nonnullis præſenti extitit ſaluti, & commodo.

Capitanei cujusdam ſub legione Souchiana filiola quinquennis in ingentem ebullientis aquæ lebetem incauta inciderat: famula labore culinario occupata lapſum advertens treménsque accurrit, ac puellam altera ex parte omninò jam abunda călidiſſimâ elixatam ægrè extrahit, domum clamore, & ejulatu complet: advolant mox domeſtici, quos inter D. Mater, quæ memor beneficii à S. Antonio ſibi antè annum præſtiti, quô nimirum à certo mortis diſcrimine ſoſpitata fuerat Moguntiæ, miſellam mox ejusdem S. Patrocinio devovet. Mirum! poſt paucum tempus Filia ne relicto quidem ambuſtionis ſtigmate ſana integrè comparuit, quam Medici morituram præſagierant.

In pago ſateins honeſtus Ruricola vaccam gravidam abigeatu deperdidit. Quæſivit ille non tam animal, quàm D. Antonii opem inventricem, ſpondens ſe vitulum reperiundæ vaccæ Capucinis in Eleemoſynam daturum. Habuêre vota ſucceſſum: nam ruſtico à Capucinis reduci ſimul domum redux obviat vacca.

Cellas ſuas cum ſepulchro usque ad tubæ ſonum habitando permutârunt.

P. Prudentius Bezaviens. Guard. F. Valentinus Donavverdanus Laic. F. Modeſtus Heimerdingenſ. Laic. F. Ottmarus Brigantin. Laic. P. Victorinus Biberac. CC. F. Vitus Rottvvilanus Laic. P. Conſtantinus Friburg. Guard. *Summa. 7.*

F. Valentinus optimæ notæ Laicus, & cultui B. V. M. peculiariter deditus P. Ludovico ex Wollmandingen è Conventu Bezavienſi in pagum Avv deſtinato, & Confeſſiones Paſchales audituro Comes fuit. Die verò 22. Martii malè habere cæpit, morbúsqne adeò invaluit, ut in ipſo feſto annuntiatæ B. Virg. Mariæ omnibus Sacramentis ritè viaticatus exemplariſſimè obierit. Rogavit R. D. Parochus, inſignis benefactor, ut cadaver ipſi in Parochia ſua ſepeliendum relinqueretur; cui & delatum fuit.

Præ omnibus autem valdè inclaruit P. Conſtantinus, rigidus obſervantiæ regularis vindex. Nullam penè virtutum, è quibus Capucinus conſtare debet, in eo deſiderari dixeris. In divinis ſedulus, in contemplationibus aſſiduus, in victu parcus, in rebus omnibus pauperrimus, in linguâ moderatus, in corpore purus, in ſermone religioſus, in Monaſterio pacificus, in omni converſatione exemplaris; uno verbo, verus S. P. Franciſci imitator Filius; hoc ſolo apud diſcolos ingratus, quòd, cùm plurium Conventuum Guardianus eſſet, ſeriò, ac rigidè diſciplinam Ordinis quà verbis, quà pœnis in hujusmodi vindicaret; eò autem morigeris, ac etiam ipſi Deo dilectior. Obiit virtutibus, meritis, & annis plenus, cui ſit in ſanctorum plenitudine detentio.

Iſtorum vice Ordini ſe noſtro mancipârunt probati juvenes.

F. Cleophas Roſshauptens. Laic. F. Eliſæus Altshuſanus Laic. F. Ludovicus ex Simmisvvald Laic. F. Dionyſius Stockacenſ. Cler. P. Fidelis Rottenburgenſ. Sacerdos. F. Gabriel Gengenbac. Cler. F. Theophylus Friburg. Cler. F. Udalricus ex Salurn. Laic. F. Jodocus Conſtant. Cler. F. Eberhardus ex Bludeſch Cler. F. Æmilianus Veldkirch. Cler. F. Godefridus ex Monte S. Bartholom. Cler. F. Abundius ex Wollmatingen Cler. F. Florinus ex Stein Cler. F. Reinerius Hallenſis Laic. F. Rudolphus Rottenburg. Cler. *Summa. 16.*

Annus Chriſti 1682. Provinciæ diviſæ 15.

Innocent. XI. 7. | Leopold. I. 24. | Cardin. Acciajoli Protect. 7.

Franc. Jo. Ep. 37. | P. Bernard. à Port. Maurit. Gener. 5. | P. Marc. Jacob. Cellenſ. Provinc. 3.

Quòd R. P. Provincalis ex itinerum defatigatione nervorum contracturam, ac porrò itinerandi impotentiam incurriſſet, *P. Iſaiam primum* Definitorem conſtituit Commiſſarium ad reliquos Conventus viſitandos, ac ſe provincialatu proximè abdicare decrevit. Dubitatum verò fuit, an in proximo Capitulo, cùm triennium necdum abſolverit, non ſaltem Definitor, & Guardianus eligi poſſit. Dubium Romam perſcriptum, & inde negativè, atque reſcriptum fuit, habendum eſſe P. Provincialem, quaſi officii triennium abſolviſſet, conformiter ad praxin Religionis, & deciſionem capituli generalis relatum à R. P. Bonagratia in ſummul. Quæſt. Regul. V. Electio. Edit. Colon. in additament. ad finem fol. 467. Quapropter in Capitulo, Ordine nono, Brigantii die 17. April. frequentato præmemorato R. P. Marco Jacobo cum reſolutione Romana conſolatiſſimo, ſequentes electiones factæ ſunt.

A. R. P. Aloyſius Veldkirchenſ. Gubernacula provinciæ adeptus eſt. RR. PP. Perfectus Conſtantienſis, Pancratius Engenſis, Iſaias Ehinganus, Franciſcus Joſephus ex Buſmanshauſen.

Ante ſcrutinia PP. Pancratius, & Franciſcus Joſephus Definitores concurſum paſſivum ad provincialatum ob itinerandi difficultatem deprecati fuerant.

Hoſpi-

Hoſpitium Mahlbergenſe in Guardianiam declaratur.

Reverendiſſimus P. Procurator Generalis animat per litteras RR. Patres ad aſſumendas, exercendásque in pagis, vallibus, & locis deſertis miſſiones volantes, & offert omnia Privilegia, Indulgentias, & Benedictiones Apoſtolicas talibus miſſionibus de indulto SS. D. N. Innocentii XI. impertitas, ac impertiendas. Verùm contemplatione inconvenientiarum, æmulationum, atque diſplicentiæ non ſolùm loci Parochorum; ſed & Reverendiſſimæ curiæ Epiſcopalis conſultiùs judicatum fuit ab hiſce exercitiis abſtinere, & intra ſphæram ordinariarum cum beneplacito, & in ſubſidium Paſtorum apoſtolationum nos continere.

Urbs Bludentina nobis beneficentiſſima maximo luctu, nec minori damno noſtro pænè tota in lamentabile buſtum conſedit, flammas injiciente quodam nequiſſimo homine; qui & annis aliquot conſecutis diſponente divina nemeſi ſceleris convictus flammis quoque facinus ſuum deteſtabile luit.

Engæ die 8. Novembris Congregatio celebratur.

Ab hujus anni initio jam terrificus in hæmiſphærio versùs Orientem cometa ſe toti orbi ſpectandum præbuit, funeſtus pertimeſcendorum caſuum vates, & inundationis Turcarum prodromus. Rebelles Hungarici ab Ottomannico Tyranno, & uti compertum, ab alia quadam Potentia coronata inſtigati, nummísque & auxiliis ſuffulti in Hungariam ſuperiorem graſſantur, hancque ſubigunt, Gallo alibi Cæſarem fatigare pergente.

S. Antonius Paduanus nonnullos variarum rerum jacturâ triſtes, prodigioſa indemniſatione exhilaravit.

Elenchum hoc anno piè in Domino obdormientium conſtituunt

P. Auguſtinus ex Damberg Guard. Lect. P. Fabricius ex Biel. CC. F. Matthias Wangenſis Laic. P. Bonagratia Riedlingan. P. Oneſimus Molzhemienſ. Sacerd. P. Rudolphus Ortenberg. CC. *Sum. 6.*

Ex his P. Auguſtinus olim ante ingreſſum Ordinis Sacerdos, & Parochus zeloſiſſimus, ſed ne ſatis zeli haberet timidus rigidiorem inter Capucinos vitæ rationem ſectandam duxit, & reipſa vitam duxit omni virtutum ornatu Seraphicam, quam eximia divinarum, humanarúmque litterarum præſtantia ſplendidiorem reddidit; ſplendidiſſimam profunda humilitas, qua nec doctus, nec pius haberi voluit, neutrum ſeipſum exiſtimans. Ob utramque tamen, & religioſitatis, & ſcientiarum prærogativam & Lectoris, & Guardiani munus aliquamdiu, votísque ſuis diutiùs cum pari laude, ac utilitate ſuſtinuit. Qui ei convixerant, viri graves teſtatum fecerunt, vel accuratos Zoilos nil in ejus converſatione culpabile; nil quod omnimodam perfectionem non redoleret, reperturos fuiſſe. Vitam religioſiſſimam ſimili morte concluſit.

P. Fabritius & ipſe jam in ſæculo Sacerdos ex tota vita ſua unicum perfectionis ſtudium, & virtutum texturam feciſſe viſus eſt; quia adeóque uſque ad annum ætatis octogeſimum eodem ſemper tenore, & candore perrexit, donec præ ſenio in ſimplicitatem, & innocentiam puerilem virtuoſo circulo reverſus animam innocuam efflâſſet, nemine, non divinante, illíque tribuente illud: talium eſt Regnum cælorum. &c.

P. Rudolphus illuſtri Lib. Baronum de Neüſtein ſanguine prognatus ampliorum fortunarum ſpem ſibimet præſcidit eligens in domo Dei abjectus eſſe, magis quàm habitare in tabernaculis Magnatum. Inter Capucinos ſorte gregaria contentus contractiorem ſcientiarum lucem devotionis, pacis, & charitatis ſtudio compenſavit, ad nullam obedientiam invitus; neque etiam ad eam, quæ eum de hoc ſæculo migrare juſſit.

In horum mortuorum ſupplementum Religioni attonſi ſunt

F. Fauſtinus ex Schvvarzenberg Laic. F. Longinus Dillingan. Laicus. F. Adjutus Lauffenburgenſ. Cler. F. Conſtantinus Uberlingan. Cler. F. Daniel Bludentinus Cler. F. Prudentius ex Dietenbrunn Cler. F. Auguſtinus Oehningan. Cler. F. Simpertus Wilerſtad. Laicus. F. Iſaias Uberlinganus Cler. F. Laurentius Bludentin. Cler. F. Juſtinianus Uberlinganus Cler. F. Ægidius ex Eglishofen Cler. F. Jo. Maria Möſskirch. Cler. F. Waltherus Seleſtad. Laic. F. Marcellus ex Schruns Cler.

Summa 15.

Annus Chriſti 1683. | Provinciæ diviſæ 16. Innocent. XI. 8. | Leopoldi I. 25. | Cardinal. Acciajoli Protector. 8. | Franc. Joa. Ep. 38. | P. Bernard. à Portu Maurit. Gener. 6. | P. Aloyſii Veldkirch. Prov. 2.

Annus hic Chriſtianæ Germaniæ verè tragicus, & exitialis illuxit. Truculentiſſimus namque Iſmaëlitarum Vezierus in conſpectum prodiit agmine trecentorum millium pugnatorum ſtipatus, & vaſtatis, quæ in via occurrebant, locis, hominibúsque chriſtianis ubicunque obviis ſeu in miſeram captivitatem abductis, ſeu acinace jugulatis, curſum ſuum tygride rapidiùs rectà Viennam dirigit, eam, ceu Chriſtianitatis antemurale *in* deditionem coacturus; eóque capto facilè in reliquam Germaniam ſe ſe infuſurus. Auguſtiſſimus Imperator cum Auguſtiſſima Familia vix ægrè fugâ ſervatus loci Gubernatorem conſtituit Excellentiſſimum D. Comitem de Stahrenberg; qui pro eximia rei militaris experientia ſtrenuiſſimam quidem defenſionem fecit; ſed obſidionis & acerbitate, & diuturnitate præſidiario milite paulatim rarefacto in extremas anguſtias compreſſus animum non dejecit, verùm certiſſima divini, humaníque ſuccurſûs fiducia, quem ardentiſſimis votis ſuſpirabat, & urgebat, ſe ſuósque audacter in officio continuit. Accurrerunt tandem in agonizantis Viennæ ſolatium, & auxilium potentiſſimi Rex Poloniæ, Dux Lotharingiæ, Electores Saxoniæ & Bavariæ, quisque cum validiſſima Bellatorum manu, quibus ille ſanctitate famoſus P. Marcus d'Aviano Capucinus à piiſſimo Imperatore advocatus, & cum titulo Commiſſarii Apoſtolici præſens, ſigna hoſti illaturis ſanctam Benedictionem impertiit, atque in nomine Domini ad certamen animavit. Fit aggreſſus, tantáque animoſitate in hoſtem irruitur, ut hôc potenter repreſsô, & extremâ clade attrito & Vienna ab obſidione relevaretur, & Chriſtianus exercitus victoriâ nullis retrò ſæculis auditâ potiretur; quam nemo veriùs, & breviùs, nemo Ordini noſtro ho-

no-

norificentiùs litteris conſignavit, quàm potentiſſimus Poloniæ Rex Epiſtolâ ad P. Marcum d' Aviano exarata, dignâ, quò hìc loci referatur.

„ Joannes Dei gratiâ Rex Poloniæ, magnus Dux „ Lithuaniæ, Bruſſiæ &c.

„ Religioſe in Chriſto Pater, devote, Nobis dilecte. Viget per Dei „ Gratiam ejusdem divinæ Majeſtatis in Nos benedictio, quam Nobis de- „ votio veſtra impartita eſt; dum arma noſtra cum Imperatoriis mutua „ proſperantur. Afflixerat nos nonnihil dies Jovis proximè præteritus „ ſtratagemate hoſtili infeſtus. Solutum eſt ſabbathum Deiparæ Virgini „ immaculatæ ſacrum; quo & aquilam ſupervolantem, & in hoſtem in- „ trepidè ducentem, & columbam albam exercitui prævolantem, ſicut „ ad Viennam, obſervavimus. Tumebat hoſtis, quem ad Barcanam „ adorti ſumus, trium Baſſarum copiis, quas ad alios tres Baſſas Vezierus „ pridie ſubmiſerat, ut ſelectiſſimorum numerum ferè ad viginti millia „ computârunt. Sed dextera Domini, quæ manus armat ad prælium, „ fecit victoriam: commiſſô enim prælio hoſtes non fugati tantùm; „ ſed ad internecionem fermè deleti, pauciſſimis fugâ dilapſis. Sic Bar- „ canam ſe recipere conabantur, vel ponte ad vicinum è regione ſtri- „ gonium ſalvari; at turbam fugientium pons haud ſuſtinere potuit; „ itaque plurimos ruptus merſit. Reliqui ex octo tormentis grandine „ globorum disjecti, vel necati, quive vel ſponte, vel metu in Danu- „ bium ſe præcipitaverant, eadem grandine tormentorum mactati ſunt, „ ut Danubius in medium ſtadium in latum ſanguine fluxerit; nulla ſæ- „ cula ita rubentem vidêre. Alii à circumfuſo per littora exercitu etiam „ in Danubium irruente aduncis vel ad littus retracti, vel cæſi, vel in „ aquis globis confixi; quíque ſcaphis ſe evaſiſſe putaverant, rapiditate „ Danubii ad littora appulſi, vi fatorum ſub ictum veniebant; ſícque „ innumerabiles horrendum mortis ſpectaculum fuêre. Vezierus Bu- „ denſis occiſus, Siliſtriæ, & Aleppii Baſſæ in captivitatem ducti, univer- „ ſísque caſtris, equis, ac fortalitio exuti, victori exercitui prædâ ingenti „ relicta. Non hìc tamen ab orationibus ceſſandum; quærendus adhuc „ Vezierius, & caput rei, & gloriæ, Buda tentanda, ut ex omni parte „ confuſus hoſtis animo, viribúsque cadat. Dignetur itaque devotio ve- „ ſtra ſupplicationes ſuas ad divinam Majeſtatem continuare; quósque „ noverit, per omnes Religionum Ordines, Deo gratos, in ſocietatem „ ſuffragiorum vocet, ut divina Majeſtas arma Chriſtiana, hæreditatem „ nimirùm ſuam, in finem proſperare, & Europam ab Helluone Regno- „ rum liberare dignetur. Inſiſtat & apud ſummum Pontificem, ut pec- „ catis exercituum, quæ in tanta gentium colluvie haud contineri poſ- „ ſunt, licèt puniantur, ſtaterâ Benedictionis paternæ providere, ac in di- „ vina Majeſtate placanda adjuvare dignetur; & ut mortuorum animas „ ſuffragiis juvet; ita ſauciorum morbis confectorum, & operantium ra- „ tionem habere velit; nec fame perire ſinat, quos propitia fata propu-

„ gnandæ rei Chriſtianæ ſervarunt. Cæterùm nos, domúmque noſtram „ regiam, Regnum, ac univerſum exercitum devotioni veſtræ magna fi„ duciâ commendamus; quam benè valere cupimus. Dabatur in Caſtris „ ad Danubium Barcanæ vicinis. 11. Octob. 1683.„

Joannes Rex.

R. P. Provincialis Auſtriæ lamentabundus ſuper jactura Conventuum Hungaricorum à Turcis vaſtatorum, metúque depopulationum vel in Auſtriam uſque ſuperiorem propagandarum rogat noſtrum P. Provincialem, ut aliquos fratrum ſuorum, præſertim P. Georgium Antonium Rhenofeldenſem de Gramont SS. Theologiæ Lectorem cum ſuis diſcipulis, uſque ad mitiora tempora, hoſpitio ſuſcipere vellet. Et quamvis ei cum tenerrimo compaſſionis affectu pro noſtra in Provinciam Auſtriacam obligatione oblatum fuerit pro fratribus quotcunque mittendis, domicilium, omnísque charitatis exhibitio; præter unum, alterúmve tamen mox iterùm repatriantem, nemo comparuit.

Capitulum ſerie decimum, Lauffenburgi die 3. Septembris habitum in Provincialatu confirmat A. R. P. Aloyſium Veldkirchenſem; & Definitores creat RR. PP. Marcum Jacobum Cellenſem, Perfectum Conſtantienſ. Angelicum Wolfacenſem, Pancratium Engenſem.

P. Perfectus ante electiones producit exemptionem à concurſu paſſivo ad Provincialatum ex ratione grandævitatis à P. Generali impetratam.

Non ſolùm Catholicos; ſed Lutheranos etiam S. Antonius vim interceſſionis ſuæ ſentire fecit. Coriarius quispiam orthodoxus magni numeri, & pretii pelles ſibi exportatas: mulier ipſos centum Duggatos deperditos: alii alia ſibi ſurrepta dolentes: Ruſticus Lutheranus equum clandeſtinè abactum lamentans conducto, & recitato à Capucinis Reſponſorio, rebus ſuis unà omnes potiuntur.

Nec parcior in juvandis miſeris B. Fidelis mart. qui *præter alios* virum quemdam cephalgiâ ad inſaniam uſque tortum optatâ incolumitate vix invocatus donat.

Sed enim, non attentâ continuâ gratiarum à B. Fidelis interceſſione profectarum ſcaturigine, Româ tamen perſcribitur, opus Canonizationis ejusdem Martyris inſuperabili obſtaculo eſſe obnoxium, quòd curiæ Romanæ delatum eſſet, Cranio B. Fidelis deferri cultum publicum contra decreta Pontificia. Quamvis autem Romam perſcriptum eſſet, eum rumorem à quocunque demùm excogitatum de hoc cultu prohibito veritati conſentaneum nec minimùm eſſe; attamen res hæc novas moras adepta eſt.

Terris hoc anno mortui cœlo, ut piè ſperamus, nati ſunt

P. Columbanus Bludentin. CC. F. Jonas Underſinganus Laic. F. Henricus Lauphemienſis Laic. F. Suibertus Waldseenſis Laic. F. Lambertus Friburg. Cler. P. Marcus Bludentin. CC. F. Barnabas Rhenofeld. Cler. Stud. P. Jo. Joſephus Friburg. Sacerd. Stud. P. Joſephus Bibrac. Guard. P. Nicolaus Rottvvilan. CC. *Summa 10.*

Viciſſim ſæculo mortui ad vitam Aſceticam formati ſunt.

F. Sylveſter Uberlingan. Laic. F. Wendelinus Rottenburg. Laic. F. Franc.

F. Franc. Anton. Rottenburg. Cler. F. Bonaventura Rhenofeld. Cler. F. Emmanuel Marchdorff. Cler. F. Paulus Conſtant. Cler. F. Ambroſius Marchdorff. Cler. F. Samuel Waldishuttanus Cler. F. Simplicianus Rhenofeld. Cler. F. Barnabas ex Stein Cler. F. Valentinus Uberlingan. Cler. F. Marcus Bludentinus Cler. *Summa 12.*

Annus Chriſti 1684. | Provinciæ diviſæ 17. Innocent. XI. 9. | Leopoldi. I. 26. | Cardinal. Acciajoli Protector. 9. Franc. Jo. Ep. 39. | P. Bernard. Gen. 7. & P. Bonavent. Recanat. Vic. Gen. 1. | Aloyſii Veldkirch. Prov. 3.

Ravenſpurgi die 7. April. congregantur RR. Patres & deliberant ſuper variis : inter alia concludunt P. Lucianum Montifontanum , & P. Gebhardum Conſtantienſem in charactere Deputatorum provinciæ Linzium ad Auguſtiſſimum Imperatorem, aliósque tum Eccleſiaſticos, tum Laicos Magnates ablegare novas inſtantias pro urgendo Canonizationis B. Fidelis Mart. opere negotiaturos , ubi P. Luciano , ipſo referente, contigit, ut coram Throno Cæſaris peroraturus, Majeſtate territus, obmutuerit, illíque vox faucibus hæſerit ; donec ipſo Imperatore ipſi animos addente, ſpiritum reſumpſerit, & pro terſiſſima ſuadâ ſua ad uſque Cæſaris admirationem peroraverit. Ea comiſſione feliciter defuncti, & ubique Aularum clementiſſimè habiti domum remeârunt.

Moritur Reverendiſſimus P. Generalis ; & hinc Reverendiſſimus P. Bonaventura à Recanati , ceu Vicarius Generalis provincias ad eligendum novum Ordinis caput pro more ad Capitulum Generale invitavit.

In quem finem igitur Capitulum Provinciale Uberlingæ - - celebrandum indicitur. In quo ſuffragantium calculis A. R. P. Angelicus in provinciæ Miniſtrum : in Definitores RR. PP. Marcus Jacobus Cellens. Perfectus Conſtantien. Franciſcus Joſephus ex Buſmanshauſ. Iſaias Ehinganus , Cuſtodes Romani P. Iſaias Ehingan. & P. Aloyſius Veldkirch. electi ſunt.

Fortunata Cæſaris arma victorias, palmásque contra Alcoranum accumulant. Tentatur Buda ; ſed ſucceſſu improſpero : nam Cæli in pluvias nimiùm exundantis , ſubſiſtentiam Exercitûs igitur , multò magis aggreſſum Urbis impoſſibilem reddentis inclementia, ducúmque belli diſcordiâ ab obſidione ceſſandum fuit, exercitu ſeu morbis, ſeu Turcarum reſiſtentia quatuordecim millibus pugnatorum detruncato. Rex Galliæ in turbido piſcaturus, felicémque armorum Cæſaris proceſſum remoraturus Luxenburgum inobſervatus obruit, & in poteſtatem redigit.

Ad interceſſionem S. Antonii de Padua vincula captivo à pedibus ultrò lapſa liberam fugam faciunt : calamitoſi membra afflicta eidem queruntur, résque perditas petunt, & accipiunt juvenes, & cani.

B. Fidelis Mart. duos caſibundos ; unum paralyticum ; alterum pedibus captum miraculoſa medicatione perſanat.

Geſtati habitûs S. P. Franciſci virtus, accedente intercesſione S. Antonii, & B. Fidelis Mart. enituit in detumeſcente pectoris, & tergoris gibbo, juvenem quendam Veldkirchenſem miſerùm comprimente ac devenuſtante.

Vitæ inter religioſas exercitationes actæ periodum abſolverunt

P. Rudolphus Staffelfeldenſ. CC. P. Gregorius Bludentin. Conf. P. Conſtantius Engens, Guardian. P. Albertus Wangenſ. Lector. P. Alexius Conſtant. Guard. Lect. *Summa* 5.

P. Rudolphus vir erat manſuetudine memorabilis, pacis, ſilentii, & fraternæ charitatis in paucis Studioſiſſimus; dilectus igitur Deo, & hominibus. Cum odore piiſſimi Religioſi obiit. P. Gregorius & ipſe religioſæ converſationis merito omnibus ſe commendabilem reddidit: circa quem mira Numinis clementia eluxit. Equidem febri acutâ obrutus, & in delirium lapſus Fratribus metum incuſſit, ne absque Sacramentis moreretur. Inſtant igitur obſecrationibus ad Deum, & ecce! redit ad ſe ægrotans, cum pleno rationis uſu confitetur, ſpectatâ devotione S. Synaxin accipit, inungitur; quibus ritè cum fratrum, & decumbentis ſolatio peractis, denuò hic in delirium labitur ínque hoc vitam finivit.

P. Conſtantium eximia morum ſuavitas, ingenium mite, paupertatis amor, proximorum charitas, religionis priſcæ zelus commendârunt; quapropter ad Guardianam aſſumptus in hoc munere nil reliqui fecit, quod ad perfectas ſuperioris partes attinebat. Mortuus omnium luctu ipſe ſolus ſine luctu fuit. Omnibus primas eripit ordine poſtremus P. Alexius, qui Philoſophiam, & Theologiam multis annis profeſſus ita doctrinam junxit religioſæ pietati, utque alteri præſtaret, problema fuerit; rara Eutrapeliæ virtus omnium amori eum ita commendavit, ut gaudium fuerit, ei non ſolùm convivere, ſed etiam ſubeſſe. Vir longiori vita, niſi ſuperis quoque placuiſſet, inter mortales digniſſimus, & ad ſuprema Ordinis officia totius provinciæ ſpe deſtinatus.

Religioſas exercitationes ad vocationis ductum aggreſſi ſunt

F. Joannes Bizavienſ. Cler. F. Gebhardus Rhenoteld. Cler. F. Nicolaus Conſtant. Cler. F. Henricus Tieffenbac. Laic. F. Jo. Joſeph. Ending. Cler. F. Hiacynthus Cler. F. Venantius Conſtant. Cler. F. Angelicus Rhenofeldenſ. Cler. F. Serenus Rottvvilan. Cler. F. Verecundus Rottvvilan. Cler. *Summa* 10.

Annus Chriſti 1685. Provinciæ diviſæ 18. Innocentii XI. 10. | Leopoldi I. 27. | Cardinal. Acciajoli Protector. 10. Franc. Jo. Ep. 40. | P. Caroli Mariæ Macerat. General. 1. | P. Angelici Wolfacent. Provinc. 2.

Conſtantiæ die 21. Januarii diſceſſui ad dietam generalem præmittitur Congregatio; in qua P. Iſaias Ehinganus ex apoplexia quadam nonnihil ſyderatus, Romam adeò proficiſcendi impotentiam legitimè cauſatus Cuſtodiatu abſtinere, ſicque provinciam, & Capitulum generale uno voto deſtituere debuit.

R. P.

R. P. Angelico Provinciali maturo conſilio in ſocium, & comitem Romani itineris datus eſt P. Lucianus Montifontanus, aliás ad tractandam, urgendámque canonizandi B. Fidelis cauſam neceſſarius. Sic igitur cum variarum litterarum Promotorialium adminiculo Romam profectus infinita ibidem obſtacula invenit, non niſi aliquibus Magnatum precibus, & cauſæ favendum arbitratis. Proceſſus in hac ipſa cauſa ante quadraginta annos authoritate Apoſtolica confectus, qui ex Decretis Pontificum, & litterarum remiſſorialium juſſu ad Archivium S. Rit. Congregationis jam tunc deponendus fuerat, ibi non inveniebatur; qui poſt longam, moleſtámque indagationem denique in Procuratura repertus, atque productus ad locum ſuum deportatur.

In Capitulo generali, cui vice Protectoris Legationem Terrarienſem exercentis præſedit Eminentiſſimus D. Com-Protector Cardinal. Roſpigliosus, in generalem Miniſtrum electus fuit Reverendiſſimus P. Carolus Maria Maceratenſis: In Definitores PP. Bonaventura Reuanatenſis, qui & Procurator generalis; Franciſcus Peruſinus, Emanuel Madritenſis, Ludovicus de Juliis; P. Idephonſus Auſtriacus, Bernardinus ab Aretio.

P. Provincialis in provinciam reverſus Congregationem indicit Cellæ 15. Auguſti habendam. Hæreticorum, ùt vocant, Hugonottarum, aliquot milliones Galliâ exeſſe, aut Catholici eſſe jubentur; zelus Rege Chriſtianiſſimo dignus, ſi & arma Cæſari ad debellandas in Germania Hæreſes junxiſſet.

Religio Orthodoxa, quæ per SS. Maternum, & Creſcentium divi Petri Diſcipulos in Palatinatu plantata; ſed ſub Friderico II. Electore, & Ottone Henrico Comitibus Palatinis per Lutherum, & Melanchtonem; ſub Friderico III. Per Zvvinglium; ſub Ludovico per Ubiquiſtas; ſub Friderico IV. & V. Sub adminiſtratore Caſimiro, nec non ſub Carolo Ludovico, hujúsque filio Carolo per Calvinum zizaniis hæreſum ſuperſeminata, in Philippo Willhelmo Duce Neoburgico amæniſſimè repullulavit, PP. Capucinis provinciæ Rhenanæ impigrè cooperatis, & reſtitutam incrementari conatis.

Cæſari in victoriarum adverſùs Turcas, & rebelles relatarum, & nati exinde gaudii augmentum naſcitur ſecundò genitus Archi-Dux Carolus.

B. Fidelis Martyr. duobus maligna febri decumbentibus prodigioſæ interceſſionis ſuæ panacæâ ad incolumitatem profuiſſe vel medicorum judiciô compertus eſt.

Sereniſſima Poloniæ Regina vidua, Archi-Duciſſa Auſtriæ, & Gubernatrix Tyrolis per Eminentiſſimum D. Cardinalem Cibò: Sereniſſimus Elector Bavariæ per Reverendiſſimum D. Abbatem Scarlatti inſtantias pro ejusdem glorioſi Martyris canonizatione multiplicant.

Stationibus ſuis fato dejecti ſunt, immortalibus accenſiti

P. Ezechiel Offenburgenſ. Cler. P. Ambroſius Conſtantienſ. CC. F. Gaudentius Argenſis. Cler. ſtud. P. Eduardus Sunthuſianus. CC.

Summa 4.

Fæcundior Religio, quæ pro dictis quatuor decem genuit provinciæ filios, qui ſunt

F. Honoratus Conſtantien. Cler. F. Bernardus Conſtant. Cler. F. Sylverius ex Avv. Laic. F. Amandus Wolfacens. Cler. F. Gaudentius Gerſpacenſ. Cler. F. Eduardus Friburg. Cler. F. Albertus ex Bludeſch. Cler. F. Venerandus ex Bizau. Cler. F. Franc. Joſeph. ex Gebratshofen. Cler. F. Peregrinus Biberacenſ. Laicus. *Summa 10.*

Annus Chriſti 1686. | Provinciæ diviſæ 19: Innocent. XI. 11. | Leopoldi I. 28. | Cardinal. Acciajoli Protector. 11. Franc. Jo. Ep. 41. | P. Caroli Mariæ Macerat. General. 2. | P. Angelici Wolfac. Provinc. 3.

Hujus anni die 26. Januarii negotium B. Fidelis Mart. ad Sac. Rit. Congregationem introducitur, & concluditur dare litteras Remiſſoriales cum commiſſione proceſsûs *ſuper non cultu*, conſtruendi, ad Reverendiſſimum & Celſiſſimum DD. Epiſcopum dirigendas : Quæ Remiſſoriales actu expeditæ adveniunt. P. Lucianus Montifontanus inſtituitur per inſtrumentum cauſæ poſtulator, ſeu procurator. Qui & præparatoria ad proceſſum adornat.

Hoc anno vermes, inſectáque in campos, & agros ea peſtifera voracitate graſſata ſunt, ut præmorſis graminum, ſegetúmque radicibus conceptam lætioris meſſis, & fæni ſecii ſpem mortalibus inde extremùm afflictis eripuerint. Ad hanc calamitatem avertendam curâ Celſiſſimi ac Reverendiſſimi DD. Epiſcopi Curienſis typis evulgata eſt ſpecialior Benedictionis formula ; cui ad certiorem hujus applicandæ effectum præmiſſa eſt Abſolutio Generalis à SS. D. N. Innocentio XI. conceſſa ſuper præſentes, abſentes, & anteceſſores ab omnibus Cenſuris, maledictionibus, aliiſque pœnis Eccleſiaſticis, forſan ignoranter incurſis, & *in mortuorum* cadaveribus adhucdum perſeverantibus. Hac igitur methodo uſi ſunt Exorciſtæ, præſertim noſtri, & quidem tanto cum eventu, ut vermes inſtanteè quaſi eliminati, extincti, necatique hominibus nocere deſierint.

Ad diem 3. Maji Capitulum Provinciale, numero undecimum, Conſtantiam coactum P. Angelicum in ſuo officio confirmavit : Definitores dedit RR. PP. Marcum Jacobum Cellenſem, Aloyſium Veldkirchenſ. Pancratium Engenſem, Perfectum Conſtantienſ.

Peſſimè RR. PP. habuit decretum Gallo-Regium, ùt omnibus aliis Religioſis : ita & Capucinis intimatum, quo Provincialibus, & Viſitatoribus germanis adempta eſt facultas Conventus, & loca ſub dominio Gallico in præſens conſtituta viſitandi.

Buda Turcis eripitur, ùt plurima alia munitiſſima Hungariæ loca victricibus armis Chriſtianis cedunt, ita ut Germania chriſtiana tot lætis victoriarum nuntiis videretur inundare gaudiis ; quæ ipſum cælum fovere quodammodo, & augere voluit ; dum copioſiſſimum æquè ac dulciſſimum, futuríſque ſæculis memorabilem, & appetitum conceſſit autumnum.

Necro-

Necrologiis domeſticis illati ſunt ex libro mortalium expuncti P. Conradinus Bezavienſ. Sacerd. P. Paulus Ravenspurg. CC. P. Raphaël Friburg. CC. P. Rochus Uberlinganus Conf. P. Serenus Stauffenſ. Guard. *Summa 5.*

Inter hos P. Paulus illuſtri Lib. Bar. Roth de Schröckenſtein ſatis jam in ſæculo jurisprudentia, variarum linguarum peritia, & aulicis officiis Reverendiſſimi & Celſiſſimi DD. Epiſcopi Conſtant. excultus; ſed mundi vanitatem exoſus inter Capucinos Dei ſe famulatui feliciùs addixit; in quo omnibus virtutibus Capucino dignis coram Deo, & hominibus lucere ſategit: pacis, ſilentii, & cellæ amantiſſimus, zelo inſuper animarum flagrans haud inutilem, & in cathedra, & in confeſſionali illis lucrandis operam impendit; nunquam quidem in altiorum Ordinis munerum collocatus candelabrum ſatius duxit ſub modio latere, quàm dignitatum infulis jam ſemel guſtatis fulgere.

P. Raphaël Friburgenſ. jam olim quoque SS. Theologiæ Doctoratu clarus auſterum S. Franciſci inſtitutum, & propoſitum pœnitentiæ inibi agendæ omnibus mundi fortuniis antepoſuit, ſibi & plurimis aliis bonorum operum ſtudio, & ſtrenuâ Apoſtolatione, præſertim in miſſione Prechthalenſi, ad ſalutem profuit.

P. Serenus evangelizandi dono ſingulari præditus; ſed & prudentiâ, religioſitate eximia clarus aliis ſimilia docendis præfectus Guardianatum laudabiliſſimè adminiſtravit, non degener germanus frater illius pietate, & doctrinâ nominatiſſimi patris Pelagii Definitoris, & Provincialis in paucis perfectiſſimi.

Totidem nuces ſæculi averſantes ad frugem vitæ Seraphicæ ſe contulerunt

F. Henricus ex Dottenhauſen Cler. F. Conradinus ex Weiller Cler. F. Lucianus Veldkirch. Cler. F. Lazarus ex Schvvende. F. Gallus Dillingan. Cler. *Summa 5.*

Annus Chriſti 1687. | Provinciæ diviſæ 20. Innocent. XI. 12. | Leopoldi I. 29. | Cardinal. Acciajoli Protector. 12. Franc. Jo. Ep. 42. | P. Caroli Mar. Macerat. Gener. 3. | P. Aloyſii Veldkirch. Provincial. 1.

Uberlingæ die 7. Januarii Congregatio habita fuit.

Reverendiſſimus P. Generalis à RR. PP. Angelico Wolfacenſ. & Perfecto Conſtant. in provinciam inductus Brigantii primam conventionem inſtituit, facta omnibus fratribus libertate ad ſe veniendi, vel non veniendi. Inde aquâ Conſtantiam vectus ſecundam convocationem habuit: pro tertia facienda P. Conſultorem Rhenofeldam ablegavit, ipſe Waldishutti remanens capitulo ibidem celebrando, ſerie duodecimo, præſeſſurus, quod incidit in diem 11. Julii.

Nonnemo Guardianus, in pœnam, quòd aliquos fratres inſtruxerit,

ut in electione discreti, vota sua darent aliàs plura habentibus, in hanc vicem à concursu activo, & passivo privatus est.

Suffragia Capitularia A. R. P. Aloysium Veldkirch. iteratò ad provinciæ gubernium vocârunt; ad Definitoriatum RR. PP. Franc. Josephum ex Busmanshausen, Perfectum Constant. Fidelem Veldkirch. Florinum Oberstorffens.

Transactis omnibus P. Generalis in Helvetiam digressus est.

In hoc Capitulo omni se deinceps concursu abdicârunt PP. Marcus Jacobus Cellens, & Pancratius Engens: ex titulo sinistræ valetudinis: prout & idem pro provincialatu fecerunt PP. Perfectus, & Franc. Josephus.

Eodem hoc anno die 26. Octob. RR. Patres iterùm, & quidem Marchdorffii convenire opportuit ad resarciendum quemdam Guardianum novissimè fatis ereptum.

Aliquorum invidiâ victoriarum Hungaricarum impatiente conflata est proditio, qua Budæ fortalitium cum præsidio in manus Barbarorum relabi debuisset. Sed author, & complices criminis morte luerunt attentatam proditionem. Totum propè Sclavoniæ Regnum cum Transylvania aquilæ sceptrum adorare debuit. Veneti integram Moream, & Dardanellas recuperârunt. Muselmanni sinistris rerum suarum processibus efferati Suldano capite minuto alium è carcere in thronum substituunt, Vezieró supremo pariter furorem populi experto.

Novena in honorem S. Antonii susceptа fœminam ex apoplexia in altero latere prorsùs elumbem prodigiosè vivificavit.

Sic quoque cranium B. Mart. Fidelis cuidam caput immaniter dolenti impositum mox omnem absterſit dolorem.

Hic annus viros & pietatis, & doctrinæ nomine commendatissimos provinciæ eripuit, & astris, pro quibus in Seraphica palæstra impigrè decertârunt, inseruit, æterna laborum suorum stipendio fruituros. *Hi* sunt

P. Gemianus Doneschinganus CC. P. Ernestus Friburg. CC. de quo in prædic. qual. litt. E. F. Leonardus Wangens. Laic. de quo in prædic. qual. litt. L. P. Donatus Constantien. CC. P. Prosper Monacens. CC. P. Achatius Wolfac. CC. P. Blasius S. Blasianus CC. F. Marcellinus Neuferens. Laic. P. Stanislaus Rottenburg. Guard. P. Sabinianus Constant. CC. P. Stephanus Marispurgens. CC. P. Florinus Oberstorffens. Definit. Guard. *Summa 12.*

P. Donatus vix studia sua magna cum laude, & spe fructuum à se proferendorum absolverat, cùm & vitæ cursum absolvere eum contigit, virum ad mentem Seraphici Fundatoris compositum. Egregius in eo eluxit verecundiæ amor, non obscurus casti pectoris index; si enim P. Donato præsente aliis verbum aliquod prætextatum casu excidisset, ille collectâ in rugas fronte, colloquia ejusmodi improbans, si sermonem nequiit, certó gressum aliò divertit, ne castæ suæ læderentur aures: quapropter & alii in ejus præsentia cautiores non nisi honestos, atque sacros discursus ciere consueverunt.

P. Blasius dum de superiorum facultate acidulis Bettmatingæ uti cogita-

gita-

gitaret, inter amicas cognatorum ſuorum manus ægrotare incipiens pro ſanitate mortem hauſit. Is morti jam proximus, & ſacramentis omnibus inſtructus, madentibus ubertim oculis commiſſorum in ſæculo erratorum veniam à cognatis circumſtantibus efflagitare, eosdémque ad mutuam charitatem, & chriſtianam pietatem tanta cæpit efficaciâ cohortari, ut omnes lacrymis diffluerent, optimo ſanè exemplo in Dei laudem, & tantæ humilitatis admirationem rapti ſimilem aliquando mortem ſibi unà omnes exoptârunt.

P. Stanislaus vir in omni virtutum genere præclarus, maturitate quoque judicii, & religionis zelo præſtans novitiorum aliquamdiu curam, & Guardianatum ſæpiſſimis vicibus geſſit ea obſervantiæ regularis laude, ut magnæ perfectionis nomen tumulo intulerit. Frater germanus fuerat illius doctrina, & pietate notiſſimi viri, qui iis gradibus dignitatem Suffraganei Conſtantienſis ſub nomine Sigismundi Müller aſſecutus eſt.

P. Sabinianum plurimæ cæleſtis gratiæ dotes commendabilem fecerunt: quippè magna ad omnes ſemper affabilitate, ac manſuetudine uſus, magnum ſui deſiderium reliquit. Raro aut nunquam ejus vultum exaſperavit indignatio: alios offendere inter maxima piſcula duxit: Choro vel primus, vel inter primos ſemper affuit. Tandem editis præclaris religioſæ patientiæ argumentis, ipſa S. Sabiniano Martyri ſacra die ſupremum vitæ diem claudens felicem cum patrono ſuo æternitatem auſpicatus eſt.

P. Stephanus Marisburg. Vir omnium opinione eximius tantam doctrinæ non vulgari pietatem adjunxit, ut præcipuis provinciæ noſtræ viris accenſeri poſſit, magnísque haud dubiè officiis, & dignitatibus fuiſſet auctus, niſi timor obſtitiſſet, ne eamdem morum exactitudinem, & ſeveritatem, quâ in ſe utebatur, ab aliis quoque exacturus eſſet. Severus ſiquidem Cato in aliorum defectus, nimio quodam zelo raptus, diſſimulare haud poterat, ut vel ſic alii in ejus præſentiâ à diſſolutionibus cavere didicerint. Meritis tandem inſignis ad meliorem, quò fervidis ſemper anhelabat ſuſpiriis, evocatus eſt.

P. Florinus inter primos provinciæ noſtræ Patres non ultimum ſibi locum vendicat. Certabat in ipſo cum devotione prudentia, rerúmque gerendarum dexteritas, omnium virtutum comitatu inſtructa, quæ ipſum ad humanarum, divinarúmque litterarum Profeſſuram, Guardianatum, & Definitiorialem dignitatem, humilitati ſuæ moleſtiſſimam, evexit; quæ munia pluribus annis ita tenuit, ut paſſim ſeveri Superioris nomen adeptus ſit, haud tamen odioſum, quia ipſe exemplo haud invitos veſtigiorum ſuorum ſectatores paravit. Tandem laboribus, ſenióque confectus, cùm Fratres ad ardentem erga B. V. Mariæ devotionem, & Regulæ amorem admonuiſſet, teſtatus ſe hujus obſervatæ, & illius teneræ amatæ conſcientiâ in eo mortis horrere plurimum delectari, placidiſſima morte vitam ingreſſus eſt ſempiternam.

In eamdem verò Seraphicam palæſtram ſubintrârunt defunctis, pariter pro adipiſcendo Cæli brabeò pugnaturi

F. Lambertus Veldkirch. Cler. F. Georgius Uberlinganus Laic. F. Raphaël

phaël ex Sunthofen Cler. F. Rochus Waldishuttan. Cler. F. Matthias Möſskirchenſ. Laicus. *Summa.* 5.

Annus Chriſti 1688. | Provinciæ diviſæ 21. Innocent. XI. 13. | Leopoldi I. 30. | Cardinal. Acciajoli Protector. 13. Franc. Jo. Ep. 43. | P. Caroli Mariæ Macerat. General. 4. | P. Aloyſii Veldkirch. Prov. 2.

Romæ typis Vaticanis prodit ultimus Proceſſus *ſuper non cultu B. Fidelis Mart.* Reverendiſſimi DD. Epiſcopi Curienſis ſententiam improbat S. Rit. Congreg. Qua is Cranium B. Martyris in antiquo remanere loco voluerat, ac permiſerat ; quod autem ſtrictiſſimo S. Congreg. Decreto jubetur hominum oculis ſubduci , in murum abſcondi, ejúsque ubicationem omnibus celari, non niſi præter murarium tribus Patribus Myſterii conſciis, juramentique religione ad ſilentium perpetuum adactis.

Ravenſpurgi die 2. Maji. habetur RR. Patrum Congregatio.

Eodem hoc anno ad variarum neceſſitatum exigentiam ſimilis iterari debuit Conſtantiæ die 15. Octob.

In Hæmispherio Oppenovienſi tempore prorſus inſolito audiuntur in aëre crepare tympanæ , tubæ inflari, exercitus diſcurrere , tonitrua mugire, & vehementiſſimi turbines arboribus & tectis radicitùs evertendis ruinam minari.

In Rheno quoque Monſtrum ſimilitudine equum referens à complurибus conſpicitur.

Secundi armorum ſucceſſus perennant in Hungaria. Sereniſſimus Dux Lotharingiæ ex propinato veneno tollendus è medio *convaleſcit* ope divina ; ſummam interim rei militaris adminiſtrante *ſereniſſimo Electore Bavariæ* ; cujus equidem fortitudine martiali Alba Græca, & poſt plurima alia munita loca ipſum Bellogradum ſubigitur , & Barbari variis cladibus affecti potiorem Boſniæ partem Romanæ aquilæ cedunt.

Rex Chriſtianiſſimus pro manutenendo patientiæ æquilibrio ſollicitus armiſtitium nuper cum Cæſare ad viginti annos ſtipulatum violat, cauſam hujus concomitantem ſubminiſtrante Sereniſſimi & Reverendiſſimi Bavariæ Ducis Joſephi Clementis ad Electoratum Colonienſem electione, cùm ad hanc ſpartam Eminentiſſimum D. Cardinalem Clientem promotum voluiſſet. Igitur exercitum ſuum per Offenburgum, Gengenbachium, totámque Brisgojam inferiorem, Spiram, Moguntiam, Heillbrunnam ducit in aliena ſegete ſuum paſturus militem, *bellíque* cruenti theatrum in Sueviam plantaturus. Quòd ſummum Pontificem Cæſaris amicum noſſet ; etiam huic arma infert, captata occaſione ex prætenſa juris aſyli violatione, quod uſurpaverat ejus Romæ Miniſter Lavardinus : reipſa autem ut Pontifici manus ligaret, quò minùs Cæſari pecuniâ , & milite contra Turcas ſuccurrere queat.

In Marchionatu Durlacenſi animarum Paſtores, & Eccleſiaſtici, ac etiam

etiam cæteri Religioſi omnes hoſtilium exercituum metu ad tutiora ſe receperunt ; quibus in cura animarum intrepidè, & Apoſtolicè ſubintrârunt Patres noſtri Badenſes, divina operantes, catecheſes & Concionnes exercentes, baptizantes, moribundos SS. Sacramentorum adminiſtratione ad obitum parantes, & mortuos Chriſtianâ ſepultura curantes.

His aliiſque vitæ miſeriis elapſi felici migratione ad meliora translati ſunt

P. Peregrinus Montifontanus Conf. P. Gabriel Friburg. Guard. F. Simplicius ex Bodmann Laic. P. Marcus Jacobus Cellens. Ex-Provincial. P. Amatus Conſtant. Guard. P. Cornelius Marchdorff. Guard. F. Patiens Bezaviens. Laic. F. Melchior ex Pulmenz Laic. P. Martinus Conſtantienſ. CC. P. Hermenegildus Conſtant. CC. P. Severinus Libereggens. CC. P. Conradus Conſtantienſ. CC. *Summa.* 12.

Præ his, omnibus ſingularia elogia à religioſa vitæ converſatione promeritis (Patres Martino, & Severino in prædic. qualit. litt. M. & S. cum laude commemoratis) præcipuam poſteritatis memoriam jure ſibi vendicat P. Marcus Jacobus Cellenſis, qui ex illuſtri proſapia Lib. Bar. de Schönau procreatus, Celſiſſimi ac Reverendiſſimi Epiſcopi Baſileenſis Jo. Chriſtophori Germanus frater, his adminiculis facilem ad opimas mundi fortunas habuiſſet. Sed S. Spiritûs ad ſaniora, & humiliora vocantis tractum ſecutus inter pauperes Capucinos Deo, quàm mundo ſervire, atque placere maluit. Ordini enim noſtro mancipatus tanta morum innocentiâ, humilitatis, obedientiæ, cæterarúmque virtutum ſplendore ſe ſe illuſtrem, omnibúsque amabilem reddidit, ut ſtudiis pari, & ingenii, diligentiæ, & probitatis laude decurſis ad primarias provinciæ noſtræ Cathedras magno audientium fructu, nec minori ſuo, & provinciæ applauſu promotus fuerit : verbo prædicato exemplum præclaræ pietatis ſuperaddens, ſicque illi efficaciam tribuens. In Guardianum frequenter, in Definitorem ſæpiùs, in provincialem bis electus rem Religioſam optimis conſiliis, utiliſſimis laboribus, & inſigni priſcarum conſuetudinum zelo ſtrenuè adiuvit, ſtaturâ, eloquentiâ, frontis ad ſeveritatem compoſitæ gravitate, & illuſtri ſanguine, ac Parentelâ maximam ipſi apud ſummos viros authoritatem in negotiis graviſſimis ſanè perutilem conciliante. Laboribus pro Deo, & Religione ſuſceptis nervorum contracturam, aliósque morbos ; ac denique apoplexiam ſibi accerſivit, quæ & ipſum in ſtatione ſua vigilem, & ad lapſum diu ante paratum proſtravit, dejecit, & provinciæ dolentiſſimæ ſubduxit.

Mox alii vacuas mortuorum ſedes ſuppleturi in S. Franciſci leges manus dederunt,

F. Alexius Conſtant. Cler. F. Donatus Wangens. Cler. F. Hermannus Offenburgens. Cler. F. Geminianus Rhenofeld. Cler. F. Victorinus Veldkirch. Cler. F. Jodocus Rottvvil. Laic. F. Franc. Dominicus Marchdorff. Cler. F. Erneſtus Damberg. Cler. F. Hartmannus Damberg. Cler. F. Proſper Bludentin. Cler. F. Marcellinus ex Bludeſch. Laic. F. Joſephus Mengens. Cler. F. Florianus Ravenspurg. Cler. F. Stanislaus ex Sateins

Cler. F. Evariſtus Rottenburg. Cler. F. Raymundus Conſtantien. Cler. F. Severinus Rottenburgenſ. Cler. *Summa 17.*

Annus Chriſti 1689. | Provinciæ diviſæ 22.
Alexandri VIII. 1. | Leopoldi I. 31. | Cardinal. Acciajoli Protector. 13.
Marquard. Rudolph. Ep. 1. | P. Carol. Mar. Macerat. Gen. 5. | P. Aloyſii Veldkirch. Prov. 3.

Capitulum Provinciale Wangam indicitur ad diem 29. April. in quo Provincialatum proſequi juſſus eſt A. R. P. Aloyſius Veldkirch. Definitores ſalutati ſunt RR. PP. Angelicus Wolfacens. Franc. Joſeph. ex Busmanshauſen. Lucianus Montifan. Perfectus Conſtantiens.

Die 12. Auguſti SS. D. N. Innocentius XI. P. M. ad maximum Eccleſiæ luctum & damnum humanis ereptus eſt ; cujus ſanctiſſimæ vitæ teſtimonium reddunt inſignia ab ejus interceſſione , meritísque profecta miracula. In Pontificiæ ſublimitatis apicem evehitur die 6. Octob. Eminentiſſimus D. Cardinal Ottobonus, Alexander VIII. denominatus, & ab ipſo Pasquino Bonus ut octo deprædicatus.

Cùm in cauſa B. Fidelis Mart. S. Rit. Congreg. declaraverit , per proceſſum *ſuper non cultu* ſatisfactum eſſe decretis Pontificum ; concluſit proceſſum canonizationis de novo aſſumi poſſe ; quod decretum authoritate ſua, & ſuperſcriptione noviter electus Pontifex confirmavit , quòd proximè decedens Innocentius XI. morte præoccupatus id præſtare nequiverit. Eodem hoc anno cum præſulatu ipſos 44. annos zeloſiſſimè geſto vitam quoque exuit Celſiſſimus ac Reverendiſſimus S. R. I. Princeps , ac DD. Franciſcus Joannes Epiſcopus Conſtantiens. beneficentia , ac favoribus optimè de Religione , & provincia noſtra meritus , & à *virtutibus* in tanto Principe admirandis æterna memoria digniſſimus.

Potentiſſimus inter alios pro hac Infula Canditatus ſe obtulit, Sereniſſimus Dux Fridericus Willhelmus Comes Palatinus. Vota tamen majora prætulerunt Reverendiſſimum & Illuſtriſſimum DD. Marquardum Rudolphum ex Lib. Baronibus de Roth , Eccleſiæ Cathedralis Decanum, cujus quidem electionem, quòd ſcrutatores non ex corpore capituli aſſumpti fuerint, Roma non confirmavit ; attamen electum per modum proviſionis Apoſtolicæ ceu legitimum Epiſcopum declaravit.

Urbe Offenburgenſi Gallicis flammis exuſtâ conventui ibidem noſtro idem fatum erat ſubeundum ; tamen interceſſione R. P. Guardiani Argentoratenſis immune permanſit.

Econtra in templo noſtro res divina ad obſequium Chriſti Fidelium integrè peragi cæpit, operato ibidem quodam Presbytero ; & cooperatis à cathedra, catecheſi, & aliis functionibus parochialibus Capucinis à Plur. Reverendo D. Archi-Presbytero , & ordinario animarum paſtore per publicum ſcriptum rogatis, conſtitutis, & ex ejus deſignatione quorumdam proventuum parochialium portione aliqua in eleemoſynam fruentibus.

Celſiſſimus ac Reverendiſſimus DD. Nuntius Lucernenſis provinciæ diu

diu, & acriter tergiverſatæ curam, & viſitationem ſanctimonialium tertii Ordinis in Berckheimb propè Marchdorff imponit. Veldkirchii die 8. Octob. RR. PP. congregantur.

Rebus in Hungaria ad vota fluentibus; Turcis à Sereniſſimo Marchione Ludovico de Baden internecione deletis; Rebellibus cum horum capite Teckelio à ſtrenuiſſimis Heroibus Heùslero, & Piccolomini profligatis; Bulgariâ in poteſtatem Cæſaris redacta, Gallus ad refringendam lætitiam ex victoriis Hungaricis conceptam Palatinatum inferiorem totum occupat, & barbarum in morem ibidem deſævit, Brisgojæ quoque, & Sueviæ exitium meditatus, expertis jam ejus furorem Offenburgo, & Marchio Badâ.

Reverendiſſimus & Ampliſſimus D. Joſephus ab Ach, curiæ Epiſcopalis Conſtantiens. Vicarius Generalis jam ſeptuagenarius inſtantiſſimè petit in Ordinem noſtrum ſuſcipi, conſcientiæ ſcrupulis adactus, quòd florente adhuc ætate poſt maturam deliberationem ad hunc S. Ordinem ſe vocatum, jámque in provincia Bavarica inter tyrones annumeratum dixerit. Hinc in aliqualem ſaltem neglectæ vocationis, ùt ſibi timuerat, reparationem mori Capucinus voluit, qui vivere talis noluit. Quamquam verò nullam ſcrupulorum cauſam habuiſſet, cùm in ſtatu Eccleſiaſtico exemplariſſimam, in Officio autem Vicariatûs Generalis laborioſiſſimam, æquè ac diœceſi maximè utilem vitam duxerit, adeóque noſtri eum tranquillo eſſe animo juſſerint; teneritudini tamen conſcientiæ illius gratificaturi de arbitrio P. Procuratoris Generalis eum ſacro habitu donandum cenſuerunt. Hæc cùm occultiſſimè tractarentur, novúsque in ſeniculo Novitius convaſatis rebus ſuis iter ad tyrocinium adornaret, morte compendiosâ præventus piiſſimè occubuit deſideriô Capucinus, haud dubiè inter fratres noſtros hoc anno defunctos à Deo computatus; quorum nomina ſunt iſta:

F. Probus Waſſerburg. Laicus. F. Stephanus Pfaffenhovens. Laicus. P. Udalricus Bludentinus CC. P. Antonius Conſtant. CC. P. Gallus Ravenspurg. Guard. F. Ottmarus Weiterdingan. Laicus. P. Leo Scherenſis Novit. Magiſter. P. Martialis ex Schnüfis CC. F. Maximus Engenſ. Laicus. P. Mathias Conſtantiens. CC. *Summa 10.*

P. Gallus ex Prænobili Patritio de Gall humilis Capucinus eximiâ litteraturâ, agendi prudentiâ, & quod caput eſt, virtutibus raris excultus digniſſimum ſe præbuit, qui ad regendos conventus Guardianus adhiberetur; in quo munere charitatem cum ſeveritate, & admonitiones cum proprio exemplo ſociavit; ſicque Deo, Regulæ, fratribus, & conſcientiæ ſuæ ſatisfaciens nomen ſuum poſteritati membrabile fecit.

P. Leo in ſæculo jam decanatûs dignitate fulgens ſtupente mundo mundum egreſſus, & Ordinem noſtrum ingreſſus eſt, non virtutes docendus, ſed virtutibus, ſcientiis, aliiſque præclaris animi dotibus ordinem illuſtraturus: adeóque etiam maturè tyronibus noſtris vitam Religioſam docendis admotus. Sed quia continui, ſibíque ſuccedentes morbi eum miſerè exagitârunt, officiis geſtis, & ex deſtinatione provinciæ gerendis eximi ſe rogavit: quam exemptionem ad ſe maximâ ſollicitudine ad mortem parandum impendit.

P. Antonius præter morum ſuavitatem, religioſam affabilitatem, & miram cuilibet ex charitate ſerviendi promptitudinem ſingulari pollebat gratiâ; ſed & ſimili flagrabat deſiderio morti propinquos ad ſupremam luctam chriſtianè obeundam adhortandi, & afflictis quibuscunque præſentia ſuggerendi ſolatia; quibus ſtudiis eamdem illum cæleſtem beatitudinem, ad quam alios promovere in ſummis deliciis habuerat, adeptum eſſe credimus.

Mortuorum noſtrorum veſtigia preſſerunt adſcripti in Ordinem fratres F. Sabinus Friburg. Cler. F. Hermenegildus Elvacens. Cler. F. Patritius Kuppenheim. Cler. F. Conradus Belfort. Cler. F. Sigismundus Veldkirch. Cler. F. Sabinianus Conſtant. Cler. F. Maternus Veldkirch. Cler. F. Leo Tautenhofenſ. Cler. F. Maximus Leutkirch. Laicus. F. Udalricus Montifontan. Cler. *Summa 10.*

Annus Chriſti 1690. | Provinciæ diviſæ 23.
Alexand. VIII. 2. Leopoldi I. 32. | Cardinal. Acciajoli Protect. 14.
Marquard. Rud. Ep. 2. | P. Carol. Mar. Macer. Gen. 6. | P. Angelici Wolfac. Prov. 1.

Conſtantiæ die 24. Februarii habetur Congregatio RR. Patrum, in qua præter alia reſarciuntur nonnulli Guardiani nuper fatis erepti.

Auguſtiſſimus Rom. Imperator molitionibus Gallicis, quibus Rex chriſtianiſſimus Delphinum ſuum ceu Romanæ coronæ Candidatum obtrudere artibus, & armis nitebatur, prævertendum ratus Primogenitum Archi-Ducem Joſephum Auguſtæ Vindelicorum in Regem Romanorum ſolenni pompâ inaugurari, & coronari fecit. Numismata aurea feſtivitatis, ac publicæ lætitiæ auctaria in vulgus ſparguntur; in quorum uno latere ad Gallicos conatus jam fruſtratos cum aculeo, & ingenio inſuper explodendos viſebatur Delphinus è mari in aërem eluctari niſus, ſed pondere ſuo, & aquarum vi retractus, cum Lemmate: *Non veniet ad hæc veſtigia Delphinus.*

Ad urgendam canonizationis B. Fidelis Mart. cauſam idem Auguſtiſſimus Imperator, aliique Principes Imperii reiterant litteras ſuas promotoriales ad ſedem Apoſtolicam.

Reverendiſſimus & Celſiſſimus DD. Epiſcopus Curienſis unum ejusdem B. Martyris digitum, auro gemmiſque veſtitum, ac pretioſæ arculæ incluſum novo Romanorum Regi, ad lucrandum hujus in præſentem cauſam animum, & devotionem, dono mittit.

S. Rit. Congreg. antiquos proceſſus in hac ipſiſſima cauſa fabricatos tanquam canonicè, & legaliter factos approbat quidem, Martyrium declarat, & miracula ſolidiſſimis rationibus probata eſſe teſtatur: verùm cùm proceſſus ultimus Curienſis, in quo ultra ducenta miracula inquiſitioni ſubjecta numerabantur, nunquam Romam perveniſſet, dictorum, approbatorum miraculorum paucitas aliquam rei adferebant moram; quam amovere maturavit P. Lucianus, velociſſimè proceſſum Curienſem Romam promovendo. Con-

Conventus Marchiobadenſis noſter à Gallis exuritur, & fratres noſtri Gerspachii hoſpitio recipiuntur. Sereniſſima Marchioniſſa de Baden ex Bohemia Officialibus ſuis ſignificat, ſe propediem reditum ad ſua aggreſſuram, & ante omnia alia Monaſterio Capucinorum è cineribus, ac ruderibus reſuſcitando incubituram eſſe.

Ad extinguendas ſuſpiciones, quibus Capucini arguebantur, quaſi Monialibus Perckhemianis ab obedientia RR. PP. Conventualium ſubtrahendis, & ad rigidiorem S. Franciſci Regulam reformandis authores, & ſuaſores exiſterent; curam, & viſitationem dictarum Monialium omni modo Patres noſtri excutere ſatagunt; ſed fruſtra: nam Celſiſſimus ac Reverendiſſimus D. Nuntius Lucern. eos hanc curam proſequi diſtrictim jubet, authoritate ſua, ac teſtimonio dictas ſuſpiciones ſuppreſſurus.

Reverendiſſimus P. Generalis, cùm Regimen ejus ad exitum vergeret, pro eligendo ſucceſſore Capitulum Generale indicit: hinc & Provinciale genuit, ut eligerentur Cuſtodes Romani. Hoc igitur Brigantium ad diem 1. Septembris cogitur.

Memorabile accidit, ut P. Superior Neoſtad. in conventûs Villingani Diſcretum electus à concurſu ad actiones Capitulares excluderetur; cauſa erat, quòd ejus in Diſcretum electioni, nemine advertente, aut prohibente, frater quispiam Laicus omni voce in perpetuum privatus ſubdolè intervenerit.

Econtra P. Guardianus aboliti nuper Conventûs Badenſis, absque tamen Diſcreto ex declaratione P. Generalis, ad Capitulum invitatur, & admittitur.

Quotquot aderant, in Provincialem elegerunt R. P. Angelicum Wolfacenſ. In Definitores RR. Patres Franciſcum Joſephum ex Buſmanshauſen, Gebhardum Conſtantienſem, Fidelem Veldkirchenſ. Lucianum Montifontanum. In Cuſtodes Romanos P. Lucianum, & P. Gebhardum.

S. Antonius Paduanus hoc anno ſingulariter beneficus extitit. In pago Biderbach Diſtrictûs Haslacenſis ducentos florenos quidam grandævus homo militum rapacitati ſubtracturus, eos in terram defodit, nemine, neque etiam propriis filiis loci conſciis. Accidit autem, ut vir iſte fatali morbo in lectum compingeretur, ac de die in diem deteriùs haberet, quin vel à loci Parocho, aut filiis, ut defoſſam pecuniam tegeret, perſuaderi potuerit. Tandem loquelâ, & vitâ deſtitutus filios eo quoque nomine mæſtos reliquit, quòd abſconſâ pecuniâ ſe orbatos viderint. Verùm S. Antonius piâ fiduciâ invocatus & locum, ubi defoſſa jacuerant Patris idola, indicavit; & effodientes terram quæſito theſauro exhilaravit.

Aliàs equum ruſtico furtivè ablatum: alteri duos boves à milite abactos ad ſtabula ſua redire fecit, mirabiliter furum manus elapſos. Fæminam crumenæ ducentis florenis turgidæ jacturâ deſperabundam: Lutheranum hominem ingentis pecuniæ damno afflictum: alios aliis rebus ſpoliatos thavmaturgicè indemnes reddidit per Capucinos Reſponſorio, & Miſſæ ſacrificiis in ſolatium evocatus.

Ravenſpurgi ultimo Decembris RR. Patres Congregationem habuerunt, & diſpoſuerunt agenda ſub Capitulo Generali.

Welſii Superioris Auſtriæ loco Sereniſſimus Dux Lotharingiæ Oenipontum tendens ſubita ægritudine interceptus, & morbo in dies augeſcente generoſiſſimum Spiritum, de re Chriſtiana, totóque Imperio Romano optimè meritum ad ingentem Auguſtiſſimi Imperatoris deſolationem, in corona octo Capucinorum quos ſemper amantiſſimos, & pro lucta decretoria auxiliatores habuit, in manus Domini tradidit, totis ſæculis dignus; econtra eorum invidia, & odio indigniſſimus, quorum artificio hac morte extinctus creditur.

Mortis imperio etiam paruerunt in provincia longiùs eos ſuperſtites exoptante,

F. Joannes Conſtant. Laic. P. Renatus Lauffenburg. Guard. Lector. De quo in prædic. qual. litt. R. P. Hugo Tettnang. Guard. F. Joſephus Mengenſ. Laic. P. Columbanus Enſishemien. Guard. P. Julius Friburg. Guard. P. Romanus Conſtant. Sacerd. F. Chriſtianus Cellens. Laic. P. Felicianus Engenſ. Guard. F. Lambertus Veldkirch. Cler. P. Bonagratia Ravenſpurg. CC. P. Simon Roſchacenſ. CC. P. Julianus Segging. Conf. P. Nicephorus Conſtant. Guard. F. Melchior Groſingenſ. Laic. F. Nazarius Waſſerburg. Laicus. *Summa 16.*

F. Joanne Laico in prædic. Actionis commemorato, & aliis optimam notam promeritis hîc loci ſingillatim non recenſendis F. Melchioris Laic. converſio extitit memorabilis.

Hinc à Patria, Wirthenbergia, & parentibus Lutheranis Lutherum quoque cum aëre, & lacte ſuxit, & ſtrenuus errorum ſuorum aliquamdiu ſectator fuit. Militiam ſecutus, & in Italia ſtipendia merens viſis tot ſacris Italiæ locis, tot Lipſanothecis, & ſanctorum Reliquiis tot divinis, quibus Italia fervet, obſequiis ſanctioris, & ſecurioris Religionis cogitationes admiſit, fovente has, & augente quodam P. Capucino, cujus conſuetudine miles ad meliora utebatur. Denique convictus ſectam Lutheri liberrimè ejurat, & Eccleſiæ Romanæ aggregatur. In Germaniam, & quemdam provinciæ noſtræ locum redux, atque in hyberna locatus Seraphicæ etiam Religionis deſiderio, atque etiam flagravit, ac ut votis potiretur, ſuperioribus Ordinis iteratò ſe ſupplicem ſtitit: qui perpenſa ſincera hominis voluntate, etſi aliquamdiu dilatum, poſtremò admiſſionis gratiâ donârunt. In tyrocinio ad omnia ſe docilem, promptúmque exhibuit: votísque ligatus continuâ periculorum, quibus in lutheraniſmo innexus erat, recordatione ſemet ad omnes virtutes Laicum decentes excitavit, ſéque in iis ſeduló exercens cunctis extitit commendabilis; ac talis etiam Cælo fuiſſe paſſim exiſtimatus fuit.

In aliqualem provinciæ tot viris deſtitutæ indemniſationem Ordini ſe obſtrinxerunt

F. Columbanus Villingan. Cler. F. Hugo Landſpergenſis Cler. F. Balthaſarus Rhenofeld. Cler. F. Bonagratia Bludentin. Cler. F. Martialis ex Sateins Cler. F. Leonardus Altenſtatt. Laic. F. Thaddæus ex Aichen. Laic. F. Ferdinandus Veldkirch. Cler. F. Julianus ex Delckhof. Cler. *Summa. 9.*

Annus Chriſti 1691. Provinciæ diviſæ 24. Innocent. XII. 1. | Leopoldi I. 33. | Cardinal. Acciajoli Protector. 15. Marquard. Rud. Ep. 2. | P. Bernardin. ab Arretio Gener. 1. | P. Angelic. Wolfac. Prov. 2.

Capitulum Generale præceſſit, plurimúmque turbavit mors SS. D. N. Alexandri VIII. calendis Februarii contingens. Conclave diutiùs protractum primùm die 12. Julii ſucceſſorem protuberavit Antonium Pignatellium Cardinalem, & Archi-Epiſcopum Neapolitanum, ſub nomine Innocentii XII. cathedræ Romanæ ſupremum caput.

Capitulo Eminentiſſimi D. Cardinalis Protectoris, conclave ingreſſi vice præſidere juſſus eſt Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus D. Altoviti Prælatus, & Congregat. ſuper Epiſcop. & Regulares Secretarius. Poſt plurimas conflictationes, & difficultates ſuperatas, excluſis ob ſuſpicionem peſtis afferendæ Neapolitanis, tandem die 18. Junii ad Electiones deventum eſt: quibus Miniſter Generalis prodiit Reverendiſſimus P. Bernardinus Arretinus: Definitores Generales, R. P. Franciſcus Peruſinus; qui Procurator curiæ. R. P. Jo. Baptiſta à Sabbio; R. P. Nicolaus Divonienſis. R. P. Joſephus Suritanus, R. P. Juvenalis Ananienſis, R. P. Auguſtinus à Tiſſana. RR. Patres Servitæ, qui priori anno in peregrinatione Bildſteiniana, duabus Brigantio leucis diſſitâ, nidum collocare volebant; ſed contradicente Epiſcopo, Clero, & Dicaſterio, ac communitatibus Auſtriacis actum agebant; hoc anno occupando Monaſterio S. Joannis Baptiſtæ Veldkirchii animum, virésque omnes adjiciunt: ſed & hîc receptui canere coguntur. RR. Patres noſtri Româ reduces die 10. Septembris Congregationem Veldkirchii inſtituerunt. Auguſtiſſimus Imperator, Sereniſſima Poloniæ Regina, Celſiſſimi ac Reverendiſſimi DD. Epiſcopi Curienſ. & Conſtant. inclytus etiam Senatus Veldkirchenſis novo Pontifici enixiſſimis precibus commendant negotium canonizationis B. Fidelis.

Copioſo Cæſaris milite agrum Neoſtadienſem inundante, & turmatim ad Eccleſiam ibi noſtram ſe conferente, cùm hæc tot capiendis non ſufficeret, de ea dilatanda deliberatur, offerente ſumptus ad hoc deſideratos Excellentiſſimo D. Generali, & Comite Oettingenſe.

Gubernator Gallo-Friburgenſis P. Provinciali concedit licentiam viſitationis ibidem inſtituendæ, ſed intra biduum abſolvendæ.

S. Antonius aliquos prodigioſæ opitulationis ſuæ participes facit: Inter alia jucundum æquè, ac mirabile lectu eſt, quod in loco Daheimb conventui Immenſtadienſi vicino contigit. Lupus oviculam è grege abſtractam in proximum nemus deportat, ibidem his dapibus lautè cænaturus. Ruſticus, cujus ovicula fuerat, voto ſe obſtringit lanam ab ove detondendam quotannis Capucinis in eleemoſynam dandi, ſi lupus eam vivam dimitteret. Res mira! lupus ſuperiori poteſtate ab hac cæna prohibitus

ovem vivam, & incolumem dimittit, Ruſtico voti ſui non immemore lanam miraculi teſtem diligenter pendente.

Deſertis vitæ humanæ tuguriis ad æterna cæli tabernacula, ut confidimus, recepti ſunt

P. Chriſtophorus Friburg. Sacerd. P. Juſtinianus Doneſchingen. Guard. P. Antonius Malterding. Sacerd. de quo in prædic. qual. litt. A. F. Erneſtus Thannenberg. Laicus. P. Eucharius Villinganus Sacerd. *Summa 5.*

P. Juſtinianus ob Religioſæ diſciplinæ ſollicitudinem, ac tenacitatem, pluráque alia præclara merita Guardianatu honoratus, ſibi verò, humillimo viro, oneratus fuit; nunquam à majoribus Syndicatus. Illum provecta ætas ab officiis, non verò arcere potuit, quin media nocte primus ſemper horis matutinis adeſſet. Coquo ſingulis pænè diebus ligna vel findere, vel fiſſa in culinam portare conſuevit, acerrimus otii inimicus. Tandem annis & meritis plenus non priùs orare, & laborare, quàm vivere deſiit.

Jugo Seraphicæ Regulæ ſe ſe addixerunt

F. Sebaſtianus ex Gözis. Cler. F. Romanus Rhenofeld. Cler. F. Lambertus Veldkirch. Cler. F. Melchior Rottvvilanus Laic. F. Antonius Conſtant. Cler. F. Ægidius ex Fiſchen Laic. F. Benno Conſtantien. Cler. F. Rupertus Eyſtadian. Cler. F. Joachim Rhenofeldenſ. Cler. F. Vitalis ex Gallenkirch. Cler. F. Matthias Möſkirchenſ. Cler. F. Nicephorus Waldishuttan. Cler. *Summa 12.*

Annus Chriſti 1692. | Provinciæ diviſæ 25: Innocent. XII. 2. | Leopoldi I. 34. | Cardinal. Acciajoli Protector. 16. Marquard. Rud. Ep. 3. | P. Bernardin. ab Arret. General. 2. | P. Angelici Wolfac. Provinc. 3.

Capitulo provinciali locus deſtinatus fuerat conventus Conſtantiens; ſed ratione belli obſtacula fingente; cùm Galli Capitularibus noſtris ſub jurisdictione Brisgojo-Gallica habitantibus nollent permittere tranſitum ad Urbem Auſtriacam; & Auſtriaci his ex Territorio pro hîc & nunc Gallico venientibus aditum in eandem Urbem præcluſum vellent. Adeoque ad tollendam omnem utriusque partis æmulationem dicto Capitulo locus Ravenſpurgenſis, diésque 2. Maij præfixus fuit. R. P. Angelicus in provincialatu confirmatus conſiliaros diffinientes accepit RR. PP. Franciſcum Joſephum ex Busmanshauſen. Aloyſium Veldkirch. Sigismundum Rottenburgenſem, Fidelem Veldkirchens.

Inter alias diſpoſitiones P. Wernerus Friburg. juſſus eſt Friburgi ſtudio philoſophico Ariſtotelem explanare; ſed à nonnemine otaculâ volente induſtriam ſuam pro re Gallica Gubernatori probare, huic delatus, quòd is germanum haberet Regiminis Anterior-Auſtriaci Conſiliarium, adeóque ſuſpectus eſſet de habenda quadam cum germano ſuo in damnum Galliæ colluſionem, acceſſu in urbem prohibitus aliorsùm locari debuit.

Brigantii homo phreneticus, clamore, furiisque Eccleſiam noſtram tur-

turbans recto gradu ad altare properat, inflictâ fratri miniſtranti alapâ P. Eugenium ſacris incumbentem aggreditur, & abſconsâ jam ſacrâ hoſtiâ illi calicem quoque ſervaturo hunc validè è manibus eripit, maximóque celebrantis horrore ſanctiſſimi ſanguinis aliquid in terram effundit, totum profanaturus, niſi populi accurrentis conatu homo furibundus ad vincula tractus fuiſſet. Friburgi inſaniente, atque inſoleſcente plebe bacchanaliis agendis occupata quispiam commeatûs Gallici Officialis mortis perſonam congruo habitu mentitus hæc larvæ ſuæ verba inſcripſit, quæ ex gallico latinè hunc ſenſum habebant: *Ego ſum mors, adeóque in terram defodienda.* Non fefellit ludicrum augurium. Nam eo adhuc die ab orgiis ſanus, valénsque reverſus lethali morbo corripitur; & accito ex noſtris Confeſſario confitetur, ac paulò poſt exhalat animam.

Rex Galliæ contemptum in Delphino ſuo á corona Romana excluſo acceptum ulturus propagat bellum in Belgio, & ad Rhenum, proſperóque armorum ſuorum ſucceſſu etiam partes noſtras formidine replet, econtra per emiſſarios prædatores bonis immenſis vacuat.

Turcis quoque alæ ſuccreverunt, & in Hungaria funeſtè graſſantes metum adaugent, cùm diviſus Cæſaris exercitus, & pluribus impar hoſtibus nil bellica laude dignum agere potuerit.

S. Antonius Paduanus rebus inanimatis, & irrationabilibus; carbaſis nimirùm furto ablatis pedes: & equo clandeſtinè abacto calcar addidit, ut evitatis detentorum manibus mirabiliter ad dominos ſuos obſtupefactos, & S. Antonio gratos redierint.

B. Fidelis Mart. cuidam matronæ patritiæ ex partûs difficultate animam agenti virtute cinguli ſui fœminæ appliciti, & facilitatem pariendi, & parturienti æquè ac partui ſoſpitatem attulit. Hujus canonizandi negotium penitùs ſubſedit.

Extulit hoc anno lugens provincia alumnos, ſed vitæ felicioris Candidatos; qui ſunt

F. Gervaſius Bezavienſ. Laic. F. Philippus ex Clariſegg. Guard. P. Benedictus Weingart. CC. P. Fulgentius Marispurgens. Sacerd. P. Nazarius ex Vandanz Guard. P. Innocentius Conſtant. CC. P. Jo. Ludovicus Uraniens. Guard. F. Marianus Veldkirch. Laic. P. Ladislaus Hechinganus Confeſſ. F. Thaddæus Rottenburg. Laicus. *Summa 10.*

P. Philippus ex equeſtri ſanguine de Liebenfels prognatus in cruce, & humilitate exaltationem ſuam perſequendam cenſuit, & in Capucinum decrevit: ſed in eximium, Seraphicis virtutibus, quàm ſanguine illuſtriorem, paupertatis, charitatis, ac ſolitudinis amantem excrevit; ut eapropter dignus, & idoneus haberetur, qui aliis dignitate, & exemplo præluceret; ſubditis ejusdem ſinceritati, & germano candori ſuapte, ac libenter obtemperantibus; è terra terram manſuetis promiſſam adiit.

His compenſandis ſupervenerunt, & ſacramentum Religioni dixerunt

F. Benedictus ex Vaduz. Cler. F. Renatus ex Mumpf. Cler. F. Stephanus Bludentin. Cler. F. Onuphrius Cellens. Laic. F. Primus Friburg. Cler. F. Felicianus Friburg. Cler. F. Celſus Conſtant. Cler. F. Aurelius Lauffenburg. Cler. F. Udalricus Conſtant. Cler. F. Simplicius Stauffens. Cler.

P. Germanus Conſtant. Sacerd. F. Lucas Buxhemian. Laic. F. Bernardus ex Kiechelsperg. Cler. F. Simon Uberlingan. Cler. F. Aloyſius Conſtantien. Cler. *Summa 15.*

Annus Chriſti 1693. | Provinciæ diviſæ 26. Innocent. XII. 3. | Leopoldi I. 35. | Cardinal. Acciajoli Protector. 17. Marquard. Rud. Ep. 4. | P. Bernardin. ab Arret. Gener. 3. | P. Lucian. Montifont. Prov. 1.

Hunc annum excitatæ Monialium lites odioſum Capucinis reddiderunt. Illæ S. Benedicti Regulam Münſterlingæ profeſſæ, & jurisdictioni Religioſorum Einſidlenſium ſubtractæ ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo D. Nuntio Lucernenſi, quoad pœnitentiæ ſacramentum duntaxat, curæ noſtræ committuntur. Verùm aſſignato Confeſſario non omnibus probato aliquæ muliebri pertinaciâ à confeſſionibus faciendis multo tempore vacaverunt. Hinc noſtri Patres ad redimendam vexam Illuſtriſſimo D. Nuntio quàm efficaciſſimè pro dimiſſione ab hac cura ſupplicârunt, *hâncque* etiam tandem impetrârunt.

Veſtales quoque Capucinæ ad S. Annam Brigantio vicinam; & Marchdorffenſes ſuper bonis temporalibus inter ſe colliſæ, quòd ſententia Lucernenſis pro poſterioribus, & contra priores pronuntiâſſet, hæ Capucinos de partialitate arguentes animum quoque ſuum, ac confitendi fiduciam ab iis averterunt. Veriora tamen dedoctæ poſtliminio ad Capucinos verè autem tam invitos, quàm de facta averſione conſolatos redierunt.

Capitulum provinciale Cellæ Ratholdi die 4. Sept. frequentandum promulgatur.

In hoc honos, onúsque Provincialatûs à P. Angelici in humeros A. R. P. Luciani Montifontani devolvitur, cui ad *definienda ſeveriora* Conſultores adjunguntur RR. PP. Franc. Joſeph. ex Busmanshauſen. Gebhardus Conſtant. Aloyſius Veldkirch. Theodoſius ex Bürs.

In hoc capitulo de Monaſterio Conſtant. ob inſalubritatem è ſuburbio in urbem transferendo conſultatur; & pro hac translatione deciditur.

PP. Reginaldus Rottvvilanus, & Moyſes ex Dorenvveid ceu negotii B. Fidelis Mart. geſtores Romam mittuntur, ibíque admittuntur.

Terræ motus validi, & ad multos dies repetiti urbem Veldkirchenſem maximo ſubverſionis timore, ac periculo concuſſerunt, vicinis locis, & civitatibus ab ea calamitate prorsùs exemptis. Hinc poſt plures conſultationes inter Eccleſiaſticos, & Politicos Magiſtratus agitatos in eam cogitationem deſcenſum fuit, ut crederetur nimius veſtium muliebrium luxus hoc plagæ, iræque divinæ genus accerſiviſſe: quapropter preces quadraginta horarum coram expoſito venerabili Sacramento fundendæ indicuntur: Conciones quoque philippicæ in eamdem veſtium pompam acerbiùs declamantur; aliáque pietatis, ac pœnitentiæ opera aſſumuntur; quibus peractis, & ſexu altero ad humiliorem cultum traducto turbulentæ quaſſationes terræ & ipſæ ſedatæ ſunt, ſecuta exoptatiſſimæ tempeſtatis malaciâ.

In

In publicis, & militaribus pleraque adverſo marte procedunt, Cæſareanis obſidionem Bellogradi nuper iterùm in manus Turcarum relapſi ſolvere coactis. In Pedemontio Cæſar à Gallo triumphatur. Princeps Badenſis ſolus benè rem gerit, cùm caſtris ad Heillbronnam cautiſſimè poſitis Gallos majoribus longè viribus pollentes, ne in Sueviam, & Franconiam funeſta proferrent arma cohibet, trans Rhenum reverti compulſos viginti millibus horum amiſſis ; quos partim enſis Hungaricus, partim lues Caſtrenſis, & alia fata ſuſtulerunt.

S. Antonius Haslacenſibus totus propitius cuidam ibidem officiali argenteum cochlear furto ademptum : ejusdem conjugi notabilem pecuniæ vim pariter furtivis manibus abductam ; ac inſuper triginta aliis perſonis varia, & pretioſa ablata ſola precum in ejus honorem fuſarum arte demulſus ad unum omnia reſtituit.

In agro Immenſtadienſi cives duo magnam telæ quantitatem furacibus manibus exportatam ; cuidam Prænobili ibidem nodum parvis adamantibus interſtinctum, & pretio inſignem infortunio amiſſum idem S. Antonius revelavit, & reddi curavit.

B. Fidelis Martyris cranium in figura duntaxat viſibile cujusdam Matronæ Veldkirchenſis capiti periculoſo vertigine agitato impoſitum, malum hoc inſtantaneè abſtulit, etiam pro futuro.

Urgentibus fatis cingulum carnis exuti ad æterna avolârunt

P. Claudius Conſtant. CC. F. Erhardus Schvvarzenbergenſ. Laicus. F. Blaſius Ravenſpurg. Laic. P. Maximinus Immenſtad. Conf. F. Bonifacius Brandenſ. Laic. P. Agricola Engenſis Guardian. F. Gerardus Seegenſis Laic. P. Fidelis Veldkirch. Definitor. F. Franc. Dominicus Marchdorff. Cler. ſtud. P. Electus Segging. CC. F. Criſpinus Rhenofeld. Laic. P. Lazarus Villinganus Guardian. P. Aloyſius Veldkirch. Ex-provincial. Definit. de quo in prædic. qualit. litt. A. P. Achilles Nixens. Guard.

Summa 14.

P. Fidelis à juvene omnem pietatem, modeſtiam, gravitatem cunctas diſſolutiones dedignantem, nec tamen profundæ humilitatis immemorem præſetulit : quapropter & in Ordine Capucinorum accedente eximia litteraturâ Apoſtolicum Eccleſiaſten egit, eóque in vitia patheticè invecto nemo malè ſibi conſcius non timere didicit, & ad ſanctiora ſuſpiravit, Tyronum Inſtructor in periclitanda eorum indole, patientia, & propoſito ingeniosè rigidus, & rigidè accuratus fuit. Parem auſteritatem diſcretione mixtam manutenendis patriis legibus noſtris adhibuit, dum eum ſæpè diúque guardianare, contigit. In Senatum Definitorialem aſſumptus conſiliorum maturitate, & Spiritûs conſtantiâ pro antiquo Ordinis decore, & rigore viriliter agonizatus eſt ; cærerà ab illuſtrioribus perſonis ob virtutum, & ſapientiæ prærogativa plurimi habitus, & ad conſcientiæ arcana admiſſus. Morti vitæ, & officiorum exauthorationem afferenti lubens herbam porrexit.

P. Electus vir ſpectatâ pietate præclarus, iis virtutum Theologicarum actibus, & ferventiſſimis Crucifixi, quem corde, manúque ferebat aſſiduè, allocutionibus ad felicem ſe ſe obitum diſponebat, ut præſentes

fratres & ad devotionem, & ad uberes lacrymas provocaret. Pleniſſima in Numinis voluntatem reſignatione, & rara malignæ febris, & pectoralis hydropis patientiâ, velut ignibus aurum, benè probatus, electorum, felici nominis omine, numerum auctus, placidâ morte defunctus eſt.

F. Franciſcus Dominicus indolis lectiſſimæ juvenis, ingenii cum virtutum ſtudio de primatu certantis præſtantiâ magnum provinciæ virum promiſit; ſed prohibente fato promiſſis non ſtetit. Quaſi reſponſum mortis à S. Angelo Cuſtode, vel aliunde habuiſſet, ante agreſſum Conſtantiam iter, ubi SS. Ordinibus erat initiandus, continuâ mortis meditatione ſe exercuit, diſcurſibus eam mentis occupationem manifeſtantibus. Abituriens Condiſcipulis quaſi non reverſurus valedixit, veréque dixit, cùm Marchdorffium, nec ultrà, pertingens, vitam ibi innocentem piiſſimè finiit, ubi eam primitùs incæpit.

Atræ Deæ tyrannidem nonnihil ſolati ſunt alii recentes provinciæ filii.

F. Claudius Mengenſis Cler. F. Bonifacius ex Nenzing. Laic. F. Trudpertus Oeffingenſis Cler. F. Juvenal. Conſtant. Cler. F. Adrianus Bludenting. Cler. F. Maximinus ex Bludeſch Cler. F. Joannes Engens. Laic. F. Benignus Conſtant. Cler. F. Nazarius ex Vandanz Laic. F. Eraſmus Friburg. Cler. F. Gerardus Bludent. Laic. F. Dominicus ex Hilzingen Cler.

Summa 12

Annus Chriſti 1694. | Provinciæ diviſæ 27. Innocent. XII. 4. | Leopoldi I. 36. | Cardinal. Acciajoli Protector. 18.

Marquard. Rud. Ep. 5. | P. Bernardin. ab Arret. General. 4. | P. Luciani Montifont. Prov. 2.

SS. D. N. Innocentius XII. precibus rem agendam, bella ſopienda, Principes diſcordantes ad concordiam traducendos *arbitratus Jubilæum* univerſale elargitus eſt; eventu tamen ſpei, & votis non reſpondente.

Monaſterio Conſtantienſi in Urbem transferendo, & unâ contignatione altiùs faſtigiando, amotis obſtaculis, & contradictionibus, initium datur.

Idem Monaſterio Badenſi è cineribus reſtaurando ſumptibus Sereniſſimi Marchionis obtingit. Omnes provinciæ germanicæ conſpirant ad urgendam unitis viribus, ac precibus cauſam Canonizationis B. Fidelis Martyr.

Innocentius XII. Pont. Max. ad inſtantias Caroli II. Hiſpaniarum Regis nonnullis Hiſpaniæ provinciis abrogat Diſcretos per Bullam ſub annulo Piſcatorio emanatam.

Hæc res alias quoque, etiam Germaniæ provincias, præſertim noſtram ad imitationem pellicere viſa eſt; diúque manſit ſub ratione problematis, aliquibus commoda incommodis camparantibus pro: aliis contra argumentatis. Et rationum momenta, quæ pro conſervandis Diſcretis militant, ex eo quoque robur acceperunt, quòd eorum abrogatio citra transgreſſionem conſtitutionum noſtrarum fieri nullatenùs poſſet,

ſet, quidquid ſit de diſpenſatione, ſeu ordinatione Pontificia. Hæc & alia provinciam noſtram, cæterarum incuriam, in officio antiquæ, & primævæ conſuetudinis firmaverunt.

Celſiſſimus ac Reverendiſſimus D. M. Archi-Epiſcopus Athenarm Nuntius Lucernenſis epiſtola Paſtoraliſſima omnibus Religioſis ab Ordine ſuo fugitivis, & cum habitu fidem quoque orthodoxam exutis, votifragísque deſertoribus indulgentiam de mente SS. D. N. Innocentii XII. promulgat, eósque paternè ad caulam Apoſtolicam, inque gremium, unde exciderunt, Religionum ſuarum invitat, & harum ſuperiores hortatur, ut reverſos ad exemplum Chriſti nonaginta novem ovium ſuarum in deſerto relinquentis, & unius erraticæ ſaluti incumbentis, cum omni charitate, & gratulatione ſuſcipiant, habeántque.

Aliud quoque decretum authoritate Pontificiâ editur de apoſtatis, conformiter ad conſtitutiones noſtras tractandis.

Item aliud de ejectis, & ejiciendis incorrigilibus, cuíque Religioni, & provinciæ in ſua integritate, ſtatúque erecto conſervandæ adæquatum.

Veldkirchii die 19. Junii habetur RR. PP. Congregatio, in qua acceptatur locus Argenſis. Hac tempeſtate duo Sycophantæ Galli Capucinos habitu, & geſtu mentiti, & adulterinis litteris ſyſtaticis inſtructi, hincque inde vagati omnia explorabant, ac nobis ingentes moleſtias, nec minores ſuſpiciones procauſabant, maximum probrum, & habitûs profanationem adducturi, ſi deprehenſi, &, ut quidem ex parte Belli ducum noſtrorum decretum fuerat, in furcam acti fuiſſent. Sed fugâ inviſibiles facti & ſaluti ſuæ, & Religionis honori conſuluerunt. Aliquis noſtrûm neglectæ obedientiæ, propriique arbitrii reatum graviter luit. Ut is erat artis ceræ in quaslibet formas liquandæ apprimè peritus, & culpabiliter cupidus, contra expreſſam ſuperioris localis prohibitionem ſemel huic operi incumbens, cùm cera copioſiùs in pyraunum diffluens inſolitum ederet fumum, eô pænè ſuffocatus fuit : nam uno ex digitis canonicis miſerè ambuſto ipſe exanimi ſimilis in terram corruit, & accedente gravi deliquio ora oculósque fædum in modum contorquens tandem à fratribus ad menſam quæſitus reperitur, brevi funus, niſi opportunè motus, & refocillationibus vivificatus fuiſſet, futurus.

Sereniſſimus Princeps Badenſis tranſito cum exercitu Cæſaris Rheno magnas ex Alſatia prædas, & contributiones colligit : ſed à Gallis brevi repellitur aliquot ſuorum deſideratis.

Turcas Petervvardinum arcta obſidione cingentes lues, vel auxilium potiùs Cæſari de cælo miſſum, ab opere illo faceſſere potenter coëgit.

Poſitus novi Monaſterii Conſtantienſis primarius lapis evaſit in lapidem offenſionis, & in petram ſcandali ; aliquibus aliis locum à nobis deſertum ſtudioſiſſimè affectantibus.

S. Antonius aliquibus, etiam Lutheranis Biberaci, & alibi miraculosè benignus extitit, cùm eis pecunias, catenas aureas, telam, aliáque pretioſa longioribus digitis erepta reddiderit.

Ad omnem verò poſteritatem memorabile eſt, quod Wolfachio urbeculæ diriſſimo incendio conflagranti præſtitit. Quindecim ædes jam in

cineres redactæ flammas graſſantes necdum ſatiaverant ; ſed hæ inimico turbine animatæ latiùs furere properabant. Ludi moderator domum ſuam flammis jam allambitam, & in abandárum poſitam omnis alii inops conſilii optimo conſilio S. Antonii tutelæ committit, hácque fretus , & fiduciâ plenus ſitulam quoque incendiariam abjicit , ab unda affundendâ feriaturus. Et ecce ! eo momento ignis quaſi repagulo coërcitus & ardere, & nocere deſiit, domô illa à flammis illæsâ , & alias quoque ab excidio ſervante.

Emensô vitæ ſtadio ad immortalis vitæ bravium appulerunt

P. Donatus Wangens. ſtudios. Sacerd. P. Lucas Rhenofeld. Conf. P. Stephanus Lindavienſ. Confeſſar. P. Jacobus Weiſſenhornenſ. CC. F. Erneſtus Biberacenſ. Laic. P. Mauritius Oenipontanus Confeſſar. P. Dominicus Zvvifaltens. CC. P. Cyrinus Stadienſis Confeſſar.

Summa 8.

In eodem ſtadio currendi propoſitum arripuerunt, votísque nuncupatis firmaverunt,

F. Franciſcus ex Rieleſingen. Laic. F. Joſephus Villinganus Cler. F. Servatius ex Eppen Laicus. F. Angelicus Elzacens. Cler. F. Florinus ex Oberſtorff. Cler. F. Lucas Villinganus Cler. F. Georg. Jacobus Conſtant. Cler. F. Theodoſius Bonndorffens. Cler. *Summa 8.*

Annus Chriſti 1695. | Provinciæ diviſæ 28. Innocentii XII. 5. | Leopoldi I. 37. | Cardinal. Acciajoli Protector. 19. Marquard. Rud: Ep. 6. | P. Bernardini ab Arret. Gener. 5. | P. Lucian. Montifont. Prov. 3.

Capitulum intermedium non ſublatum, ſed dilatum voluit Reverendiſſimus P. Generalis provinciæ appropinquans ; *quam in menſe Junio* ingreſſus Stauffæ Brisgojæ primam convocationem habuit ; ſecundam Cellæ ; & tertiam Brigantii ; ubi & ad diem 15. Julii Capitulum congregari juſſit ; cui ipſemet præſidens ſermones ignem, & ſpiritum locutos præmiſit ; factásque electiones : A. R. P. Luciani Montif. in Provincialem , RR. Patrum Angelici Wolfac. Sigismundi Rottenburg. Franc. Joſephi ex Busmanshauſen, & Gebhardi Conſtantien. in Definitores confirmavit ; & poſt ſeveras in quosdam ſtudioſos diſcolos animadverſiones , ſtudiorúmque reformationes, paternas ad boni exempli, pacis, & charitatis curam adhortationes ; promulgatas etiam quasdam ordinationes iter ſuum in Tyrolin direxit.

Quantis verò ubique prodigiis , & prodigioſis miſerorum curationibus hic vir ſpiritualiſſimus per provinciam inclaruerit , teſtimonio ſunt inuſitati omnis fortunæ , ſtatûs , ſexûs , & dignitatis hominum ad eum confluxus ; ut his arcendis cataphracti vigiles adhiberi, & tutando Patri amabiliſſimo aſſiſtere debuerint. Solâ etenim Benedictione , virtutem ſuam à ſummi Pontificis authoritate, & meritis totius Ordinis mutuante , cæcos illuminavit, claudos erexit, variis languoribus preſſos incolumes reddidit,

ener-

energumenos à dæmoniis liberavit, & ſexcenta alia præſtitit, quæ fidem ſuperarent, niſi experientiâ, & tot millenorum hominum teſtimonia atque prodigiorum ſubjecta eam adſtruxiſſent. Quæ omnia, quidquid lividi quidam Ariſtarchi contra obgannierint, in Religionis, & provinciæ noſtræ honorem, & ædificationem inſigniter redundârunt.

Quamquam Martyrium B. Fidelis ſolidiſſimis rationibus probatum, atque adeò objectiones huic in dubium vocando adhibitæ ex fundo fuerint infirmatæ; quò plurimùm contulit teſtimonium omni exceptione majus à Reverendiſſimo Capitulo cathedrali Curienſi in authentica ſcriptura redditum: attamen SS. D. N. Innocent. XII. flecti non potuit, ut ad realem canonizationem procederet; quapropter res Deo erat committenda, mallenti forſan Capucinos ſanctificari, quàm ſanctis gloriari. PP. Reginaldus, & Moyſes deſperato bonæ negotiationis effectu Româ diſcedentes repatriârunt. Cùm Miſſionarii quidam noſtri in loco Wilerſtadienſi ſtabilem aliquarum paræciarum curam ſibi à Celſiſſimo ac Reverendiſſimo D. Ordinario Spirenſi concreditam exercere ſoleant, uſu, ſeu abuſu receptum fuit, ut hi etiam ruralis capituli Camerario juramentum deponant, & commendas, ut vocant, ſeu taxam pecuniarum D. Archi-Diacono Spirenſi pendant; hic uſus, ſeu abuſus, quidquid contra murmuraret Clerus, meritò abrogatus fuit, denominato ſolo P. Superiore in dictarum Paræciarum parochum, cæteris in alterabiles hujus cooperatores declaratis.

Belli mole in diſſitas regiones plantata Suevia noſtra reſpirat, & nuntiis ex longinquo lætificatur, cùm claſſis Gallica in mediterraneo incluſa per fauces Gibraltariæ elabi non potuerit, Anglicis intereà maritima quædam loca ad Oceanum ſita igne vaſtantibus: In Catalaunia Galli ſemel iterúmque repulſi non leves ſuorum ſtrages ſuſtinendas habuerint.

Caſale in Italia, Namurcum in Belgio Gallis eripitur, tametſi, ut hi jactabant, inſuperabile redditum; ita ut Rex Galliæ urbis Portæ hoc Lemma inſcribi juſſerit: *Reddi, non vinci poteſt.* Sed inſcriptionis vanitatem oſtenderunt Cæſaris arma Anglis juncta.

Proditiones Gallicæ urbibus quibusdam, & nonnullis Magnatibus jugulum petentes in Belgio detectæ, & inanefactæ in auram abierunt.

Turcæ tranſylvaniam occupare conati feliciter repelluntur, & munimentum Giula, aliáque loca fame, & armorum vi coacta aquilæ imperiali cedunt.

Hoc anno ſtatua B. V. M. in noſtram Friburgi Eccleſiam collocata magnis, multísque inclaret miraculis; hæc à furente milite Gallo Hugonotta ex Sacello quodam rapta, indigniſſimè habita, & pro inſolentiâ hæretica, brachio mutilata; & ſimulacrum filii è cruce depoſiti capite, brachio, & pectore auſu ſacrilego detruncatum, B. V. Mariæ doloroſæ maxillâ ſclopo trajecta jam igni accenſo injiciendum fuerat; à quo tamen miles catholicus ſacrilegum prohibuerat, & ſtatuam diverſorii ſui patrono cuſtodiendam attulerat, ea autem ſic in quodam domûs angulo latente, nílque curatâ inſoliti tumultus, & ſtrepitûs nocturni incolas quot noctibus editi moleſtârunt, atque terruerunt; qui denique ſuſpicati, quòd

ſpiritûs quispiam defuncti hoc modo ſuffragia à domeſticis emendicâre vellet, piis exercitationibus, & SS. Sacramentorum uſu, precibúsque illi juvándo incubuerunt ; quin & Capucini in rem rogati exorciſmis, & benedictionibus domum liberandam, & tranquillandam ſuſceperunt ; ſed fruſtrà. Cùm eadem terriculamenta nihilominùs, & pluſculos annos perennarent, cauſam tumultuum tandem in prædictam ſtatuam rejecerunt, in ea opinione firmati, quòd aliorsùm locatâ imagine mox ibi ſtrepitus audiri cæperint, & domeſtici nonnunquam mulieris cujusdam miſerùm ſingultientis, ac flentis ſuſpiria, vocémque diſtinctè advertiſſe ſe convenienter omnes aſſeruerint. Inter Capucinos P. Frobenius Delemontanus aliquando eam imaginem contemplatus, ſtatímque tenerrimo compaſſionis, & amoris affectum in eam commotus Patrifamilias ſuadet, húnque rogat, & obſecrat, ut eam ſtatuario redintegrandam, & expoliendam committeret. Paret iſte, & ſtatuarius in opus conduci facilis ſimulacrum adeò devenuſtatum in domum ſuſcipit : ſed ob alias operas in Alſatia impendendas in reformanda hac ſtatua moroſus eosdem tumultus nocturnos, fletus, & ſuſpiria cum ea in domum ſuam traduxiſſe cum ſuo, & domeſticorum ſtupore, ac tremore deprehendit ; quapropter *iis* urgentibus, & maximè P. Frobenio impenſiùs inſtante manum tandem ſtatuarius admovet ; imaginem tot partibus detruncatam reſtaurat, & , vulnere in maxillâ in hæreticæ pravitatis abominationem relicto, cæterà ſimulacrum integrè, & adhibita omni arte ſua, emendat. Intereà P. Frobenius inſoliti quid, & prodigioſi in hac ſtatua doloroſæ Virginis, quæ de jure ad illud ſacellum, unde illam profanandam extraxerat præfatus hæreticus, reponi debuiſſet, inclyto Magiſtratui decenter ſupplicat, vellet eam in Eccleſiam noſtram pro injuriis inflictis honorificentiùs habendam collocari permittere ; quo precibus his deferente ſæpè dictum B. V. Mariæ ſimulacrum in templum Capucinorum maximâ horum conſolatione, ac devotione translatum, & in altare *inferius à latere Evangelii* collocatum, piorúmque devotioni expoſitum fuit ; quod mox, ut præfati ſumus, ſtupendis miraculis, & prodigiis coruſcare cæpit ; ſuper quæ, & ad demonſtrandam horum veritatem, publicum inſtrumentum authoritate Eccleſiaſticâ confectum in dicti Monaſterii documentis, unà cum miraculorum Catalogo aſſervatur, ipſa doloroſæ Matris Imagine perenni afflictorum ſolatio, devotis fiduciæ, omnibus auxilio futurâ.

Divus Antonius beneficentiæ thavmaturgicæ præclara iterùm ſpecimina præbuit.

In Birnau celebri peregrinatione ſacrilegus quispiam lavernio ſtatuam B. V. Mariæ itidem prodigiis famoſam omnibus veſtibus, cimmeliis, & pretioſiſſimo unione ſpoliavit. A. R. D. Pater Eugenius Speth, Capitularis Salemitanus &c. &c. qui pro tempore curam dictæ peregrinationis adminiſtravit, à Capucinis Uberlinganis conſuetas ad S. Antonium preces fundi rogat ; quibus peractis furtum patefactum, & integrè redditum fuit.

Civi cuidam Uberlingano loculos pecuniis plenos, & furibus huic prædæ inhiantibus obvios, piè inclamatus inviſibiles reddidit, & ſervavit.

Villingæ duos crateres argenteos è menſa Illuſtriſſimi D. Landgravii

de

de Fürſtenberg harpagatos, jámque conclamatos D. Antonius furi mirabiliter extorſit, & reſtitui fecit.

Matronæ nobili annulum aureum homo trium litterarum abſtulit; verùm procurante Divo Antonio homo iſte maluit ablata abjicere, quàm ſufferre porrò conſcientiæ torturam, qua cælitùs immiſsâ anguſtiatum ſe dixerat.

Puero clavum ferreum glutienti, & inde de vita periclitanti idem S. Patronus cibum hunc, ſoli ſtruthioni digeſtibilem, è ſtomacho elicuit.

Puellæ Villinganæ fatali defluxione eluminatæ viſum plenum reſtituit.

Duobus ruſticis quatuor equos abigeatu perditos lamentantibus, & operosè quærentibus eosdem abigeis extricatos in manus illorum obviare compulit.

Oculos in mortem clauſerunt, beatificâ, ùt ſperamus, viſione donandos

P. Leuthfridus Conſtant. Sacerd. P. Iſaias Ehinganus Definitor. P. Remigius Friburgenſis. Confeſſar. P. Fridolinus Conſtantien. Conf. *Summa* 4.

P. Iſaias eximium à pietate, & doctrina ſibi nomen comparavit. Non tantùm humanioribus muſis ad excellentiam uſque tinctus fuit; ſed altiores quoque ſcientias eò felici ingenio imbibit, ut aliis quoque eas docendis præfici meruerit. In rebus divinis ardentiſſimus extitit, ut quondam juvenis quispiam optimæ indolis Clericus ad miſſam illi ſerviens viderit hoſtiam ſacram à ſacerdote Iſaia elevatam cæleſti fulgore, in ipſum ſacrificantis caput reflexo, irradiatam. E ſcholis ad Guardiani munus perſæpè traductus nil reliqui fecit, quòd ad perfecti ſuperioris partes attinuerat. In quadrum viratum aſſertus authoritate ab officio ſibi innata ad diſciplinæ regularis, & provinciæ incolumitatem uſus eſt, cæterà humillimus omnium ſe poſtremiſſimum reputans. Ideò confidimus eum ita mente; & corpore graviſſimis accidentibus humiliatum, piâ morte in Cælis exaltatum eſſe.

Vitam aſceto-Seraphicam amplexi, & profeſſi ſunt

F. Auguſtinus Veldkirch. Cler. F. Fortunatus Conſtant. Cler. F. Fridericus Veldkirch. Cler. F. Raphaël Brixinens. Laic. F. Nicephorus Friburg. Cler. F. Erneſtus ex Herznach Laic. F. Andreas ex Weiler Cler. F. Innocentius Villingan. Cler. F. Tiburtius Conſtant. Cler. F. Ildephonſus ex Waldhauſen Cler. F. Joachim Villingan. Laic. F. Donatus ex Aſen Cler. *Summa* 12.

Annus Chriſti 1696. | Provinciæ diviſæ 29. Innocent. XII. 6. | Leopoldi I. 38. | Cardinal. Acciajoli Protector. 20. Marquard. Rud. Ep. 7. | P. Bernardin. ab Arret. General. 6. | P. Angelic. Wolfacenſ. Prov. 1.

Uberlingæ 22. Februarii RR. PP. Congregationem celebrant.

Fabricæ Argenſi poſt plurimas, & odioſas cum aliis velitationes tandem impetratæ primarii lapidis poſitione initium datur.

Oberkirchio in poſſeſſionem accepto præficitur primus ſuperior.

Hortus Friburgenſis ampliatur : Neoſtadianus muro cingitur, collaborante milite haud procul inde ſtativa habente.

Provincia, P. Luciano provincialatum triennalem abſolvente, de alio capite per Capitulum Canonicum proſpicit ; quod Riedlingam ad diem 31. Auguſt. convocatum legitimis ſcrutiniis provincialem dedit A. R. P. Angelicum Wolfac. Definitores, RR. PP. Theodoſium ex Bürs. Franciſcum Joſephum ex Buſmanshauſen, Sigismundum Rottenburg. Fidelem Rottenburgenſ.

Silente in Hæmispherio noſtro Marte variæ ac religioſæ, veriùs irreligioſæ conflictationes Capucinos inter, & alios agitantur ; à quibus recenſendis eò libentiùs calamum retrahimus, quòd eæ plerumque ad victoriam, & honorem Capucinorum deſierint.

Excellentiſſimo D. Comiti de Wurzach, ut ab aliquibus annis frequenter ; ita hoc currente iteratò, & inſtantiùs Domicilium nobis penès ſe fundandum offerenti cum humaniſſima difficultatum remonſtratione, & gratiarum actione pro hîc & nunc negativè reſpondetur ; remiſſo ſummo hoc Benefactore ad meliora tempora. Adeò Capucini multiplicandis Monaſteriis non ſtudent, ut vel cum disgratiis Magnatum oblata, & nimia recuſent ; aliis opportunè importunè, cúmque Principum, & Benefactorum offenſa in plurificanda domicilia ſua ardentibus ; quorum conatibus nemo utique obſtaret, niſi hi ad inferenda tertio præjudicia tenderent. Quapropter qui ab aliis obſtacula experiuntur, ſanè ea ægrè ferre non poterunt, ſi recordentur legis, quæ habet : nemo cum damno, & injuria alterius locupletari, & emolumenta ſua ſectari debet.

De S. Antonio ſequentia accepimus hoc anno in bonum alterius patrata:

In agro Marchdorffenſi honeſtiſſimæ perſonæ *veſtiarium ſuum penitùs* ita eſt vacuatum, ut quo manè indueretur, haud invenerit. Conducto autem in honorem S. Antonii Reſponſorio à Capucinis Marchdorffenſibus perſolvendo, & perſoluto, paucis exinde diebus veſtimenta ſua omnia, nullo deficiente, aut aliqua parte læſa in cubile ſuum repoſita fuerunt.

In diſtrictu Rottvvilano ruſticus duos equos ſtabulo ſuo eductos ope S. Antonii manifeſtiſſimâ recuperavit.

Ibidem aliquis ſexaginta florenos ex vendito frumento elicitos deperdidit : edito autem voto S. Antonium Miſſæ ſacrificio demerendi, miſsísque ad eum ſuſpiriis in via publica mille hominum euntium & redeuntium pedibus interim trita reperit pecuniam ſuam Deum in S. Antonio magnificans. Regina Hiſpaniæ, Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi I. germana ſoror cum fama ſanctitatis moritur ; pro qua Rex maritus à tota Religione noſtra, trinam, ùt vocamus, charitatem perſolvi petit, & impetrat.

Huic ſæculo quoque æternum vale dixerunt Anteceſſores ſuos in cæleſti Patria ſalutaturi

P. Al-

P. Albinus Friburgens. CC. P. Marquardus Waſſerburgenſ. CC. P. Franc. Maria Veldkirch. Sacerd. F. Rugierius Veldkirch. Laic. P. Sebaſtianus Bezav. Sacerd. *Summa* 5.

P. Marquardus in ſæculo jurisprudentiæ operam adeò felicem navavit, ut ad magna gerenda idoneus, & deſtinatus crederetur. Sed pericula Juriſtis &c. communia evitaturus, ſtupente mundo, nuntium mundo relinquens ad ſecuriorem Seraphicæ ſimplicitatis portum appulit. In Ordine ſcientiis quoque Theologicis auctus, ſuffragante inſuper eximia regularis vitæ prærogativâ ad ſeveriora provinciæ munia trahendus putabatur. Verùm aliter Deo viſum : in ſtrato jam ad altiora aſcenſu deſcenſum imperavit fatum ; cui obtemperans in lectulum, & ex hoc religioſiſſimè in tumulum ſe ſe compoſuit.

Contemptis mundi quisquiliis paupertate cæleſtes heſauros duxerunt nundinandos recentes Capucini

F. Humbertus Gengenbac. Cler. F. David Möſskirch. Cler. F. Achilles ex Landegg Tyrol. Cler. P. Electus Conſtantien. Sacerd. F. Geroldus Bludentinus Cler. F. Zacharias Bludentinus Cler. F. Norbertus Conſtant. Cler. F. Adamus Rhenofeldenſ. Cler. F. Victorianus Waldishuttan. Cler. F. Honorius ex Millelberg. Cler. F. Franciſcus Veldkirch. Cler. F. Caſparus Uberlinganus. Cler. *Summa* 12.

Annus Chriſti 1697. | Provinciæ diviſæ 0. Innocentii XII. 7. | Leopoldi I. 39. | Cardinal. Acciajoli Protector. 21.

Marquard. Rudolph. Ep. 8. | P. Bernardin. ab Arret. Gener. 7. | P. Angelici Wolfac. Prov. 2.

Marchdorffii die 11. Aprilis RR. Patrum Congregatio obitur.

R. P. Sigismundus, ùt alibi dictum Commiſſionem in provinciam Rhenanam accedit ; & inſtruitur, ut in reditu Reverendiſſimum D. Vicarium Generalem Spirenſem conveniat, eúmque edoceat, quòd, cùm Miſſio noſtra Wilerſtadienſis immediatè à Sac. Congreg. de propag. Fide dependeat ; inconveniens admodùm ſit, ut noſtri ibidem Patres temporalem in quibusdam locis curam animarum exercentes, Juramentum Capitulo Rurali deponant, & taxam pecuniariam ſolvant. Aquievit Vicarius Generalis hiſce demonſtrationibus, condonatâ per modum eleemoſynæ prædicta taxâ.

Adveniunt Româ litteræ citatoriales ad Capitulum futuro anno celebrandum : hinc in Provincia Lauffenburgum ad diem 20. Septembris conſcribitur Provinciale. In hoc A. R. P. Angelicus Wolfacenſis confirmatur Provincialis. Definitores fiunt RR. PP. Sigismundus Rottenburg. Theodoſius ex Bürs. Lucianus Montifontan. Gebhardus Conſtant. Cuſtodes Romani PP. Lucianus & Sigismundus.

In hoc Capitulo Quæſtio incidit, utrùm acceptato, & jam poſſideri cæpto Oberkirchio Oppenoa jam deſerenda eſſet ? pluribus in partem affirmativam propendentibus, ratione ductis, quòd ea deſertio fuerit conditio

ditio ſine qua non fuiſſet ſupplicatum pro dicto Oberkirch ; nec ab Eminentiſſimo D. Cardin. Epiſcopo Argentinenſi conſenſus impertitus ; nec à P. Generali licentia facta ; alii è diametro contrarii non deſerendam Oppenoam ; vel ſaltem deſertionem non maturandam , ſed differendam arbitrati ſunt ob cauſas acidularum tum à Fratribus noſtris uſurpari ſolitarum ; tum ut aliis , ſæcularibus , & Benefactoribus eadem quâ medicâ ibidem , vel in Griesbach , vel in Valle S. Petri uſuris commodè ſpiritualia obſequia certè à nobis efflagitanda impendi queant. Itaque reſolutum fuit : exſpectandum , nec properandum eſſe cum illa è loco Oppenavienſi emigratione. Auguſtiſſimum Imperatorem , imò totam Germaniam ſiniſtris belli ſucceſſibus , & concatenatis hoſtium inſultibus triſtem inſigniter exhilaravit lætiſſimus nuntius de ingenti victoria , quam Sereniſſimus Princeps Eugenius , Sabaudiæ Dux &c. de Turcis ad Zentam propè Tibiſcum Hungariæ feliciſſimè reportavit , cùm Barbarorum viginti quinque millia internecione deleta , reliqui caſtris exuti , in fugam acti , plurimi capti fuerint. Aliquorum invidia ſereniſſimo victori dicam ſcribere , eúmque graviori cenſuræ ſubjici voluit ; quòd non exſpectato ordine à ſupremo belli conſilio ſigna cum hoſte conferre , & in caſu ſuccumbentiæ totam Chriſtianitatem extremo diſcrimini exponere auſus ſit. Sed Auguſtiſſimus Imperator libentiſſimè reum abſolvit ; nec quæſtionibus , ſed palmis , præmiísque dignum pronuntiavit ; Bohemis in fide nutantibus ; Hungaris apertè rebellantibus ; omnibus in Imperio ſus déque verſis ; militè ſtipendiis deſtituto , & arma , & animum pugnandi , vincendíque ſpem penitùs abjiciente ; Turcâ numero , viribus , opibúsque Chriſtianos longè ſuperante , & prioribus armorum progreſſibus inſolente , ea victoria ùt exoptatiſſima ; ſic & omnibus in meliora mutandis opportuna tantò liberaliori tripudio , atque triumpho occaſionem præbuit.

Pacis tractatui Rysvvickæ inter Hiſpanos , Anglos , & Batavos , ex una : & Gallos ex altera partibus concluſo Auguſtiſſimus Imperator , & Imperium die 1. Novembris etiam acceſſit , & ſubſignavit. Hæc res RR. Patres Lauffenburgum die 22. convenire compulit. Cùm enim per dictæ pacis articulos Rex Galliæ Imperio , & domui Auſtriacæ Philippburgum , Briſacum , & Friburgum reddiderit , deliberari debuit , quid dato reſtitutionis caſu circa Conventum Briſacenſem toto Gallici regiminis tempore à PP. Helvetis poſſeſſum agendum ſit : equidem iidem Patres à Regimine , & Præſidio Auſtriaco non tolerandi prævidebantur. Tandem verò noſtri exfraterna , debitáque in RR. Patres Helvetos charitate , atque humanitate deciſum fuit , nil penitùs moliri , quod vel minimam ſuſpicionem parere poſſet , quaſi nos occupando dicto Conventui , & expellendis inde PP. Helvetis ſtuderemus ; ſed à mente , ac ſententia Auguſtiſſimi Cæſaris à nobis minimè , & nec directè , nec indirectè interpellandi ſuſpenſos pendere ; econtra collatis cum provincia Helvetica conſiliis id unum cavere , ne tertii quidam jam jam in rem attenti eò loci intervenientes & PP. Helvetos , & Auſtriacos hac ſede fruſtrent ; germanum hunc , & fraternum agendi candorem effectu deinceps comprobante.

Die 5. Auguſti urbs Veldkirchenſis nobis beneficentiſſima ex incuria cujus-

cujusdam triobolaris fœminæ lixivium in culina domeſticâ inſtruentis, ignémque negligenter curantis, excitato hinc incendio maxima ſui parte conflagravit; Capucinis opem operámque ſuam fideliſſimam extinguendis flammis conferentibus. S. Antonium vel Lutheranus quispiam Commiſſarius militaris ſibi clementem expertus eſt; qui Uberlingæ annulum aureum lapillis erythræis prædivitem amiſerat, nec adhibita totâ domeſticorum induſtriâ invenire poterat. Rogat Capucinos, ut ritu ſuo S. Antonium invocarent; quibus illi gratificatis accidit, ut filiæfamilias hoſpitii aliquid aliud quærenti, & nil minùs quàm annulum cogitanti hic digito ſuo inſertus apparuerit; quem illa producens domino ſuo reſtituit admirato, & Capucinis grato.

In pago Lipfertingen Hegojæ pago Hierotheca Eccleſiæ parochialis, ab argento, auro, & opere cælato pretioſa manibus ſacrilegis auffugerat. A. R. D. loci parochus rem Capucinis Engenſibus conqueſtus aliqua Miſſæ ſacrificia in honorem S. Antonii ab iis litari, & Reſponſorium frequentari rogitat. Et cùm deſperata recuperatione jam de alia comparanda, & conficienda cogitaretur, poſt integri anni intervallum Hierotheca mirabiliter in apricum emergit, & Eccleſiæ ſpoliatæ reſtituitur.

Corporis ſarcinam exuti, & ſtolam immortalitatis induti ſunt

P. Narciſſus Ehinganus CC. F. Criſpinianus Brigantin. Laic. F. Onophrius Cellenſis Laicus. P. Amandus ex Blumenegg Conf. P. Albanus Villinganus CC. P. Franc. Joſephus ex Busmanshauſen Definitor. de quo in prædic. qualit. §. 11. de litteratis. *Summa 6.*

In Jus Seraphici Patris ſpontaneâ ſui ceſſione tranſierunt

F. Albanus Friburg. Cler. F. Anicetus ex Gaſchurren Cler. F. Caſtus Hüffinganus Cler. F. Erneſtus ex Sontag. Cler. F. Fridolinus ex Gallenkirch. Cler. F. Romanus Engenſis Laic. F. Franc. Chriſtophorus Möſskirch. Sacerd. F. Joan. Baptiſta Conſtant. Cler. F. Maximilianus Juliomagenſis Cler. F. Chriſtianus Conſtant. Cler. F. Henricus Uberlinganus Cler. F. Marquardus Marispurgenſis Cler. F. Martinus ex Avv. Laicus.

Summa 13.

Annus Chriſti 1698. | Provinciæ diviſæ 31. Innocent. XII. 8. | Leopoldi I. 40. | Cardinal Acciajoli Protector. 22. Marquard. Rud. Ep. 9. | P. Joa. Petri de Buſto General. 1. | P. Angelici Wolfacenſ. Provinc. 3.

Poſt aliquam inter RR. Patres Conferentiam Romipetæ noſtri provinciam egreſſi almam urbem incolumes attigerunt. Capitulum Generale die 16. Maji incipit. Reverendiſſimus P. Bernardinus ab Arretio, qui præter morem ex conceſſione Pontificia Generalatum longè ultra ſexennium geſſit, facundè, & zelosè pro re nata perorat, prohibétque ſeriò ullas de electionibus futuris conſultationes miſceri.

Succedit Eminentiſſimus D. Protector, ceu Capituli Præſes, qui acer-

biùs in ambitioſos invectus conſcriptos Patres ad pacem, & humilitatem allocutione ad hoc parata hortatur.

Protrahuntur, & multiplicantur ſcrutinia vacua, nullísque electis fæcunda ab hora 5. matutina uſque ad decimam veſpertinam maximo tum Protectoris, tum Capitularium incommodo, ac tædio. Tandem autem in electum Generalem Miniſtrum promulgatur Reverendiſſimus P. Joan. Petrus de Buſto. In Definitores Generales RR. PP. Angelicus Wolfacenſis. Franciſcus Maria ab Arezzo, qui & Procurator Curiæ, Auguſtinus à Tiſſana, Joſephus à Surrita, Emanuel de Laize, Jo. Baptiſta à Sabbio.

Maximo igitur provinciæ honore P. Angelicus noſter primus Definitor evaſit; qui eapropter longiorem Romæ tracturus moram conſtituit, ut P. Theodoſius Vicariatum Provinciæ hactenùs geſtum proſequatur, ac de mente definitionis Generalis Congregationem Provincialem celebret; quæ Veldkirchii die 8. Auguſti ſucceſſum habuit.

Sed & ipſe M. R. P. Angelicus in provinciam redux aliam coëgit Congregationem Brigantium ad diem 2. Decembris: in qua pro loco Kehl inſtituitur temporalis ſuperior; cùm de conſenſu, & hortatu Excellentiſſimi D. Ferdinandi Proſperi Landgravii de Fürſtenberg Stüehlingen *ille locus* à Capucinis poſſeſſione uſucapiendus eſſet, antequam alii eum præriperent. Duo igitur Patres illuc ordinati, & ab Excellentiſſimo Domino Generale Würzio Kehlam in fidem Cæſaris recepturo inducti ſub nomine Sacellanorum Caſtrenſium rem ibi egerunt; verùm opportuno domicilio, aliísque neceſſariis deſtituti ægrè ſubſtiterunt. Ad hæc ſupervenit Sacerdos à Sereniſſimo Marchione Badenſe ſummæ rei militaris ſatagente in qualitate Caſtrenſis ſubmiſſus; qui & Capucinos inde migrare juſſit. Hi tamen obedientiâ volente altiorem ordinem præſtolati ad juſſum dicti Caſtrenſis nulla jubendi authoritate legitima pollentis minimè paruerunt; ſed in pane tribulationis, in frigore, fame, & nuditate, ac omnium rerum penuriâ hyemis rigorem ibidem ſuſtinuerunt, non inde *juxta inſtructionem* RR. Fratrum diſceſſuri, niſi ab Excellentiſſimo D. Landgravio de Fürſtenberg, cujus authoritate introducti fuerunt, egredi jubeantur.

P. Lucianus Montifontanus novis argumentis inſtructus Romæ totis viribus reſuſcitandæ cauſæ Canonizationis B. Fidelis Martiniper penitùs ſopitæ incumbit; hujúsque ſic reaſſumptæ Promotores nactus eſt Auguſtiſſimum Imperatorem, & potentiſſimum Hiſpaniæ Regem, verùm præter ſpem paulò largiorem, quàm ante habuerat, nil evicit. Igitur relicto ibidem Patre Reginaldo Rottvvilano, utpote à Reverendiſſimo P. Generale in ſecretarium germanicum aſſumpto, & ipſe in provinciam regreſſus eſt.

Patres Provinciarum germanicarum unitim ſupplicant Reverendiſſimo Definitorio Generali, ut pro velociori caſuum emergentium deciſione Romæ perpetuus quispiam germanus ſub nomine aſſiſtentis Germaniæ toleraretur, ſed preces refutatæ ſunt.

Dum majores noſtri incolumitate provinciæ laborioſius fatigantur, aliqui fratrum iter æternitatis ingreſſi laborioſam vitam ſuam cum quiete perpetua, & pace ſempiterna commutaverunt in Chriſto obdormiſcentes.

P. Jonathas Conſtantiens. CC. P. Caſparus Rhenofeldens. Conf. P. Valen-

lentinus Friburgens. CC. P. Franciſcus Antonius Rottenburg. CC. F. Daniel ex Krencking. Laic. P. Fridolinus Segginganus CC.

Summa 6.

P. Caſparus vix à ſtudio Theologiæ moralis manumiſſus podagræ maturo nimis ſuperyentu vinculatus miſeram, ſi corpus ſpectes, felicem, ſi animam, vitam duxit. Ille enim morbus in athritidem excurrens tantis hominem doloribus totos tredecim annos exagitavit, ut nullum, niſi linguam, & oculos membrum cruciatûs expers habuerit: illâ ad benedicendum, laudandúmque Deum; his ad contemplandum Crucifixum, hauriendáque inde patientiæ documenta uſus; & fratribus ipſe exemplum, Doctórque patientiæ factus; qui optimum virum tantis, támque diuturnis malis obrutum vix ſine lacrymis, nunquam absque intimo compaſſionis affectu intueri potuerunt. Tandem verò mors optatiſſima vitæ mortali finem, & immortali initium dedit.

P. Franciſcus Antonius ex Illuſtri ſtemmate Lib. Bar. de Hochenberg oriundus, cùm equo vectus Oeniponto domum reverteretur, præceps labitur, & ſtapedibus innexus, nec inde ſe cum ocreis tam celeriter extricare valens, ab ipſo, cui ſederat equo, miſerum in modum pendulus raptatur, conculcatur, ac comprimitur; ita quidem, ut mortis umbra oculis jam obſervante votum Deo nuncupaverit vitam ſibi ſoſpitandam Deo in Seraphica Capucinorum Religione unicè conſecrandi. Hoc ita mente conceptâ equus momentò in agnum manſuefactus ſiſtit; & Illuſtris juvenis, poſt curata vulnera propoſiti tenax mundum exuit, & in Capucinum formatur, factâ ante Profeſſionem diſpoſitione de portione ſubſtantiæ ſuæ: legavitque ex hac perennem pro Capucinis eleemoſynam, ab hæredibus ſuaptè in Ordinem noſtrum, ac Conventum Rottenburgenſem naturâ propenſiſſimis, atque beneficentiſſimis quolibet anno, ſuísque temporibus per annum præſtandam. Ipſe verò P. Franciſcus Antonius devotioni, humilitati, cæteríſque virtutibus Capucinum decorantibus omni ſe conatu impendit, cunctísque pacis, ſolitudinis, atque manſuetudinis ſtudio æſtimabilem reddidit. Quòd verò maturè variis languoribus inceſſitus communium laborum capax non eſſet, nec ſibi prolixam vitæ telam promittere poſſet, tantò impenſiùs ad felicem ex hoc mundo tranſitum ſe ſe paravit; ut adeóque mors brevi ingruens non terruerit, ſed accinctum jam, diúque paratum ſuſtulerit, & ad promiſſam humilibus beatitudinem promoverit.

Manum aratro Evangelicæ perfectionis ſectandæ applicuerunt

F. Cajetanus Veldkirch. Cler. F. Agricola ex Blumenegg. Cler. F. Adelricus Veldkirchenſ. Cler. F. Benedictus Villingan. Laic. F. Conſtantius Elzacenſis Cler. F. Ubaldus Villingan. Cler. F. Gabriel Mariſpurgenſ. Laic. F. Remigius Villingan. Cler. F. Jonathas ex Nenzingen Cler. F. Amatus Veldkirch. Cler. F. Narciſſus ex Blumenegg. Cler. F. Tobias Veldkirchenſ. Cler.

Summa 12.

Annus Christi 1699. Provinciæ divisæ 32. Innocent. XII. 9. | Leopoldi I. 41. | Cardinal. Acciajoli Protector. 23. Marquard. Rud. Ep. 10. | P. Petri de Busto Gen. 2. | P. Sigismundi Rottenburg. Prov. 1.

Quamquam, ut priori anno meminimus, duo Patres nostri cum Excellentissimo D. Generali Würzio Kehlam ingressi, ibidem quasi possessionem sumpserint in obsequia Præsidiarii militis sacra peregerint, & Sacerdote sæculari, cujus supra mentio facta est; aliorsùm promoto per decretum Celsissimi ac Reverendissimi Principis, & Episcopi Constantiens. ceu circuli Suevici Directoris quà sacellani militares instituti, atque à Commissariatu sustentari, ibique adeò usque ad ulteriorem dispositionem subsistere jussi fuerint; insuper Eminentissimus D. Cardinalis de Fürstenberg Episcopus Argentinensis clementissimo rescripto caverit, neminem Religiosorum, præter Capucinos, in fortalitio Kehlensi, velut Episcopali suæ Jurisdictioni obnoxio admittendum fore: his tamen omnibus nil moratus quispiam alius Provincialis proferendis provinciæ suæ finibus plus justo intentus huic ipsissimo loco modis propè characterem suum dedecentibus inhiavit. Serenissimo namque Marchioni Badensi adgeniculatus, tanta precum fletu mixtarum submissione, & gestibus ad flectendam marpesiam cautem compositis pro gratia Domicilium Kehlæ figendi supplicavit, ac per quiquid Serenissimo Sacrosanctum, pretiosum, charumque obtestatus est, ut Marchio tantis instantiis obrutus vix non supplici verbum dederit. Sed enim tunc opportunè huic scenæ præsens quoque adfuerat Excellentissimus & Illustrissimus D. Ferdinandus Prosper Landgravius Fürstenberg-Stüehlinganus, qui & ipse novam scenam facturus coram Serenissimo Marchione in genua decrescens *in hæc* propè verba linguam pariter supplicem laxavit; Serenissime Gratiosissime Princeps, & Cognate! mei PP. Capucini in suis conventibus orant pro me Deum, quorum precibus natum mihi nuper hæredem, quo tota nostra Familia Fürstenbergica serenitati vestræ multiplici sanguinis, & affinitatis nexu juncta, ac devotissima, carebat, in acceptis refero: ego igitur vicissim pro iisdem, & obsecro, ut imperturbati Kehlæ relinquantur, nec religiosis mihi de merito charissimis alii præferantur, neque hinc discedo, donec serenitas vestra votis Capucinorum, & meis annuerit. Facile est divinatu, cui in præsenti victoria manserit. Inviti sanè illud hùc illius scoma trahimus: *Franciscus contra Franciscum*, &c. interim Franciscus æquiore causâ instructus semper hactenus contra Franciscum minùs habentem prævaluisse. Transeant autem hæc cum cæteris prædicamento Passionis commemoratis.

M. R. P. Angelicus visitata provinciâ Capitulum Constantiam pro die 4. Septembris promulgat; in quo A. R. P. Sigismundus Rottenburgens. Gubernium provinciæ assecutus; & in senatum Definitorialem eluctati sunt RR. Patres Lucianus Montifontanus, Antonius Rhenofeldensis, Theodosius ex Bürs, Fidelis Rottenburgens. Con-

Conventus Marchio Badenſis nuper reſuſcitatus, Oberkirchenſis, Argenſis, & Neoſtadianus in Guardianias declarantur.

M. R. P. Franc. Maria ab Arezzo in Capitulo Generali electus Procurator Curiæ à SS. D. N. Innocentio XII. Concionatoris Apoſtolici munere ſublimatur : cui provinciæ ut majori induſtria, & intenſione vacare queat, in manus Pontificis reſignat Procuraturam, quam ſanctiſſimus per breve Apoſtolicum confert R. P. Bernardino à Saluzzo.

R. P. Angelus Maria de Vultaggio Poſtulator cauſarum Canonizationis negotium B. Fidelis ſcripturâ convincenter compoſita de novo, ſeu, quod ajunt, ab ovo retexit ; quâ nimirùm demonſtrat, quòd venerabilis hic Dei ſervus ſimul ac mortem pro Chriſto ſubierat, publica populi voce Beatus, ac Martyr fuerit proclamatus, imò in locis variis honorificè cum palma depictus ; id quod etiam pondus accepit ex libro illo Molshemii anno 1623. impreſſô. Verùm ſummo Pontifice cauſam hanc ex cauſis nobis ignotis dedignante hæc ſcriptura, tanquam reti ventum venatura, nihil profecit.

Nihilominùs idem B. Fidelis erga ſibi devotos mirificè benignus eſſe perrexit. Ruricola in pago Gisingen haud procul Veldkirchio, tantos tergoris cruciatus, & puncturas ſuſtinuit, ut eapropter laborum ruſticalium impotens familiam ſuam alere haud valuerit. Vovit ergò religioſam F. Fidelis viſitationem ad templum Capucinorum Veldkirchenſium ; à quibus ei ibidem enſis, quo B. Martyr enecatus perhibetur, applicatur, tergóque dolenti imponitur ; & id quidem eo cum profectu, ut dolorum jam plenè liber domum reverſus laboribus mercenariis ex tunc, & deinceps incumbere potuerit.

S. Antonius pariter aliquibus opitulatus eſt pro more ſuo prodigioſo.

Honeſta vidua in loco Fraſtanz nonnullis ex Helvetia erronibus, pauperésque chriſtiana pietate dignos mentitis per noctem hoſpitium præbuit; at ingratiſſimi hoſpites noctu veſtes, pecunias, comeſtibilia, aliquos fili è penſo ducti orbes, ſuppellectilem convasârunt, & ſymbolæ locò exportantes, antequam dieſceret, fugâ dilapſi ſunt. Materfamilias hoc maximo damno triſtis S. Antonium per Capucinos Veldkirchenſes in auxilium exorandum duxit ; & eo cum profectu, ut fures ſæpiùs tentatum Rheni tranſitum exequi non poſſent, ſed eo uſque aliis & aliis obſtaculis remorati ſunt, donec à Miniſtris juſtitiæ deprehenſi ablata reddere, & furti pœnas dare coacti fuerunt.

In pago Emmingen tres equi furtim abducti ope S. Antonii iterùm reducti fuêre.

Uberlingæ honeſtæ cuidam Matronæ zonam argenteam prorsùs deſperatam S. Antonius palàm produxit.

Venerabilis Dei ſervus P. Marcus d' Aviano Viennæ ad benedicendas Sereniſſimi Romanor. Regis Joſephi I. cum Sereniſſima Principiſſa Willhelmina Amalia de Hannover nuptias invitatus poſt impertitam benedictionem ad obeundam mortem in lectulum ſe ſe compoſuit, viſitatione Auguſtiſſimi Imperatoris jam morituriens recreatus. Dúmque vir piiſſimus oculos in mortem actu clauderet, rursùs adeſt pauperculo Capucino

ſummus orbis Monarcha, & unà cum circumfuſis fratribus Commendationem animæ precatur; tandem expiranti tenerrimè illacrymatus. Non ſolùm autem Auguſtiſſimus defuncto ſolennibus per duos Epiſcopos exequiis parentavit: ſed & Epitaphium è proprio ingenio, & affectu depromptum, trinum Chronographicum complectens, poſuit.

Eidem, quod ſperamus, in beata æternitate juncti ſunt è provincia noſtra decedentes,

F. Cleophas ex Roſshaupten Laic. P. Fridericus Cellenſis CC. P. Arnoldus Tettnangenſis CC. F. Norbertus Friburgens. Laic. F. Chriſtophorus Conſtant. Laic. P. Octavianus Ehingan. Guard. P. Albertinus Riedlingan. CC. P. Leopoldus Lauffenburg. Conf. P. Benignus Conſtant. CC.

Summa 9.

P. Fridericus ut erat domo Nobilis, nimirùm ex Prænobili, & equeſtri ſanguine Hallvveiliorum ortum trahens; ita ſacram Religionem, vitámque ſuam præclaris virtutibus nobilitavit. Non enim reſpiciens ad Natalium ſuorum prærogativam cum minimis, & ſimplicibus aut fraternè, aut aſceticè, aut cathechiſticè converſari inter maximas delicias ſuas numerabat, quare fratres omnes eum ſinceriſſimè in omnibus conventibus diligebant, vicem obſequioſæ charitatis ab illo ſemper experti. Infirmior valetudo, & contractior donorum, ſcientiarúmque lux ejus humilitati ſtrenuè cooperatæ, qua honores, & officia neque ambiit, neque attigit, ſatis ſe honoratum credens ſi in officio optimi, veréque pauperis Capucini ſe contineret. Hinc procul ab omni cura ſolius animæ ſuæ unicam curam geſſit.

Sub ſignis Capucino-Seraphicis merituri ſtipendia ſe nobis junxerunt

F. Anaſtaſius Villingan. Cler. F. Salomon Villinganus Cler. F. Chriſtophorus ex Schramberg Laicus. F. Ignatius ex Weiſſenhorn. Cler. P. Feliciſſimus ex Gayenhofen Sacerd. F. Sebaſtian ex Ranckvveil Laic. F. Richardus Enſinganus Cler. F. Julius ex Dorrenbüren Laic. F. Firminus ex Reuthe Cler. F. Jordanus ex Leutkirch Laic. F. Ananias Haslacens. Cler. F. Juſtinus ex Dornvveid Cler. F. Floribertus Naſſoviens. Cler. F. Seraphinus Uberlingan. Cler. F. Leontius Uberlinganus Cler. F. Ottmarus ex Rettenſchvvang Laic. F. Vitus Friburgenſ. Clericus.

Summa 17.

Annus Chriſti 1700. Provinciæ diviſæ 33.

Clementis XI. 1. | Leopoldi I. 42. | Cardinal. Acciajoli Protect. 24.

Marquard. Rudolph. Ep. 11. | P. Jo. Petri de Buſto Gener. 3. | P. Sigismund. Rottenburg. Prov. 2.

Waldishutti die 14. Maji Congregatio, intervenientibus quoque RR. PP. Helvetiæ habita, & collatum fuit; quomodo in pace, charitate fraterna, & exemplari religioſitate, nullius proprii commodi reſpectu vitiata conventus Briſacenſis ex decreto Auguſtiſſimi Imperatoris provinciæ noſtræ adjiciendi à PP. Helvetis inde migraturis in manus Patrum noſtrorum conſignari poſſit, ac valeat. Et ſicut religioſſimè inter partem utram-

utramque conventum ; ita & dato emigrationis , & immigrationis caſu utrinque citra ullam offenſam obſervatum fuit die 25. Maji, reciprocatis etiam,& ſtipulatis quibusdam per modum amicabilis transactionis Articulis.

Cùm Reverendiſſimus P. Generalis profectionem in Hiſpanias adornâſſet, Genuæ lethali morbo interceptus, ac morte abreptus regimen Ordinis in humeros Reverendiſſimi P. Angelici noſtri Wolfacenſis , ceu primarii Definitoris, ac modò Vicarii Generalis , ad maximum viri humillimi luctum devolutum ; hujúsque ideò à P. Reginaldo , aliarúmque nationum ſociis ſigillum cum cæteris generalibus inſignibus allata ſunt Brigantium. Adoptatis igitur in comitatum ſuum Conſultore , Secretariis , & ſociis viſitationi generali ſe ſe accinxit.

R. P. Lucianus Montifontanus commiſſionem ab hoc novo Reverendiſſimo P. Generale ſibi delatam peracturus in provinciam Walloniæ deſcendit, de quâ alibi.

Quòd fundus, cui incumbit Monaſterium noſtrum Oberkirchenſe ex variis hortis, qui oneri cenſuum annuorum Reverendiſſimo D. Abbati , & Conventui ad omnes ſanctos pendendorum erant obnoxii, conflatus eſſet, ad humillimas Capucinorum preces idem Abbas , & Conventus illud cenſuum exigendorum jus ſcripto publicô , & authentico in perpetuum remiſit.

Hoc anno potentiſſimus Hiſpaniarum Rex Carolus II. fatis conceſſit , & teſtamento qualicunque Philippum Andegavenſem Ludovici XIV. Galliæ Regis nepotem ſecundò genitum hæredem ſcripſit. Cùm verò iſthæc inſtitutio hæredis contra divinas , humanásque leges facta de piiſſimo teſtatore paulò ante domum Auſtriacam , ceu legitimum hæredem aſſerente , & publico inſtrumento ſcribente præſumi minimè potuerit ; ſed illud teſtamentum poſterius in favorem Burbonii ſuppoſititium paſſim ab æquitatis amantibus creditum fuerit ; ideò Auguſtiſſimus Imperator ſe enormiter læſum videns belli apparatus maximos fecit , quibus jus ſuum perſequeretur. Sed Gallus celeritate uſus , ac nondum offenſus prior armis offenſivis in campum educit exercitum , & Ducatus Mediolanenſem , ac Mantuanum ; Belgium quoque Hiſpanicum præoccupat , bello truculentiſſimo, & in Sueviam , & patriam noſtram propagando ita præludens.

Sanctiſſimus etiam D. N. Innocentius XII. virtutum , ſapientiæ , & juſtitiæ laude celeberrimus, meritísque , ac diebus onuſtus Tri-Regnum cum vita depoſuit ; & ſucceſſorem nactus eſt Eminentiſſimum D. Cardinalem Joannem Franciſcum Albanum , deinceps Clementem XI. dictum, cathedra Divi Petri eò digniorem , quò indigniorem ſe reputans triduum pro deliberatione , an acceptare tantum onus vellet, an non , poſtulavit ; & eo inter preces, & ſuſpiria exacto , tandem flentibus oculis optatiſſimum Cardinalium Collegio verbum, *accepto* , annuntiavit ; diffluentibus aliis in gaudia , & jubilum ille in lacrymas mentis ambitione vacuæ teſtes ſolutus eſt.

E libro vitæ temporalis in librum cæleſtis , ùt piè credimus , vitæ translati ſunt

P. Oneſimus Conſtant. CC. P. Adamus Rhenofeld. CC. P. Elias Haslacen-

lacens. CC. P. Generoſus Maſſopolitanus CC. P. Germanus Delemontanus CC. *Summa 5.*

Sanctioris vitæ ſtudio ſub Regula Seraphica exercendo ſe elocaverunt F. Lucius Veldkirch. Cler. F. Elias Rauracus Cler. P. Ivo Uberlingan. Sacerd. F. Bartholomæus Riedling. Laic. F. Aquilinus Friburg. Cler. F. Ezechiel Friburg. Cler. F. Conradus Immenſtad. Laicus. F. Cleophas Riedlinganus Laic. F. Apollonius Uberlingan. Cler. F. Nazarius ex Vaduz Cler. F. Perfectus Uberlingan. Cler. F. Iſaac Friburg. Cler. F. Leopoldus Veldkirch. Cler. F. Ludovicus Nicroſulmens. Cler. F. Jacobus ex Fridenvveiler Cler. F. Ephrem Friburg. Cler. F. Damaſus Veldkirch. Cler.

Summa 17.

Annus Chriſti 1701. Provinciæ diviſæ 34.

Clement. XI. 2. | Leopoldi I. 43. | Cardinal. Acciajoli Protector. 25.

Marquard. Rud. 12. | P. Angelici Wolfac. Vicar. Gener. 2. | P. Sigismund. Rottenb. Prov. 3.

Reverendiſſimus P. Vicarius noſter Generalis curſu viſitationis in Auſtriam directo Viennæ honorificè ſalutatur, & ab Auguſtiſſimo Imperatore, totáque ſereniſſima familia, & aula gratiis, & dignationibus, audientiis ad plures horas protractis, aliiſque favoribus tam diſtinctis cumulatur, quales nulli unquam hujúsce, vel ſublimioris quoque characteris viro obtigiſſe admirabunda teſtatur Vienna. Ab Auguſtiſſimo impetrat patentes, & Protectoriales hujus provinciæ noſtræ litteras, de quibus alibi.

Inde movens Bohemiæ, & Bavariæ Provincias viſitando luſtrat; & præter omnem expectationem hiſce temporibus turbulentiſſimo bello prægnantibus à Chriſtianiſſimo Rege Germanus, & *Anterior-Auſtriacus* licentiam impetrat intrandi, & viſitandi aliquas Galliæ provincias; quibus dum ille incumbit nos ad Capitulum in noſtra provincia Uberlingæ 17. Junii celebrandum pedem referimus. In hoc A. R. P. Sigismundus Rottenburgens. Provincialis ſtabilitus, & Definitores creati ſunt RR. PP. Gebhardus Conſtantien. Theodoſius ex Bürs, Lucianus Montifontanus, Marcus Jacobus Bibracenſis. Cuſtodes Romani ad futurum futuro anno Capitulum Generale à Reverendiſſimo P. Angelico jam conſcriptum, RR. PP. Theodoſius ex Bürs, & Fidelis Rottenburg. P. Luciano, poſtquam Provincialatum, & Cuſtodiatum Romanum reſignâſſet, in Vicarium provinciæ declarato.

Capucini Oppenoâ emigraturi à Communitate ibidem flexis genibus ſupplice detinentur, & per decretum ab Eminentiſſimo Cardinale Epiſcopo Argentinenſi emanatum ſubſiſtere jubentur. Belli tumultus anno ſuperiori in Italia ſuſcitati perennant, & augentur, Gallis omnes aditus, & vias in Italiam ſtudioſiſſimè occludentibus. Verùm ſereniſſimus Belli-Dux Eugenius cum inſigni agmine virtute, ingenio, & labore ingreſſum ſibi fecit, invenítque velut alter Hannibal per altiſſima montium,

al-

alpiúmque juga ne feris quidem pervia. Et regione Vincentiæ ex montibus illis erumpens Gallos ad lacum majorem clauſuris ſuis, ut opinabantur, impenetrabilibus ſecuros derepentè obruit, & ab Atheſi fluvio potenter repellit; indéque in agro Mantuano caſtrametatus hoſtes ita concludit, ut vel fame, vel foràs egreſſi germani militis gladio necarentur: prout ad civitatem Carpi quatuor millia, & aliquot millia ad Chiuſam, in levioribus autem pugnis multi centeni cæſi ſunt.

S. Antonius civi cuipiam Marchdorffenſi Roſarium phyſicè, & moraliter pretioſum caſu deperditum, longè alio, quàm ubi perdiderat, loco ad manus redire diſpoſuit. Item alteri honeſto civi Emmingenſi, cui in Eccleſia ad ſacra præſenti philetæ ciſtam nonaginta florenos, litterásque cenſuales aliquot millia valentes complexam domo ſuâ extulerunt, anxiè, & inſtanter à ſe, & Capucinis invocatus poſt octiduum illæſam furibus mirabiliter priùs extorſit, tunc & mirabiliùs reſtituit.

Machæra, qua B. Fidelis ex parte interemptus creditur, viro cuidam immenſas corporis torturas dolenti adhibita omnes inſtantaneè dolores abſterſit, & hominem labori ſuo reddidit.

Inter mortales eſſe deſierunt, pridem ſæculo mortui, ut æternùm Deo vivant,

P. Georgius Engenſis Conf. P. Patritius ex Kuppenheimb Sacerd. F. Wilibaldus Friburgenſis Lector. De quo in prædic. qualit. §. 2. De litteratis. P. Pirminius ex Neuershauſen CC. P. Evariſtus Veldkirch. Guard. P. Carolus Veldkirch. Sacerd. P. Jo. Joſephus Friburg. Noith. Guard. F. Samuel Engenſ. Laic. F. Victorinus Veldkirch. CC. P. Florianus ex Simisvvald. Sacerd. *Summa* 10.

P. Georgius Theologiâ morali duntaxat; ſed inſigniter imbutus in aliis quoque ſcientiis, ut mathematica, aſtronomica, & geographicâ haud ſuperficialem tincturam habuit; qui & provinciam noſtram ad regulas Geographiæ delineatam primus ære excudit, & plurima alia ejusdem artis ſculptoriæ ſpecimina edidit: majore tamen encomio dignus à virtutum, & eximiæ in Deum, ac Cælites devotionis cultu extitit; quo ſe cæleſtibus etiam dignum præſtitit.

P. Florianus ex veſtuta, & prænobili Hübſchmannorum de Biberbach proſapia cretus, cùm litteris altioribus excultus non eſſet, gregaria ſimplicis Presbyteri ſorte contentiſſimus humili obſequioſitate omnium fratrum amorem in ſe provocavit. Rei Exorciſticæ adeò ſe impendit, ut vivæ in Deum fidei, & operis operantis virtute ſtupenda, & miraculis proximè vicina hominibus, ac jumentis præſtiterit, & vel in Patria ſua, Simisvvald, ob talia patrata ſancti Capucini nomine compellatus fuerit. Demùm in ſenectute bona Rhenofeldæ per ſcalas delapſus mortem ſibi, ut omnium tulit opinio, feliciſſimam accerſivit, ad Cælum ſurrexiſſe creditus. Nemo enim aſcendit, niſi qui priùs deſcendit &c.

P. Victorinum virtutem à matre ſuxiſſe, à puero coluiſſe, in Ordinem Capucinorum intuliſſe, eam ibi plurimùm auxiſſe, in tumulum maturam traxiſſe, ipſúmque totum totam virtutem fuiſſe dixerunt. Vix Scholas, in quibus non contemnendam doctrinæ ſuppellectilem ſibi com-

paravit, egreſſus, Miſſioni Wilerſtadienſi aptus habebatur; in qua ſe apoſtolandi dono, ac zelo veteranum jam Miſſionarium exhibuit. Charites labellis ſuis inſediſſe falsò crediderunt, cùm fuerit unctio S. ſpiritus, quæ in omnibus ejus actionibus elucebat. Morbo exitiali laborantibus ſumma charitate ſalutis remedia ſubminiſtravit: à quorum uno eumdem morbum ſibi accerſivit, eo, tanquam invento pretioſo theſauro lætus; quòd nimirum vitam adhuc floridam in charitatis functione immolare potuerit. Igitur SS. Eccleſiæ Sacramentis ad extrema paratur; ad quem actum exemplo antehac nunquam viſo, totam Civitatem convenisſe crederes, quæ ſingultibus, lacrymis, & lamentis viro huic ſibi chariſſimo ſoſpitatem redimere velle videbatur. Sed moriendum fuerat, omnibus aliis invitis ſolô Victorino non invito, qui in feſto Diſcipuli, quem diligebat Jeſus, animam Religioſiſſimam in ſinum, ac vulnera Jeſu effudit.

Aſceſin vivere incæperunt

F. Otto ex Bürs Cler. F. Gervaſius Wangenſis Laic. F. Patritius Villinganus. Cler. F. Albertinus ex Wollmandingen Cler. F. Philippus Möſskirch. Cler. F. Apollinaris ex Damberg. Cler. F. Franciſcus Xaverius ex Danheimb Cler. F. Michaël Angelus Rottvvilanus Cler. F. Petrus Ranckvvil. Cler. F. Sylveſter Rhenofeld. Cler. *Summa 10.*

Annus Chriſti 1702. | Provinciæ diviſæ 35.
Clement. XI. 3. | Leopoldi I. 44. | Cardinal. Acciajoli Protector. 26.
Marquard. Rud. Ep. 13. | P. Auguſtin. à Tiſſana Gener. 1. | P. Theodoſii ex Bürs Prov. 1.

RR. PP. die 26. Januarii Ravenſpurgum conſcripti diſpoſuerunt agenda, & Romipetæ iter ſuum aggreſſi feliciter illo defuncti ſunt. Die 2. Junii Capitulum Generale initium habuit, cui præſedit Eminentiſſimus D. Cardinalis Protector. In Miniſtrum Generalem electus eſt Reverendiſſimus P. Auguſtinus à Tiſſana. In Definitores RR. PP. Franc. Maria ab Arezzo, quique Prædicator Apoſtolicus. Bernardinus à Saluzzo, qui & Procurator General. Angelicus Wolfac. Franc. Maria à S. Malo, Timotheus à Rhodenas, Emanuel Neapolitanus.

Noſtri ad provinciam reverſi Capitulum inſtituerunt Biberaci. 22. Septembris; in quo majoribus ſuffragantium calculis Præfecturam provinciæ conſecutus eſt A. R. P. Theodoſius ex Bürs. Quatrumviratum RR. PP. Fidelis Rottenburg. Antonius Rhenofeldens. Lucianus Montifortanus. Gebhardus Conſtantienſis.

Claſſico militari quaqua verſum reſonante etiam Capucini moleſtiſſimis contentionibus impliciti fuerunt, Belli ſeu theatrum, ſeu objectum exhibente urbe Stockacenſi: ſed hujus alibi ad nauſeam uſque relati cogitationem abſorbet majoris momenti bellum; cujus flammæ jam quoque in Suevia, & patria noſtra erumpunt.

Elector Bavariæ, qui & germanum ſuum Electorem Colonienſem in propoſiti complicitatem pertraxit, Gallo junctus, & concertatis cum hoc expeditionibus contra Cæſarem, & Imperium ſtratagemate initium

dat

dat, quo Ulmam Sueviæ capitalem clandeſtinè capit, toto mundo rei hujus novitate attonito, & plurium exſpectatione timido. Lætum de Landavio per Sereniſſimum Romanorum Regem Joſephum I. expugnato nuntium ſtrages Cæſari ad Fridlingam Rheni illata miſerè funeſtavit. Galli à Bavaro invitati turmatim in Sueviam ſe ſe effundentes ab omni quidem hoſtilitate abſtinent; quin & ad conventus Möſkirchenſem, Riedlinganum, & Biberacenſem amicè divertentes ſtipendia pro miſſis in felicem rerum ſuarum ſucceſſum conductis ſolverunt, brevi poſitâ larvâ aliam faciem præſelaturi.

Feliciùs rem egit Sereniſſimus Princeps Eugenius in Italia; qui Cremonam à Gallis poſſeſſam latenter per canalem ingreſſus ipſum Generaliſſimum Gallum, Ducem de Villeroy captivum abduxit, urbe quidem non potitus; ſed hac prædâ ſat victorioſus in ſua ſe caſtra recepit, toto orbe Sereniſſimi Eugenii ingenium, & fortitudinem admirato, eíque tantum captivum deinceps per Tyrolin Viennam miſſum gratulato.

S. Antonius Paduan. ſe hoc anno rerum perditarum, furtivéque ſublatarum cuſtodem, & ſalvatorem exhibuit duobus ruſticis in ſylva nigra degentibus.

Alius quispiam ad recuperandam mágni pretii telam ſibi evolantem ejusdem divi opitulatione feliciter uſus eſt.

Fratrum noſtrorum, qui abierunt in Regionem longinquam accipere ſibi regnum cæleſte, nec reverti, hæc ſeries eſt.

P. Laurentius ex Schnifis CC. de quo in prædic. Qual. §. 2. de litterat. P. Baſilius Stauffens. CC. P. Romualdus Segginganus CC. P. Ignatius Rhenofeldens. de quo in Prædic. Qual. §. 2. de litterat. P. Emericus Conſtant. CC. P. Paulus Conſtant. Guard. P. Martialis ex Sateins CC. de quo in prædicam. Qualit. §. 1. litt. M. P. Thaddæus Gerſpacenſis Sacerd.

Summa 8.

P. Romualdus vir ſtaturæ altioris virtutes non minùs altas erat æmulatus, atque aſſecutus, priſci candoris germanus procul omni fucatâ urbanitate, ſimplex, æqui, & juſti tenax, paupertatis amans, deſidiæ inimicus, ſubtiliſſima artefacta manuum, & digitorum groſſitie elaborare conſuevit; prudentiæ quoque, & eximiæ religioſitatis laude præcellens ſæpè aliis regendis præfectus gubernii ſummam in pace, & charitate collocavit, ſummis etiam Principibus in veneratione, & pretio, poſt annos quinquaginta novem in Religione ſine querela exactos, celebratúmque ſacerdotii jubilæum vitam mortalem, ac ſeniô fatiſcentem cum immortali commutavit, hodiedùm in plurium ſuperſtes memoriâ. P. Paulum firmum in corpore robur, pedum agilitas, manuum dexteritas, prudentia in agendo, in converſatione gratia quatuor ſucceſſivè Provincialibus ſocium, & ſecretarium fecit; quo in tempore perfectam rerum agendarum experientiam hauſit; ut eapropter quibusvis negotiis cum honore, & utilitate tractandis præfici potuerit. In moderandis Conventibus ſimiliter zelum domûs rei, & diſciplinæ monaſticæ curam manſuetudini, & diſcretioni ſociavit, potenter verbô; potentiùs exemplo ſuos in officio continuit. Verbi divini præco eximius præcipuas provinciæ cathe-

dras cum fructu, & applauſu ſimultaneè cùm Guardianatu animavit, & in ipſo horum munerum curſu religiosè exanimatus vitæ curſum abſolvit.

P. Thaddæus vir ad omnem modeſtiam, & pacem compoſitus, ſolo ſacerdotiô contentus ad excelſiora nec idoneitatem, nec appetitum præſetulit, pro ſphæra ſtatûs ſui familiis, quibus eum inſeri contigit, à fidelitate, & devotione laborandi non minùs utilis, quàm charus. Aliquando medicinam proximè applicandam in cella ſua ſequeſtratam habuit: & cùm eâ uti vellet, pro medicinâ venenum muribus enecandis paratum prehendit, ſumit, & glutit: quo mox intùs agente ſerò nimis errorem infeliciſſimum advertit: & cùm antidotum nullum malo ſiſtendo ſufficeret, ad ſpiritualia antidota converſus, mortem, quam ipſe ſibi ignorans attulit, heroicis virtutum actibus pretioſam in conſpectu Domini reddere ſategit.

Arctam inſtituti Seraphici viam ingreſſi ſunt anguſtam cæli portam aliquando intraturi

F. Baſilius Uberlingan. Cler. F. Samuel Riedlingan. Laic. F. Patiens ex Stieffenhofen Laic. F. Martinus Rottenburg. Cler. P. Wilibaldus Veldkirch. Sacerd. F. Emericus ex Guetenzell Cler. F. Eraſmus Waldishutt. Laic. F. Diethelm. Brigantin. Cler. F. Anſelmus Ranckvvilan. Cler. F. Pancratius Conſtant. Cler. F. Albinus ex Forcheimb. Cler. F. Andreas Marchdorff. Laicus. *Summa 12.*

Annus Chriſti 1703. | Provinciæ diviſæ 36. | Clement. XI. 4. | Leopoldi I. 45. | Cardinal. Acciajoli Protector. 27.

Marquard. Rud. Ep. 14. | P. Auguſtin. à Tiſſan. Gener. 2. | P. Theodoſii ex Bürs Prov. 2.

Annus iſte tumultibus bellicis ferox, & adverſante martis aleâ potiorem ſcriptionis noſtræ curam conſtituit. Exercitus Gallus impune jam, & pro libitu ad Rhenum graſſans Kehlam expugnat, & cum præſidio Cæſareo exeſſe quoque jubet Capucinos, ac pro his Franciſcanos ſuæ Nationis, Cordeliers dictos, introducit. Exin Briſacum ſub præſidio Burgundiæ Ducis tentat; Sed loci Gubernator, Exeellſiſſimus Dominus Philippus, Generalis, & Comes de Arco vel prima tentatione victus; nulla ſeveriori impreſſione, ſeu decretorio aſſultu exſpectato, minùs exantlato, deditionem paciſcitur urbi, & capiti ſuo fatalem. Cùm Gallis intrant quoque Capucini Helveti, Auſtriacis, vi conventionis duobus retrò annis initæ cum omni promptitudine egreſſis. Landavium nuper ditionis Imperialis factum belli fato ad Gallos relabitur. Tota jam Suevia militis Gallo-Bavari inundatione, pecuniarum emunctione, operarum, & victualium præſtatione ſupra vires preſſa altùm ingemiſcit. Generalis de Styrum agmine ſatis valido inſtructus, & munimẽto campeſtri vallatus ab hoſte culpabiliter in obſervato repentè obruitur, & ingenti clade afficitur. Biberaco, Campiduno, & Auguſtâ vindelicorum in hoſtium poteſtatem redactis Elector Bavariæ Tyroli victricia infert arma, ejus Metropoli, Oeniponte, jam ſub jugum miſsâ, Gallis ex Italia erumpendi opportunitatem facturus,

eo-

eorúmque acceſſu fortior Cæſarem domúmque Auſtriacam ſus déque verſurus ; cui propoſito armorum proceſſus pro Auſtria ſatis funeſti admodùm reſponſuri videntur : Jam enim Gallus dividendis provinciis, regnis partiendis, nectendæ Bavaro Sueviæ, & Franconiæ coronæ, Cæſari, & Romanorum Regi in triumphum ducendo occupatur ; ſed ridente Cælo inaniſſimam occupationem ante lentem augentis ollam. Jupiter enim aliquis in Cælo ſui immemores, ſolísque artibus, ac viribus ſuis fretos damno ſuo docebit, quòd ſcarabæus inſolenter aquilam quæſi erit.

Quamquam potioribus Imperii Principibus, Comitibus Baronibus, Prælatis, & aliis Benefactoribus in tutum ſe, & longinquum recipientibus urbes, pagi, domus, & caſtra paſſim prædantibus obvia, atque deſerta ſtarent ; ſingulari tamen Numinis providentia factum eſt, ut in ea publicâ calamitate, omniúmque rerum cariſtiâ, ſervatis ab omni injuriâ conventibus, fratres noſtri penuriam nullam paterentur ; ſed neceſſariis nunquam non proviſi exiſterent. R. P. Theodoſius Provincialis, ne inter arma ſilerent leges noſtræ, centoculum egit argum ; & in hunc finem Conſtantiæ die 25. Junii Congregationem inſtituit, in qua pro conſervanda Religionis, & provinciæ integritate conſultatur.

Externa nos jam iterùm rapiunt ; & quidem nonnihil lætiora. Galli conjunctionem cum Bavaro facturi ex Brisgoja per Sylvæ nigræ plana erumpentes Villingam periclitantur, & deditionem recuſanti atrociori marte imminent. Verùm Gubernator Civium, & militum animoſitate adjutus tam ſtrenuam defenſionem facit, ut hoſtis cum maxima ignominia, & multorum centenorum jactura obſidionem ſolvere, viásque deſtinatas proſequi debuerit.

Tyrolenſes quoque gregarii homines dextri Ferentarii, fidem ſuam inviolabilem erga Sereniſſimam Domum Auſtriacam teſtaturi, agmine facto, & in inſidiis collocati aliquot millia Bavarorum ulteriùs in Tyrolin, Atheſiam, & Italiam penetrare conantium ſclopetis, ſaxis, & machinis ligneis obruerunt, trucidarunt, & reliquos in fugam præcipitem conjecerunt ; ſícque patriam ſuam feliciter his hoſtibus expurgârunt, ipſo etiam Electore de vita extremè perichitato. Nunc rursùs ad noſtra : conventus noſter Mahlbergenſis à lixis, & colonibus gallis, inſolentiſſimo hominum genere, quos *Marodeurs* dicunt, expilationi addicendus jam fuerat, & illi F. Ludovicum nonnihil opponentem inhumaniùs habent, maximo impetu ſclopetum in latus ejus impingunt, ex quo optimus Seniculus introrsùm læſus paulò poſt exſpiravit : ſed ſuperveniens, ut vocant, grand ſergeant, auditis querelis noſtris, prædones exinde faceſſere jubet, nonnullis in exemplum juſtitiæ ad proximas arbores ſuſpenſis. Cúmque aliquando in Monaſterium noctu, fratribus ſomno ſepultis irruerent, excitatus F. Laicus, omnis alterius inops conſilii campanam Eccleſiæ tanto cum ſonitu pulſat, ut vultures inde territi citatiſſimè auffugerint, accurrentium civium metu.

Æquior calamitoſis S. P. Franciſcus, quàm Franci. Honeſta quædam fæmina Villingana, legenda S. Franciſci vita, & ſermone de ea miſcendo tenerè delectari ſolita, id maximo ſuo emolumento experta eſt.

Hæc cùm uterum partui vicinum gerens mulieribus ſe viſitantibus, ac puerperio aſtituris narraret, qualiter frænum aſini, quo S. P. vehebatur, parturienti circùm corpus aptatum eidem ad inſtantaneam, facilémque genituram profuerit, ſub ipſa hujus narratione in articulum pariendi delabitur, idémque beneficium experta facillimo niſu puellulam effundit, ſtupentibus, quæ aderant, fæminis, & rem ceu miraculo proximam gratulatis. Hæc autem filiola tractu temporis membrorum primò; tunc & oculorum, & linguæ uſu deſtituta lamentabile parentibus ſpectaculum fuit. Mæſti igitur cæleſtis evergetæ beneficentiam ſecundò periclitaturi cum ardentiſſimis precibus invocant; neque verò id fruſtra. His enim aliquando hoc pio negotio in Eccleſia Capucinorum occupatis, ac inde domum reverſis filiolam applaudentem, nonnulla loquentem, & hæc narrantem audiunt: per feneſtram ingreſſus eſt ad me ſpecioſiſſimus Angelus; qui, poſtquam juſſit: Clara, aperi os tuum, & loquere, mox itemùm evanuit. Mater gaudiis geſtiens, ac cum marito iterùm Divo Franciſco ſupplex pia importunitate hunc eò uſque orandi ardore fatigavit, donec puellam integra membrorum, oculorum, & linguæ gratia amplexari meruerit. Voti enim ſui piiſſimi parentes ſpectante, & teſtante tota urbe lætantiſſimè damnati ſunt.

S. Antonius Paduanus temporum injurias nonnihil ſolaturus, deprecatoribus Capucinis pro damnificatorum indemniſatione, ruſtico duas vaccas; alteri bovem; nonnemini Coriario pelles nundinis paratas; agricolæ, Lutherano quidem, ingentem frumenti copiam furto ſubductam modo plus humano, & ſperatu difficili feliciſſimè reddidit.

Calamitatibus vitæ præſentis elapſi ad quietiorem, uti confidimus, avolârunt

P. Damianus Friburg. CC. F. Sylvanus ex Herdvvang Laic. F. Bartholomæus Rhenofeldens. Laic. F. Maximilianus Juliomagens. Cler. Stud. P. Morandus Bezaviens. Sacerd. F. Ludovicus ex Simonisvvald. P. Florentius Friburg. Sacerd. P. Eugenius Rhenofeldens. CC. F. Henricus ex Tieffenbrunn Laic. P. Euſtachius Friburg. Guard. P. Pancratius Conſtantiens. CC. P. Seraphinus Veldkirch. Sacerd. P. Felicianus Friburg. Sacerd.

Summa 13.

P. Maximilianus indole optatiſſima præditus, in maximas provinciæ ſpes litteris inſtituendus priùs vitam, quàm ſtudia abſolvit.

F. Ludovicus lepidiſſimi ingenii Laicus ſalibus ſuis minimè mordacibus, ſed ſale religioſitatis, & charitatis conditis multam fratribus lætitiam fecit, cæterà pius, devotus, fidelis, & multiformi virtutum ornatu præditus. Quondam in Gallia miles cum idiomate forſan quoque quandam hujus gentis affectionem in patriam traxit; in cujus pœnam, quod ſuprà diximus, ab ipſis Gallis atrociori modo ad mortem promotus eſt, haud dubiè beatam, ut canere poſſit: ſalutem ex inimicis noſtris.

De fratre Henrico memorant, quòd, antequam morbum quereretur, ſemel poſt prandium, & ordinata culinæ negotia linteo præcinctus, fruſtóque ligni ſuper humerum oneratus patribus adhuc in colloquio unitis Refectorium intraverit, & hinc inde tribus, quatuor vicibus circumeundo

eundo altè, & morosè dixerit : Hodie mihi, cras tibi, hodie mihi, cras tibi, hodie mihi, cras tibi ; quo, nil præterea, dicto iterùm egreſſus ad ſua agenda redierit, patribus hominem ad delirium inclinare opinatis. Sed paulò exin ægrotare cæpit, & brevi morbo, poſt ſacra devotiſſimè ſuſcepta, conſumptus eſt. Tunc primùm variæ ſententiæ de priori fratris actu ortæ ſunt, plerísque perſuaſis, piiſſimum hominem de inſtante morte ſua edoctum, & ſtupore inde ſibi enato ad exhibendam ſcenam illam adactum fuiſſe.

P. Pancratius non otioſus nominis ſui bajulus toto conatu in adipiſcendam perfectionem ſtatui ſuo competentem incubuit, ut eſſet, quod audiret ; pacificus inter fratres, in ſacris ardentiſſimus, inter ſæculares religioſus, in functionibus ſuis attentus, ac zeloſus ; in mente humillimus ; utpote nunquam ad officia perſuaderi potuit ; & ſemel ſuperior Wilerſtad. denominatus multo precum, rationum, & lacrymarum apparatu ſpartam hanc, & omnes alias in futurum deprecatus eſt.

Superſtitum fratrum auctûri ſyllabum acceſſerunt juvenes togati

F. Edelbertus Stauffenſis Laicus. F. Pelagius Conſtantiens. Laicus. F. Marcellianus Uberlingan. Cler. F. Georgius Rottvvilanus Cler. F. Gualbertus ex Kiechelsperg Cler. F. Martialis ex Sateins Cler. F. Matthæus Veldkirchens. Cler. F. Modeſtus Bludentinus Cler. *Summa 8.*

Annus Chriſti 1704. | Provinciæ diviſæ 37. | Clement. XI. 5. | Leopoldi I. 46. | Cardinal. Acciajoli Protector. 28.

Joannis Franciſc. Epiſc. 1. | P. Auguſtin. à Tiſſan. Gener. 3. | P. Theodoſii ex Bürs Prov. 3.

Gallo-Bavari Ulmæ adhuc dominium exercentes in aliorum ſpiritualium operariorum aut morte ſublatorum, aut decumbentium, penuria ſubſidium charitativum à provincia noſtra deſiderant ; quibus gratificaturi Patres noſtri tres ſacerdotes, & unum fratrem Laicum ſubmittunt, qui ægrotanti in magna copia militi ſacra adminiſtrarent.

Afflictis Imperiali-Auſtriacis rebus ſerenior affulget Phœbus, & victricia Aquilæ ſigna ad caſtigandam hoſtium inſolentiam cuſa propè Schellenberg primò ; deinde & in agro Hochſtadiano tam inſolitâ potiuntur victoria, qualem priſcorum temporum annales vix ullam memorant. Hujus poſt Deum exercituum, potiſſimum authorem celebramus illum jam vincere doctum, & vinci ignarum Sereniſſimum Belli-Ducem Franciſcum Eugenium Sabaudiæ Principem, qui auxilio Anglorum, Batavorum, aliorúmque Imperii ſtatuum fretus ; ſed & proprio ingenio, & virtute bellicâ uſus hoſtilem exercitum circumvenit, aggreditur, támque dextro furore exagitat, ut Bavarorum, Gallorúmque millia propè triginta in campo certaminis cæſa, ad quatuor millia capta, reliqui in turpiſſimam celerémque fugam coacti, Bavarus igni, & aqua interdictus, caſtris, Electorali dignitate, regione, regnô, & coronâ, ſed adhuc in ſpe duntaxat comparatâ, exutus, in Galliam profugus, Ulma, cæteráque

que loca ſeu dolo, ſeu aperto marte capta ad Cæſaris fidem reverſa, Patria, Suevia, & germania non minùs periculoſo, quàm victoriis jam elato hoſte liberata, adeòque lamenta, carmina, & væ in jucundiſſimum tripudium, triumphum, & Te Deum laudamus converſa fuerint.

Antequam hæc fierent, RR. PP. Conſtantiæ die 20. Aprilis Congregationem habuerunt; in qua concluditur ſupplicare Reverendiſſimo P. Generali pro remiſſione Capituli ſesquiennalis; quam gratiam P. Generalis intuitu publicæ calamitatis lubens concedit. P. Lucianus quoque Montifontanus inſtat, & impetrat miſſionem ab omni deinceps officio majori, ut eò commodiùs tum cauſæ Canonizationis B. Fidelis, tum ſcribendis utiliſſimis libris vacare poſſit. In arce Hegnen die 10. Junii fatis admodùm funeſtis abripitur Celſiſſimus, ac Reverendiſſimus S. R. I. Princeps, ac DD. Marquardus Rudolphus Epiſcopus Conſtantienſis, à pietate, ſcientia, clementia, & juſtitia ad omnem poſteritatem memorabilis, omniúmque votis toto adhuc ſæculo dignus, de provincia, & Religione noſtra in paucis meritiſſimus.

Capitularium Electorum ſuffragiis in ſucceſſorem electus Celſiſſimus ac Reverendiſſimus S. R. I. Princeps, ac DD. Joann. Franciſcus ex liberis Baronibus Schenck de Stauffenberg; etiam in clementiſſima ad Ordinem, & provinciam noſtram beneficentia anteceſſoris veſtigia preſſurus. Exigente temporum, & neceſſitatum ratione Reverendos Patres iterùm, & quidem Brigantii die 23. Novembris congregari oportuit.

Alieno vivere, & diteſcere aſſueti fures à S. Antonio piè invocato hinc inde ad reddenda, ſeu dimittenda furto ablata compulſi ſunt. Sic ruſticellus in Hart Brisgojæ pago quadraginta quatuor florenos: Caupo in Wahlvvis centum Duggatos: Agricola in Roggel propè Veldkirch non contemnendæ quantitatis, & qualitatis telam ſibi ereptam; ſed prodigiosè recuperatam magna grati animi teſtificatione S. Antonii patrocinio tribuerunt.

Aliquis herniam ope S. Antonii citra ulla medicamenta ſanatam: puer ex fibula ferrea incautè deglutita jam conclamatus, miraculoſam ejus ejectionem, & ſubſecutam incolumitatem: Filiolus quispiam à propinato veneficio conficiendus liberationem, & indemnitatem ſibi gratulati ſunt.

Diſſolvi, & eſſe cum Chriſto cupientes à corpore hujus mortis liberati ſunt

F. Theobaldus ex Dettingen Laicus. F. Marius Rottenburg. Laicus. P. Simplicianus Rhenofeld. CC. P. Rudolphus Rottenburg. CC. P. Modeſtus Badenſis CC. P. Hortulanus Friburg. Noith. CC. P. Athanaſius Uberlingan. CC. P. Perfectus Conſtant. Ex-Provincial. de quo in prædic. qual. §. 1. litt. P. P. Amadæus ex Bludeſch CC. F. David Conſtantiens. Laic. P. Anicetus Conſtantiens. CC. F. Juniperus Hechingan. Laic. P. Leopoldus Ravenspurgens. CC. F. Joachim Cellens. Laic. P. Gallus Dillinganus Conf. F. Bartholomæus Rottenburg. Laic. P. Generoſus Wilerſtad. CC. P. Pacificus Rottenburg. Conf. F. Abraham Bizaviens. Laic. P. Zacharias Veldkirchens. Conf.

Summa 20.

P. Simplicianus vir egregius, optimi exempli Religioſus, talento dives, ſcien-

ſcientiâ clarus, ſtaturâ ſpectabilis, omnium in ſe oculos, animósque convertit, jámque ſcholaſticarum diſciplinarum Prælector ; ſed in ipſo curſu ab aliquo cuſtode Romano in ſocium aſſumptus, ac dein à Reverendiſſimo P. Generale inter ſecretarios ſuos adlectus fuit, honore iſto brevi in luctum deſinente. Nam naturâ ejus climatis Latii haud patiente, morbo Vincentiæ obruitur ; qui melancholiæ acceſſu invaleſcens optimo viro lethalis evaſit, ritéque ſacris viaticatum in itinere terreſtri ad iter beatæ, uti confidimus, æternitatis abripuit ; cui lugens provincia hunc leſſum ſuo ſenſu cecinit : *manſiſſes meliùs ſimpliciane domi.*

P. Pacificus, reipsa talis, ac inſuper charitate plenus compluribus annis zeloſiſſimum Operarium Conſtantiæ tanto ægrotantium, & morientium ſolatio, quantâ ſui apud omnes, Eccleſiaſticos, & Laicos, omnis dignitatis, & conditionis commendatione, & merito egit, ut quando & ipſi mori contigit, tota propè civitas ei parentatum lugens concurrerit. Ars ârtium, ſcilicet benè moriendi, quam innumeros docuit, & ſibi uſui fuiſſe credenda eſt, non enim malè mori Deus ſinit, qui plurimis ad benè moriendum profuit.

Suavi jugo Chriſti inter Capucinos ab adoleſcentia portando colla ſubdiderunt

F. Carolus Uberlinganus Cler. F. Simplicianus Ravenspurg. Cler. F. Rudolphus Conſtant. Cler. F. Maximilianus Wangens. Cler. F. Euſtachius Frauenfeldens. Cler. F. Florentius Ehingan. Cler. F. Urſicinus Landſpergens. Cler. F. Pirminius Möſskirch. Cler. F. Damianus Veldkirch. Cler. F. Romualdus Stockacenſ. Cler. F. Generoſus ex Wehr Cler. F. David ex Dencking. Laic. F. Probus Wangenſis Laic. F. Noë Riedlingan. Laicus.

Summa 14.

Annus Chriſti 1705. | Provinciæ diviſæ 38. Clement. XI. 6. | Joſephi I. 1. | Cardinal. Acciajoli Protect. 29.

Jo. Franc. Ep. 2. | P. Auguſtin. à Tiſſan. General. 4. | P. Angelic. Wolfac. Prov. 1.

Annus hic orbi Germano-Auſtriaco ob mortem Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi I. verè tragicus, & fatalis : ipſi piiſſimo Cæſari autem ad immarceſcibiles cæli coronas, vitámque ſempiternam natalis extitit. Hinc inter continuas lætorum, ac triſtium, damnorum, & lucrorum, cladium, & victoriarum viciſſitudines glorioſiſſimè conſeneſcens eumdem ſemper animum Deo nixum, & integrum præſetulit ; inde veriùs, quàm alius quispiam ex bellorum violentiâ, illatorum damnorum, depopulationum, ac deſolationum multitudine, magni nomen conſecutus. Inter verba : *Domine, memento mei* &c. &, *conſummatum eſt*, conſequenter in meditatæ Paſſionis Dominicæ conformitate ſpiritum laboribus feſſum, & beatam requiem centies meritum pientiſſimè exhalavit, ut ultima primis reſpondeant, thronum, regna, imperium, & ditiones hæreditarias accedente, bellique telam feliciter proſequente Auguſtiſſimo Imperatore Joſepho I. cui

provincia ſubmiſſiſſimis litteris poſt profundi luctûs conteſtationem, & trinæ charitatis provincialis pro Auguſtiſſimis Defuncti manibus perſolvendæ oblationem ad faſces imperii gratulandum cenſuit, addita ſui in tutelam Auſtriacam, & cauſæ Canonizationis B. Fidelis Mart. in potentiſſimam curam commendatione.

Reverendiſſimus P. Angelicus augetur commiſſione Flandrica, de qua ſuo loco.

In provinciam redux ad Capitulum Conſtantiæ 4. Septembris celebrandum ſe confert, & nolens volénsque denuò ad provincialatûs moleſtiſſimum onus unanimitate votorum, & importunitate precum rapitur.

In curſu tamen viſitationis ægritudine intercipitur; & eo Conſtantiæ pro reſtauranda valetudine moras trahente Reverendiſſimus P. Generalis ex viſitata Helvetiæ provincia ibidem advenit non viſitaturus, ſed hyematurus.

Inde ob revocatam Auguſtiſſimi Imperatoris in Auſtriam deſcendendi facultatem per Tyrolin in Italiam remeat.

Interim Carolus III. Rex Hiſpaniæ fortiter, & proſperè agit, præter totam Cataloniam alia munitiſſima loca vi armorum occupat, Rebelles Hungarici ab Archiſtratego Rabutin ad Hermenſtadium tranſſylvaniæ; & ab heroe inſigni, Haiſtero ad Tirnavium profligantur. Bavari exulanti Principi ſuo obſequium præſtituri jugum Auſtriacum excutere machinantur, variis modis præſidiario militi excidium molientes. Sed illi nihil profuerunt, & ſibi plurimum nocuerunt, ſcenæ meditatæ authoribus ad furcam, & atrociora mortis genera raptis; & reliquis contractiori fræno coërcitis.

S. Antonius Reſponſorio à Capucinis in aliorum auxilia evocatus equos, porcos, pecunias, & alia notabiliter pretioſa furtivis manibus ablata poſt Dominos ſuos clamare, & ad eosdem reverti coëgit.

Domicellæ Illuſtres duæ in Bernavienſi Caſtro familiariùs cum melitæo caniculo ludentes, quòd hic eſſet rabidus, eásque momordiſſet, & ipſæ in rabiem verſæ morte ſua ſtultum animalis iſtius amorem luerunt, & Sacramentaliter quidem proviſæ animas effuderunt.

P. Gregorius noſter è conventu Waldishuttano iis confitentibus vel aures præbens ex ſolo anhelitu phrenesin attraxit; à qua tamen operosâ medicorum cura vix ægrè ſanatus eſt.

Feliciori, & religioſa morte dormierunt cum patribus noſtris

P. Felicianus Friburg. CC. P. Perfectus Veldkirch. CC. P. Conſtantius ex Höchſt. Guardian. P. Gaudentius Gerſpacens CC. P. Jeremias Rottenburg. Conf. P. Gabriel Offenburgens. Sacerd. F. Theſaurus Wangens. Laic. P. Cæleſtinus Seggingan. CC. P. Sigismundus Rottenburg. Ex-Provincialis de quo in prædic. qualit. §. 3. de Commiſſar. F. Liborius ex Kaltenbrunn Laic. P. Petrus Mart. Waldkirch. Guardian. F. Kilianus Bludent. Laic. *Summa 12.*

P. Conſtantius morum gravitate, fronte ad auſteritatem compoſita, & levitates exoſa omni virium ſuarum impendio id unum egit, ut Capucinum omnibus numeris abſolutum ageret. Effectus conatui reſpondit. Equidem & aliis ad exemplum ſuum formandis datus eſt Guardianus, no-

vo

vo ſui perficiendi argumento, & impulſu. Nihil enim ſacroſanctius habuit, quàm ut omnes obligationum ſuarum apices expleret : eapropter dilectus Deo, & hominibus ; minùs tamen de horum gratia ſollicitus, ubi illius honor, & amor citra hominum offenſam exerceri non poterat. Obiit in fama optimi viri, qualem S.P. Franciſcus ipſe approbâſſet ; hócque nomen pulchrum ſepulchro intulit.

P. Gaudentius eximiis naturæ donis excultus hæc induſtriâ ſua auxit, Theologiâ, & jurisprudentiâ magnum nomen adeptus, majúsque inde adepturus, niſi vocante Spiritu ſancto meliora chariſmata in Ordine Capucinorum æmulanda ſuſcepiſſet. Inter Capucinos igitur ſe talem geſſit, ut ad honorem, & utilitatem provinciæ maxima geſturus ſperaretur ; ideóque à talentorum ſuorum excellentia, modeſtiâ, & converſatione omnibus in veneratione, & amore ; quòd tamen ingenium judicio præſtaret, nonnunquam in humilitatis occaſionem ob nævos judicio diffórmes ſyndicari meruit ; ſemper tamen hilaris, etiam cùm moriendum eſſet, non triſtatus. Paulò ante decretoriam ægritudinem Gerſpachium ad ſuos inviſendos miſſus poſt aliquos dies cum his exactos eis valedicens, hæc ultima, ajebat, viſitatio eſt, vado enim mori, & ampliùs non videbitis faciem meam. His in fletum ſolutis ille Seraphico ſpiritu ſuos ad conſtantem in Religione Catholica zelum adhortatus eſt, utpote quam ceu veram agnitam ejurato Luthero amplexi eſſent, eámque & ipſi puero feliciter inſtillâſſent : tunc ſermone ad aviam ſuam adhucdum Lutheranam converſo illam convincentiſſimis argumentis, & amiciſſimis obteſtationibus ad ſaniora perſuadere conatus eſt, effectu nobis incomperto. Domum reverſus mox ægrotare cæpit, & prævalente morbo optimè diſpoſitus deceſſit Juvenis, quem provincia ſenem exoptâſſet.

De P. Gabriele ad aliorum cautelam memorandum eſt, quòd cum uno alio Patre Villingâ Möringam die jam in noctem vergente iter faciens, & neceſſitatis cauſa nonnihil retrò manens in ſylva, à ſocio non exſpectatus à via aberraverit, & fallente greſſu in Danubium lapſus ſit ; qui rapido curſu fluens natandi imperitum, habitúque, & pallio impeditum mox gurgite involvit, & in ipſo Religioſæ Profeſſionis ſuæ anniverſario ſubmerſit. Sperare licèt de viro ſalutis ſuæ non immemore, ſed alioquin Religioſo veterano, eum, hac morte, ceu altero baptismo à nævis ſuis lavatum anima tenùs ad portum æternæ beatitudinis enatâſſe ; cujus cadaver, cùm diu, & ſollicitè indagatum fuiſſet, tandem à Piſcatore Domino Territoriali à piſcibus undequaque præmorſum in littus extractum, Möringæ Urnæ incluſum, ac ibidem terræ mandatum eſt, relicta hæreditatis vice ſempiterna ad poſteros monitione, ne talibus in circumſtantiis, viis, locis, ac temporibus in itinere unquam ſegregentur.

Sæculi charybdin declinaturi ad deſideratum Seraphicæ Religionis portum enavigaverunt

F. Eugenius Rhenofeld. Cler. F. Amadæus ex Bludeſch. Cler. F. Pacificus Uberlingan. Cler. F. Ludovicus ex Frieſenried Laic. F. Felicianus Wangens. Cler. F. Gaudentius Neoburgens. Cler. F. Deſiderius Friburg. Cler. F. Balthaſar ex Blumenegg Laic. F. Hortulanus Conſtantien. Cler.

F. Burckardus Schömberg. Cler. F. Franc. Antonius Conſtant. Cler. F. Hieronymus Stockacens. Cler. F. Paulus Wangenſis Cler. F. Alphonſus Brigant. Cler. F. Henricus ex Röttenberg. Laic. *Summa 15.*

Annus Chriſti 1706. Provinciæ diviſæ 39.

Clement. XI. 7. | Leopoldi I. 2. | Cardinal. Acciajoli Protector. 30.

Joan. Franc. Ep. 3. | P. Auguſtin. à Tiſſan. Gener. 5. | P. Angelic. Wolfac. Prov. 2.

Hic annus eclypſi illa toto orbe visâ memorabilis eſt. Luna enim ſub ſole diametraliter ſtans adeò ejus radios intercepit, ut ſtellæ cæli ſe viſibiles præbuerint, & hora decima matutina lucernæ debuerint accendi, volucres in terram deciduæ, animalia in armentis, & agris mugitu, & boatu inuſitatum hoc naturæ opus ſtupuerint.

Hæc ipſa eclypſis Sereniſſimo Archi-Duci, & Hiſpaniarum Regi Carolo III. non portentosa tantùm; ſed opportuna accidit Gallis Barcinonam arcta obſidione prementibus feliciter inde profligandis. Poſt aliquam ſolis defectionis moram duo hæc luminaria curſu ſuo ab invicem elongata lucem plenam reddiderunt, hominésque, & jumenta metu exemerunt.

Cùm quidam Religioſi, non habita calamitoſæ tempeſtatis ratione ſumma quæque Dicaſteria inſatiabili Conventuum ſuorum affectatione fatigare audeant, anguillam, ut dicitur, ſe captâſſe tandem experiuntur. Equidem iis ab hac mente revocandis juſſu Celſiſſimi, ac Reverendiſſimi DD. Ordinarii Conſtantiens. abs Reverendiſſimo officio ſuo decernitur: pro nunc, & ſemper indiſpenſabiliter, nulli impoſterùm de Ordine Mendicantium licentiam nova aſceteria erigendi fore impertiendam; eò quòd per totam Diœceſin homines undequaque exhauſti ſuſtinendis Religioſorum quæſtuationibus impares, ab hiſce multiplicatis gyrovagis denique prorsùs ad ſaccum redigendi eſſent. Idem Celſiſſimus ſupplicibus ad Auguſtiſſimum Imperatorem, & primarios Aulæ Miniſtros litteris idipſum inſtitit; uti nimirùm ex ſupra allegata ratione importunis hujusmodi negotiatoribus nullæ deinceps vel præberentur aures, vel fieret gratia augendi in territorio ſuo Suevico-Auſtriaco manſiones regulares: quæ remonſtrationes tantum valuêre, ut ſimili cuidam Oratori Viennæ exiſtenti, & Monaſteriis gravido ab aula faceſſere, & hujusmodi precibus pro ſemper abſtinere juſſus fuerit.

Quarto Idus Maji RR. PP. Conſtantiæ congregati ſe hoc Celſiſſimi Ordinarii providiſſimo Conſilio, & decreto à pluribus ſe moleſtiis relevatos gratulati ſunt.

E provincia diſcedit R. P. Franc. Chriſtophorus Miſſionarius Apoſtolicus, ſuam ad Indos vocationem ſectaturus, de quo ſuo loco.

In Hungaria cæduntur Rebelles ſex millibus eorum deſideratis, reliquis in fugam, aliquibus ad ſaniora conſilia converſis, tranſylvania totâ his perduellibus liberatâ.

Sereniſſimus Princeps Eugenius ad multiplicandos lauros ſuos in Italiam

liam properat, ubi memorabili ad omnem æternitatem Gallorum cæde Taurinum ab iſtis obſeſſum redimit, totámque Italiam ab omni Gallorum fæce expurgat.

Ad Rhenum non is felix armorum ſucceſſus; cùm Cæſaris miles à Gallis Hagenoæ, Druſenhemii, & ad fortalitium Ludovici repreſſus fuerit.

Supradicti P. Franc. Chriſtophori amantiſſimus D. Parens Fürſtenbergicus Möringæ Officialis equum plurimi æſtimatum, jámque in Helvetiam uſque abſtractum per S. Antonium devotè per Capucinos Engenſes invocatum ſibi in ſtabulum ſuum mirabiliter reducem habuit.

Ita quoque mercator Italus toto caduco plus mille florenorum complectente valorem ſpoliatus: Biberaci honeſta mulier centum florenorum jacturam paſſa: RR. PP. Auguſtiniani Conſtantienſes effractâ ſacriſtiâ cunctis vaſis ſacris deſtituti, miraculoſo Thavmaturgi Paduani patrociniô indemnes: fæmina item Conſtantienſis per Novenæ in honorem S. Antonii obitæ efficaciam à diuturno, immaníque dentium dolore immunis reddita eſt.

Circa medium Septembris major, & propinquior RR. Patrum pars Brigantii convocata præter alia provinciæ negotia aliquem novum Guardianum in alterius vicem eligere debuerunt.

Provinciæ autem vivere, & ſervire deſierunt æternùm Deo victuri

F. Joſue ex Röttenberg. Laic. P. Anſelmus Bezaviens. CC. F. Magnus ex Egenried. Laic. F. Martinus Valle-Cellanus Laic. P. Victorianus Ehinganus Guard. P. Jo. Baptiſta Conſtant. F. Berardus Cellens. Laic. P. Deſideratus Uberlingan. Sacerd. F. Conradus Immenſtad. Laic. P. Aurelius Lauffenburg. CC. *Summa 10.*

P. Victorianus à juvene uſque ad ſenem eodem ſemper virtutis, & actionum honeſtarum tramite incedens perfectioris Religioſi nomen ſibi comparavit, cunctis venerabilis, quò proceritas corporis, barba promiſſa, & vultûs elegantia multum contulit. Ob vitæ adeò inculpabilis candorem, judicii maturitatem, ſcripturæ elegantiam ſocius Provincialis aliquamdiu extitit: pòſt regendis Familiis admotus ubique ſe virum juxta cor Dei, & S. P. Franciſci mentem exhibuit; nil cæteroquin omittens, quod ad fratres in pace, & charitate ſervandos ſpectare potuiſſet. Senio confectus, & ab officiis liberatus devota poëſi, & ſcriptionibus ad pietatem moventibus delectatus eſt: ac tandem ægritudine fatali correptus mox ad æterna ſe paravit, ſumptiſque SS. Sacramentis fratres omnes ſibi errores & defectus regulæ, & charitati adverſos flentibus oculis ignoſci rogavit, & inter continuos Crucifixi amplexus, devotiſſimáque SS. Vulnerum Chriſti oſcula P. Guardianum intuitus eidem, & omnibus ultimò valedixit: Benedicite R. P. Guardiane ad longam æternitatis viam. Et hæc dicens exſpiravit.

In cinere & ſacco pœnitentiam acturi nobis aggregati ſunt

F. Magnus Biberac. Laic. F. Petrus Mart. Gengenbac. Cler. F. Abraham ex Schnepfau Laic. F. Criſpinus Bludent. Laic. F. Wendelinus Veldkirch. Cler. F. Joſue Riedlingan. Laic. F. Ladislaus Friburg. Cler. F. Syneſius Wangens. Cler. F. Victorinus Uberlingan. Cler. F. Victor ex Bludeſch.

deſch. Cler. F. Benedictus Gengenbac. Cler. F. Chryſanthus Wangens. Cler. F. Elzearius Friburg. Cler. F. Deſideratus ex Gözis. Cler.

Summa 14.

Annus Chriſti 1707. Provinciæ diviſæ 40.

Clementis XI. 8. | Joſephi I. 3. | Cardinal. Acciajoli Protect. 31.

Jo. Franc. Ep. 4. | P. Auguſtin. à Tiſſan. Gener. 5. | P. Angelic. Wolfac. Prov. 3.

Waldishutti 13. Maji. habetur Capitulum, in quo Reverendiſſimus P. Angelicus enixiſſimis precibus, lacrymosâ humilitate, & ſenii, viriúmque fractarum exaggeratione fultis, Provincialatum deprecatus denuò validioribus Capitularium inſtantiis deferre, & officii triennium explere debuit, cui in partem laborum aggregati ſunt Definitores RR. PP. Theodoſius ex Bürs, P. Fidelis Rottenburg. Humbertus Gengenbac. Marcus Jacobus Biberacens.

Hoſpitium Oppenovienſe decreto Celſiſſimi ac Reverendiſſimi D. Ordinarii Argentinenſis, & Reverendæ Definitionis aſſenſu ad inſtantias illius communitatis perpetuatum; ſed ad ruinam vergens reſtaurari cæpit: moram tamen injecerunt ejusdem Reverendiſſimi D. Ordinarii à malevolis ſiniſtrè informati Inhibitoriales: quas nihilominùs poſt genuinam rei explorationem iterùm relaxavit, & fabricæ negotium propagari juſſit.

Stockachii ipſius Celſiſſimi ac Reverendiſſimi D. Ordinarii Conſtantienſis ſuaſu, & conſenſu, ad prævertendum æmulorum aſtutiæ ædicula ſuburbana cum ſacello contiguo pecuniis eleemoſynariis comparata eſt, ut hoſpitium ibi temporale, nunc pro ſubſidiis ſpiritualibus ſtato tempore præſtandis jam frequentandum; nunc denuò deſerendum figi poſſit.

Fatis cedit Sereniſſimus Princeps Marchio Badenſis de re publica chriſtiana optimè meritus, palmísque ab hoſte Turca glorioſus; ſed aliquorum maledicentiâ inglorius, ob aliquas inactiones in favorem Galliæ, ut citra fundamentum rationabile ſuſpicabantur tantùm, non demonſtrabant, commiſſas. Verùm vel mors ipſe fideliſſimo Heroi apologiam ſcripſit. Vix enim eo defuncto, & remoto quaſi repagulo Galli munimentum ad Stolhofam ſupergreſſi impunè in Wirthenbergiam, Sueviam, & Ulmam uſque graſſati, prædísque, & exactionibus onuſti in Alſatiam remeârunt, non auſuri, neque valituri hoc, ſi, quod ajunt, vel mortui Principis cadaver munimento tutando applicitum fuiſſet. Prætereà Galli in antipelargeſin prætenſæ cum eisdem colluſionis ipſum Marchionatum propè ad atomos uſque expilârunt, & Sereniſſimam viduam cum Principibus filiis in fugam coëgerunt. Hanc apologiam ejus in provinciam, & Religionem noſtram inſigni beneficentiæ nos debere arbitrati ſumus, dilexit enim gentem noſtram, & ſynagogam ipſe ædificavit nobis, cui eapropter etiam ſupererogatorio ritu parentavimus.

Improſperè agit Carolus III. in Hiſpania, cujus exercitus, Duce Gallovvayo Anglo graviſſima ſtrage afficitur. Deficiunt quoque à Carolo

Car-

Carthagena, Lerida, & alia loca. Auguſtiſſima Caroli ſponſa Eliſabetha Chriſtina Viennam proficiſcens Bambergæ ejurato Lutheri dogmate Eccleſiæ Romano-Catholicæ ſacramentum dicit, approbantibus id vel Lutheranis Theologis, & docentibus, eam id ſalva conſcientia agere poſſe. Videatur de hoc R. P. Vit. Pichler in Jur. Can. pract. explic. lib. 1. tit. 1. decis. 1. Quamquam Sereniſſima Neophyta ab hoc rogando Theologiæ Lutheranæ placito ſuperſedere omninò potuiſſet, ac fortè debuiſſet. &c.

Strenuiſſimus Heros Eugenius totam Lombardiam, & Neapolim, debellatis ejectísque violentis uſurpatoribus Gallis legitimo Domûs Auſtriacæ dominio aquiſivit.

S. Antonio Paduano pro conſuetudine ſua adverſæ fortunæ remediato juvenis quidam itinerans, & in via obdormiens centum florenis à milite Tübingâ egreſſo expilatus : alter magni apud Rottenburgenſes nominis vir annulo aureo, & ingenti nummorum vi per fures deſtitutus : mulier Engenſis Butyri iam cocti vaſculô uſui domeſtico per annum ſufficienti deprædata : alius ibidem marſupio multa pecunia referto, variáque ſuppellectili argenteâ orbatus feliciter uſi ſunt, furibus ipſis res alienas ad portam Capucinorum deponere, aut alibi dimittere occultâ vi coactis.

E noſtris expleto vitæ termino ad metam felici morte pervenerunt

P. Nicodemus Conſtant. Sacerd. P. Edmundus Veldkirch. CC. P. Eliſæus Altshuſanus CC. F. Joſephus Bezovien. Laic. P. Pius Wurmlingens. Conf. P. Abundius Friburg. Noith. Guard. F. Athanaſius Wang. Cler. P. Maximus Conſtant. Conf. *Summa 8.*

P. Nicodemus ſimplex quidem Sacerdos ; ſed ab induſtria, pietate, zelo, vitæque auſteritate magnam maleficia tollendi gratiam comparavit, ut communi vocabulo dæmonum, ſagarum, & veneficiorum malleus diceretur : hinc non ſolùm in provincia à magnis perſonis æquè, ac parvis ad averruncandas hujusmodi ærumnas evocatus ; ſed & in provinciam Tyrolenſem rogatus talia præſtitit, qui prodigiis æquiparabantur. Rigidiſſimo brumæ, & jejuniorum tempore nunquam fornaci calefaciendus aſſiſtere ; nunquam collationi veſpertinæ reficiendus aſſidere viſus eſt ; his operibus ſupererogatoriis officio ſuo exorciſtico virtutem ex opere operantis additurus. In ſenectute bona mundo invito devixit, cælo æternùm victurus.

P. Eliſæus proceræ ſtaturæ, torvíque ad ſpeciem vultûs, ſed naturâ, & virtute ad agni ſimilitudinem manſuetus, optimíque exempli vir beatiſſimam Virginem Mariam impenſiſſimo amore proſequebatur, ut præter quotidianum penſum Marianum ſingulari attentione perſolutum in omnibus concionibus ſuis magnæ Dei Matris memoriam, tenerrimi affectûs ſui ſignificationem, injecerit. In Guardiani munere Conventibus honori, Regulari diſciplinæ muro, abuſibus repagulo, Fratribus amori, ac timori fuit, & duplicem Eliæ ſpiritum orandi, & agendi poſſediſſe Eliſæus creditus eſt. In extrema mortis lucta ipſe ſine luctu ſuaviter obdormivit.

F. Joſephum Laicum laboris amor, orationis fervor, pietatis cultus,

paupertatis ſtudium, flagrans Dei, ac proximi charitas, ſenſuum mortificatio, & ſingularis in carnem ſuam auſteritas non ſolùm annalibus, fratrúmque, ac ſuperiorum veneratione; ſed & cælo dignum effecit. Rarô inter Laicos exemplo nullam meditationis horam neglexit, ſolitus per officii ſui, negotia mutilatas de noctu compenſare, frequenter per hebdomadem tempus poſt matutinum ſuperſtes oratione tranſigere, & corpus diris flagellationibus in ſervitutem redigere, ſemper, etiam laborans Deo intentus, oculisque ad terram defixis nusquam hominum, præſertim mulierum facies intuitus. Conſtans multorum fuit aſſertio, devotiſſimi fratris hujus charitate ad pauperes annonam Conventuum cælitùs benedictam, & multiplicatam fuiſſe. Viliora in victu & veſtitu ſibi, meliorum indigno, tribuit. Vini abſtemius, cibi parciſſimus ſola mente pingueſcere curavit, nemo avarus adeò omnia, quàm ille nihil habendi cupidus. Morbo eum ad extrema compellente, maturè, & devotiſſimè viaticatus, nulláque mundi re moratus ad ſola cæleſtia impatiens ſuſpiravit. F. Clericum abire ſolùm ad aliqua agenda, volentem his exſpectare verbis juſſit: Chariſſime frater, maneat adhuc paululum; tunc elevatis in cælum oculis in hæc ſolvebatur ſuſpiria. O Deus meus & omnia! & ſub his aliquoties repetitis animam cæleſtium cupidam eò transmiſit.

P. Abundius ex opulentiſſimo filio pauperrimi Franciſci pauperrimus filius nomen ſuum non in rerum mundanarum, ſed virtutum, ac ſcientiarum abundantia explevit. Poſt imbibitum ſpiritum Seraphicum, quo ad ſectanda quæcunque ſancta, quæcunque pia, quæcunque amabilia, & quæcunque bonæ famæ ferebatur, tam felici Minerva tam divi Thomæ Aquinatis, tam ſubtilis Scoti, quàm Recentiorum dogmata, & fundamenta imbiberat, ut è ſcholis doctus ad ſcholas Doctor redierit, & juſto biennio diſciplinis Philoſophicis & Theologicis tradendis præfuerit, ipſíque in arena perinde fuerit cujuslibet ſententiam aut validiſſimè tueri, aut fortiſſimè impugnare. Procul tamen fuit ab ea vanitate, qua ſibi in publicis congreſſibus nomen Victoris cum Profeſſorum, aut Defendentium ignominiâ compararet: quin potiùs ea humanitate utebatur, ut tum Præſidem, tum Reſpondentem argumentis ſuis jam jam conſtrictum è ſacco liberum dimitteret. Ipſo profeſſuræ tempore ad paupertatis cautelam nullum in Cella ſua librum niſi Thomam Kempenſem de imitatione Chriſti habuit; & tamen Diſcipulis ſuis materias addiſcendas tam tersè è memoria dictavit, quaſi è ſcriptis, vel Authore quodam legeret; ut ſcientia ejus magis infuſa, quàm ſtudio aquiſita videretur. In converſatione porrò tam ſuavis, támque humilis extitit, ut omnium conventuum, & fratrum delicias conſtitueret. Guardianum agere juſſus obtemperavit quidem, eóque rectore omnia ad regularitatis perpendiculum procedebant: nihilominùs requiem non habuit, donec in nihilum redire potuerit. Ad illum, velut ſcientiæ oraculum, graviſſimæ quæſtiones decidendæ devolvebantur; quas ad Theologiæ, & jurisprudentiæ leges dexterrimè reſolvit. Anno ætatis octogeſimo ſeptimo memoria, & ſenſibus integrè ſibi adhuc conſtans febriculâ obrutus, & devotiſſimè Eccleſiæ ſacris munitus eâ mentis, frontísque ſerenitate diem ſupremum obiit, quâ omnes præcedentes tranſegit.

In

In Seraphicæ aſcéſis Gymnaſio erudiendi nobis incorporati ſunt

F. Jo. Chryſoſtomus Wang. Cler. F. Jovita ex Andelspuech Laicus. F. Beatus Bludentinus Cler. F. Edmundus Landſperg. Cler. F. Leonardus Brigantinus Cler. P. Pius Rottvvilanus Cler. F. Sigisbertus Immenſtad. Cler. F. Ignatius ex Burckheim Laic. F. Joſephus Wangens. Laic. F. Leodegarius Delanus Cler. F. Eligius Rhenofeldenſis. Cler. F. Fructuoſus Uberling. Cler. F. Quirinus Friburg Cler. F. Iſidorus Ibracenſis Cler. F. Urbanus Stauffens. Laic. F. Martinianus ex Embs. Cler. F. Nicolaus Rottvvilanus Cler. F. Adalbertus Uberlinganus Cler. F. Wernerus Villingan. Cler. F. Liborius Villinganus Laic. *Summa* 20.

Annus Chriſti 1708. | Provinciæ diviſæ 41. | Clement. XI. 9. | Joſephi I. 4. | Cardinal. Acciajoli Protector. 32.

Jo. Franc. Ep. 5. | P. Auguſtin à Tiſſan. Gener. 6. | P. Theodoſii ex Bürs Prov. 1.

Friburgi Brisgojæ in diem 6. Julii inſtituitur Capitulum Provinciale; in quo præter conſuetum provinciæ Magiſtratum eligendi quoque fuerunt Cuſtodes Romani ad Generalem Ordinis dietam proximo anno celebrandum ituri. Provinciæ Miniſterium A. R. P. Theodoſio ex Bürs obtigit. Definitores conſtituti RR. PP. Fidelis Rottenburg. Lucianus Montifontan. Franc. Carolus Orttenberg. Marcus Jacobus Bibracens. Cuſtodes PP. Fidelis, & Marcus Jacobus.

Inter Belli in Hiſpania, Italia, Brabantia, & ad Rhenum ferventis Claſſica potentiſſimus Hiſpaniarum Rex Carolus III. Hymenæa cogitat, ſibíque per Commiſſarium, Auguſtiſſimum fratrem Imperatorem Sereniſſimam Principiſſam Brunſuico-Lüneburgenſem deſponſat; hæcque ſponſo Barcellonam adducitur. Quòd verò Clemens XI. Pontifex hanc in Italia adventantem per nullum legatum à latere honorificè ſalutaſſet, nec Carolum III. Regem Hiſpaniæ agnoſceret; ideóque auxiliares Cæſaris copias, Brandenburgos potiſſimum in ſtatibus Parmæ, & Placentiæ collatos excommunicatione feriiſſet, Auguſtiſſimus Imperator ſe dictorum ſtatuum Dominum eſſe directum declarat, copiásque præfatas juſſit terris Eccleſiaſticis immigrare, & Commachium in poteſtatem Cæſaris cogere. Sereniſſimus Princeps Eugenius ad Aldenardam Gallos internecione delet, decem millibus eorum deſideratis, ſeptem millibus captis, & toto hoſtili agmine caſtris, tormentísque bellicis exuto penitùs in fugam ſe præcipitante. Exinde munitiſſima urbs Lille vi armorum Gallo extorquetur. *Dux Bavariæ ſimile quid in Bruxellas audens cum jactura duorum millium, & aliquorum centenorum repellitur.

Geſtatus S. P. Franciſci habitus puerulo ex Tyroli Capucinis Bludentinis adducto, & ex Rachitide à matris utero allata penitùs areſcenti, & miſerùm repenti præſentiſſimam nervorum relaxationem, & omnimodam incolumitatem attulit.

S. Antonius inveteratæ Thavmaturgiæ inſiſtens hominibus furacitati aſſue-

aſſuetis res varias Dominis ſuis reddendas extorſit : ſic vir quidam duos ſibi boves abactos : alius equum : nonnemo copioſam olei quantitatem : item alius annulum aureum : & R. D. Sacellanus ex Bürs litteras hypothecarias aliquot florenorum millibus conſtantes feliciter recuperatas S. Antonio per Capucinos deprecatores implorato in acceptis retulerunt.

Laboribus, & rigoribus Religionis religiosè perfuncti religioſa quoque morte defuncti ſunt

P. Joan. Damaſcen. Veldkirch. Sacerd. F. Petrus Waldkirch. Laic. P. Bruno Ravenſpurg. Conf. P. Rupertus Cellens. Guard. P. Leonardus Maſſopolitan. Conf. P. Berardus Conſtantiens. CC. F. Edmundus Landſperg. Cler. P. Samuel Bludentin. Guard. P. Nicolaus Conſtant. Conf. F. Michaël ex Kislegg. Laicus. *Summa 10.*

P. Rupertus vir amabiliſſimus, exiguam ſtaturam magno virtutum, & litterarum apparatu compenſante ; ſuadâ eloquens fervidiſſimum, nec minùs utilem egit Concionatorem. In fabrica Argenſi præter curas vires quoque omnes, manúsque impendit ; unde accidens apoplecticum ſibi conflavit, quo linguæ uſu, & gradiendi facultate deſtitutus reliquum tempus vitæ ſuæ precibus, & ſuſpiriis ad Deum exegit, vivum patientiæ exemplar. Illuſtriſſimus D. Comes de Montfort ſortem ejus miſeratus miſero tam pretioſus fuit, ut ipſi vel ſolùm illius memoria, noménque lacrymas expreſſerit. Tandem alterius apoplexiæ ſuperventu extinctus totam propè Argam funeris ſpectatricem lugentem habuit, cujus mortui facies, quàm viventis elegantior, roseóque colore picta apparuit.

P. Samuel vir in omni litteratura præſtantiſſimus quadraginta ipſos annos prædicator verbi divini zeloſiſſimus extitit, habuítque auditores ab ore ſuo ſuſpenſos. In converſatione ſalibus innocentiſſimis utebatur ; cæterâ diſciplinæ Monaſticæ comprimis tenax. Guardianatu fungebatur ad mentem ſuperiorum, & ſubditorum, utrísque chariſſimus. In ſuprema ſenectute in puerum rediit, cum parvulis regno cælorum potitus.

P. Nicolaus doctrinæ, & pietatis adminiculo ad altiſſima provinciæ munia evehendus credebatur, ſed aliter fata deſtinârunt. Brumali frigore infelicem pedalium digitorum jacturam incurrit. Gangrænæ acceſſu res quotidie in pejus ruebat, ut unus pedis articulus poſt alterum abripiendus, & caro ulcerata cauterianda fuerit. In his cruciatibus patienti vultus ſemper placidus, & tranquillus, frons pura, nulla mæroris, aut iræ rugoſitate contracta : remiſſa æquè in lætum ſupercilia, oculis humilitate, non infelicitate dejectis. Animus illi ſemper Deo nixus, & ſpiritûs manſuetudinis in throno ſuo ſedentis, & cæleſtia cogitantis argumentum : ideò etiam tyronibus in patientiæ ſpectaculum objectus. Medicorum arbitrio pes reſecandus fuerat. Metu tamen ne ſub ſua remediatione tragica mortem acceleraret, in prorogandam patiendi occaſionem medicis non paruit ; augeſcente indies malo, & jam vitæ ſeriò inſidiante duris aſſuetus athleta, pluribúsque mortibus perfunctus poſtremam non reformidavit ; & cùm vulgaria, ſolitáque contempſerit, & inſtinctu ſacra ſurrexerit excelſior, moriturus aliquid cecinit altius ore mortali ; nimirùm : *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum ! concupiſcit, & deficit anima*

anima mea in atria Domini. Et qui cum Chriſto paſſus fuerat, cum eo glorificatus eſſe ab omnibus agonis, & vitæ ſuæ teſtibus creditus eſt.

F. Edmundus moribus ſuaviſſimis præditus, omniúmque virtutum non tam ſectatator, quàm comprehenſor omnium in ſe oculos, amorémque provocavit. Cœlo maturus juvenis funeſta ægritudine abripitur. Ut nullum de ejus ad portum felicis æternitatis appulſu relinqueretur dubium, eodem manè, quò obiit, in alio Conventu cuidam Confratri Clerico ſe ſpectabilem præbuit, habitu indutus, greſſu mobili cellam ejus ingreſſus facie ad hilaritatem compoſita; ut eapropter ille Confrater hoc viſô nonnihil pallidus ſtatim acceſſerit P. Guardianum, & huic, aliísque obviis ſibi patribus, ac fratribus diſtinctè nuntiaverit, F. Edmundum Marchdorffii ante horam circiter diem ſuum obiiſſe; ſibíque jam lætum apparuiſſe; cùm tamen fratri vivo ne mortui quidem morbus innotuerit. Edicti veritatem nuntius de morte certus comprobavit.

Servitium Dei ſervituri inter Capucinos accenſi ſunt

F. Athanaſius Villingan. Cler. F. Bernardinus Villingan. Cler. F. Menradus ex Mellingen Laic. F. Gelaſius Lauffenburg. Cler. F. Jo. Damaſcenus ex Sipplingen. Cler. F. Eliſæus ex Stein Cler. F. Erhardus Rottvvilan. Cler. F. Chriſtophorus Riedlingan. Cler. F. Bruno Rottvvilan. Cler. F. Maximus Engenſis Cler. F. Auguſtus Aſchaffenburg. Cler. F. Severinus ex Duelbach. Laic. F. Luceſius ex Fiſchen Cler. F. Cyrinus Rottvvilan. Cler. F. Clemens ex Reithe. Laic. F. Joſephus Maria Veldkirch. Cler. F. Edmundus ex Wittnau Cler. F. Gratianus Veldkirch Cler.

Summa 18.

Annus Chriſti 1709. Provinciæ diviſæ 42. Clement. XI. 10. | Joſephi I. 5. | Cardinal. Acciajoli Protector. 33. Jo. Franc. Ep. 6. | P. Bernardin. à Saluzzo Gener 1. | P. Theodoſii ex Bürs Prov. 2.

Hoc anno per plures adeò ſeptimanas tale, ac tantum frigus invaluit, quale ab hominum memoria non extitit. Plurimi itinerantes in via, milites in excubiis, in tuguriis pauperes, pecora in ſtabulis, feræ in nemoribus, in aëre volucres inuſitati frigoris acerbitate præmortuæ, & enectæ reperiebantur; eo gelu hyperborei rigore vineta quoque, ſementes, & arbores ſuffocante.

RR. Patres Romam abituri Argæ priùs ad decidenda, & diſponenda congregantur R. P. Luciano in provinciæ Vicarium conſtituto, & Reverendiſſimo P. Angelico ob grandævitatem, viriúmque debilitatem ab acceſſu Capituli generalis exempto.

Capitulum generale ſexto calendas Maji inchoactum Præſide Eminentiſſimo D. Cardinale Protectore eum ſucceſſum habuit, ut Reverendiſſimus P. Bernardinus à Saluzzo Miniſter Generalis; RR. PP. Franciſcus Maria Aretinus, Jo. Antonius Florentinus, qui & Procurator Curiæ, An-

tonius Cromburgenſis, Timotheus Rhodenas, Angelicus Albigenſis, Michaël Angelus Raguſinus Definitores inde prodirent.

Româ Viennam ablegantur RR. PP. Fidelis Rottenburg. & Marcus Jacobus Biberacenſis, ad curandam cauſam tum Canonizationis B. Fidelis Martyr. tum reſuſcitatam Stockacenſem; enimverò non attenta frequentiori repulſa, & Epiſcopali decreto nuper mentionata de non porrò admittendis in Epiſcopatu mendicantium Religioſorum domiciliis adverſarii Romæ, Viennæ, & Oeniponti nova patrocinia novósque animos adepti proceſſum Stockacenſem ab ovo ordiuntur.

In utriusque cauſæ ſubſidium Romam abeunt PP. Florinus ex Stein, & Udalricus Montifontanus, conceditur à Duce Wirthenbergiæ quamvis Luthericola miſſio ex loco Wilerſtadienſi ad caſtrum S. Ludovici, diebus Dominicis, & feſtivis in gratiam Catholicorum Architectorum, mercatorum, officialium, & militum à Capucinis obeunda, allatrante hanc Lutheri ſynagoga.

Summus Pontifex agnoſcit Carolum III. ceu Hiſpaniæ Regem, & provinciæ Eccleſiaſticæ nuper à milite Cæſaris occupatæ ei reſtituuntur.

Meditatum Generalis Merſii ad recuperandam Burgundiam ſtratagema non profuit; ſed maturiùs olfactum à Gallis in multam, ac miſerabilem militum, ac officialium noſtrorum cladem deſinit; ad demonſtrandum, quòd germani heröes non fraude, ſed aperto marte regnis occupandis incumbere debeant, dolo Gallis relicto. Sic enim germanus exercitus Rebelles Hungariæ publico congreſſu ad Tentſchinam urbem domuit: Eugenius Gallos in Belgio: Carolus in Hiſpania.

S. Antonii Patrocinium cuipiam Augiæ divitis Colono redditionem ſexcentorum florenorum furto cleptorum; furi autem, quòd fugere non potuiſſet, laqueum procauſavit.

Sed & Calvini nonnemo ſectator Schaffhuſianus rei maximi momenti damnum conqueſtus Capúcinos Engenſes internuntios ad S. Antonium adhibuit, & perdita recuperavit. R. P. Provincialis Româ reversus, Brigantii convocationem patrum habuit: ſed & poſt reditum PP. Commiſſariorum Viennâ Conſtantiæ 7. Novembris integram congregationem celebravit. In hac limitatur charitas pro defunctis fratribus inter provincias Helvetam, & noſtram; atque ſic convenitur, quòd patribus, ac fratribus ante annum 1700. profeſſis à patribus, ac fratribus pariter ante annum 1700. profeſſis duntaxat charitas reciproca in futurum exhibenda ſit.

Societatem viventium deſeruerunt ad cætum, ut in Chriſto confidimus, meliori ſorte beatorum rapti

P. Carolus Eugenius ex Schvvaning. Guard. F. Arbogaſtus ex Engeliz Laic. P. Apollinaris ex Damberg. Sacerd. F. Felix Bezaviens. Laic. F. Jovita Brigantin. Laic. de quo in prædic. qual. §. 1. litt. I. F. Marcus Waldishuttanus Laic. P. Chriſtianus Conſtant. CC. P. Wilibaldus Veldkirch. Sacerd. F. Maſſæus Friburg. Laic. F. Thomas Stauffens. Laic. P. Franc. Chriſtophorus Möſkirch. Miſſionarius. de quo in prædic. qual. §. 4. de Miſſion. P. Theodorus Ranckvvilanus CC. *Summa 12.*

Mors P. Apollinarem SS. Theologiæ Studioſum, melioris vitæ Religioſum

ſum votis & exſpectatione provinciæ maturiùs abripuit; cujus obitus nondum exiſtimatus varios habuit prodromos. Incumbebat ei Wangæ cura dirigendi horologii: & cùm ipſi de obedientia cum ſuo P. Lectore in arcem Neo-Ravenspurgenſem exeundum eſſet, pede Monaſterii janua vix elato pondera horologii ſpontanea colliſione, & rotatione ingentem ediderunt ſtrepitum, ut quidam accurrerent, viſuri, quæ turbatio contigiſſet automato; qui tamen omnia in ſuo curſu, & ordine nil turbata repererunt. Sed & paulò poſt vehementiores in infirmaria omni homine vacuâ pulſus auditi fuerunt à pluribus, aliquem brevi infirmandum, & moriturum ominatis. Quin & poſt ejus in prætato caſtro adventum cum omnium intuentium ſtupore pendulum à parietate Calendarium domeſticum ſeipſo moveri, agitari, & fragore lapſum minari viſum eſt. In eodem loco P. Apollinaris febri acutâ correptus maturè rebus ſuis proſpexit, ſuſceptóque ſumma devotione viatico inter pias P. Profeſſoris ſui acclamationes magna aſtantium ædificatione, nec minori luctu exſpiravit. Quàm minutiſſima autem præter paupertatem retenta animas à cæleſtium aditu morentur, ex eo diſcamus, quod ſubjungimus.

Unus è defuncti Conſcholaribus cellam ejus incolendi licentiam nactus pluribus ſucceſſivè noctibus importuno in ea circa pulpitum ſtrepitu fuit perterrefactus, ut talium metu animum induxerit in aliam migrandi cellam. Aperuit rem cuidam Confratri, qui pio conſilio cellam ambo viſitant, & in ſcamno infra pulpitum ſpeculi fruſtillum reperiunt, à P. Apollinari fortè ſine licentia uſurpatum; quo amoto, & ad P. Guardianum allato ceſſavit deinceps ſtrepitare defuncti ſpiritus. Quàm ſtricta æterni Judicis cenſura! ut quæ in fratre minore omne id, quod nihilo aliquantulum plus eſt, in culpam, & pœnam trahere conſuevit! *Fratres nihil ſibi approprient.* Atqui fragmentum catoptroni non eſt nihil.

Prædictorum vacua repleverunt loca recentes crucis voluntariæ Candidati

F. Berardus Endingan. Cler. F. Antonius Veldkirch. Cler. F. Accurſius Neoburgens. Cler. F. Angelus Rottvvilanus Cler. F. Reinhardus Rottvvilan. Cler. F. Oneſimus Friburg. Cler. F. Wilibaldus Campidun. Cler. F. Beatus ex Schvverſtätt. Laic. F. Ignatius Conſtant. Cler. F. Mathias Cellens. Cler. F. Thaddæus Waldishuttanus Cler. *Summa 11.*

Annus Chriſti 1710 Provinciæ diviſæ 43. Clement. XI. 11. | Joſephi I. 6. | Cardinal. Acciajoli Protect. 34. Jo. Franc. Ep. 7. | P. Bernardin. à Saluzzo Gener. 2. | P. Theodoſ. ex Bürs Prov. 3.

Relaxata per Reverendiſſimum P. Generalem Capituli intermedii lege, ejus vice inſtituitur congregatio Capitularis Uberlingæ die 9. Maji.

Altenſtadii propè Veldkirchium in religioſo S. Dominici Gynecæo authoritate SS. D. N. Clementis XI. juxta Remiſſoriales à Sac. Rit. Congreg. emanatas conficitur proceſſus canonizat. B. Fidelis Mart. conſtitutis Judi-

cibus Celſiſſimo ac Reverendiſſimo DD. Epiſcopo Curienſi (vicem tamen hujus agente Reverendiſſimo D. Vicario Generali) & quatuor adhuc Reverendiſſimis DD. ejusdem Eccleſiæ Cathedral. Canonicis : ex qua item aſſumuntur duo Sub - Promotores fidei, Proceſſum inſtruente P. Luciano Montifontano ; procurante Patre Marco Jacobo Bibracenſe ; tranſumptum ejus ſcribente P. Caſto Hüffingano ; Romam portantibus PP. Juſtino, & Alexandro ex Sunthofen.

Die 28. Julii mors inopina Adriæ in Brutiis nobis abſtulit Reverendiſſimum P. Bernardinum à Saluzzo Miniſtrum Generalem. P. Franc. Maria Aretinus, ceu Concionator in Sacello Pontificio, ut huic muneri intenſiùs vacare queat, non affectavit Vicariatum generalem ſibi de jure debitum ; ſed ſummus Pontifex per decretum eumdem contulit P. Joanni Antonio Florentino, ſtatuitque, ut ſimul procuram generalem retineat. Hic in Secretarium teutonicum aſſumpſit noſtrum P. Udalricum Montifontanum in negotiis provinciæ Romæ exiſtentem. P. Florinus ex Stein autem econtra, quod ſummus Pontifex conſultum judicaverat, & provincia optaverat, italici climatis, & culinæ impatiens in Germaniam repedavit.

P. Tiberius ex Foro Tiberii patrocinio, & gentilitate Excellentiſſimi D. Jo. Georgii Buol Referendarii Auſtriaci fretus Viennam deſtinatur in cauſa Stockacenſi, & cum effectu deſiderato, ſcilicet : *nec mihi, nec tibi*, reverſus eſt.

Friburgi ampliatur pro rei exigentia conventus noſter, & cellulis multiplicatur. Carolus III. in perſona contra Hiſpaniæ uſurpatorem Philippum V. Ducem Andegavienſem in campum procedit, & Rivalem ſuum atroci clade afficit, caſtris exuit, in fugam conjicit, & victor Madritum ingreditur : ſed ad Cæſar - Auguſtam viciſſim ab hoſte ſuperatus extrema gaudii luctum occupare experitur.

Sereniſſimus Princeps Eugenius victricibus armis Duacum, Bethunum, aliáque munitiſſima loca in Flandria in *deditionem accipit*, longéque magis, ac magis, tremente Gallia, Pariſiis appropinquat.

Sereniſſimus Avus Sereniſſimæ Hiſpaniarum Reginæ Eliſabethæ Chriſtinæ, Udalricus Antonius Dux Luneburg - Brunſuicenſis ad inexplicabile ſummi Pontificis, totiúsque Eccleſiæ noſtræ gaudium Religionis Catholicæ publicam profeſſionem emittit, typo publicatis converſionis ſuæ motivis.

S. Antonius idem, qui ſemper, invocantibus ſe fidelis opitulator ſequentia præſtitit ; duo fures, quorum unus nobili in Ludvvigsburg Architecto Italo pretioſiſſima quæque furacibus manibus domô extulerat : alter Colono Ertingenſi plurima comeſtibilia in annum parata abripuerat, forte per S. Antonium diſpoſita in manus damnificatorum delati ſunt ; qui ultrò his furta confeſſi reſtitutionem integram fecerunt exoratâ ſolâ de ſe judici non deferendis conditione.

Alius in agro Cellenſi ingentem panni linei glomum ſibi evolantem ope S. Antonii per Capucinos implorati ſalvum mirabiliter recepiſſe gaviſus eſt.

Leg-

Legi mortis obtemperantes à nobis cum optimæ vitæ teſtimonio diſceſſerunt,

F. Alphonſus Brigantin. Cler. P. Hugo Landſperg. CC. P. Benedictus ex Vaduz, de quo in prædic. qual. §. 1. litt. D. P. Chryſogonus Bludentin. Guard. F. Gabriel Mariſpurg. Laic. F. Onophrius Lauffenburg. Conf. P. Iſaias Uberlingan. CC. F. Alexander ex Bludeſch. Laic. P. Lucius Veldkirch. Conf. P. Valentinus Uberlingan. CC. F. Noë Riedlingan Laic.

Summa 11.

Pædagogium Seraphicum vitam Sanctorum docendi intraverunt

P. Frobenius Hüffingan. Sacerd. F. Bernardus ex Vaduz Cler. F. Raphael Rottvvilan. Cler. F. Iſaias Munderkingens. Cler. F. Moyſes Veldkirch. Cler. F. Sixtus Bezaviens. Cler. F. Georg. Antonius Engens. Cler. F. Chryſogonus ex Seitingen Cler. F. Albertus Stauffens. Allgoj. Laicus. F. Thomas ex Melching. Laic. F. Abraham ex Zell Hamerſpach. Clericus.

Summa 11.

Annus Chriſti 1711. Provinciæ diviſæ 44. Clement. XI. 12. | Joſephi I. 7. & Caroli VI. 1. | Cardinal. Acciajoli Protector. 35.

Jo. Franc. Ep. 8. | P. Joa. Anton. Florent. Vic. Gener. 1. | P. Fidel. Rottenburg. Prov. 1.

Inexſpectatus Auguſtiſſimi Imperatoris Joſephi I. obitus puſtularum venenô maturatus, qui contigit die 17. Aprilis, totum Romanum Imperium, domúmque Auſtriacam profundiſſimo luctu obruit. Deceſſit autem Auguſtiſſimus hic Cæſar memorando ad omnes Monarchas Chriſtianæ generoſitatis, & tranſcripti in fatum ſpiritûs exemplo, non in vita tantùm, per rapidum victoriarum curſum; ſed in morte quoque eumdem curſum ſiſtente. Audiens enim clamorem Viennæ pro ſalute Cæſaris unâ voce ardentiſſimè comprecantis, rogavit in lecto, quid hoc eſſet? cui cùm reſponderetur, quòd pro conſervanda ſuæ majeſtatis vita publicæ obeantur preces; non ita; ajebat, ſed facite mutari intentionem talium comprecationum; rogetur altiſſimus non pro ſoſpitate mea, qua me indignum profiteor; ſed ut ejus æquiſſima in me voluntas compleatur, & ego illi reconciliatus moriar.

Eo extincto extincta quoque fœderatæ Angliæ, Bataviæ, aliorúmque fides; ut qui ſubdolis Gallorum perſuaſionibus malè creduli ſubtimere incipiebant, ne domus Auſtriaca in Carolo Hiſpaniarum Rege, & futuro Imperatore ultrà, quàm æquilibrii limites paterèntur, magnificanda univerſalem orbis Monarchiam meditatura, atque opere conſecutura eſſet.

Quamquam Sereniſſimus Princeps Eugenius in Angliam trajecerit, Reginam docturus, quòd domus Auſtriaca procul ab ea ambitioſa cogitatione: ſed potiùs Galliæ Rex de eo, quod aliis imputat, culpabilis, ſuſpectúsque ſit, adeóque timendus, ne ipſe Monarchia Hiſpaniæ augendus diu jam concertatum, & quæſitum orbis univerſi dominium ſibi arrogaturus, atque comparaturus eſſet; ſed diſertiſſimus hic Orator in

Angliam gallicis illecebris toxicatam nil valuit, cavámque ſe Arabiam ſerere animadvertens in Belgium regreſſus eſt. Unde fœderis complices armorum ſocietate penitùs abſtinuerunt : hísque Galliæ jam faventibus, & Domui Auſtriacæ inimicantibus factum eſt, ut omnia in Belgiis, Hiſpaniis, alibíque priorum annorum emolumenta tanto ſanguinis, & laboris impendio comparata denuò perditum iverint, & Carolus ad Romani Imperii coronam vocatus Hiſpaniâ exire debuerit ; ipſis heſperis jugum gallicum pœnitendâ aliquando levitate ſubeuntibus. Itaque mors Joſephi Cæſaris vita Galli fuit. De illius morte non ineptè aliquis luſit, an luxit :

PrInCIpIIs obſta, ſerò MeDICIna paratVr.

Carolus ab Electorum Collegio etiamnùm abſens unanimi votatione die 11. Octobris in Regem Romanorum eligitur ; atque per Legatos obviàm miſſos Oeniponti ſalutatur, & invitatus iter ſuum Francofordiam dirigit ſolenniter inaugurandus, & coronandus.

His pro dignitate ſua præmiſſis ad anni hujus initium regredimur ; cujus die 2. Januarii Conſtantiæ RR. PP. congregantur, reſuſcitatis æmulorum tricis ad nauſeam uſque fatigati. Argumentum, & objectum conſtituebant cauſæ Stockacenſis, & Tettnangenſis.

Poſt viſitatam provinciam R. P. Provincialis Capitulum ad diem 26. Julii Conſtantiam cogit numero vigeſimum ſextum ; in quo A. R. P. Fidelis Rottenburgens. Miniſter Provincialis, RR. PP. Humbertus Gengenbac. Marcus Jacobus Biberacens. Antoninus Rhenofeldenſis, Franc. Carolus Orttenbergens. Definitores evadunt. Cuſtodes Romani, RR. PP. Theodoſius & Marcus Jacob.

S. Antonius fiduciam in ſe conceptam, & comprecationes ad ſe fuſas remuneraturus cuidam agricolæ damnum quadringentorum florenorum dolenti hos omnes per ignotam ei perſonam, & nummis maximè egentem remiſit. Illuſtri Domino Wolfgango L. B. de Gemming annulum aureum infixis unionibus ditiſſimum, neſcienti quo caſu perditum, in via, quam diu ante non preſſerat, oculis inveniendum objecit.

Brigantii in Conventu noſtro contigit, ut fratribus poſt matutinas preces in Refectorio ad meditationem congregatis validiſſimus ad januam ictus, quaſi manu forti impactus, ab omnibus audiretur : & cùm hoc per plures noctes ita frequentatum eſſet, PP. Seniores id auxilii pro defuncto quodam emendicationem præternaturalem interpretati concluſerunt, ut, ſi denuò hic ad fores repetatur pulſus, quædam ſuffragia, miſſæ ſacrificia, & flagellatio ſupererogatoria à toto cætu obeunda eſſent. Et en ! inſequente meditationis nocturnæ hora, & lectione ad hanc vix abſoluta, majori, quàm ante nunquam, perſtrepit janua. Igitur flagellatio, ordinariâ jam peractâ, repetitur, & cætera omnia manè peraguntur ; unde deinceps nil porrò auditum fuit. Cùm per illos dies ad S. Annam venerabilis, & religioſa Mater Anna Agatha Waldnerin, à vitæ ſanctimoniâ, & beneficentiâ ad Capucinos famoſa obiiſſet ; hujus ſpiritus à Capucinis ſuffragia emendicâſſe credita fuit.

Piè in Domino obdormiverunt ſono tubæ reſuſcitandi

P. Rha-

P. Ratholdus Cellens. Guard. F. Fridolinus ex Magden Laic. P. Otvvaldus Tugienſis Conf. F. Gereon. Cellens. Laic. F. Nicodemus Hechinganus Laic. P. Bernardus Veldkirchens. Conf. *Summa 6.*

Inter noſtros numerari cæperunt

F. Hubertus Uberlingan. Cler. F. Valentinus Friburgens. Cler. F. Alto Weingartens. Laic. F. Simeon ex Stauffen Allgoj. Laic. F. Jeremias Veldkirch. Cler. F. Æmilianus Villingan. Cler. F. Cyrillus Friburg. Cler. F. Fridolinus Wangens. Laic. F. Ludovicus Möſskirchens. Cler. F. Ratholdus Waldishuttanus Cler. F. Franciſcus ex Altorff. Cler. F. Thomas Weiſſenhornens. Cler. *Summa 12.*

Annus Chriſti 1712. | Provinciæ diviſæ 45. Clement. XI. 13. | Caroli VI. 2. | Cardinal. Acciajoli Protector. 36. Jo. Franc. Ep. 9. | P. Michaël. Angel. Raguſan. General. 1. | P. Fidelis Rottenb. Provinc. 2. |

Conſtantiæ die 18. Januarii RR. PP. congregati variis provinciæ neceſſitatibus opem ferunt, & de ulteriori ferenda deliberant. Romipetæ tunc provinciam egreſſi ad Capitulum Generale properant; in quo tertio nonas Maji, præſidente Eminentiſſimo DD. Cardinale Protectore ad generale totius Ordinis gubernium vocatus eſt Reverendiſſimus P. Michaël Angelus Raguſanus. In diffinitiorum aſſumpti ſunt RR. Patres Jo. Antonius Horentinus Procurator General. Antonius Cromburg. Maximus à Murro. Timotheus Flexienſis. Joachimus Soraneenſis. Timotheus Rhodenas, pleríque Hiſpaniæ Patres à Philippo Duce Andegavenſi Hiſpaniæ incubatore ab acceſſu ad Capitulum prohibiti emanſerunt. P. Udalricus in Secretariatu Generali confirmatur.

SS. D. N. Clemens XI. P. Franciſcum Mariam Aretinum Sac. Palatii prædicatorem, & potioribus Ordinis muniis perfunctum S. R. E. Cardinalem creat; qui in eo excelſo dignitatis gradu prædicaturam exercere pergit maxima Collegii Apoſtolici approbatione, ſuóque, & Ordinis honore. Die 22. Maji, ſeu Dominica SS. Trinitatis idem Clemens XI. præter Pium V. Andream Avellinum, Catharinam Bononienſem, ſolenniſſimo ritu Felicem à Cantalitio Capucinum Laicum Sanctorum Catalogo adſcripſit, feſtivitatem hanc toto Capitulo Generali magnificante. P. Marcus Jacobus Biberac. à L. anima concionatur.

RR. PP. Româ reverſi Wangæ pridie nonas Auguſti Congregationem celebrant; in qua promulgatur Indultum Reverendiſſimi P. Generalis de non habendo in proximam vicem Capitulo intermedio.

Ordinatur quoque uniformis per provinciam ritus, quo feſtum Canonizationis S. Felicis toto octiduo celebrari debeat: ſecundùm quem igitur ea ſolennitas in omnibus conventibus pompâ quàm maxima, ad paupertatis tamen, & ſimplicitatis leges attemperata per ipſos octo dies acta fuit, ſplendorem primarium conferentibus Infulatis plerumque officiatoribus, eximiis Panegyriſtis, & infinita hominum undique confluentium concione.

Recentis hujuſce ſancti prodigioſam interceſſionem prima omnium in his terris, & Canonizationis feſto experta eſt honeſta virgo œconoma A. R. D. Parochi Müllhuſani Hegojæ ; quæ malignis defluxionibus ſenſim eluminata de integro viſu amittendo periclitabatur ; igitur devotâ in S. Felicem fiduciâ animata eamdem apud Capucinos Engenſes ſolennitatem accedit, S. Felicem ardenter invocat, & in hujus honorem SS. pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta uſurpat : quibus obtinuit, ut abſterſis visûs impedimentis cum pleno lumine domum gaudens redierit, quæ cum nullo triſtis domo exiit.

S. Antonii Reſponſorium tantò efficaciæ fuit, ut Civi Engenſi duos equos clam abactos excuſſis ſeſſoribus abigeis ad noſtrum ibi Monaſterium fugitivos reduxerit : alteri in agro Cellenſi fila ingentis quantitatis texturæ deſtinata, ſed furtivè elapſa, iterùm retraxerit ; ipſo fure conſcientiæ morſibus ad furti confeſſionem, & redditionem angariato,

Enavigato vitæ hujus Oceano ad littus beatæ æternitatis tranârunt

P. Simon Ranckvvilan. CC. F. Laurentius Waldishuttan. Laic. F. Simpertus Wilerſtadien. Laic. P. Tiburtius Conſtant. CC. de quo in prædic. qualit. §. 2. de litterat. P. Jo. Chryſoſtomus ex Mittelberg. CC. F. Albertus Riedling. Laic. F. Hugo ex Giltvveil. Cler. P. Innocentius Wolfacens. CC. P. Fortunatus Conſtant. Guard. P. Gebhardus Conſtant. Definitor. P. Thomas Friburg. CC. P. Anaſtaſius Villingan. CC. P. Bonaventura Conſtant. Guard. P. Richardus Endingan. CC. P. Caſtus Veldkirch. Guard. novit. Magiſter. *Summa 15.*

P. Gebhardus primævi rigoris, & paupertatis tenaciſſimus eumdem rigorem correctionum, & pœnarum acerbitate à ſubditis Guardianus exegit, aliarum quoque virtutum, & maturitatis laude præclarus, ut eapropter ſæpè in quatrumviratum provinciæ collocatus nec ungue preſſo ab antiquis Religionis conſuetudinibus recedere in animum induxerit. Senio confectus, & multa ægritudinem cataverа in eum arietante in feſto exaltatæ Crucis eximia cum Crucifixo conformitate, ad deſtinatam Cruci portatæ gloriam ab ipſa Cruce portatus eſt.

F. Albertus laborandi fidelitate, precandi ardore, humilitatis, ſimplicitatis, & integritatis candore maximum inter Laicos ſibi nomen promeruit, nullâ unquam agendorum mole, aut adverſorum caſuum aſſultu ad impatientiam flexibilis ; ſempérque in Deum recollectus, & aliorum obſequiis accinctus : in eleemoſynarum diſtributione erga quotidianos pauperum greges mira charitate enituit. Jubilæum profeſſionis attingens in eodem primi fervoris officio perſeveravit, ſolâ corporis exhauſti impotentia eum à gravioribus Laicorum negotiis eximente. Cum nomine excellentis pietatis longè latéque inter ſæculares propagato devotiſſimè obiit.

F. Hugo Clericus modeſtiſſimæ indolis, maximæque ſpei juvenis compendiariâ morte vitæ religioſæ curſum vix incæptum abſolvit ; dum nimirùm ex obedientia nives inter tegulas tecti ad Eccleſiæ operimentum jactatas everreret, remittente uno tabulati aſſere in templum lapſus fracto cerebro interiit.

P. Tho_

P. Thomas Friburg. indefeſſus operarius præ nimia his ad ſalutem opitulandi cupidine frequenter ſuimet, ſuorúmque commodorum oblitus communis omnium, præſertim pauperum, anchora dicebatur; quibus etiam remediorum corporalium peritiâ nonnunquam corporis ſaluti fuit. In confeſſionali diligentiſſimus, in ſolvendis maleficiis feliciſſimus, in amore Dei, & proximi ardentiſſimus his ſacris functionibus ſanctè immortuus eſt, à tota urbe Uberlinganâ deploratus.

Singulari etiam elogio P. Innocentius, germanus P. Uratislai tum ab innocentia morum, tum à ſcientiæ prærogativa ſe dignum fecit; ut eapropter idoneus haberetur, qui aliis in Guardianatûs candelabro præluceret; homo à natura, & virtute pacis amans, ſilentii cuſtos, orationis cultor, & verus, ut omnia uno verbo comprehendam, laudum argumenta, Capucinus.

P. Fortunatus poſt plurima pro honore, & emolumento provinciæ præſtita, geſtáque Guardianatûs, Cuſtodiatûs, viſitatoris Monialium Seggingæ officia tunc ſe fortunatiſſimum reputavit, quando diſponente Deo fæda ſcabie refertus velut alter Job in theatro patientiæ gratiſſimam cælo perſonam agere potuit. Equidem ſui contemptu, & fugâ lætus ſolitariè animam ſolam curavit, corporis incurius, atque urgente ſeniculum fato lætiſſimus fugientem ſe mundum ad cæleſtia fugit.

P. Caſtus totus ex caſtitate, & aliis virtutibus Religioſum perfectum conſtituentibus, conſtitit. In oratione mentali tanta lumina hauſiſſe viſus eſt, ut qua parte, quo loco, & officio eum aſpexiſſes, Seraphinum ardentem conſpexiſſes. Guardianus frequenter, Novitiorum moderator diu, Confeſſarius Monialium multo tempore nil antiquius habuit, quàm ut ſubditis, filiis, & filiabus ſpiritualibus ſpiritum Seraphicum quodammodo verbis, & exemplis inviſceraret. In converſatione manſuetiſſimus, in loquela parciſſimus, in inceſſu modeſtiſſimus jucundum Deo, & Angelis, & hominibus ſpectaculum ſe præbuit, dignus, qui tale toti cæleſti curiæ fieret, Jubilæo major placidiſſima morte illuc translatus.

E caſtris mundi laudabiliter profugi Seraphicæ militiæ inter nos agendæ nomen dederunt

F. Franc. Chriſtophorus Villingan. Cler. F. Simpertus ex Graben Laic. F. Apollinaris Ranckvvilan. Cler. F. Amantius Rottvvil. Cler. F. Hugo Friburg. Cler. F. Simeon Wangens. Cler. F. Conradus Brigantin. Cler. F. Magnus Engens. Cler. *Summa 8.*

Annus Chriſti 1713. | Provinciæ diviſæ 46. | Clement. XI. 14. | Caroli VI. 3. | Cardinal. Acciajoli Protector. 37.

Joa. Franc. Ep. 10. | P. Michaël. Angel. Raguſ. 2. | P. Fidel. Rottenburg. Provinc. 3.

Waldishutti die 16. Januar. Congregatio RR. PP. frequentata eſt.

Ad labem contagioſam horrendùm alibi in homines ſævientem, & finibus provinciæ jam jam vicinantem cælitùs arcendam, avertendámque ſta-

ſtatuta eſt comprecatio Antiphonæ: *Stella cæli extirpavit*, in miſſa conventuali quotidie frequentanda.

Ante annum Viennam in cauſa Stockacenſi deputati ſunt RR. PP. Alexius Conſtantiens. & Salomon Villinganus: quorum ſtudio, & dexteritate impetratum fuit ab Auguſtiſſimo Imperatore decretum, cujus virtute omnibus aliis Religioſis excluſis, ſolis Capucinis ſpes aſſerebatur aliquando Stockachii domicilium figendi, ſtabilitâ interim facultate temporale ibidem hoſpitium pro cauſarum exigentia accedendi. Ad tramitem hujus decreti, & de conſenſu conſilióque Celſiſſimi ac Reverendiſſimi D. Ordinarii Conſtantien. hoc anno ſumitur ejusdem hoſpitii temporalis authoritativa poſſeſſio, ad prævertendum omnibus deinceps æmulorum conatibus. Wilerſtadii Capucinis de arbitrio Superiorum duo lateralia templi altaria molientibus remora à vicinis Religioſis injicitur: verùm à Pontificio Commiſſario libera pergendi gratia Capucinis facta eſt. Sacello mortuorum templi noſtri Argenſis maxima ſolennitate infertur corpus S. Severini Mart. Româ allatum; quod & variis coruſcare cæpit miraculis, & gratiis.

In eadem Eccleſia Argenſi quædam mulier auſu ſacrilego ſacram Hoſtiam in Communione ſuſceptam, ſed mox iterùm in linteolum foràs ejectam, ac domi papyro involutam, haud dubiè magicis artibus, aut omninò Diabolicis dehonorationibus ſervavit. Attamen conſcientiæ motibus agitata eamdem cuidam Patri Confeſſario retulit, ac conſignavit.

In menſe Septembri advolans exercitus Gallus Friburgo acerrimam obſidionem intentat, & rem acriter gerit, urbis Gubernatore Harſchio aliquamdiu ſtrenuam defenſionem agente, eúmque ſecundantibus ſupremæ, & infimæ arcis Gubernatoribus; donec relicta in hoſtis arbitrio urbe cum præſidio ad arcem ſe reciperet. Gallus Belli Dux Villarius, Præſes expeditionis ea humanitate in urbem ſibi relictam uſus eſt, ut Primoribus civitatis optimo conſilio deditionem offerentibus immunitatem omnem conceſſerit.

Præfatus Gubernator volebat Religioſos omnes ad præſtanda militibus in pomærio occumbentibus ſervitia compellere; cui tamen Monaſteriorum Superiores fortiter reſtiterunt, cauſati quòd ſubditos ſuos tantis objicere periculis nulla lege tenerentur. Capucini ſua obtulerunt charitatis officia militibus intra mœnia decumbentibus.

S. Antonius quemdam ſexcentos florenos ad Caſtra militaria portandos in rem ſuam converſurum, eáque propter in Helvetiam fugitivum taliter ſtitit, ut nullum paſſum progredi valens ultrò redierit, & conſcientiam, manúsque ſuas eo onere iniquo relevaverit.

Heterodoxa mulier cimmeliis pretioſis ſpoliata per preces à Capucinis ad S. Antonium ſuſas ea omnia recuperavit.

Abigeus in diſtrictu Argenſi molitori cuidam equum præſepi ſolutum abducens voto ad S. Antonium à molitore concepto, citra omne propoſitum ſuum, velut ſtupidus equi ſeſſor ad eamdem molendinam divertit; ubi dimiſſo ſonipete pedes auffugit.

Ad promovendam in S. Antonium populi devotionem calamitoſis adeò pro-

proficuam Capucini Wilerſtadienſes habito priùs omni neceſſario conſenſu ex ære collatitio in Erlingen Wirthenbergiæ pago Catholico erexerunt quoddam ſacellum, illíque ſtatuam S. Antonii intulerunt ; quò mox devota plebs convolare , & S. Antonium in ſalutem rerum perditarum deprecari incæperit ; cum eximio plurimorum proventu.

Auguſtiſſima Imperatrix Hiſpaniâ emigrat, & in Germaniam revertitur ; quam ſequitur Excellentiſſimus D. Comes & Generalis de Stahrenberg , ſalvas educens Copias militari-germanicas , lugentibus diſceſſum ejus Catalaunis, jugúmque Gallicum detrectantibus.

Ex hujus vitæ exilio ad cæleſtem Patriam diu ſuſpiratam , ac promeritam tranſmigrârunt

P. Angelicus Wolfac. & Definitor Vicar. Generalis, de quo in prædic. qualit. §. 1. litt. A. F. Simplicius Lauffenburg. Laic. P. Franciſcus Rottvvilan. Sacerd. F. Peregrinus Bibracens. Laic. F. Philippus Breilingens. Laic. P. Apollonius Friburg. Guard. P. Matthæus Veldkirchens. Sacerd. F. Raphaël Brixinens P. Ephrem Friburgens. Confeſſ. F. Edmundus ex Wittnau Cler. P. Bernardinus ex Neüferen. CC. P. Alexander Bizaviens. Sacerd. P. Moyſes ex Dornvveid Guard. *Summa 13.*

P. Moyſes Prædicatorum ſuo ævo Coryphæus à voce, ſpiritu , & eloquentia ſuaviſſimus , cui externa facies pietatis internæ teſtis, aliáque gratiæ dona magnam conciliârunt authoritatem. Guardianus zelantiſſimus charitate magis, quàm rigore, optimè rem geſſit. Promovendæ cauſæ B. Fidelis adhibitus aliquamdiu ſtetit, juvante induſtriam idiomatis latii peritiâ, ad quod addiſcendum jam juvenis Capucinus ſtudiorum cauſa in Italiam locatus fuerat.

Sæculo valere juſſo in gremium Religionis noſtræ aſſerti ſunt

F. Antonius Villingan. Cler. F. Felix Badens. Cler. F. Concordius Möſskirch. Cler. F. Marianus Uberling. Cler. F. Cornelius Campidunens. Cler. F. Morandus Wangens. Laicus. *Summa 6.*

Annus Chriſti 1714. Provinciæ diviſæ 47.

Clement. XI. 15. | Caroli VI. 4. | Cardinal. Acciajoli Protector. 38.

Joa. Franc. Ep. 11. | P. Michaël Angel. Raguſ. General. 3. | P. Marci. Jacob. Biberac. Provinc. 1.

Hic annus tandem Romanum Imperium, Auſtriam, totámque germaniam , & provinciam noſtram abolitis belli apparatibus exoptatiſſimæ pacis nuntio exhilaravit , & tractatus nuper Raſtadii inter duos Sereniſſimos Irenarches Franciſcum Eugenium Sabaudiæ, & Ducem Villarium ſolitariè, non admiſſis ullis aliorum Regum, & ſtatuum arbitris, idæatos Badæ Helvetorum iidem Plenipotentiarii concluſerunt, & ad communem totius Europæ lætitiam in magno aliorum Magnatum, ſeu horum Legatorum acceſſu ſtipulatos pacis articulos ſubſignârunt, atque ab altiſſimis Principalibus ratificatos publicârunt, Auguſtiſſimo Imperatore Carolo, clauſo Jani templo, ævum Cæſaris Octavii Auguſti æmulaturo;

Trochtelfingen CC. P. Aloyſius Conſtant. Guard. P. Sabinus Conſtant. Conf. F. Erhardus Rottvvilan. Laic. P. Engelhardus Marchdorffens. CC. P. Proſper Bludentin. CC. P. Gratianus Veldkirch. CC. P. Amandus Wolfacens. CC. P. Adrianus Bludentinus CC. P. Joſephus Villingan. CC. F. Franc. Carolus Orttenbergens. Definitor. P. Ægidius ex Eglishofen Guard. P. Theodoſius ex Bürs Ex-Provinc. de quo in prædic. Qual. §. 1. litt. T. P. Ruffing. Störzingenſis Conf. P. Prothaſius Oenipontan. Guard. P. Heliodorus ex Schomburg. Sacerd. P. Epiphanius Bludentin. Guard. F. Godefridus Mariæ-Cellens Laic. *Summa 27.*

Transmiſſis aliis, de quorum nonnullis commemoratio facta eſt in prædic. action. §. 4. De aſſiſtentia moribundorum, ſpecialiter nobis elogio ſuo celebrandus eſt P. Franc. Carolus Orttenbergens. Is ex illuſtri Baronum de Neuvè ſanguine ortum trahens ab incunabulis pro lectiſſima indole, ingenii capacitate, & diſcendi ardore ad magna parabatur, & poſt muſas manſuetiores jurisprudentia quoque haud obiter imbutus, atque pro illuſtrium conſuetudine in exteras regiones ad harum idiomata addiſcenda peregrinatus in ipſis mundi ſplendoribus mundum averſari didicit, & vocanti Numini moriger translatâ in fratrem ſuum natu-minorem ampliorum fortunarum ſpe ipſe frater minor Capucinus altiori, fidelioríque, quàm ſit mundus, Domino ſervire ſtatuit. In Ordinem ingreſſurus ſpumantem agitans equum in planâ ante conventum Marchdorffenſem, ceu Novitiatûs locum, cortinâ pro valedictione egregium ſe equitem vaniùs oſtentare voluit; ſed ab equo excuſſus, & nonnihil læſus inde majorem ſæculi nauſeam, & religionis ardorem concepit. Deinceps ad omnem pietatem, humilitatem, obedientiam, Ordinis rigorem, & morem docilisſimus, atque promptiſſimus, accedente Theologicâ quoque doctrina in excellentem verbi Dei præconem evaſit; ac propter eximium religioſitatis fervorem Guardianatûs officiô auctus; inde Reverendiſſimi P. Angelici Vicarii Generalis Conſultor, itinerùmque comes fideliſſimus, Definitor creatus rarâ concordia improbum laborem, cujus causâ ſæpiſſimè cibi, potûs, ſomni, ſuique ipſius incurius fuit, cum exemplari vitæ probitate, Deique, & B. V. Mariæ, ac cælitum cultu impenſiſſimo ſociavit; in quorum honorem devotiſſima exercitia, & alia meditandi argumenta typô digna in tanto numero conſcripſit, ut pro illorum multitudine nullum eorum perfectè abſolvere potuerit. Vir porrò manſuetiſſimus, charitate erga ægrotantes flagrantiſſimus, & ad Regulæ præceptum, ſollicita mater. Tandem in ipſa meditationis horâ, & Dei per ſpeculum, & ænigma contemplandi ardore ad illius facie ad faciem viſionem apoplexiâ promotus eſt.

P. Aloyſius ſpiritu Seraphico plenus, & ſuaviſſima eloquentiâ præditus in Cathedra, in Guardianatûs ſpeculâ, in tyronum inſtituendorum officina conſtitutus integrum ubique ſe virum præbuit, ſingulari ſeu auditores in templo, ſeu ſubditos in Capitulo, ſeu novitios in ſchola ad devotionem fletúmque movendi gratiâ præſtans, ipſe intrà motus ſæpè lacrymis à proſequendo allocutionis themate præpeditus. Orationi, & contemplationi uſque fermè ad extaſin deditus talis inde prodiit, à quo vel intuentes

ad modeſtiam, devotionem, & pietatem perſuaderentur. Multam autem cum variis morbis conflictationem habuit, propter quam etiam à diſcolis ſcommate quodam indigniſſimè punctus eſt : at ille hæc omnia in comodum ſuum convertere novit, denique religioſiſſimam vitam conſentanea morte concluſit diu apud probos, etiam ſolenniores perſonas nominis celebritate ſuperſtes.

In horum defunctorum ſupplementum cingulum Religioſæ militiæ induerunt

F. Illuminatus Friburg. Cler. F. Reginaldus ex Seeg. Cler. F. Tiberius Friburgenſ. Cler. F. Cæleſtinus Wilerſtad. Cler. F. Maſſæus Bludentin. Cler. F. Proſper Rottenburgens. Cler. F. Engelhardus Engens. Cler. F. Fintanus Rottvvilan. Cler. F. Homobonus ex Opfenbach. Laic. F. Bonoventura Friburg. Cler. F. Florimundus ex Röttenberg Cler. F. Candidus Conſtantienſ. Cler. F. Juniperus ex Bona-Cella. Laic. F. Sanctus Weiſſenhornenſ. Cler. F. Chriſtianus ex Fiſchen Cler. F. Adrianus Immenſtad. Cler. F. Felix Wangens. Laicus.

Summa 17.

Annus Chriſti 1715. Provinciæ diviſæ 48. Clement. XI. 16. | Caroli VI. 5. | Cardinal. Acciajol. Protector. 39.

Jo. Franc. Ep. 12. | P. Michaël Ang. Ragus. Gener. 4. | P. Marc. Jacob. Bibrac. Prov. 2.

Möſkirchii Congregatio 2. Maji inter RR. PP. habita promulgat gratiam de intermittendo capitulo ſesquiennali à P. Generali factam.

Offeruntur provinciæ duo Conventus, Gamundianus, & Dinckelſpilanus à provinciis Franconiæ, & Bavariæ æqualiter recuſati ; circa quos tamen nil deciditur, remiſsô negotio ad P. Generalem.

In locum Schvvabsberg propè Campidunum, pariter provinciæ à Celſiſſimo ac Reverendiſſimo illo Principe, & Abbate oblatum ; ſed refutatum Capucinorum vice introducuntur RR. PP. Recollecti Franciſcani.

Illuſtriſſimus D. Comes de Wurzach reſuſcitat inſtantias ſuas tam ſæpè ante hac factas, & totidem à Capucinis excuſſas, de erigendo regulari hoſpitio ; quas etiam noſtri hac vice irritas faciunt, ne, quod in aliis damnant, ipſimet dilatandis provinciæ limitibus ſtudere videantur. Miſſio noſtra ad Caſtrum S. Ludovici tam proſperos ſucceſſus habet, ut Eccleſia ibi utcunque compaginata capiendis auditoribus, & ad ſacra confluentibus non ſufficeret, ipſéque Sereniſſimus Wirthenbergiæ Dux, quamvis Lutheró addictus, non ſolùm inde delectatus ; ſed & Catholicos ad frequentandas Capucinorum exercitationes religioſas adhortatus ſit.

Moritur Rex Galliæ, Ludovicus XIV. quietem à morte habiturus, quam in vita habere noluit. Ante obitum per litteras amiciſſimas Carolo VI. Romanorum Imperatori offert tutelam ſui abnepotis, futuri Galliarum Regis, húncque adversùs ambitionem Ducis Aurelianenſis uſque ad Majorennitatem Principis Regii Regnum adminiſtraturi protegendum

dum commendat : promittit Cæſar ſe rogata facturum, immemor injuriarum pro more Auſtriaco, & candore germanico utique ſuis ſtaturus verbis.

Cùm immaniſſimus Barbarorum Imperator ſubjugatis Corintho, Morea, Neapoli di Romania cervici Italiæ magis magísque immineret, SS. D. N. Clemens XI. Jubilæum univerſale indulſit, pœnitentiæ, precúmque repagulo Mahometem ab ulteriori progreſſu cohibiturus. Omnes inſuper Chriſtiani orbis Principes in ferendum periclitanti Eccleſiæ auxilium excitat ; ſed vel maximè Auguſtiſſimum Imperatorem ; qui equidem non quatenùs Respublica Veneta id ipſum rogaverat, ut quæ Cæſari ſub ictu tot bellorum gementi nec quidquam ſuccurrerat ; ſed quatenùs de Religione agebatur, undequaque militem conſcribit, & intra limites pacis Carlovvizenſis cum Turca initæ belli apparatibus occupatur.

Idibus Octobris Conſtantiæ iterùm conveniunt plerique provinciæ majores ad conſultandum ſuper varias neceſſitates.

B. V. M. & S. Antonius Paduànus celeberrimo cuidam pictori Italo ad Caſtrum S. Ludovici artem ſuam exercenti ; ſed ad mortem graviter ægrotanti integram, & inſtantaneam incolumitatem à Deo impetrant, poſtquam hic votum voviſſet pingendi megalographiam aræ principi in Eccleſia Capucinorum Wilerſtadii aptandam. Voti damnatus votum quoque exſolvit, eâ induſtriâ picturam conficiens, quæ ab artis peritis centum philippæis æſtimatur.

In plurium ſolatia, & commoda floreſcit hinc inde, & augeſcit novemdialis in S. Antonium devotio. Reſponſorium de eo ſancto à Capucinis devotè recitatum militi cuidam ex jactura triginta florenorum triſti præſentiſſimam indemniſationem attulit.

Sed & S. Felix inter alia complura filiolum D. Ludovici Wagenmanni Medicinæ Doctoris jam jam moriturientem, & à patre conclamatum inſtantaneâ ſoſpitate vivum ſervat vix invocatus ; ut D. Mater ex pio joco dicere conſueverit : poſt S. Antonium non eſt pronior ad auxiliandum ſanctus, quàm iſte ſimplex frater Felix.

E provinciæ gremio ad manes abierunt, cælo, ut piè credimus, recipiendi.

P. Victor ex Ludeſch Conf. F. Bonaventura Wangens. Laic. F. Marianus Seggingan. Guard. P. Gebhardus Rhenofeldens. Guard. P. Alexius Veldkirch. CC. P. Beatus Müllhuſan. Guard. P. Marcellianus Uberlingan. CC. P. Aurelianus Friburg. Guard. F. Kilianus ex Gebvveiler Laicus. P. Fintanus Dillingan. Guard. P. Dionyſius Stockacenſ. CC. P. Maximilian. Wangens. Sacerd. F. Juvenalis ex Ludeſch Laic. *Summa 13.*

P. Victor ſimplicitati, & paupertati ſummoperè ſtuduit, habitu mille centonibus reſarcito contentus, vini plerumque abſtinens, ciborum, ſomníque parcus ; in corpus autem rigidiùs flagellando multùm ſeverus, ſoli Deo intendere viſus eſt. Tempus meditationis, Chori, & Altaris, quibus officiis ſe ardentiſſimè impendebat, tempus recreationis ſuæ reputavit. Nuspiam non orans inventus, præſertim poſtquam caligare incæperunt oculi ejus ; erga Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum devo-

tiſſimus ſæpiſſimè illud per diem in terram pronus adorare conſuevit. In converſatione externa manſuetus, venerabundus ad omnes, & quaſi horum conſortio indignus ſemper curvato corpore inceſſit. Totus tandem cæcus lætabatur de jactura mundi, cujus videndi nauſeam jam à pridem præſeferebat, ut videndo Deo commodiùs occuparetur, ad lumen gloriæ, omnium judicio, ſuaviſſima obdormitione delatus.

P. Marianus nominis ethymologiam impenſo Mariæ Deiparæ cultu verè explevit, & lenitatem in aliis corrigendis, & gubernandis uſurpatam ſeveritate in ſeipſum compenſavit, quâ gratiam obtinuit, ut Deo, ſuperioribus, & ſubditis probaretur; & probatus Mariæ patrocinio in ſinum Abrahæ portaretur.

P. Beatus, ut hic aliquando eſſet, etiam B. V. Mariæ ope uſus eſt, hanc ardentiſſimâ devotione promereri conatus. In primis loquentis labris, & calami ſcribentis apice hoc pium axioma ſediſſe compertum eſt: *Floreat immaculata Conceptio.* In paupertatis, perfectæ regularitatis, flagrantiſſimæ in Deum, ac cælites pietatis ſtudio perfectiſſimis provinciæ Religioſis accenſitus, ideóque etiam prudentiæ, & maturitatis acceſſu ad majora trahendus erat; ſed obſtante, quem ſibi ceu beatitudinis conſcendendæ ſcalam gratulabatur, aliquo defectu corporali retentus in inferioribus hæſit. Morti proximus læta voce exclamavit ad P. Guardianum: *Benedicite, iterùm, & ultimò benedicite.* Tunc funeris ſui cantator Cygnus intonuit canticum: *Benedicite omnia opera Domini Domino*; ſicque Beatus temporaliter eſſe deſiit, & æternaliter eſſe incæpit.

P. Fintanus eximia maleficos ad ſupplicium, mortémque diſponendi gratiâ præſtans his ſimul, & ſpectatoribus lacrymas copioſas extorſit. Pacem perpetuam inter fratres coluit; nullam corpuſculo ſuo indulſit, auſterâ mortificationum violentiâ Cælum rapturus. Maximum ſe peccatorem ex vera, non adſcititia humilitate dixit; atque ut talis nulla promotionum, aut honorum blandimenta admittere voluit, *obiit profeſſionis*, & Sacerdotii Jubilæus in conſummati Religioſi exiſtimatione.

Mundo res ſuas habere juſſo pauperem cum Capucinis vivendi rationem aſſumpſerunt

F. Sigismundus Rottenburgens. Cler. F. Octavianus Friburg. Cler. F. Alphonſus ex Begsvveil Cler. F. Alanus Badens. Cler. F. Matthæus Uberlingan. Cler. F. Philippus Villinganus Laic. F. Liberatus Neidingan. Cler. F. Paulus ex Schnepfau Laic. F. Ananias Rhenofeldens. Cler. F. Gebhardus Villingan. Cler. F. Ottmarus ex Höchſt. Cler. F. Ægidius Hüffinganus Cler. F. Servatius ex Schlanders Cler. F. Wolfgangus Wilerſtad Laic. F. Marcellinus Arbonens. Cler. F. Dionyſius ex Hemmendorff Cler.

Summa 16.

Annus

Annus Chriſti 1716. | Provinciæ diviſæ. 49.
Clement. XI. 17. | Caroli VI. 6. | Cardinal. Acciajoli Protector. 40.
Joa. Franc. Ep. 13. | P. Michaël Angel. Raguſ. General. 5. | P. Marc. Jacob. Biber. Prov. 3.

Engæ die 20. April. celebratur ſolennis RR. Patrum Congregatio Capituli intermedii locò.

Deferuntur Celſiſſimo ac Reverendiſſimo D. Ordinario Conſtantien. Capucini, quaſi limites conceſſi hoſpitii temporalis Stockacenſis ſupergreſſi ulteriùs quid audeant. Verùm Celſiſſimus per deſtinatos loci examinatores veriora de Capucinis, & falſa de accuſatoribus edoctus illis gratulatur; his exprobrat delationis iniquitatem.

Tripudiat Auſtria, totúsque orbis Chriſtiano-Auſtriacus, & lætitiis inundat, quòd Auguſtiſſima hæredem maſculum ſanè exoptatiſſimum felici partu enixa ſit.

Pacem nuper inter Europæ Principes ſancitam turbavit bellum in Moſchéa Conſtantinopolitana adversus Hungariam concertatum, atque concluſum. Sententiæ reſpondet opus, & infinitæ multitudinis agmen de poſteritate Iſmaëlis Pannoniam inundat, totam Chriſtianitatem devoraturum. Omnibus extrema metuentibus ſolus Imperator Deo, & Eugenio ſuo militiæ Chriſtianæ Duci nixus non metuit.

Optimo prorsùs omine in feſto B. V. Mariæ ad nives numero, & truculentia militum ſuorum ferox hoſtis Chriſtianos adoritur; ſed ſtrage non minùs triginta millium inſolentiam luit, caſtris, & loco certaminis exutus, atque in fugam præcipitem conjectus. Victoriam auxit victoria: deditio nimirùm munitiſſimi Temesvvarii eadem armorum felicitate Turcis extorta. SS D. N. Clemens XI. meritiſſimum Germaniæ Scipionem Eugenium pileo, & virgâ prætoriâ, nec non acinace, gemmis, & arte, ſed maximè benedictione Papali pretioſiſſimâ ſolennibus per legatum cæremoniis decorandum cenſuit.

Beneficentiſſima Ordini, ac provinciæ noſtræ domus Fürſtenbergica, utriúsque, Blumenfeld ſeu Möſskirchenſis, & Stüehlingenſis lineæ, poſt obitum Sereniſſimi Principis Antonii Egonis de Fürſtenberg-Heilligenberg, Electoratûs Saxoniæ adminiſtratoris in dignitatem S. R. I. Principum evehitur; qua prærogativâ in futurum primogeniti duntaxat fruerentur, cæteris in Landgraviorum qualitate remanſuris.

Iteratur Congregatio RR. PP. Biberacum ad diem 7. Septembris conſcripta.

Graviter indignatur Capucinis Celſiſſimus ac Reverendiſſimus DD. Epiſcopus Conſtantienſ. ob cauſam quandam Mariſpurgi, aliquo è noſtris Patre eidem cooperato, contingentem.

Tenebatur ibidem puella plurium furtorum convicta, & propediem ad ſupplicium capitis educenda; ad quam æternitati parandam præter loci Parochum Capucinis quoque permittebatur acceſſus. Sed præ-

fatus Parochus ſervandæ huic maleficæ, & eludendæ punienti juſtitiæ medium adhibuit tam à ratione, quàm dignitate Clericali prorsùs alienum: ut nimirùm perſona habitu ſacerdotali induta liberè cum eodem egredi, & in domum parochialem immunitate fruentem fugitiva mortem evadere poſſet, ſubſtituto ejus locò in carcerem Sacellano dictæ puellæ veſtimentis induto. Igitur quæſtionarii ſententiæ executores maleficam extracturi pro fœmina reperiunt Presbyterum indecentiſſimè muliebriter veſtitum, & Capucinum, qui mentitiæ puellæ verba conſolatoria ſuggerebat. Detecta fraude haud leve ſcandalum in plebe; & maxima Principis disgratia in Capucinum æquè, ac Parochum, & Sacellanum conjecta fuit, licèt Capucinus in hac ſcena à ſolo Parocho excitata, atque adornata ſe merè paſſivè habuerit, nec integra regularitate ſua exoticum iſthoc Parochi conſilium juſtitiæ revelare potuerit.

Pro parte Reverendæ Definitionis diſtrictim per provinciam cautum eſt, ne quis deinceps hujusmodi maleficorum redemptioni ullo modo cooperetur. Capucino illô à cathedra Marispurgenſi, & Conventu Marisdorffenſi amotô, patrúmque deprecatoria excuſatione Celſiſſimus Princeps Capucinis iterùm placatus eſt.

S. Felix ſibi devotis hoc anno inſigniter auxiliatus eſt. Illuſtriſſima Domina de Ebingen, & Reverendiſſima Domina Abbatiſſa Ciſtercienſis in Feldbach immanes Cephalgiæ cruciatus paſſæ adhibita cum oleo, S. Felicis unctione inſtantaneè, & plenè his ſe malis exemptas gloriatæ ſunt.

S. Antonius verò novendiali devotione exoratus in Seebronn propè Rottenburgum, & Reſponſorii comprecatione à Capucinis peracta cuidam perſonæ miſerùm claudicanti eandem ad expeditam ambulationem opitulatus eſt.

Viro cuidam Uberlingano trinis in honorem S. Antonii conductis Miſſæ ſacrificiis, & conſuetis precibus uſo idem S. Antonius ſeptuaginta florenos penitùs jam in abandarum poſitos viâ non *compertâ reſtitui fecit.*

Gaudium, quod vernale tempus in ſereniſſimo hærede Auſtriaco fecerat, hyemis initium in luctum convertit; cùm is præmaturâ nimis, & an naturali, an artificiali morte, neſcitur, extinctus, & de utero quaſi, & cunis translatus ſit ad tumulum, ſolâ alterius ſucceſſuri ſpe jacturam prioris ſolante.

E medio noſtri pariter tumulo illati ſunt cumulum beatorum, ut ſperamus, aucturi

P. Martinus Friburg. Guard. P. Paulus Jungenſis CC. F. Sylveſter Uberlinganus Laic. P. Lucianus Montifontan. Ex-Provincial. de quo in prædic. qual. §. 2. de litterat. F. Lucius Montifontan. Laic. P. Philippus Wilan. Helvet. Guard. P. Antoninus Rhenofeld. Definit. *Summa 7.*

P. Martinus virginalem integritatem in Ordinem Seraphicum allatam virgini terræ mortuus intulit; quam cruentis, & fermè quotidianis flagellationibus, ciliciis, & corporis afflictationibus ſartam tectam ſervare ſtuduit. In ſtudio Theologiæ moralis cùm dictarentur materiæ lubricæ, P. Lector ipſi videbatur arabicè loqui. Harum autem explicatione, & indictâ ſciendi neceſſitate adeò offenſa fuit ejusdem pudicitia, ut rejectis

ſcriptis

ſcriptis ſcholæ æternum valediceret, conſultius ducens talia ignorare, quæ ſcita ejus puritatem offuſcare poſſent. Verumtamen obedientiæ lege ſcholis reſtitutus in eum virum ſcientificum evaſit, ut communi elogio Theologus inſuperabilis diceretur. Philoſophicis, & Theologicis diſciplinis ſcholares noſtros imbuere juſſus his cum littera ſpiritum Seraphicum propinare in primis habuit curis; prout erat Deo, rebúsque divinis deditiſſimus, & ad ſcrupulos uſque pius, & metu, ne obligationi Eccleſiaſticæ ſatisfecerit, repetendo horas Canonicas admodùm ſe fatigare ſolitus. Olim Guardianus in hebdomade ſancta coram robuſto fratre Clerico virgâ benè densâ armato tergus ſuum denudavit, eúmque ſe pro viribus ſuis cædere juſſit, ut obtemperante fratre tergus unicum ulcus fieret, magnáque cruoris copia ex vibicibus; major lacrymarum ex cæſi, & cædentis oculis flueret. Hoc in carnem ſuam odium uſque ad mortem nunquam depoſuit, nec ab ea affligenda ceſſavit, donec religioſiſſima morte vivere ceſſavit.

P. Philippus in diviſione provinciæ illud divinum ad Abraham monitum ſecuturus: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua*, ad noſtras partes migravit, ſéque virum probatiſſimum in omni virtutum genere exhibuit. Cùm meritis ejus offerretur Guardianatus; acceptavit quidem; ſed & ſibi gratiam exoravit degendi in conventu illo ſylveſtri Neoſtadiano, ubi ut Gregarius, Vicarius, & Guardianus potiſſimam vitam zeloſiſſimè gentem eam ſimplicem catechizando, & evangelizando transegit, æſtimatiſſimus ſanè ſylvæ nigræ Apoſtolus, quam non ſolùm doctrinâ, ſed & ſanctitatis exemplis illuſtravit. Ætate, & laboribus conſumptus ad æterna adeunda maximâ curâ ſe paravit, ſemper licèt paratus. Inſtante jam agonia fratres impensè rogavit, ut locò commendationis animæ conjunctis vocibus, tonóque Gregoriano Antiphonam: *Salve Regina* cantarent, & cantatam frequentarent, usque dum anima evolaverit. Et licèt fratribus de abitu tam chariſſimi patris flere potiùs, quàm cantare libuiſſet: ſatis tamen ejus devoto deſiderio facturi coactâ in modulamen voce concinuerunt, quoad in illis verbis: *Et Jeſum* &c. *nobis poſt hoc exilium oſtende*, beata, & utique jucunda morte defunctus ſit.

P. Antonius à ſublimi ſcientia profundiſſimus Lector, à perfecta Religioſitate digniſſimus Guardianus, à conſiliorum gravitate utiliſſimus Definitor, à manſuetudine agnus, à puritate Angelus, à diriſſimis podagræ doloribus patientiæ athleta dici, & ab animi humilitate ad cælum exaltari promeruit.

Pauperis Franciſci Seraphici ſequelam in Ordine Capucinorum promiſerunt

F. Franc. Honorius Möſkirch. Cler. F. Daniel Stauffens. Laic. F. Richardus Riedlingan. Cler. F. Marcellianus Gengenbac. Cler. F. Aurelianus Friburg. Cler. F. Alexius Wangens. Cler. F. Marcus Auguſtan. Laic. F. Oſvvaldus Friburg. Cler. F. Jacobus Möringenſis Laic. F. Antonius Maria Liptinus Cler. F. Laurentius Engens. Laic. F. Godefridus ex Oberſtorff Laic. F. Amandus Rottvvilan. Cler. F. Irenæus Rottvvilan. Cler. F. Eulogius Wolfacenſis Cler. F. Landelinus Badens. Cler. F. Franc. Joſeph

ſeph. Veldkirch. Cler. F. Wolfgangus Wangens. Cler. F. Kilianus Ravenſpurg. Laic. *Summa 19.*

Annus Chriſti 1717. Provinciæ diviſæ. 50.

Clement. XI. 18. | Caroli VI. 7. | Cardinal. Acciajoli Protector. 41.

Joa. Franc. Ep. 14. | P. Mich. Ang. Raguſ. 6. | P. Fidel. Rottenburg. Provin. 1.

Capitulo Provinciali Ravenſpurgi celebrando Reverendiſſimus P. Generalis moram injicit, ſuum in provinciam adventum, & in Capitulo præſidium annuntians. Verùm quòd dirimendis provinciarum Franconiæ, & Bavariæ controverſiis opinione ſua diutiùs Herbipoli detineretur; & Monachii Sereniſſimis Bavariæ Electore, hujúsque conjuge diuturno divortio ſeparatis in thorum reuniendis feliciter occuparetur, impetratóque Auguſtiſſimi Imperatoris conſenſu in Auſtriam deſcenſum meditaretur, condonata provinciæ noſtræ viſitatione Capituli ſine præſentia ſua celebrandi copiam faciens in dictam Auſtriam digreditur. Inde Capitularis congreſſus in dictum Ravenſpurgum ad diem 17. Septembris promulgatur. In hoc provinciæ gubernacula iteratò obtingunt A. R. P. Fideli Rottenburgenſi; Definitores renuntiati ſunt RR. PP. Humbertus Gengenbac. Salomon Villingan. Tiberius ex Foro Tiberii, Georg. Jacobus Conſtantiens. In Cuſtodes Romanos ſegregati ſunt RR. PP. Udalricus Montifontanus, actualis Secretarius Generalis, & Marcus Jacobus Biberacens. Fuit autem hoc Capitulum in ſerie vigeſimum octavum.

R. P. Florinus conſtitutus Cuſtos, & Guardianus Friburgi ab urbis Gubernatore illuc non admittitur, ex ſolo fundamento, quòd germanos haberet Reverendiſſimos Suffraganeum, & Canonicum Baſileenſis Eccleſiæ Cathedral. ut ajunt, gallizantes, de eodem galliciſmo, *ſed frivolè* ſuſpectus. Igitur circa hunc aliam diſpoſitionem fieri neceſſum fuit.

Uberlingæ ob templum noſtrum cadaveribus mortuorum penitùs refertum nova fratrum ſepultura extra Eccleſiam ſtruitur.

Brigantiæ autem ſacellum cryptæ impoſitum intra Eccleſiam jam aliquibus retrò annis erectum à Reverendiſſimo DD. Ferdinando Conrado Geiſt à Wildegg Suffraganeo Conſtant. conſecratur.

Hoc anno Lutherani paſſim, etiam in Hæmiſpherio noſtro jubilant de ſecundo reformatæ Religionis ſæculo; atque in argumenta præpoſteræ lætitiæ trophæa, & obeliſcos erigunt Reformatori ſuo, quòd hic illos à via crucis, quæ per anguſtam portam ad cælum ducit, ad latam, & ſpatioſam &c. traduxerit.

Certis novellis accepimus ex Brunsvvico, quòd ibidem in Eccleſia S. Georgii quidam verbi declamator in Cathedra, & ſimili de ſæculari ſolennitate themate conſtitutus Crucifixi Imaginem etiamnùm in dicta Eccleſia ſuperſtitem, & toleratam his verbis allocutus ſit: *nunquid crucifixe Domine Chriſte, noſtra Lutherana eſt vera, & unicè ſalvifica Religio?* & hanc quæſtionem tertiò iteraverit: cui tandem ipſum Crucifixi ſimulacrum

lacrum clara, elata, omnibúsque perceptibili voce reſponderit : *Non, Non, Non*, Auditoribus ſtupore attonitis, & mutuo aſpectu ſuſpenſis. Nec potuit hujus prodigii fama ſupprimi, utpote à viris authoritate, & fide pollentibus Viennam uſque, & Romam perlata.

Luctum priori anno ex obitu Archi-Ducis Auſtrii ſuſcitatum exhilarârunt jucundiſſimi de Turcis inſigni clade attritis, & ſimul expugnato Bellogrado, geminatáque ita victoria nuntii, quam recuperata potior Servia, aliáque loca victricibus armis herbam offerentia magnificârunt, Heroë Sabaudo, Sereniſſimo Principe Eugenio lauris onuſto, optiméque de Eccleſia, Chriſtianitate, Domo Auſtriaca, & Imperio Romano his victoriis reſpirante, & Portâ Ottomannicâ trepidante, merito.

Uberlingæ puellulus à partu gibbum à tergore trahens poſt plura incaſſùm tentata eidem abolendo opportuna remedia in monſtruoſum hominem excreturus timebatur. Verùm votivus S. P. Franciſci habitus, quo puer à mæſtis parentibus induitur, omni chirurgiâ felicior eum tumorem detumeſcere, ac puerum integrè erectum effecit.

S. Antonius famulæ cuidam ex furto duarum patinarum argenteârum deſolatiſſimæ, ſiquidem à Dominofamilias ad damnum compenſandum adſtringendæ admirabili ſolatio fuit ; cùm triſtis puella aquam ex fonte hauſtura patinas inibi projectas, atque fulgore ſuo manifeſtas cum ſuo, & omnium ſtupore repererit.

Simili modo civis quidam Rottenburgenſis nonnullos haud contemnendi pretii cacabos aheneos ſibi furtivè domo elatos lætanter recuperavit, Capucinis in hujus, & illius gratiam S. Antonium uſitato Reſponſorio deprecatis.

Rebus ſuis convaſatis ad plures abierunt ſonum tubæ præſtolaturi

F. Marcellinus ex Bludeſch Laic. P. Joan. Antonius Waldishuttan. Guard. P. Elias Rauracus CC. P. Elzearius Rottenburg. CC. P. Hieronymus ex Schnüfis Conf. F. Ludovicus Môſskirch. Cler. P. Liberatus Friburg. CC. F. Paulinus Veldkirch. Conf. *Summa 8.*

Circa F. Marcellinum optimum, pium, laborioſum, atque fidelem Laicum res contigit ad omnem Poſteritatem memorabilis.

Anno 1703. etiamnùm belli tumultibus turbido F. Marcellinus cum P. Claudio Mengenſi tum ſtudioſo Theologiæ à P. Guardiano Biberacenſi Weiſſenhornium brumali tempore ablegabatur ad neceſſarium quoddam gerendum negotium. Iter aggrediuntur ambo, ſed ob nivium copiam, vias impracticabiles, & Africi in faciem flantis rigores difficillimum, ex quo bonis peregrinantibus nemo non malè ominabatur. Tertio tandem die Weiſſenhornium appellant, ſed F. Marcellinus difficultate itineris fractus ægrotare incipit : utcunque tamen remediatus, actísque ibi agendis reditum apparant, & in relegenda via prorsùs incommeabili ita fatigantur, ut F. Marcellinus præ laſſitudine in terram corruerit, queſtus, ſibi ulteriorem progreſſum fore impoſſibilem. P. Claudius autem hortatur ſocium, ut reſumptis viribus non cedat rigori, offerens ſe præcedendo viam, & veſtigia ſequenti aperire velle. Erigit ſe frater, & conatur progredi ; ſed poſt aliquos paſſus denuò ſubſiſtens, animóque impotens

in nivem gemens prolabitur. P. Claudius jam meritò territus, inópsque conſilii, id tandem propoſiti concipit, ſe regreſſurum in urbem, & conducturum quandam vecturam, admonens ſocium, ne dormiret interea, vel quieſceret, ſed niteretur ſemper in aliquo motu eſſe. Vix autem aliquos lapidis jactus versùs urbem remenſus erat Claudius, cùm & ipſe ventorum impetu veſtigia retrò acta oblitterante ſe interceptum vidit: quapropter citra mortis diſcrimen non audens pedem proferre, ad F. Marcellinum reverſus ita eum alloquitur: chariſſime frater, volui malis noſtris remedium quærere; ſed viarum nivibus obſeptarum incommodo, viriúmque mearum impotentiâ prohibitus ſum quidquam proficere. Igitur ſtatui ſaltem tibi præſens manere, convivere, & commori. Solatio nobis ſit, quòd in actuali S. Obedientiæ exercitio meritoriè ſimus occubituri: commendemus nos confidenter in Dei manum his nos anguſtiis concludentem. Noverit illa nos, ſi placet, juvare, noverit conſolari, noverit morte in obedientiâ defuncturos coronare. Hæc cùm ad invicem loquerentur, & P. Claudius circumſpiceret, en tibi; videt appropinquare currum aurigante juvene à quatuor equis vectum; cùm tamen priùs in patentiſſimo & ad longum porrecto campo, cælo inſuper innubi, ac ſereno neminem mortalium oculis detegere potuerit. Hic momento adeſt, & impertita amica ſalutatione ſic ad afflictos: vidi equidem, ajebat, chari Capucini, quòd ulteriùs procedere nequeatis: hinc conſcendite currum, & indicate, quò tendatis? iſti juvenis, ùt putabant, decem annorum, adventu, & humanitate delectati quadrigæ ſe imponunt, & rogantes in proximum pagum vehi, bonis avibus abducuntur. Pago jam approximans juvenis ad eos converſus inquit: ducam vos in domum, in qua ſunt homines omni vos charitate ſuſcepturi, calidóque hypocauſto, & aliis neceſſariis refocillaturi. Ad domum ubi perventum, occurrunt ruſticelli homines, quaſi de eorum adventu jam edocti, & urbanitate *indolem* agreſtem ſupergreſsâ hoſpites curru levatos excipiunt, ínque domum inducunt. P. Claudius F. Marcellinum intuitus quærit ex eo: quid dabimus juveni huic, qui nos adeò periclitatos ex anguſtiis, ipſiúsque jam obverſatæ mortis faucibus eripuit. Et cùm egrederetur illi præter gratiarum actionem donarium aliquod facturus, nec currum, nec equos, neque etiam aurigam ampliùs reperit. Quapropter Capucini Angelico miniſterio ſe illuc vectos fuiſſe in dubiè autumantes in terram proni ſummas Deo cæli gratias perſolverunt; cùm neque illi homines hunc ſe juvenem noſſe, aut unquam vidiſſe teſtati ſint. Ibi ergò juxta prædictionem aurigæ maximâ charitate habiti, & curru ulterius promoti incolumes tandem, lætíque Biberacum perducti ſunt.

P. Elzearius vir religioſiſſimus, pacificus, ſolitarius, orationi impensè deditus ipſos octo annos Monaſterio nunquam egreſſus eſt, ne à mundo diſtractionum argumenta hauriret. Quatriduo ante obitum ſuum nullo, præter ſenium, morbo affectus, P. Guardianum acceſſit, & flexis genibus, oculisque rorantibus Benedictionem feliciter moriendi flagitavit. P. Guardianus hunc ſuum optimum ſeniculum depravatâ imaginatione de-

delirantem credens, lætiora eum petere, & meliora ſperare juſſit, illíque diutiùs vivendi benedictionem impertiit. Ille hac accepta, rebúsque ſuis compoſitis quarto pòſt die facta peccatorum ſuorum confeſſione devotiſſimè ſacris operatus, à meridie poſt Completorium in Cella ſua pronus in terram, nudato tergore flagellum in manu tenens exanimis inventus eſt. Sic quaſi ſtrenuus miles in armis ſuis occubuit, ſolitariam vitam morte quoque ſolitaria, & ut ſperare fas eſt, gloriosâ coronante.

P. Paulinus pluribus retrò annis omnium opinione mortuus, & in feretro poſitus jam jam ad tumulum parabatur. Sed cum maximo adſtantium ſtupore ſubitò expergefactus ante omnia ſiti levandæ hauſtum popoſcit; atque exinde in tramite religioſæ vitæ uſque ad hunc annum ſanus ſupervixit, ac jam verè devixit.

Sanctiora ſtudia ſectaturi Albo noſtro inſcripti ſunt

F. Epiphanius Conſtant. Cler. F. Conradus Engens. Laic. F. Liborius Badenſis Cler. F. Longinus ex Gallenkirch. Cler. F. Homobonus Friburg. Cler. F. Erhardus ex Grieſen Cler. F. Sylveſter ex Lingau Laic. F. Wendelinus ex Melching. Laic. F. Venuſtus Ginzburgens. Cler. F. Ephrem Norimbergens. Cler. F. Guido Badens. Cler. F. Apronianus ex Braz. Cler. F. Benevenutus Weiſſenhornens. Cler. F. Leno Dillinganus. Cler. F. Hilarius Veldkirch. Cler. F. Raphaël Friburg. Cler. Benjamin Rhenofeldens. Cler. *Summa* 17.

Annus Chriſti 1718. | Provinciæ diviſæ 51. Clement. XI. 19. | Caroli VI. 8. | Cardinal. Acciajol. Protector. 42.

Jo. Franc. Ep. 15. | P. Michaël Ang. Ragus. Gener. 7. | P. Fidel. Rottenb. Prov. 2.

Ut tandem perpetuis de loco Stockacenſi altercationibus finis imponatur, & importunis pro eodem loco Candidatis via deinceps competendi præcludatur, Auguſtiſſimus Imperator ad humillimas preces P. Generalis noſtri Capucinis præfatum locum ſtabiliter occupandi, atque poſſidendi clementiſſimam facultatem concedit, ſi &c. & in quantum. &c.

Celſiſſimus, ac Reverendiſſimus DD. Ordinarius Conſtant. tam hôc reſcripto Cæſareo lætus, quàm ulteriorum hujusmodi litium pertæſus omnia ea adornat, quæ ad reſcripti executionem, & jurium Epiſcopalium obſervantiam conducere poſſunt.

P. Generalis P. Marcum Jacobum Commiſſarium Generalem inſtituit ad finaliter decidendas controverſias inter Patres provinciarum Franconiæ, & Bavariæ circa conventus Gamundianum, Dinckelſpilanum, ac hoſpitium Dirnavienſe agitatas.

Eo in provinciam noſtram reverſo celebrata fuit Uberlingæ 9. Maji Congregatio; in qua præter alia haud exigui momenti quæſtio circa Poſtulatum Illuſtriſſimi D. Comitis de Fugger in Weiſſenhorn in conſultationem trahi debuit. Altefatus D. Comes à PP. Tyrolenſibus ibidem habitantibus, neſcio, unde, animum avertens, recuſatísque eorum obſe-

quiis noſtra è Conventu Bibracenſi iterùm iterúmque efflagitat ; cui taten noſtri majores diſtantiam ſeptem horarum cauſati reverentialem dederunt repulſam, reipsâ nolentes PP. Tyrolenſium æmulationem incurrere, quaſi falcem in alienam meſſem mittere vellent. Hinc potiùs reconciliandis Illuſtriſſimo Domino Comiti Capucinis Weiſſenhornenſibus ſe pro viribus impenderunt. Cùm verò actum ſe agere cernerent ; econtra D. Comes alios ſubſidiarios ſpirituales ad palmare utriusque provinciæ damnum advocare comminaretur, optimâ Tyrolenſium pace Illuſtriſſimo Domino Comiti à provincia noſtra condeſcendendum fuit, conſtitutâ ad tempus cum certis clauſulis miſſione ex loco Biberach ad dictum Weiſſenhorn obeundâ ; ſed dato remittendæ à D. Comite offenſionis caſu ceſſaturâ.

Die 21. Jul. Paſſarovvizii inter Romanor. & Turcarum Imperatores ſancitur pax, urgente hanc Hiſpaniæ Rege Philippo V. qui felicem armorum Chriſtianorum adversùs portam Ottomannicam ſucceſſum iniquis oculis aſpiciens, & coërciturus, iniquiſſimam inſtruit claſſem Cæſari utriusque Siciliæ Regnis exuendo deſtinatam, Ragozio rebellium Hungarorum anteſignano in rem quoque conducto, ipſóque Mahomete ad proſequendum adversùs Hungariam bellum animato ; qui tamen nolens porrò Chriſtiani Herculis, Eugenii robur experiri, pacem inire maluit.

S. Antonius honeſtæ viduæ Rottenburgi mercatu viventi, quæ libros ſuos rationarios ad ingentem domûs ſuæ deſolationem ſuffuratos lamentabatur, poſt interpoſitam Capucinorum Reſponſoriationem pretioſum hæc Calendarium feliciter reduxit.

Sic quoque piſtori ibidem roſarium pendulo argento carum, & Lutherano Aurifabro jam vendibile oblatum, S. Antonio furis conſcientiam vellicante, ad manus rediit.

Juvenis quispiam in eodem agro Rottenburgenſi gradienti facultate pænè deſtitutus ad invocationem S. Antonii expeditam *pedum uſuram* adeptus eſt.

Mortis Imperio ad immortalia tranſire jubenti cervicem inflexerunt

P. Pancratius Engenſ. Definitor. de quo in prædic. qualit. §. 1. litt. A. F. Georgius Uberlingan. Laic. P. Andreas Weingartens. Guard. P. Antoninus Rottvvilan. Conf. F. Jordan ex Leutkirch. Laic. P. Patritius Villingan. CC. P. Hilarius Friburgens. Conf. P. Gervaſius Uberlingan. Guard. P. Hartmannus ex Damberg CC. P. Joſeph Maria Rockvvilan. Guard. P. Ludovicus Wollmanding. Guard. F. Leodegarius Lauffenburg. Laicus. P. Marcellianus ex Segg. Guard. Novit. Mag. de quo in prædic. qualit. §. 1. litt. M. F. Jovita ex Andelspuech. Laic. *Summa 14.*

R. Joſephus Maria ex vetuſta, & Equeſtri familia de Bernhauſen prodiens natalium ſplendorem humili inter Capucinos profeſſione offuſcandum duxit, nobilitatem, quæ in virtutum conſectatione conſiſtit, æmulatus. In diviſione provinciarum ad noſtram tranſiit, ut remotior domo ſua, & agnatione eſſet, vir plurimæ, & intenſæ orationis, cujus amore plerúmque hora undecimâ ante Matutinum, & manè etiam unâ horâ cæteris maturiùs ſurrexit, ut oratione ſe ad orationem pararet. Ob alias

religio-

religioſiſſimi viri prærogativas aliquoties guardianare juſſus regimen ſuum in pace, charitate, & exempli ſui ſanctitate conſtituit. Accreſcente autem corporis mole, ſenióque varios morbos afferente ab officiis manumiſſus in ſolo veri Capucini officio ſe continuit, & in hoc quoque meritis plenus, mundóque vacuus ad cælum abiit.

P. Ludovicus jam in ſæculo exemplaris Presbyter, & ruralis Capituli Deputatus majoris perfectionis cupidus Capucinis ſe aggregavit, & virtutum ſtudia hactenùs uſurpata in Religione duplicavit, taciturnitate, oratione, & jugi corporis mortificatione, tanquam mediô, uſus. Ob ejus religioſiſſimæ converſationis meritum, & altiſſimæ paupertatis curam in Guardianum electus animi hinc offenſi ſpecimen præſetulit, cùm, ut ſubeſſet, non præeſſet, Ordinem ingreſſus ſit. Sed Deus ipſi aliquam nervorum contracturam immittens humilitatis ſuæ deſideria adimplevit, ut gubernio haud porrò idoneus ad ſcamnum gaudens redire potuerit. Reſiduos igitur vitæ dies uſque ad ſupremam ſenectutem in multa auſteritate, abſtinentia, ſilentio, & orationis continuæ exercitatione transegit, ac ut tandem felix moreretur, quotidie mori ſtuduit: in arte hac perfectus demùm ea feliciter perfunctus eſt.

Eamdem docendi artem philoſophiæ Capucino-Seraphicæ ſe addixerunt

F. Columbanus Lauffenburg. Cler. F. Placidus Offenburgens. Cler. F. Theobaldus Weiſſenhornens. Cler. F. Boniſacius Friburg. Cler. F. Gotthardus Weiſſenhornens. Cler. F. Eduardus Weiſſenhornens. Cler. F. Florianus Immenſtad. Cler. F. Raphaël ex Weiller Laic. F. Godefridus Rhenofeldens. Cler. F. Eberhardus Veldkirch. Cler. F. Clemens Oxenhuſan. Cler. F. Sylvanus ex Nidervvang. Laic. F. Alexander Donavverdan. Cler. F. Paſchalis Friburg. Cler. *Summa 14.*

Annus Chriſti 1719. | Provinciæ diviſæ. 52. Clement. XI. 20. | Caroli VI. 9. | Cardinal. Barberin. Protect. 1. Jo. Franc. Ep. 16. | P. Joa. Anton. Florentin. Gener. 1. | P. Fidel. Rottenb. Provinc. 3.

Antequam Romipetæ noſtri iter ſuum aggrederentur, Conſtantiæ 16. Januar. obita fuit RR. Patrum Congregatio, & facta Stockachii formalis Capucinorum illuc immiſſio.

Inde præfati Patres profectionem Romanam ſuſceperunt; illúcque feliciter delati in Capitulo Generali electionibus canonicis cooperati ſunt, ut crearentur, in Generalem Reverendiſſimus P. Joan. Anton. Florentin. in Definitores RR. PP. Bernardinus à S. Angelo in Vado, qui & Procurat. Curiæ. Joa. Franciſcus à Caſtro S. Petri. Hartmannus Brixin. Franc. Joſephus à Matignone. Franciſcus Sanctanderanus. Maximus à Murro.

P. Maximilianus Wangenſis cum P. Provinciale noſtro illuc ceu ſocius perveniens ibidem à Reverendiſſimo P. Generali in Secretarium Theutonicum aſſumptus permanſit.

Cùm paucis ab hinc Eminentiſſimus D. Nicolaus Acciajoli Cardinalis Protector cum vita ſua piiſſimè tradu&ta Ordinis quoque Protectorium ipſos 42. annos maxima cum ſollicitudine, vigilantia charitate, & beneficentiâ geſtum poſuiſſet, Cælo in hujus, & virtutum ſuarum remunerationem fruiturus, SS. D. N. Clemens XI. Protectorem Religionis noſtræ conſtituit Eminentiſſimum D. Franciſcum Barberinum, & S. Collegii Apoſtolici Decanum, ſuapte inclinatione Ordinis noſtri amantiſſimum, & hac ſpartâ ſibi collatâ, quaſi maximi proventûs dignitate, lætatum. Unde forſan heterodoxi novellarum ſatores ſcommatis anſam ſumpſerunt, ut in publicum ſpargerent, D. Cardinalem Barberini Protectoris Capucinorum officio au&um germano ſuo Principi Barberini quatuordecim ſcutatorum millia ceſſiſſe. Qua ſeu ironiâ, ſeu commento uſi ſunt malevoli, ut paupertatem Capucinorum luſum facerent; quaſi horum Protectorii munus tam ferax proventuum ſit, ut iſtorum intuitu prædictâ ſumma facilè carere poſſit.

RR. Patribus Româ in patriam reverſis Wangæ die 4. Septembris habetur Congregatio in vicem Capituli à P. Generali hac etiam vice condonati.

Hoc anno diem ſupremum obiit Eminentiſſimus D. Cardinal. Franciſcus Maria ab Arezzo Capucinus, Apoſtolicus S. Palatii prædicator, ſingulare Ordinis noſtri ornamentum.

Romæ etiam mortuus eſt Sereniſſimus Princeps Philippus Mauritius Bavariæ Dux nuper in Epiſcopum Monaſterienſem, Paderbornenſem electus; cui ſubrogatur ejusdem germanus frater Clemens Auguſtus. Celſiſſimus, & Reverendiſſimus D. Ordinarius noſter quorumdam amicorum ſuaſu Herbipolin conceſſit Electioni Epiſcopali interfuturus, & Infulam illam reportaturus. Verùm illi per majora præhabitus eſt Reverendiſſimus D. Jo. Philippus ex Comitibus Schönborniis.

In vicinia noſtra, & reformatæ Religionis pago Welchingen, qui in Latobrigia ſitus Cantoni Schaffhuſiano paret, ruſtici aliquamdiu ſuo Dominatui remurmurârunt, & Imperatori ſuppreſſionem Privilegiorum ſuorum per 4. Deputatos conqueſti auxilium, & remedium efflagitarunt. Auditi remiſſi, & ad quietem admoniti necdum à ſuis tumultibus ceſſârunt. Quin eò progreſſi ſunt, ut, cùm unus ruſticorum mortem oppetiiſſet, & Canton dominans Paſtori non demandâſſet, ut defun&um aliquo ſermone funebri commendaret, plebs ſine præcone in Eccleſiam irrumperet, & unus agricolarum, ceu extemporaneus Eccleſiaſtes roſtra conſcenderet, & mortui vitam; & geſta in genere exornativo deprædicaret: communitas verò exinde Paſtorem omninò exeſſe cogeret, eo, quòd in gremio ſuo contineret, qui vices ejus obire poſſet, ſi non æque doctus, certè æquè Clericus, ac ſit braccatus ille præco.

Hiſpani occupato Siciliæ regno ejiciuntur, domúmque cum inſigni ſuorum clade remittuntur. Imperator Siciliam nuper Duci Sabaudiæ conceſſam ſibi ſervat; in cujus vicem illi cum titulo regis Sardiniam cedit.

Sereniſſima Archi-Duciſſa Auſtriæ Maria Joſepha Sereniſſimo Principi, & hæredi Electorali Saxoniæ nuptui traditur.

S. An-

S. Antonius Paduanus ſemper idem à quibusdam utiliter in rei ſuæ commodum imploratus eſt. Quatuor equi duobus ruricolis in agro Argenſi abigeatu jam in diſtantiſſima loca abrepti ad interceſſionem S. Antonii impropriis feſſoribus elapſi ad proprios unà hinnientes redierunt. Friburgi Brisgojæ quispiam celſi regiminis Anterior-Auſtriaci Aſſeſſor unionem annulo ſuo excidentem ope S. Antonii per Capucinos ibidem inſtanter invocati, in publica platea, poſt plurium horarum ſpatium præter omnem ſpem ſe inveniſſe gaviſus eſt.

Necrologio domeſtico, ſed &, uti confidimus, cæleſti matriculæ illati ſunt

F. Zacharias ex Altenſtatt Laic. F. Adamus Cellens. Laic. de quo in prædic. qualit. §. 1. litt. A. P. Bartholomæus Friburg. Conf. F. Ludovicus ex Frieſenried Laic. F. Morandus Veldkirchens. Laic. P. Paſchalis Veldkirch. Sacerd. P. Jodocus Conſtant. Guardian. P. Floribertus Mariſpurg. Guard. P. Verecundus Rottvvil CC. P. Wunibaldus Oxenhuſan. Sacerd. P. Benjamin Rottenburg. Conf. P. Germanus Conſtantien CC. P. Petrus Ranckvvilan. CC. P. Zachæus Rottvvilanus Conf. P. Simplicianus Ravenspurg. Guard. P. Julianus ex Delkhofen Conf. P. Dionyſius Conſtant. Guard.

Hi plerumque viri religioſiſſimi, ob merita ſua Guardiani, ob ſenium venerabiles, ob virtutes, & labores omni commendatione digni ſunt; quorum quinque ultra ſexageſimum annum, & unus quinquageſimum Ordinis rigores ſummo patientiæ exemplo ſuſtinuerunt.

Summa 17.

His ita ad meliorem vitam translatis Seraphicam inter nos exorſi ſunt

F. Ambroſius Offenburg. Cler. F Bernardus Engens. Laic. F. Willhelmus Marchdorffens. Laic. F. Timotheus Offenburg. Cler. F. Adolphus ex Dietenheimb. Cler. F. Fernandus Dillingan. Cler. F. Floridus ex Eſpeſingen Cler. F. Theodoricus Conſtant. Cler. F. Morandus ex Oberſimmending. Cler. F. Hermannus ex Oberſtorff. Cler. F. Fauſtinus ex Löffingen. Laic. F. Abundius ex Weiſſenhorn. Cler. F. Juſtinianus ex Haldenvvang. Cler. F. Fortunatus Oenipontan. Cler. F. Januarius Conſtantiens. Cler. F. Zacharias Wangens. Laic. F. Julianus ex Aichen. Cler. F. Floribertus Rottvvilan. Cler.

Summa 18.

Annus Chriſti 1720. | Provinciæ diviſæ 53. Clement. XI. 21. | Caroli VI. 10. | Cardinal. Barberin. Protect. 2.

Jo. Franc. Ep. 17. | P. Jo. Anton. Florent. Gener. 2. | P. Marci Jacob. Bibrac. Prov. 1.

Ad anni hujus initium annum æternitatis ingreſſa eſt Auguſtiſſima, & pientiſſima Imperatrix vidua Eleonora Magdalena Thereſia, in habitu pœnitentis extincta, & Archi-Ducali apud Capucinos Viennenſes Mauſolæo illata; cui & provincia noſtra ſexcentis nominibus obſtricta debito ſuffragiorum ritu parentavit.

Quoniam ſæviſſima peſtis Maſſiliam nobilem in provincia Galliæ maritimam propè univerſam habitatoribus vacuaverit, & hæc latiùs propagari incæperit, qua in calamitate publica patres Capucini Galli ſingulari, & Apoſtolicâ ad infectos charitate mortis contemptrice ſe commendabiles, dignósque reddiderunt, quos Reverendiſſimus Epiſcopus Maſſilienſis publico elogio, ad excitandam eorum imitationem, typis evulgato celebraret; ne præfata lues ſerpendo alias quoque Regiones arriperet, SS. D. N. Clemens XI. Jubilæi conceſſione, pœnitentiæ, & publicarum precum humilitate Deum placandum, malúmque hoc arcendum ratus eſt, dum interim alibi, & ubique aliæ, & aliæ præcautiones phyſicæ adhibentur.

A. R. P. Fidelis evoluto Provincialatûs triennio Capitulum ordine vigeſimum nonum Conſtantiam in diem 30. Auguſti indicit; in quo ad Provinciale munus iterùm vocatus eſt A. R. P. Marcus Jacobus Bibracens. Definitores promulgati RR. PP. Salomon Villingan. Alexius Conſtantiens. Udalricus Montifontan. Tiberius ex foro Tiberii.

Acatholici Palatini Electori ſuo in puncto Eccleſiæ S. Spiritûs, & catecheſmi maximas inſolentias, quin & violentias intentárunt, contra æquum & juſtum à Principibus proteſtantibus adjuti.

Hac inſolentiâ etiam noſtri hinc inde Lutherani, communem cauſam, & Religionem cum Palatinis Calviniſtis facientes, excitati inſoleſcere contra Catholicos incæperunt.

S. Antonius hoc anno in ſibi devotos ſolitô liberaliór ſacræ anchoræ præconium ſibi proprium fecit. Möſkirchii nonnemo phyalam auream: Brigantii honeſta mulier quinquaginta florenos certis uſibus jam jam expendendos: In pago Efratsvvila Marchdorffio confini ruſticus ſuppellectilem omnem, omnia quoque eſculenta, & ruſticalia inſtrumenta: Lindavii famulus cujusdam heri heterodoxi bovem ſeu furto, ſeu fugâ abductum, inter res perditas jam jam lamentabundi numeraverant. Verùm operante S. Antonio à Capucinis devotè in opem exorato iſte phyalam; illa pecunias; is ſuppellectilem, & totam hujus appendicem; hic bovem ſuum miraculo attoniti, lætique receperunt.

B. Fidelis Martyr viro cuidam Montifontano manuum ſuarum labore, & ſe, & copioſam familiam ægerrimè alenti; ſed expedum, manuúmque contractura infeliciter inepto feliciſſimè eóque momento medicatus eſt, quo is votum concepit peregrinationem piam in honorem B. Fidelis Veldkirchium ad Eccleſiam Capucinorum ſuſcipiendi. Nam in eodem inſtanti ad interceſſionem præfati venerabilis P. Fidelis à Deo pro ſua maxima indigentia exauditus reſoluta omni nervorum, & artuum contracturâ ad exſolvendum votum, laborésque reſumendos validus evaſit, ac rem geſtam lacrymis profuſi gaudii teſtibus Capucinis enarrat.

P. Maximilianus in cauſa prædicti B. Martyris, tam glorioſis beneficiis ubique coruſcantis agens conſtituitur à provincia.

Cingulum carnis exuti ſtolâ immortalitatis, ut precantes ſperamus, induti ſunt

F. Eliſæus Altshuſanus Laic. P. Kilianus Waldishuttanus CC. F. Rochus

chus ex Weiler Laic. P. Fidelis Veldkirch. CC. P. Polycarpus Argenſis CC. P. Vitalis ex Gallenkirch CC. P. Fortunatus Conſtant. Sacerd. P. Frobenius Delemontan. Guard. P. Lucius Veldkirch. Lector, de quo in prædic. qualit. §. 2. de litterat. P. Florinus ex Stein Definitor. P. Angelus Friburgens. CC. P. Barnabas Rhenofeld. CC. P. Conradus Befort. de quo in prædic. qualit. §. 2. de litterat. P. Æmilianus Veldkirch. CC. P. Hermenegildus Elvacens. CC. P. Uratislaus Wolfac. Guard. Novit. Magiſter, de quo in prædic. qual. §. 1. litt. U. P. Hugolinus Conſtantien. CC. P. Juſtus Waldishuttan. CC. F. Balthaſar ex Blumenegg. Laic. P. Stanislaus Segging. CC. P. Cyprianus Friburg. Conf.

Summa 21.

P. Frobenius Apoſtolicus animarum zelator tempore regiminis gallici pluribus ad ſalutem animæ, aliquibus ad ſalutem corporis profuit, omnibus ſolatio, auxilio, Conventui Friburgenſi honori fuit, promotor, & author illius miraculosæ ſtatuæ in Eccleſiam noſtram translatæ; particeps devotionum, quæ ibi peraguntur, & cauſa beneficiorum, quæ inde ſcaturiunt. Ob conſummati Religioſi ſpecimina ad Guardianatum evectus optimè quidem rem geſſit; ſed difficultatem idiomatis germanici cauſatus miſſionem ab eo munere exoravit. Sereniſſimo Landgraviæ Fürſtenberg Möſskirch, natæ Ducisſæ de Arenberg-Arſchot à confeſſionibus extitit, eámque morientem ſpiritualiſſimis obſequiis ad æterna paravit: quam & ipſe poſt annos complures cum ditiſſima meritorum ſuppellectile ſecutus eſt.

P. Florinus inſignibus naturæ donis, linguarum Gallicæ, & Italicæ peritiâ, eximiâ litteratura excultus in ſcholis Profeſſorem, in Curia Romana rerum geſtorem, in conventibus Guardianum, in Definitorio Senatorem, ubique virum præſtantem ſe exhibuit, raro, nec etiam itinerans, & diebus ad recreationes permiſſis ad matutinum dormire ſolitus; aliis optimus, ſibi nequam: attamen ad urgendas Regulæ, & conſtitutionum obſervantias ſeveritate uſus. Vivus ea mortis apprehenſione laborabat, ut nullam mortuorum cryptam ingredi, nullum cadaver intueri; nullísque adeò ſepulturis intereſſe potuerit. Ad mortis tamen ſibi indictæ nuncium nec minimùm exhorruit; ſed conſuetâ frontis, mentísque ſerenitate ad eam obeundam ſe promptum geſſit, & SS. Eccleſiæ Sacramentis provideri vel ipſus poſtulavit: exinde fratres ſat longâ peroratione ad ſalutis ſuæ curam adhortatus placida morte quievit.

Pædagogium Aſceto-Seraphicum ingreſſi ſunt, non egreſſuri, niſi per mortem

F. Marius ex Vilſingen Laic. F. Germanus Friburg. Cler. P. Fidelis ex Rockenburg Sacerd. F. Joſephus Briſacens. Cler. F. Cæſarius Mumpf. Cler. F. Antonius Wangens. Laic. F. Caſtus Marispurgens. Cler. F. Dominicus Weiſſenhornens. Cler. F. Conradinus ex Deüchelried. Cler. F. Juvenalis Wilerſtad. Laic. F. Fulgentius ex Witisling. Cler. F. Honoratus Rottenburg. Cler. P. Erneſtus Salisburgens. Sacerd. F. Victorianus Wangens. Cler. F. Leopoldus Friburg. Cler. F. David ex Oberklau Cler. F. Juſtus ex Thürenheimb. Cler. F. Barnabas ex Mümmenſtatt. Cler.

F. Hermenegild. Briſacens. Cler. F. Leo Dillingan. Cler. F. Lucius Brigantin. Cler. F. Ruffinus Offenburgens Cler.

Summa 22.

Annus Chriſti 1721. | Provinciæ diviſæ. 54.
Innocent. XIII. 1. | Caroli VI. 11. | Cardinal. Barberin. Protector. 3.
Jo. Franc. Ep. 18. | P. Bernardin. à S. Angelo Vicar. Gener. 1. | P. Marc. Jac. Bibrac. Prov. 2.

SS. D. N. Clemens XI. die 19. Martii Tri-Regnum terreſtre cum cæleſti permutavit, poſtquam inter graviſſimas temporum revolutiones, adverſitates dogmaticas cum Quenelliſtis Gallicis, politicas cum Cæſare, & Regibus; domeſticas cum Cardinale Alberonio uno ſupra viginti anno Pontificatum ſumma prudentiæ, vigilantiæ, doctrinæ, & virtutum laude geſſiſſet.

Huic Eminentiſſimi conclaviſtæ ſucceſſorem dederunt Michaëlem Angelum de Comitibus, Cardinalem Epiſcopum Viterbienſem, Portugalliæ Protectorem, & antehac ad noſtrum hunc Conſtantienſem, Baſileenſem, Curienſem, & Lauſanenſem Epiſcopatus Nuntium Apoſtolicum. Uberlingæ die 23. Maji habetur Congregatio RR. Patrum, in qua diſponuntur præparatoria ad auſpicandam, promovendámque hoſpitii Stockacenſis fabricam, & ad commodiorem ejus deinceps ſuſtentationem pro quæſtuatione illi attribuuntur quædam loca aliis conventibus noſtris in circumferentia ſitis abrepta, ut quisque vel inde videat, domorum noſtrarum multiplicationem nemini alteri, niſi ſibi ipſi præjudicare; neque afferre nova benefactoribus onera: quamquam ad dictam multiplicationem minimè propendeamus, atteſtante ipſo Celſiſſimo, ac Reverendiſſimo DD. Epiſcopo Conſtantienſi, dicere ſolito, Capucinos ad redimendam vexam ab æmulis ſuis ad acceptandam, occupandámque manſionem Stockacenſem, tot annis jam recuſatam, ſed de meritis, & æquitate ipſis debitam crinibus quaſi attractos, & compulſos fuiſſe.

Reverendiſſimus P. Joan. Antonius Florentinus nuper in Generalem Miniſtrum electus grave Religioni vulnus inflixit; cùm Generalatum non Ordini, à quo accepit, reddiderit, ſed ſummo Pontifici ad manus reſignaverit, die 16. Septembris producens Breve Apoſtolicum, quo ipſe ab officio liber, & in ejus locum P. Bernardinus à S. Angelo in Vado tanquam Vicarius Generalis declaratur. Et cùm hic pariter primus Definitor, & Procurator Generalis extiterit, ejusdem Brevis tenore P. Petrus à Lucca, priùs Conſultor, per inuſitatum in Religione ſaltum procuram adeptus eſt, Religione in debitum ſummæ ſedi reſpectum hoc diſſimulante, & ſilenter ferre coacta.

Friburgi incipit Proceſſus cum A. RR. DD. Canonicis Regularibus ſuper novi operis molitione vicino conventui noſtro incommodâ.

Ad arcendam à finibus noſtris contagionem circuli Suevici Directores Helvetos ab omni cum Gallis mercatura, merciúmque gallicarum invectione

vectione interdicunt. Griſones antiquo in domum Auſtriacam, & Religionem Catholicam odio flagrantes in Excellentiſſimum D. Baronem de Greüt Cæſareum in Razins Oratorem, hujúsque domeſticos atrociter inſoleſcunt, novos facturi Martyres, ſicubi eis occaſio pateret, prout olim B. Fidelem fecerunt.

S. Antonius à variis pietatis officiis devinctus gratiam interceſſionis ſuæ efficaciter illis impendit.

Ruſticus Lushemianus ducentos florenos furacium digitorum magiâ ſibi ademptos, ab ipſo fure per S. Antonium evadere prohibito, iterùm recepit.

Alius in finibus Möſkirchii tres boves: altera inops fœmina vaccam, totum ſubſtantiæ ſuæ fundum, abigeatu perditos, ejusdem divi adjutorio recuperârunt.

Corporis ergaſtulo ſoluti in Abrahæ ſinum exhalârunt animas ſuas

P. Leo ex Dautenhofen Guard. F. Paſchalis Friburg. Cler. P. Maximus Engens. CC. P. Vincentius Conſtant. Sacerd. P. Adelricus Thiengens. Guard. P. Sixtus ex Weiler Guard. de quo in prædic. qual. §. 1. litt. S. F. Caſparus ex Simmerberg Laic. P. Sabinus Friburg. Guard. P. Wernerus Friburg. Guard. P. Bonifacius Rottvvilan. Guard. F. Probus Wangens. Laic. P. Edmundus Friburg. Conf. P. Engelbertus Veldkirch. CC.

Summa 13.

P. Wernerus honeſta, & opulenta uſus parentelâ animam omnium, ſi politiorem urbanitatem excipias, capacem ſortitus juvenilem virginitatis florem inter Capucinæ profeſſionis vepres ſartam tectam ſervandam abſcondit, in ſuprema ſenectute, & intra ſigilli ſacramentalis latebras aliis fortè ad puritatis ſtudium perſuadendis, dicere ſolitus, lætaríque, non gloriari: ſe per gratiam Dei adhuc illibatam eſſe virginem. Scholis admotus alios omnes eruditionis felicitate ſuperavit, ipſe deinceps ſcientiarum Profeſſor nec Authorem, nec ſcripta in ſcholam attulit, ſed explicanda plerumque clauſis oculis tersè recitavit, recitata ſolidiſſimè ſeu probavit, ſeu impugnavit, ut inter doctiſſimos tempeſtatis ſuæ viros recenſeretur. Pari memoriæ, & eloquentiæ facultate ſermones ad populum dixit: ſenio autem multarum ægritudinum fœcundo à docendis, gubernandíſque aliis ſuperſedere coactus ſui deinceps ſolius Guardiam geſſit, tranquillâ morte ad virginitatis, & doctoratûs laureolam promotus.

P. Bonifacius tota vita ſua vir religioſiſſimus, taciturnus, pacis, & honeſtatis cultor eximius cùm præter vota ſua ad Guardianandum vocaretur, lacrymis animum ſuum ab omni ambitu alienum teſtatus eſt. In comprecatione quadraginta horariâ ad populum Neoſtadii ſermocinatus zeli ſui intenſione apoplexiam ſibi accerſivit de pulpito translatus ad tumulum, animâ eò progreſsâ, quò alios linguâ manuducere conatus eſt.

F. Paſchalis lectiſſimæ indolis juvenis, prænobili domo de Braun egreſſus, pronepósque illius Juriſconſultiſſimi apud Friburgenſe Athenæum viri Kiefferi; & opulenti patrimonii hæres morum innocentiam, quam in Ordinem Seraphicum attulit, breviſſimo labore perfecit, matu-

riúsque, quàm provincia ſperaverat, & exoptaverat, vitam religioſam vix libatam, ſed ſatis ad regulas pietatis limatam abſolvit.

Habitu Seraphico tecti, ſanctóque Patri Franciſco initiati ſunt

F. Cyprianus Conſtant. Cler. F. Adjutus Cluſinens. Cler. F. Gervaſius Conſtant. Cler. F. Vincentius ex Bechterspohl Cler. F. Paſchalis Veldkirch. Cler. F. Paulinus Neoburg. Cler. F. Jodocus Meranus Cler. F. Sylverius Bizaviens. Cler. F. Engelbertus Dillinganus Cler. F. Balthaſar Wangens. Laic. F. Franc. Philippus ex Steiſsling. Cler. F. Hugolinus Ehingan. Cler. F. Wernerus Friburg. Cler. F. Georgius Wilerſtad. Laic. F. Andreas Bezaviens. Cler. F. Caſparus Villingan. Laic. F. Rudolphus Rottvvilanus Laic. F. Bonagratia Conſtant. Cler. F. Jacobus Marispurgens. Cler. F. Elias Rottenburg. Cler. F. Hartmannus Conſtantien. Cler. F. Erenbertus Auguſtanus Cler. F. Cleophas Bona-Cellens. Cler.

Summa 23.

Annus Chriſti 1722. | Provinciæ diviſæ. 55.
Innocent. XIII. 2. | Caroli VI. 12. | Cardinal. Barberin. Protector. 4.
Joa. Franc. Ep. 19. | P. Bernardin. à S. Ang. Vic. General. 2. | P. Marc. Jacob. Biber. Prov. 3.

Reverendiſſimus, & Ampliſſimus DD. Ferdinandus Conradus Geiſt à Wildegg Canonici Eccleſiæ Cathedral. Conſtant. Epiſcopus Tricallens. & per plurimos annos Suffraganeus die 15. Januarii ad tantò majorem Celſiſſimi ac Reverendiſſimi DD. Epiſcopi Conſtant. totius Capituli cathedral. conſilii Eccleſiaſtici, univerſæ Diœceſis, ac etiam provinciæ noſtræ ſubitaneâ, ſed minimè improviſâ morte abreptus eſt, quò magis omnibus ſolatio, ornamento, exemplo, & auxilio fuerat, omni virtutum, quæ perfectum ad mentem S. Pauli Epiſcopum conſtituunt, culturâ præclariſſimus, & ad nominis ſui complementum ſuperlativè ſpiritualiſſimus. Huic verò à Celſiſſimo ac Reverendiſſimo DD. Epiſcopo in Suffraganeatu, & Vicariatu Generali &c. &c. ſufficitur Reverendiſſimus, & Illuſtriſſimus DD. Joan. Franc. Antonius de Sirgenſtein, cathedral. Eccleſiæ Conſtant. Canonicus, qui ſub titulo Diœceſis Uthinenſis in Epiſcopum conſecratur.

Appropinquante Provincialatûs ſesquiennio R.P. Marcus Jacobus conſcribit capitulum numero trigeſimum Wangæ die 8. Maji congreſſurum; in quo præfatus in ſuo miniſterio ſtabilitur, eique Definitores adjunguntur RR. PP. Alexius Conſtant. Salomon Villingan. Fidelis Rottenburg. Humbertus Gengenbacens.

Decreto Definitoriali Cellula, quam B. Fidelis ceu Guardianus Veldkirchii incoluerat, in Sacellum domeſticum reformatur, & cooptatur, ejúsque reliquiæ, pallium, cingulum, cilicium, ſandalia, ſudaria, zotula, enſis, aliáque paſſionis ſuæ inſtrumenta, unà cum feretro, inibi collocantur.

De conſenſu Celſiſſimi ac Reverendiſſimi DD. Epiſcopi, & ad inſtantias Dicaſterii Nellenburgo-Auſtriaci, venerab. Capituli Rural. ſenatúsque, & populi Stockacens. proceditur ad fabricandum capacius hoſpicium, ad-

in-

introducendam quoque clauſuram, hactenùs nullam; nec non Eccleſiam ampliorem ædificandam.

Fervet Friburgi proceſſus priori anno indigitatus, magno noſtro, & aliorum incommodo. Ludovicus XV. Rex Galliæ Rhemis S. Oleo inungitur, & coronatur.

Neapolis à tempore Caroli II. Hiſpaniarum Regis ab inveſtitura à ſummo Pontifice ceu Domino directo conferenda immunis uſque huc permanſit. Sed hoc anno, negotiante Eminentiſſimo D. Cardinali Althano, Sac. Cæſ. Maj. Oratore, ab Innocentio XIII. ſolenni, & conſueto ritu peragitur in perſona altefati Eminentiſſimi, ceu Auguſtiſſimum Imperatorem repræſentantis; exhibente Excellentiſſimo D. de Colonna, conſtituto Commiſſario equum tolutarium ephippio, & dorſuali Babylonicè pictô ſuperbum cum burſa ſeptem millia ſcutatorum complectente, tanquam uſitatum Vaſallagii pignus.

S. Antonius Ordinis noſtri gloria, & infelicium ſpes etiam hoc anno talis eſſe perrexit. In vicinia enim Neoſtadienſi, Offenburgenſi, & Oberkirchenſi aliqua gravioris momenti furta, furésque partim detexit, ad faciendam reſtitutionem mirabiliter adegit, expertos, quòd jam tutum non ſit eo furandi opificio ulteriùs uti, cùm divus Antonius aliis dormientibus invigilet rebus furto aut ablatis, aut ne aufferantur, cuſtodiendis.

E Cella ad cælum, jubente fato, lubentes transmigrarûnt

F. Waltherus Seleſtadien. Laic. P. Bonagratia Bludentin. CC. P. Willhelmus Eulingan. Guard. P. Wolfgangus Conſtantien. CC. P. Florimundus ex Vaduz CC. F. Jodocus Rottvvilan. Laic. P. Felicianus Wangens. CC. P. Valerianus Friburg. Sacerd. F. Willhelmus Mansdorff. Laic. P. Cajetanus Veldkirch. CC. P. Gaudioſus Veldkirch. Sacerd. *Summa* 11.

P. Bonagratia diſertiſſimæ ſuadæ Concionator, ubique cathedrarum Auditores ſuadendo movit, & movendo delectavit, augente gratiam perſonæ elegantiâ, & religioſa converſatione. In die cinerum Quadrageſimale auſpicaturus, & jam è roſtris dicere incipiens apoplexiâ interceptus, lugente tota civitate domum portatus eſt. Ab illa ſyncope elumbis, & elinguis duriſſimum hoc fatum aliquos adhuc annos exemplariſſimè patiens toleravit, & tandem in optima pace quievit.

Contrito mundi laqueo divi Franciſci legibus ſe obſtrinxerunt

F. Probus ex Börſtingen. Laic. F. Edmundus Friburg. Cler. F. Donatus Friburg. Cler. F. Lambertus Lauffenburg. Cler. F. Joachim Gengenbacens. Cler. F. Gabriel ex Schutteren. Cler. F. Felicianus Stockacens. Cler. F. Jodocus ex Bergetsreithe Laic. F. Kilianus ex Bilenfingen Cler. F. Prudentius Veldkirch. Cler. F. Chriſtianus ex Schappach Laic. F. Noë Stauffens. Laic. F. Nicodemus ex Sigmaringendorff. Laic. F. Petrus Wurzach. Cler. P. Beda Fiſchingens. Sacerd. F. Bartholomæus Gengenbac. Cler. F. Pelagius Immenſtad. Cler. F. Simplicius ex Aislingen Cler. F. Cajetanus Dillingan. Cler. F. Wunibaldus ex Zusmanszell Cler. F. Eliſæus Offenburg. Laic. F. Otto ex Oberdiſchingen Cler.

Summa 22.

Annus Chriſti 1723. Provinciæ diviſæ: 56.
Innocent. XIII. 3. | Caroli VI. 13. | Cardinal. Barberin. Protector. 5.
Joa. Franc. Ep. 20. | P. Bernard. à S. Ang. Vic. Gen. 3. | P. Alexii Conſtant. Prov. 1.

Cellæ Ratholdi RR. PP. die 22. Januarii congregantur : exinde P. Marcus Jacobus ultimam provinciæ viſitationem auſpicatus per alterius poplitis offenſionem curſum proſequi inhibetur, & aliquos conventus per Commiſſarios obiri diſponit.

Terminatur proceſſus Friburg. per ſententiam Celſiſſimi & Reverendiſſimi DD. Nuntii Lucernenſis, fabrica hoſpitii Stockacenſis ad faſtigium promota PP. Capucini die 1. Junii novo domicilio ſuo immigrant. Pòſt Eccleſiæ ſtructura inchoatur, quæ ad ſtupentem omnium lætitiam tam proſperos ſucceſſus habet, ut ſe ipsâ dormientibus operariis creſcere videretur. Die enim 12. Octobris jam omnibus numeris abſoluta Eccleſia à Reverendiſſimo D. Suffraganeo Conſtantienſi ſolenniſſimo ritu conſecrari potuit, & conſecratur.

Exacto Provincialatûs triennio habetur capitulum trigeſimum ordine Rottvvilæ die 3. Septembris ; qui locus, & dies ideò aſſignatus fuit, quòd hic annus, menſis, & dies illi conventui, ab ejus habitati initio, jubilæus fuerit, honori, & gaudio ſibi ducente beneficentiſſimo nobis Senatu, populóque Rottvvilano hanc jubilæi, & capituli penès ſe habendi ſimultatem.

In eo ergò faſces provinciales delati ſunt A. R. P. Alexio Conſtantienſi. Definitores electi RR. PP. Salomon Villinganus. Anaſtaſius Villinganus, Udalricus Montifontanus, Fidelis Rottenburgens.

In hoc capitulo litteræ dimiſſoriales pro P. Franciſco ex Altorff Confeſſ. ex noſtra in provinciam Helveto-Alſaticam tranſire cupiente expeditæ fuerunt ; poſtquam à RR. PP, provinciæ *ad quam* &c. admiſſoriales, & à Reverendiſſimo P. Generali Vicario facultatem obtinuiſſet, exhibuiſſet, & patribus provinciæ *ex qua* &c. Reverſales de non affectando reditu, conſignâſſet. His omnibus igitur habitis provinciæ noſtræ æternùm valedixit.

Cùm SS. D. N. Innocentius XIII. Venerab. Dei ſervum Andream de Comitibus Ord. S. P. Franciſci profeſſorem inter Divos retulerit, contentio aliqua inter RR. PP. Conventuales, & Obſervantes ſuſcitata fuit, his novum Beatum in habitu ſuo præſentantibus : illis contra hoc proteſtatis, & de ſua familia B. Andream extitiſſe docentibus. Sanctiſſimus pro poſterioribus decidit, atque ut obſervantem, talitérque effigiatum inter beatos pronuntiavit.

Moritur Galliæ Regens, Dux Aurelianenſis, fautor gallicani ſchismatis per Bullam Unigenitus &c. confixi ; cujus, utpote lippis, & tonſoribus noti ſtudio hactenùs nullam fecimus mentionem. Ut autem Gallia ſicut omnium novitatum in aliis, ita & in dogmaticis malè ingenioſa inventrix eſt : ita & in monte peſſulano nova ſe hæreſis extulit, cujus ſequaces

de

de ſorte multiplicantium eſſe creduntur. Hi promiſcuè convivunt, circumciſionem cum Judæis colunt, albo, & vino aduſto baptizantur ; ſub triplici ſpecie, vino, pane, & vino aduſto ſynaxin adibant ; conclave illorum pannô candido tectum, ſcamnísque & lectiſterniis proviſum eſt ; in cujus contigua camera, quam ſanctum ſanctorum vocant, cathedra, ſedes Eliæ dicta, altare, candelabrum cum ſeptem brachiis, pelvis argentea, vas murrheum aquâ refertum cum anclabri, veſtibúsque antiqui, & Judaici ritûs. Myſta ipſorum, quem Prophetam Jacobum nominant, poſt peracta ſuo ritu ſacra clamare ſolet : ite lavamini, & multiplicamini. In congregatione ſua, quæ ipſis ſub nomine novi Sion ſolennis eſt, multa docent de recuperando ſtatu originalis innocentiæ. Poſt ſeveram inquiſitionem errorum comperti, atque convicti, fune, igne, exilio, & proſcriptione aboliti ſunt, germaniæ proteſtantes hos, ceu fidei ſuæ domeſticos velut Chriſti martyres encomiis extulerunt ; profugos maxima charitate ſuſceperunt.

Rex Hiſpaniæ regno ſe abdicat, & illud in natu majorem, Auſturiæ Principem, devolvit.

Prodigioſa S. Antonii ope gaviſi ſunt : Illuſtriſſimus D. Baro de Speth, Epiſcopalis Marchdorffii Præfectus, qui pretioſiſſimam margaritham an furto, an fato alio perditam mirabili, omnémque humanam induſtriam, & captum excedente viâ à S. Antonio precibus, & Miſſæ ſacrificio in auxilium evocato recuperavit.

In pago Bürs Ruſticellus ollam grándiorem ex ære fuſam domo ſuâ furtivè elatam ſimili prodigio iterùm recepit.

Veredarius Baſileenſis Calvinicola ob faciperium quinquaginta florenos continens Baſileam vehendum, ſed equô lapſum, perditum, igitur à ſe reſarciendum in extremas anguſtias devolvebatur. Ut verò is Lauffenburgenſibus Capucinis admodùm erat familiaris : ita hos ad S. Antonium mediatores conſtituit ; qui homini gratificantes Reſponſorii comprecatione tantum valuêre, ut primùm poſt duos menſes pecunia omnis dicti loci Guardiano à perſona inventrice, ignotâ, rerum inopi, &, ut ipſamet fatebatur, conſcientiæ inquietudine excitatâ fuerit conſignata, dicto Veredario reddenda.

Ad metam omnibus conſtitutam properantes decretoriâ obdormitione pervenerunt

P. Reginaldus Rottvvilan. Guard. P. Theobáldus Conſtant. Conf. de quo in qualit. prædic. §. 2. de litter. P. Emanuel Marchdorff. CC. P. Joſeph Maria Môſskirch. CC. P. Menradus Rottenburg. Conf. P. Maurus Conſtant. Conf. P. Marcus Bludentin. CC. P. Archangelus Friburg. Guard.

Summa 8.

Piâ metamorphoſi ex ſæcularibus in Regulares transfigurati ſunt

F. Auguſtinus Gengenbac. Cler. F. Conſtantinus Riedlingan. Cler. F. Arbogaſtus ex Kircheimb Laic. F. Franciſcus Offenburg. Cler. F. Jacobonus Tugiens. Cler. F. Gallus ex Mockenvvang Laic. P. Patritius ex Hauſtetten Sacerd. F. Maximus Uberlingan. Cler. F. Sabinus Villinganus Cler. F. Michaël Villingan. Laic. F. Marcus Conſtantien. Cler. F. Jordan

ex Obervvaldſtätt Laic. F. Laurentius Immenſtad. Cler. F. Servatius ex Bildſtein Laic. F. Edelbertus Wangens. Cler. F. Verecundus Stockacens. Cler. F. Menradus Conſtant. Cler. F. Jonas Altshuſanus Laic. F. Emanuel Oberſtorffens. Cler. F. Lucianus Waldishuttan. Cler. F. Herculanus Ehingan. Cler. F. Jovita Wilerſtadiens. Laic. F. Fabritius Friburg. Cler.

Summa 23.

Annus Chriſti 1724. | Provinciæ diviſæ 57.
Benedict. XIII. 1. | Caroli VI. 14. | Cardinal. Barberin. Protect. 6.
Joa. Franc. Ep. 21. | P. Bernardin. à S. Ang. Vic. Gener. 3. | P. Alexii Conſtant. Prov. 2.

SS. D. N. Innocentius XIII. vitâ, & Papatu exutus toti Rom. Eccleſiæ gravem luctum indixit ; quem tamen abſterſit feliciſſima in ſummum Pontificem electio Eminentiſſimi DD. Vincentii Mariæ Cardinalis Urſini, Archi-Epiſcopi Beneventani, Ordinis S. Dominici, concordibus Electorum votis 4. Calendas Junias facta, & proclamata ; electi, & nomen Benedicti XIII. aſſumentis ſanctimoniâ vitæ, qua præſtabat, titulum ſanctiſſimi æquiorem reddente, Villingæ die 2. Maji habetur RR. PP. Congregatio : qualis deinceps ad negotiorum provincialium exigentiam iteratur Biberaci in menſe Decembri.

Graviſſima inter Magiſtratum, & cives Bludentinos colliſio exoritur, ad quam totalis reipublicæ illius ſubverſio ſequi potuiſſet, Capucinis quoque haud leves inde moleſtias, timores, & pericula ſuſtinentibus. Senatoribus, & Conſulibus ſiquidem furorem tumultuantis plebis, ſexûsque fæminei etiam in eos armati declinandi causâ in noſtrum ibi Monaſterium confugientibus cives exaſperati conventum, patrésque noſtros colluſionis inſimulatos duriùs habere cæperunt, & ſtatutis *in via, & circa* murum clauſtralem vigilibus prohibentes, *ne quid eſculentorum*, aut aliarum rerum ad Capucinos deferretur. Excelſum Regimen Oenipontanum implorata militari manu opportunum afflictis rebus remedium attulit, & civicæ tranquillitatis turbatores compeſcuit.

Auguſtiſſima Imperatrix felici partu Archi-Ducisſam enixa ſpem patriæ noſtræ, quam de naſcituro hærede maſculo conceperat, in hanc vicem inanefecit.

Capucini Temesvvarium inducuntur, ſtabiliter ibidem habitaturi.

Cantones Tigurinus, & Beronenſis Celſiſſimo ac Reverendiſſimo DD. Epiſcopo noſtro litem intentant, & eum uſurpati in quibusdam Turgojæ locis juris territorialis ipſi non competentis arguunt, conferentiæ deſuper in loco Arau mutuò frequentatæ ſine fructu ſucceſſerunt.

Dux Aurelianus deſponſat ſibi Sereniſſimam Principiſſam Marchio-Badenſem.

Congreſſus Cameraci firmiori paci ſtabiliendæ inſtitutus ob nimias Hiſpaniarum Reginæ prætenſiones fruſtrà occupatur.

Acatholici occaſione Calendarii Gregoriani aliquam opinionum ſciſſuram

ſuram etiam in his partibus moliti, juxta ſtylum à ſe excogitatum Paſcha toto octiduo ante Catholicos præoccupârunt, prætendentes, ut etiam hi eorum ſententiæ ſe conformarent. Cùm autem ea differentia non exiguam in commercio humano, publicis negotiationibus, feriiſque juridicis turbationem inductura eſſet, Auguſtiſſimus Imperator Catholicos uſitato Eccleſiæ ritui inhærere : heterodoxos autem cum his convenire juſſit, quoad à peritis clarè doceretur, cujusnam opinioni univerſaliter accedendum ſit.

E Calendario autem viventium expuncti, Beatorum, ut quidem ſperare poſſumus, volumini inſerti ſunt

F. Leonardus ex Altenſtatt Laic. P. Cornelius Waldishuttan. Guard. P. Illuminatus ex Steinheimb CC. F. Gerardus Bludentin. Laic. P. Samuel Waldishuttan. CC. P. Franc. Antonius Riedlingan. Guard. P. Willhelmus Badenſis Conf. F. Polycarpus Rottenburg. Cler. P. Hyacinthus Conſtant. Sacerd. *Summa 9.*

P. Willhelmus ob regulariſſimam vitæ rationem, maturitatem, & boni exempli ſplendorem, præter hodiernæ Religionis morem, licèt non Concionator, ad munus Guardiani, & quidem in loco Novitiatûs, aſſumptus eſt ; quo fideliter exacto ad munus Confeſſarii in ſcamnum libens rediit. A Sereniſſima Marchioniſſa de Baden in conſcientiæ arbitrum adlectus compluribus annis hujus animam curavit, ut pœnitens Principiſſa patrem ſuum ſpiritualem in cella ex putrido affectu peſſimè olente accedere, ibíque flexis genibus confiteri, & in pœnitentiæ argumentum panniculos pædore horridos, quibus ægrotans ad excipiendam ſaniem utebatur, intueri, ad imitationem Sanctorum, quidquid delicatior ſexus, ſtatúsque eminentia renitebatur, manibus tractare dignaretur. Tandem vir Dei exactis in Religione ſexaginta quatuor annis graviori infirmitate reſolvi cæpit ; in qua illi Sereniſſima filia ſpiritualis ſumma compaſſione, & charitate aliquoties inſervire, neceſſaria ſubminiſtrare, & ſalutis documenta ab ipſo hauſta illi reſtituere viſa eſt, ſuperante virtutum odore, qui ex patre religioſiſſimo emanabat, gravem naribus pædorem, quem ulcera exhalabant. Tandem vir patientiſſimus ex ruinoſo corpore ad cæleſtia transmiſit animam.

In Ethica Seraphica erudiendi diſcipuli ad nos diverterunt

F. Archangelus ex Munzingen. Cler. F. Corbinianus Brigantin. Cler. F. Nicodemus ex Sonthofen Cler. F. Creſcentius Wangens. Cler. F. Theodorus Conſtant. Cler. F. Willhelmus Lauffenburg. Cler. F. Achatius Rottvvilan. Cler. F. Robertus Endingan. Cler. F. Maurus Ananienſis Cler. F. Adamus ex Gindvvang. Laic. *Summa 10.*

Annus Chriſti *1725.* | Provinciæ diviſæ 58.
Benedict. XIII. 2. Caroli VI. 15. | Cardinal. Barberin. Protector. 7.
Joa. Franc. Ep. 22. | P. Bernardin. à S. Ang. Vic. Gener. 4. | P. Alexii Conſtant. Provinc. 3.

Annus hic Romano-Catholicæ Eccleſiæ Jubilæus eſt. à Vigilia Nativitatis Domini proximè decadentis anni per publicum breve Apoſtolicum omnes Indulgentiæ plenariæ, exceptis altarium privilegiatorum, & in articulo mortis; nec non particularibus, id eſt, non plenariis, ſuſpenſæ fuerunt. Nihilominus ad inſtantias PP. Societatis Jeſu, & Capucinorum per Germaniam diſpenſavit, & declaravit ſummus Pontifex, ut etiam Indulgentiæ plenariæ communionis generalis, ſeu Dominicarum menſtruarum pro animabus in purgatorio valorem ſuum ſervarent. Tandem videns ſua ſanctitas teneram omnium Chriſti fidelium compaſſionem erga purgantes animas, hâc commota ulteriùs conceſſit, ut omnes, atque ſingulæ ſive locales, ſive perſonales Indulgentiæ plenariæ per totum orbem Catholicum valori ſuo reſtitutæ maneant etiam durante hoc jubilæo, cum hac tamen clauſula, quòd nullatenùs ſint applicabiles pro vivis, excepto iterùm mortis articulo, ſed ſolummodò pro defunctis, ut etiam defunctorum animæ, utpote etiamnùm Eccleſiæ membra, anni jubilæi perfruantur, & participent emolumenta.

Cùm in annum futurum comitia generalia ſint celebranda, hæc in provincia provinciale quoque capitulum pepererunt; quòd in ſerie trigeſimum primum Uberlingæ die 20. Maji congreſſum A. R. P. Alexium Conſtantien. in ſuo miniſterio confirmavit: Definitores autem genuit RR. PP. Salomonem Villinganum, Marcum Jacobum Bibracenſem, Franc. Antonium Conſtantien. Anaſtaſium Villinganum. Cuſtodes Romanos RR. PP. Salomonem modò dictum, & Maximilianum Wangenſem Romæ aliàs jam exiſtentem.

Vigente non ſolùm politica; ſed etiam religioſa intra noſtros provinciæ terminos pace, illa per inſperatum fœdus inter Auguſtiſſimum Imperatorem, & Philippum V. Hiſpaniæ Regem, ut talem agnitum, fœdus privativè initum, Viennæ, & Madriti ratificatum, & concluſum magìs adhuc ſtabilita fuit; quamvis hoc ipſum inter Reges Galliæ, Angliæ *ſtatúsque* Batavos, & alios haud exiguam æmulationem adversùs dictos confœderatos ſuſcitaverit; ut & illi particularem inter ſe congreſſum Herenhuſii inſtituerint, & excluſis Cæſare, ac Rege Hiſpaniæ, fœdus inter ſe fabricarunt; quod illam de pace Hiſpanica lætitiam non parùm turbavit.

Afferuntur ſicut in omnes alias; ita etiam in noſtram provinciam litteræ ſuffragia flagitantes, & ſignificantes, qualiter PP. Miſſionarii S. P. Franciſci Religioſi, quòd rei agerentur, quaſi vernulis Chriſtianis auffugiendi conſilia, & auxilia ſubminiſtrâſſent, in Marquineſia Regni Marocco urbe diriſſima quæque pati, & indigniſſimas carnificinas ſuſtinere debuerint, periculo etiam de abolendis omnibus omninò miſſionibus territi. Eadem calamitas Capucinis, aliisque Miſſionariis ſubeunda fuerat, inferente hanc, & inferri mandante novo Damaſci Patriarchâ, Eccleſiæ Græcæ apoſtatâ; in qua quidem perſecutione nemo vitæ; nemo Chriſtianæ profeſſionis naufragium fecit.

S. Antonius ruſtico cuidam in agro Lauffenburgenſi admodùm ſe præbuit faventem. Illi enim quidam cacabum æneum haud pridem permagno, ſi viri res anguſtæ ſpectentur, pretio comparatum abſtulit. Ruſtico furacibus

cibus digitis malam crucem imprecante uxor illius ſaniori indemnitatis remedio intenta novenam in honorem S. Antonii devotè obeundam ſuſcipit ; quâ feliciter obtinuit, ut prædo conſcientiæ torturâ à S. Antonio probabiliter immiſſa adactus ollam ad fores ædium, unde hanc extulerat, retulerit; qua inventâ pia mulier virum totámque domum ſuam ad laudem, & euchariſtin Deo, & S. Antonio pendendam invitavit.

Subinde compertum eſt, infinitam hominum multitudinem ex omnibus Europæ Catholicæ nationibus, provinciis, & linguis Romam peregrinatum confluxiſſe, non ſolùm Jubilæi lucrandi ſtudio ; ſed etiam ſpectatam Benedicti XIII. ſanctitatem coram videndi deſiderio ; qui inter alia Paſtoralis ſollicitudinis ſpecimina celebravit, & abſolvit Lateranenſe Concilium ; quod publico typo evulgatum habetur.

Sub actuali favore, uſurâ, & beneficio Jubilæi vitam ſuam finierunt, Indulgentiarum ſive pro vivis, ſive pro defunctis applicabilium participes

F. Reinerius Hallens. Laic. F. Accurſius Neoburg. Conf. P. Romanus Rhenofeldens. Guard. P. Rupertus Eyſtadian. Conf. P. Felix Wolfacenſis CC. de quo in prædic. action. §. de aſſiſtentia moribund. F. Sylverius ex Avv. Laic. P. Victor ex Ludeſch. Lector. P. Laurentius Bludent. Guardian. F. Paulus ex Schnepfau Laic. P. Caſpar Uberlinganus CC. de quo in prædic. qualit. §. 1. litt. C. P. Januarius ex Achen Guard. Superior. P. Humbertus Gengenbac. Definitor. P. Juſtinus ex Dornvveid Guard. F. Fabritius Friburg. Cler. F. Diſmas Wilerſtad. Laic. F. Antonius Beilinganus Laic. P. Arnoldus Conſtant. Sacerd. P. Apollinaris Rottenburg. Guard. P. Ignatius Rottvvilanus Guard. *Summa 19.*

P. Romanus candore, & integritate vitæ veri Iſraelitæ præconium ſibi aquiſivit, eapropter & illi, qui hoc ipſum elogium ab Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi I. Oraculo retulerat; ſcilicet Reverendiſſimo P. Angelico amatiſſimus,& ab hoc in confeſſionis Miniſtrum aſſumptus. Ob linguæ Gallicæ notitiam anno 1703. & 1704. Ulmæ militibus infirmis operam ſuam Apoſtolicam locavit,& attracto contagionis veneno & ipſe infirmus; ſed remediatus inſuperhabito mortis diſcrimine ad eadem charitatis officia rediit. Vir à pacis ſtudio omnium conventuum deliciæ reputabatur, ipſa inurbanitatis incuriâ illum tam fratribus, quàm ſuperioribus ; quin & ſæcularibus gratum reddente.

In Guardianatu de nimia bonitate ſyndicatus ; adeóque demùm in gregarium reductus ſtupenda animi indifferentiâ, novo Guardianatu dignâ, hanc ſortem aliis inviſam tulit. Poſtliminiò Vicariatu Stauffenſi honoratus adverſa valetudine, qua diu ante ridens afflictabatur, in lectum compactus ſe ipſum piiſſimis virtutum actibus ad extremam luctam animavit, & Seraphicis ſuſpiriis, atque allocutionibus uſque ad ultimum vitæ halitum Deo, beatiſſimæ Virgini, & ſanctis commendavit, animámque conſignavit.

P. Humbertus præter exactæ Religioſitatis ſpiritum ingenium quoque feſtivum, & ad honeſtos lepores expeditum præſetulit, raro connubiô pietatem cum ſcientia conſocians, cùm ipſos octodecim annos pulverem ſcholaſticum plurium diſcipulorum Profeſſor ſorpſerit. Guar-

dianus, & Definitor creatus eumdem ſemper charitatis, humilitatis, manſuetudinis, & devotionis tramitem tenuit, ſi unquam negotia admiſerant, Choro, meditationibus, & communibus exercitiis adhærere ſolitus. In ætate admodùm provectâ ſpecies apoplectica eum omni uſu linguæ deſtituit. In aſſuetam verò pietatem ingenioſus fratrem clericum omnes totius Alphabeti litteras mobiles ſibi ante oculos ponere juſſit; quibus ſyllabatim coordinatis poſtulata ſua exhibebat; & præſertim ut qualibet alterâ hora dictus frater lectionem ſpiritualem, poſt hanc, Paſſionem Domini ſecundùm Joannem &c. exin illa S. P. Franciſci verba: *Fratres, magna promiſimus &c.* lentâ voce ſibi prælegeret. Aliquando Pſalmum 135. *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Et Pſalm. 88. *Miſericordias Domini.* recitari petiit. Et hæc quidem viri religioſiſſimi in ægritudine ſua occupatio fuit. Reverendiſſimus, & Ampliſſimus, æquè ac Doctiſſimus DD. Magnus Abbas Major - Augienſis Ord. S. Bened. familiariſſimum P. Humbertum viſitatione dignatus eſt Brigantii decumbentem, verbisque ad eum factis compaſſionem ſuam teſtari, & conſolari conatus. Cui optimus ſenex ex Alphabeti ſtructura hoc reſponſum compoſuit: *Sicut Domino placuit, ita factum eſt.* Ubi D. Abbas: ecce! vir iſte tot annis Lector, Guardianus, & Definitor ceu puer modò Abecedarius Alphabeto utitur! quid ſumus heu! quidque erimus? quanta in omnibus rebus vanitas! intercipientibus ſermonem lacrymis Reverendiſſimus D. Abbas amico ſuo æternum vale, & benedicens diſcedit. Interim cùm vires magis magisque rareſcerent, S. Euchariſtiam ardenter ſe deſiderare litterarum combinatione manifeſtabat. Verùm Confeſſarius reverentiæ hujus Sacramenti conſulturus ob difficultatem glutiendi, & dehonorationis periculum juſſit eum ab hoc deſiderando faceſſere, & communione ſpirituali contentum eſſe. Ille tamen perſtitit in deſiderio ſuo, quaſi certus, dilectum Jeſum fauces coarctatas jam penetraturum eſſe. Itaque porrigitur ei ſacra Hoſtia, quam feliciter deglutitam in anhelantis animæ ſolatium, & viaticum transmiſit. Tunc Deo, ac divinis cogitationibus abſorptus nihil ultrò cum hominibus agere velle ſe oſtendit. Quatriduo ante mortem vehemens ad januam infirmariæ pulſus audientibus horrorem incuſſit. Æger nutibus Clericum videre jubet, quis eſſet? cui hic morem gerens retulit: auguror S. Angelum Cuſtodem ſe inſinuâſſe animam paternitatis veſtræ ad paradyſi gaudia comitaturum. Ad quod ille litterarum ſuarum artificio hæc ultima verba expreſſit: *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Poſt hæc toto triduo inter gelidum calidúmque ſudorem cum morte luctatus oculos in Crucifixi imaginem defixos tandem obdormiens clauſit.

Æternorum ſectandorum ſtudio Ordini Capucinorum ſe mancipârunt

F. Hiacynthus ex Kauffbeüren Cler. F. Albanus Immenſtad. Cler. F. Samuel Uberlinganus Cler. F. Pontianus ex Teſtätten. Cler. F. Gerardus Thiengens. Cler. F. Heribertus Rottvvilan. Cler. F. Salomon Bibracens. Cler. F. Leonardus ex Herenbranz Laic. F. Fabritius ex Wurmlingen Cler. F. Romanus Conſtant. Cler. F. Gallus ex Gaſchurren. Cler. F. Anacletus ex Hindelang Cler. F. Gedeon. ex Laupheimb. Cler. F. Vitalis Oenipontan. Cler.

Summa 14. Annus

Annus Chriſti 1726. | Provinciæ diviſæ. 59.
Benedicti XIII. 3. | Caroli VI. 16. | Cardinal. Barberin. Protector. 8.
Jo. Franc. Ep. 23. | P. Hartmanni Brixinenſ. Gener. 1. | P. Salomonis Villingan. Provinc. 1.

Antequam Romipetæ provinciâ egrederentur, Conſtantiæ 7. Februarii congregati, R. P. Marco Jacobo in provinciæ Vicarium conſtituto, à viſitatione tamen diſpenſato, diſponenda, diſponunt. Huic Congregationi quoque intervenit R.P. Udalricus Montifontanus commiſſione Generali inſtructus cuſtodiam Poloniæ in ordinem redigendi; quò igitur bonis avibus proficiſcitur.

Noſtri PP. Capitulares in alma urbe invenerunt diverſiſſimas circa Miniſtrum Generalem eligendum, juxta diverſitatem, & multitudinem capitum ſententias. Cùm enim Reverendiſſimus P. Bernardinus à S. Angelo in Vado poſt reſignationem Reverendiſſimi P. Joan. Antonii Florentini Vicariatum Generalem exercuerit, in hoc ſuo regimine omnem ſibimet Generalatûs ſpem præſcidit. Et quidem Patribus Helvetis urgente Regis Galliæ juſſu ex Alſatia migrantibus præfatus P. Vicarius Generalis Patres Helvetos, & Alſatas combinaturus in eas ſe partes contulit, & capitulo interfuit. Verùm Comite de Burgo, Alſatiæ, ut vocant Intendante, huic propoſito obicem ponente P. Vicarius Generalis littus ſe araturum animadventens à cæptis deſtitit, nec pedem Alſatiæ intulit. Pariter cum Duce Mutinenſe, qui provinciam à Parmenſibus ſeparatam voluit, non coincidens magnam ejus disgratiam ſibi conflavit. Item Neapolitanam, & Siciliæ provincias viſitaturus, quòd brevi Apoſtolico armatus veniſſet, non admiſſus, nihilque adeò utiliter operatus domum redire debuit. Rebus itaque ſic in adverſum currentibus Capitulares animum ab eo diverterunt; & in his per plura convenerunt, ut in Miniſtrum Generalem Reverendiſſimus P. Hartmannus Brixinenſis, provinciæ Tyrolenſis, cum maximo provinciarum, & nationis Germaniæ applauſu, ac honore eligeretur; in Definitores autem RR. Patres Bernardinus à S. Angelo in Vado, qui & Procurator Curiæ, P. Bonaventura Ferrarienſis, Franciſcus Beneventanus, Antonius de Ordis, Auguſtinus à Giumperle, Antonius à Cave.

SS. D. N. Benedictus XIII. inſignibus aliis favoribus toti capitulo generali exhibitis & hunc adjecit, ut noſtro Miniſtro Generali, & Procuratori curiæ inter alios Ordinum Generales, & Prælatos in Capella Pontificia locum aſſignaret; cui clementiſſimo Papæ pro hac eximia, dudúmque exoptata gratia unum in quolibet omnium provinciarum conventu Miſſæ ſacrificium in rependium obtulit definitio generalis.

Licèt P. Generalis non P. Maximilianum Wangenſem; ſed alium è ſua gente in ſecretarium Germanum ſelegerit; tamen is tanquam poſtulator canonizationis B. Fidelis Mart. Romæ permanſit. P. Provincialis cum primario P. Cuſtode in patriam reverſus capitulum in ordine trigeſi-

mum ad diem 3. Sept. Friburgi celebrandum promulgat. Quia tamen P. Udalrici Montifontani ex Polonia reditus exſpectabatur, terminus indictus ad diem 20. Septembris prorogatur. In hoc ergo capitulo ſigillum provinciæ obtigit A. R. P. Salomoni Villingano ; cui in definiendis provinciæ negotiis aſſeſſores dati ſunt RR. PP. Udalricus Montifontanus, Marcus Jacobus Bibracenſis. Fidelis Rottenburg. Franc. Antonius Conſtantien.

Ad mentem SS. D. N. Benedicti XIII. decretum fuit, ut per Octavam Corporis Chriſti Matutinum pridianô veſpere, cum expoſitione ſanctiſſimi & matutinum poſteà in Choro cantaretur, quatenùs & populus ſæcularis eidem intereſſe, & indulgentiarum particeps fieri poſſit.

Die 7. Septembris incendio conflagrat urbs Waldishuttana, de quo alibi dictum.

Friburgi civis quispiam trigina florenorum, ceu totius ſubſtantiæ ſuæ jacturâ triſtiſſimus ; ſed ad S. Antonium converſus ab hoc plenè indemniſatus fuit, pecuniâ in templo noſtro, ubi ſupplicationes pro afflicto frequentabantur, neſcitur, à quo infra ſcamnum collocata, à milite inventâ, &, en alterum miraculi genus ! ab hoc Capucinis allatâ.

Annum hunc ſibi poſtremum habuerunt, beatiorem, ut conjicere poſſumus, æternitatis annum exorſi

P. Albertus ex Ludeſch. Guard. P. Joannes Bizaviens. Guard. P. Tobias Stauffenſis Guard. P. Eberhardus ex Bludeſch Guard. Novit. Magiſter. P. Nicephorus Friburg. CC. P. Marcellus ex Schruns Conf. P. Godefridus ex monte S. Barthol. CC. F. Melchior Rottvvilan. Laicus. P. Morandus ex Oberſimending. Sacerd. P. Adjutus Lauffenburg. CC. P. Gabriel Conſtant. Conf. P. Nathanaël Friburgens. Conf. *Summa 12.*

P. Albertus indolis integerrimæ vir nil antiquius habuit à primis, uſque ad ultimum ætatis annum, & anni diem, quàm ut omnes omnibus charitatis, & humanitatis officiis complecteretur. Plurium Conventuum, & fratrum Guardianus eodem converſationis Deo, Regulæ, *conſcientiæ*, & ſibi, aliisque fidelis tramite incedens à ſubditorum murmure, conſueto maleferiatorum vitio, & ſuperiorum adeò ſyndicatu propè ſe immunem reddidiſſe gloriari poterat. Cum ipſo moriente anno mori eum fata voluerunt. Pridiè Calendas Januarii fratribus ad cænam ſedentibus effigies S. Antonii ſupra locum Guardiani firmis affixa clavis, nemine movente, decidit, & quaſi alieno pulſu adacta terræ alliditur ; quo caſu, tanquam certo amantiſſimi Guardiani ſui morituri nuntio omnes horrore concuſſi ſe mutuò, triſtésque aſpexerunt. Dum ergò affulgeret primus novi anni dies, ultimus is Alberto fuit, lugente cum fratribus ſæculo.

P. Joannes ut ſe ad ſectandam perfectionem animaret, patrum noſtrorum, qui in vita ſua ſingulari meritorum, & virtutum laude claruerunt, geſta, dictáque diligentiſſimè in uſum, & exemplum conſcripſit ; unde factum, ut ex ejus vitæ ratione variæ variorum anteceſſorum virtutes elucerent : equidem vultus ejus in ſerium inclinans : ſpiritus levia omnia averſans ; mens Deo, & Regulæ ſuæ intenta ; lingua verborum abſtinens ; gravitas Religioſa humilitati ſociata, obedientia in omnem caſum prompta, & ſolùm ad guardianandum tardior, compoſitum ex pluribus

ex-

exemplaribus Religioſum exhibebant. In Guardianatûs officio omnes boni Antiſtitis numeros explevit : optans ſemper ſubeſſe magis, ſuffragante corporis infirmitate voti ſui damnatus eſt ; nil obſtante eadem infirmitate quò minùs ad infirmis, & agonizantibus impendenda ſalutis hortamenta excurreret. In hoc charitatis exercitio poſtquam aliquos annos egiſſet, ad percipiendam ejus remunerationem placida morte adjutus eſt.

P. Tobias à juvene uſque ad ſenem innocentiſſimæ animæ indicia præbuit. Benedicente Domino conatibus, & non adeò excellenti doctrinæ ſuæ in famoſiſſimum prædicatorem evaſit, ipſos undecim annos in cathedra Friburgenſi una ſerie evangelizatus ſui totidem annis audiendi deſiderium auditoribus fecit. Sed jubente obedientia & aliis civitatibus eum evangelizari oportuit : quod cum ſimili fructu, guſtu, & applauſu Conſtantiæ præſtitit ; qui timore Dei plenus alios quoque ad imitationem S. Tobiæ Deum timere docuit ad patroni ſui æqualitatem luminis jacturâ evectus ; quo in ſtatu Deo ſoli in Choro, & meditatione diu noctúque ; proximorum ſaluti verò in confeſſionali intendere uſque ad mortis confinia ſibi familiare habuit. Primogenitus in multis fratribus, ſeu primus in provincia diviſa profeſſus, animam ùt à Deo accepit, Deo reddidit multis bonorum operum meritis innocentiam extollentibus.

P. Eberhardus ad agni manſuetudinem effigiatus officiorum fugâ, & magnâ aliarum virtutum ſuppellectili officiis ſe dignum fecit. Guardianus licèt Religionis in ſuo flore ſervandæ eſſet zelantiſſimus ; in culpandis tamen aliorum defectibus ea humanitate uſus eſt, ut caſtigationes ejus blanditiis mellitæ plus obtinuerint, quàm aliorum ſeverior cenſura. Ob exemplaris vitæ eminentiam juvenibus ad leges Seraphicas formandis in pædagogum & exemplum datus eſt. Clericos, aliósque pœnitentiis addictos ut in his ſubeundis impigros faciat, easdem pœnitentias ipſemet ſubivit, cum flagellantibus ſe ipſum flagellans, primipulus, & præcentor in his, quorum dictator fuerat. Virium laſſitudine preſſus communitati inſertus eſt, ſanior jam tam moleſto ſibi onere relevatus. Nec verò otio deinceps litavit ; ſed præter uſitata communitatis exercitia moribundis ad mortem diſponendis, dejectis conſolandis, conſcientiis ſcrupulorum, & anguſtiarum preſſurâ laborantibus doctrina, & conſilio tranquillandis indefeſſo ſtudio ſe impendit. Ardentem in Deiparam Virginem amorem loquelis ſuis manifeſtavit ; in itinere, & ſicubi aliàs occaſio tulerat, næniarum, & gerrarum locò devotas de B. V. M. hiſtoriolas narrare in promptu, & conſuetudine habuerat. Ad frangendas dæmonum artes, hominésque ac jumenta maleficiis, & præſtigiis eximenda utebatur pulvere quodam ſimpliciſſimo, ſed à ſe benedicto ; cujus virtute tanta operatus eſt, ut communi plebis elogio vir prodigioſus, & ſanctus nuncuparetur. Ipſe autem non ad rumorem ; ſed ad veritatem attendens ſanctísque operibus incumbens ſancto etiam fine quievit.

P. Godefridus in Dei, & proximi amore calidiſſimus, non niſi, ut aliis proſit, natus eſſe videbatur : ægrotantibus non ſolùm ad animæ, ſed ad corporis etiam ſalutem procurandam ſemper in cella ſua pharmacopæjam à ſe paratam habuit, multásque ſanationes, præſertim circa pauperes,

perfecit. Vino propè nullo uſus, lympha ſitim levare ſolitus,& ſupererogatoriis vitæ auſteritatibus carnem in ſervitutem redegit. Ipſe ægritudine fractus ad hanc avertendam ad thermas rubras in patria ſua ſitas divertit, quæ tamen ipſi pro incolumitate mortem attulerunt; cùm ibidem placidiſſimè extinctus è Patria terreſtri ad Patriam cæleſtem tranſierit.

A Toga autem ad pallium Capucino-Seraphicum tranſierunt

F. Albertus Dillinganus Cler. F. Paulus Wangens. Laic. F. Renatus ex Waldhof. Cler. F. Electus Uberlingan. Cler. F. Vitus ex Haingen Laic. F. Sylvanus ex Weiler Cler. F. Lotharius Uberlinganus Cler. F. Jordanus Rhenofeld. Cler. F. Nicephorus Uberlingan. Cler. F. Caſparus Bibracens. Cler. F. Rupertus Riedlinganus Cler. F. Victor Conſtantien. Cler. F. Hierotheus ex Erbishofen. Cler. F. Marcianus Rottvvilanus Cler. F. Saturninus Wangens. Cler. F. Theophylus Thiengens. Cler. F. Manſuetus Wangens. Cler. F. Florentinus Wertingan. Cler. F. Vincentius ex Gottenheimb. Laic. F. Hilarion Weiſſenhornens. Cler. F. Accurſius ex Liggering. Cler. *Summa 21.*

Annus Chriſti 1727. | Provinciæ diviſæ 60. Benedict. XIII. 4. | Caroli VI. 17. | Cardinal. Barberin. Protect. 9. | Joa. Franc. Ep. 24. | P. Hartmann. Brixin. Gener. 2. | P. Salomon. Villing. Prov. 2.

A. R. P. Provincialis Congregationem in conventum Argenſem ad diem 12. Aprilis conſcribit: in qua ſupplicatur Reverendiſſimo P. Generali pro intermittendi capituli ſesquiennalis gratia. Huic ſupplicationi ſubſcribunt cum P. Provinciale non ſolùm PP. Definitores actuales; ſed etiam habituales. Annuit quidem P. Generalis tam copioſo rationum ſubſidio munitis; ſed reprobavit ſubſcriptionem Patrum Ex-*Definitorum*; utpote quos ad congregationes non *invitandos*, neque admittendos cenſuit. Verùm R. P. Salomon hujuſce in provincia moris non ſolùm à laudabili Patrum antiquorum praxi, ſed etiam à convenientia, utilitate, & neceſſitate perſuaſivam ſat prolixam, & convincentem Apologiam confecit: cujus motivis innixi RR. Patres continuant, & continuabit provincia eandem conſuetudinem, quidquid aliæ faciant in contrarium.

Sed & Uberlingæ die 30. Junii oportuit denuò convenire RR. Patres ad reſarciendam Guardianiam Lauffenburgenſem per P. Tiburtii deceſſum vacuam.

Edictum Regio-Gallicum emanavit, in quo nonnulli articuli provinciam quoque noſtram tangere videntur. In eo ſiquidem cavetur, ut non niſi Galli in Priores, Abbates, & Abbatiſſas Monaſteriorum in territorio Gallico exiſtentium aſſumantur: &, ne in Tyrocinia Religioſa, exceptis iis, qui admiſſionem Regiam obtinuerunt; aut in Epiſcopatibus Baſileenſi, & Spirenſi nati ſunt, alii, niſi Galli ſuſcipiantur, aut ad officia promoveantur.

Præ-

Præterquam enim, quòd hi articuli diu jam meditatæ provinciæ Helveticæ ab Alſatia Catalyſi præluſerint ; anſam quoque dederunt Auguſtiſſimo Imperatori repreſſalia in terris Auſtriaco-Imperialibus circa Religioſos uſurpandi, & ſtatuendi ; provinciæ verò Superioribus ſollicitè ad Nationis qualitatem ad normam talium repreſſalium attendendi. Pax illa nuper inter Cæſarem, & Regem Hiſpaniæ icta nullum emolumentum, & multos hoſtes accerſivit ; ut rebus ad novam rupturam vergentibus neceſſarium fuerit militare robur augere, & defenſioni parandæ intendere. Verùm plerísque Electoribus, Principibus, & ſtatibus utilitati propriæ ſtudentibus, Cæſar in conquirendo auxilio ſurdos ferè omnes experitur, quos ad tuendam utilitatem publicam imploravit.

Proteſtantes aut Alſatiâ emigrare, aut legibus regiis aquieſcere jubentur.

Pariter ex Edicto Mediolanenſi multa millia hæreticorum ex Valle Telina exeſſe debuiſſent ; verùm cùm Catholicis omnibus per talionem eadem ſors ſubeunda fuiſſet, temperamentum aliquod opportunum intervenit.

Magno Eccleſiæ Catholicæ ſolatio, & honori Excellentiſſimus D. Erneſtus Comes de Meternich Regius, & Electoralis Brandenburgicus ad Comitia Ratisbonenſia Legatus ſeptuagenario major evomito Calvino publicam fidei Catholicæ profeſſionem Ratisbonæ emittit, & in ea paulò poſt conſolatiſſimus decedit.

Hunc ad meliorem vitam aut præceſſerunt, aut comitati, aut ſubſecuti ſunt provinciæ noſtræ alumni

P. Melchior Rottvvilan. Sacerd. P. Peregrinus ex Niziders Guard. P. Tiburtius Conſtant. Guard. F. Balthaſar Wangens. Laic. P. Marcus Antonius Wangens. Conf. P. Alanus Badens. Conf. P. Norbertus Conſtant. CC. P. Albinus ex Forcheimb. CC. F. Beatus ex Schvverſtätt Laic. P. Victorianus Waldishuttan. CC. F. Bonifacius ex Nenzingen. Laic.

Summa 11.

Virtutibus excolendi Ordinis Seraphici, & provinciæ noſtræ Paradyſo implantati ſunt

F. Caſtus Villingan. Laic. F. Polycarpus Conſtant. Cler. F. Arcâdius Möſskirch. Cler. F. Didacus Rottvvilan. Cler. F. Serenus Stauffens. Cler. F. Bruno ex Hohem Emmingen. Laic. F. Tiburtius Conſtant. Cler. F. Alphonſus Engens. Laic. F. Rochus Wangens. Laic. F. Conſtantius ex Ethonis Monaſterio Cler. F. Virgilius Rottenburg. Cler. F. Albinus ex Stollhofen Cler. F. Eucharius Rottvvilan. Cler. F. Joſaphat Wilerſtad. Laic.

Summa 14.

Annus Chriſti 1728. | Provinciæ diviſæ 61.
Benedict. XIII. 5. | Caroli VI. 18. | Cardinal. Barberin. Protector. 10.
Joa. Franc. Ep. 25. | P. Hartman. Brixin. Gener. 3. | P. Salomon Villing. Prov. 3.

Conſtantiæ die 13. Aprilis frequentatur RR. Patrum Congregatio

moleſtiſſimo negotio à variis antagoniſtis faceſſito occupata. Quidam enim in meditullio Conventuum noſtrorum Mahlbergenſis, Haslacenſis, & Offenburgenſis, contra quàm Canones, & decreta Pontificum admittant, nidum ſtruere meditantur: ad quæ palmaria præjudicia jure propulſanda intenſis conſultationibus opus fuit.

Hoc anno illuſtrium virginum Parthenon Lindavienſis unà cum templo, antiquiſſimo primævæ Religionis Catholicæ monimento, & munimento exitialibus flammis in cineres redactus eſt, triſtatis ex eo vel maximè etiam Capucinis, quòd ab his ad eumdem ſtatæ miſſiones exerceri ſolerent; ſed jam ad non exiguum rei Catholicæ interſtitium omitti debeant, dum æquior ſors, quæ ſpectata Parthenonis inopia, & eorum, qui opitulari poſſent, ac deberent, parſimonia, potiùs exoptari, quàm ſperari poteſt, annihilata reſtauret.

Componitur inter Celſiſſimum ac Reverendiſſimum D. Epiſcopum Conſtant. & Cantones Tigurinum ac Beronenſem orta nuper controverſia de jure territoriali, reciprocis Commiſſariis felici, & amicabili tranſactione lætis, & Principalibus eam ratihabentibus.

Sanctiſſimus D. N. Benedictus maximo gaudio ſuffunditur ex nuntio, quòd Eminentiſſimus D. Cardinalis Noallius, deſerta tandem à Bulla *unigenitus* &c. appellantium parte ſe prædictæ Bullæ penitùs ſubjecerit; cui ſummus Pontifex lætabundus, & gratulabundus litteras paterni amoris, zelique Apoſtolici plenas dirigit, eúmque ad conſtantiam hortatur. Circa medium Auguſti per totam propè Alſatiam, Brisgojam & Sueviam, finitimásque regiones ingens fuit terræ motus, quo turres, Eccleſiæ, domus, aliáque ædificia vehementer concuti, muri hiare, campanæ ſonare, tegulæ decidere, fumaria corruere, & homines ruinæ inſtantis metu corripi incipiebant.

Curiæ Rhætorum fatis concedit Celſiſſimus, ac Reverendiſſimus S. R. I. Princeps, ac Epiſcopus Curienſis, Udalricus de Federſpihl, paſtorali zelo, humilitate, & eximia in Ordinem noſtrum charitate, beneficentia, ac familiaritate clementiſſima ſempiternam gratitudinem noſtram, poſterorúmque memoriam meritus; atque etiam ab ipſis Acatholicis lamentatus.

Pariter è vita mortali ad immortalem tranſiit Celſiſſimus ac Reverendiſſimus DD. S. R. I. Princeps Rupertus ex Baronibus de Bodmann-Wiex &c. Abbas Campidunenſis, vir tum ſpiritu religioſo, tum omni litteratura, Philoſophicâ, Theologicâ, Juridica, Canonica, politicâ, Hiſtorico-Publica verè magnus; maximúsque Ordinis noſtri amator; qui & P. Franciſco Joſepho ex Gebratshofen, Philoſophicarum, & Theologicarum litterarum antehac Lectore, tanquam Theologo domeſtico uſus eſt per aliquos annos, eúmque Viennam uſque ſecum traxit: quin & in alteram vitam Comitem habere voluit, hoc ipſo anno inter mortuos recenſendum.

Diem quoque poſtremum obiit Excellentiſſimus D. Dominicus Hubertus du Saix, Baro d' Arnand Colonellus legionis pedeſtris, campi Mareſchallus, quondam fortalitii Briſacenſis Gubernator, natione Burgundus;

dus ; quem, utpote profuſiſſimum Benefactorem noſtrum, aliquis è noſtris ingenioſa poëſi, Emblematibus æri inciſis inſigniora ejus geſta militaria complexis, atque elogiis pro merito celebravit.

S. Antonius ruſtico Schvveningenſi beneficium memorabile contulit. Cùm enim illi equus abigeretur, fur diſponente Divo Antonio Schafthuſii equo deſcendere, hunc fræno ducere, & ruſtico in eadem urbe rem ſuam indaganti occurrere occulta vi compulſus eſt, ut nec portam urbis, qua elaberetur, invenire potuerit. Has animi ſui anguſtias, quas in ipſo articulo ſuſtinuiſſe compertus eſt, quo Capucini Möſskirchenſes precibus ad S. Antonium vacabant, ipſomet idipſum edicente, cùm in alio furto deprehenſus ſeveriori quæſtioni ſubjiceretur.

In eadem vicinia mulier ruſticana de magno panni linei volumine ſibi alienato ad lacrymas uſque lamentabunda pariter Capucinorum ad S. Antonium comprecationem efflagitat, quibus fideliter perſolutis illa ſereniori geſtu ad portam redux altùm deprædicat, pannum aliena, & quaſi inviſibili manu ſibi redditum.

In Hagenau celebri ad lacum Acronium pago vir nonnemo viticola ſeptuaginta florennis expilatus ad ſacram infelicium anchoram, Antonium divertit ; cujus ope per Capucinos Marchdorffenſes exorata accidit, ut pecuniæ ſumma, neſcitur, an furis, an S. Antonii manu in ædes ſuas projiceretur.

Pellem mortalitatis exuerunt, & ad peremptoriam tubæ vocem in tumulo ſequeſtrârunt

F. Eraſmus Waldishuttan. Laic. P. Angelicus Elzacens. CC. P. Sylveſter Rhenofeldens. CC. P. Valentinus Friburg. CC. P. Ignatius Weiſſenhornens. Sacerd. F. Jordanus ex Oberſtätten Laic. P. Bonifacius Friburg. CC. P. Pelagius Rottvvilan. CC. P. Geminianus Rhenofeldens. CC. P. Joa. Joſephus Endingan. Guard. P. Franc. Joſephus ex Gebratshofen Guard.

Summa 11.

P. Pelagius eo Numinis conſilio Religioni noſtræ datus videbatur, ut quod alii laborioſa Apoſtolatione præſtant ; ipſe nihil agendo, ſed dira patiendo perageret. Vix aliquibus annis laudabiliter in Ordine exactis, hianti ex ulcere pedi pedicas injectas eſſe ſenſit. Malum hoc omni medicina ſuperius creſcentibus annis & ipſum excrevit ad intolerabile viri tormentum. In hac autem tolerantiæ palæſtra talem ſe præbuit, ut ſuperiores eum ceu vivum virtutis paradigma Novitiis objectandum cenſuerint. Equidem vir religioſiſſimus ærumnis ſuis à frequentando Choro nil moratus, partiúmque inferiorum negligens, pſalmodia, meditatione nocturna, & diurna, celebratione, oratione vocali, & ſpirituali lectione in una ſerie continua animum ad cæleſtia elevare nitebatur. Superioribus eum à rigore jejunii, & communibus Ordinis incommodis eximere volentibus reſpondiſſe fertur : ſacramenta virtutis ſunt non tantùm mala pati ; ſed etiam bona agere. Unum ſine altero mancum eſt : mala corporis non niſi materia patientiæ ſunt ; virtus dat formam, quàm precibus, bonorúmque operum conatu ſupererogatorio promereri oportet.

His igitur ſacris exercitiis paſſivis, & activis cum maxima fratrum ædificatione immortuus eſt.

Regulæ Seraphicæ ſacramentum dixerunt

F. Joa. Nepomucenus Landſperg. Cler. F. Philibertus ex Hofen Cler. F. Zachæus Briſacens. Cler. F. Balthaſarus Uberlingan. Laic. F. Chryſologus Friburg. Cler. F. Norbertus Conſtantiens. Cler. F. Simphorianus Weingartens. Cler. F. Didacus Bibracens. Laic. F. Maxentius Conſtantiens. Cler. F. Melchior ex Ahauſen Cler. F. Bonifacius Rottvvilan. Cler. F. Marinus Weiſſenauens. Cler. F. Franc. Antonius ex Steiſsling. Cler. F. Seraphinus ex Fiſchen. Cler. *Summa 14.*

Annus Chriſti 1729. | Provinciæ diviſæ 62.

Benedict. XIII. 6. | Caroli VI. 19. | Cardinal. Barberin. Protect. 11.

Jo. Franc. Ep. 26. | P. Hartmann. Brixin. Gener. 4. | P. Alexii Conſtant. Provinc. 1.

Hunc annum memorabilem, faſtíſque noſtris digniſſimum reddit exoptatiſſima, tamdiu deſiderata, tot votis ſuſpirata, tot Magnatum precibus ſollicitata, tot provinciæ laboribus, ſudoribus, & impenſis negotiata B. Fidelis Sigmaringani Martyris ſolennis beatificatio à SS. D. N. Benedicto XIII. urgente, & felici inſtantiarum dexteritate promovente P. Maximiliano Wangenſe conſtituto cauſæ poſtulatore, tandem poſt ſuperata innumera obſtacula, & exhauſtam contradictionum panopliam clementiſſimè decreta, ac in ſummam provinciæ noſtræ, totiúsque Germaniæ exultationem, & honorem promulgata. Ad majorem ſolennitatis inſtituendæ ſplendorem RR. PP. Majores, è re fore cenſuerunt, ut capitulum provinciale Veldkirchii, ceu ultimi Guardianatûs, quo B. Martyr perfungebatur, loco unà cum beatificationis feſtivitate celebretur.

Antequam autem hæc fierent, alia *recenſenda occurrunt.*

A. R. P. Salomoni Miniſtro Provinciali viſitationibus occupato ſupervenit à Reverendiſſimo P. Generali commiſſio authentica juxta indultum ſedis Apoſtolicæ, & mentem Chriſtianiſſimi Regis provinciam Helveticam ab Alſatia ſeparandi, & ex una duas faciendi; de qua re plura in prædic. qualit. §. 3. de Commiſſar.

Nonnullis admirabile quid, & attentione dignum videbatur, quòd hoc ipſo anno, quo B. Fidelis olim in Griſonia ab hæreticis in odium fidei occiſus ſolemni pompâ inter beatos relatus eſt, nobíſque tam jucunda, & lætitiis plena peperit otia, in eadem Prætigovia à gente illa recalcitrante acerbi tumultus, ſpeciem funeſtæ ſeditionis habentes, ſuſcitati, & eò uſque jam propagati fuerint, ut efferati homines de arripiendis armis conſilia agitarent. Et cùm inter ſeditionis cauſas una etiam fuerit Celſiſſimi ac Reverendiſſimi S. R. I. Principis, Epiſcopi DD. Joſephi Benedicti de Roſt, Curienſis Epiſcopi electio; cui exulcerati heterodoxi manifeſtè, & inurbaniſſimè contradicebant; ideò ipſemet Auguſtiſſimus Imperator Epiſtolâ gravi tumultuantes ad tranquillitatem hortatus eſt, ſecùs ingrata experturos.

Illi

Illi tamen homiliæ Cæſareæ haud multum attendentes ab inſolentiis ſuis necdum ſuperſederunt. Cùm enim Catholici Curienſes ad condignè in urbem introducendum, & honorificè ſalutandum Neo-Electum Epiſcopum ſuum balliſtas, & tormenta bellica ex armamentario publico mutuare, & exploſionem apparare vellent, hæretici oculis lividis id intuiti, ſub ficto timore, & cautela, ne Catholici ea occaſione funeſti quid in Acatholicos molituri eſſent, tormentorum extraditioni remis velísque obſtiterunt &c. Et plura alia odio attentârunt. Inter Reges Galliæ, Hiſpaniæ, & Angliæ, ſtatúsque Batavos excluſo Cæſare concertata pax feritur bellum Germaniæ generatura.

Regina Galliæ Delphinum enititur.

In eadem verò Gallia legenda S. Gregorii VII. juſſu S. Congregat. Rituum Breviario Romano, & univerſali inſerenda à Rege, & Parlamento non acceptata; ſed rejecta fuit; certè, quòd hæc Theologiæ Gallicanæ in puncto indirectæ ſummi Pontificis in regna, & Reges adverſaretur.

Inter hæc propinquat capituli tempus, ad quod R. P. Provincialis Capitulares invitavit Veldkirchium in diem 4. Septembris: cui præmiſſa eſt beatificationis triduana feſtivitas. Cranium B. Martyris è latebris ſuis extractum, & à veſtalibus Waldunenſibus pretiosè & artificiosè exornatum ab aliquibus deputatis patribus ſilenter inde ad Conventum deportatur: & in primo feſtivitatis die honorificè in altari collocatur. Agitur ſolennitas ſub innumera confluentis populi frequentia. Quolibet die declamantur duo ſermones panegyrici ab Eccleſiaſtibus hanc artem doctis. Res ſacra peragitur ab Infulatis, aliísque Reverendiſſimis operatoribus. His ita obiter recitatis, cùm exactior relatio typis evulgata ſit, incipit die 9. Capitulum; in quo A. R. P. Alexius Conſtantienſis ſecundò arendam provinciæ conſecutus eſt. Definitores ſelecti: RR. PP. Franciſcus Antonius Conſtant. Anaſtaſius Villingan. Udalricus Montifontanus. Caſtus Hüffinganus. In ſerie eſt hoc Capitulum ſecundum ſupra trigeſimum.

PP. Guardianis, & Capitularibus cum mandato triduanam Beatificationis ſolennitatem in ſuis conventibus debito intra limites paupertatis decore inſtruendi, atque celebrandi dimiſſis RR. Patres ad expediendas negotiorum reliquias aliquantùm ibi ſubſtiterunt. Compertum ſubinde eſt, quòd in omnibus provinciæ conventibus ea celebritas maximo ſplendore, qualem paupertas, & ſimplicitas Seraphica admiſerat, acta fuerit augentibus, & juvantibus fratrum conatus benefactoribus ubique profusè munificis, & infinita pœnitentium multitudine, quam non ſolùm pietatis ſectandæ, & Indulgentiarum lucrandarum zelus; ſed etiam ſancta rei novitas, beatificatio nimirum B. Fidelis Sigmaringani, Capucini, Germani, Suevi, conterranei &c. attraxit.

Ipſe autem B. Martyr, ſive luculenta Thavmaturgiæ præter Martyrium apotheoſin meritæ teſtimonia editurus; ſive pia fidelium in concelebranda ejus ſolennitate ſtudia præmiaturus, pluribus, & magnificis gratiis, ac beneficiis inclareſcere voluit.

Friburgi perſona quædam ingenti morborum ſatellitio cumulata, jam

jamque ad abitum ex hoc mundo inuncta, inſpiratæ tamen à P. Operario Capucino in Fidelem noviſſimè beatificatum fiduciæ morem gerens, præſenti ejusdem, & medicorum teſtimonio prodigiosâ interceſſione omnimodam incolumitatem ſola beati invocatione conſecuta eſt.

Sic quoque Conſtantiæ cujusdam Senatoris unicus filiolus quinquennis ab utero matris miſerè claudus miraculosâ B. Fidelis ſanatione ad ſtuporem, & lætitiam non parentum duntaxat; ſed totius urbis inſtantaneè in pedes erigitur, & integrè convaleſcit.

S. Antonius autem Neoſtadii Conſulis pariter filiolum omnium opinione, ac peritorum judicio extinctum, jámque ad ſepulturam parandum ad enixiſſimas piorum parentum, & Capucinorum invocationes momento quaſi reanimavit, faciem præmortuam colore roſaceo pinxit, membra jam rigentia vegetavit, & puellum ſeu ad vitam revocavit, ſeu vitam interceptam, ac deſituram ſoſpitavit, ut vel medicis attonitis læti parentes hunc redivivum, tanquam ſupernaturali geneſi renatum complexi ſint.

Revera autem mortis ſopore oppreſſi ſunt, non niſi in generali hominum anaſtaſi evigilaturi

F. Udalricus ex Salurn. Laic. F. Fauſtinus ex Lôffingen Laic. P. Candidus Ravenſpurgens. Conf. P. Nazarius ex Vaduz Sacerd. P. Carolus Rottenburg Guard. P. Tiberius ex Foro Tiberii Ex-Definitor de quo in prædic. qual. §. 2. de litterat. P. Columbanus Villingan. Guard. Novit. Magiſt. P. Evariſtus Rottenburg. CC. P. Manſuetus Rottvvilan. CC. P. Conradinus ex Weiller CC. P. Eduardus Friburgens. Confeſſ. P. Georgius Rottvvil. Guard. P. Michaël Wollmating. CC. P. Venantius Conſtantien. CC. P. Florianus Ravenſpurg. Guard. F. Menradus ex Möllingen Laic. F. Alphonſus ex Mellau. Laic.

Summa 17.

In verba Seraphici P. Franciſci jurârunt

F. Longinus Villingan. Laic. F. Nathanaël ex Oberſtorff. Cler. F. Maſſæus Wangens. Cler. F. Fidelis ex Weiller Laic. F. Salvianus Wangens Cler. F. Adamus Friburgens. Cler. F. Joannes Brigantin. Cler. F. Peregrinus Waldishuttan. Cler. F. Fauſtinus ex Schliers. Cler. F. Sylveſter Immenſtad. Cler. F. Alanus Sulgoviens. Cler. F. Valentinus Waldishuttan. Cler F. Morandus Bezaviens. Cler. F. Michaël Villingan. Cler. F. Arnoldus Immenſtad. Cler. F. Monaldus Rottenburg. Laic.

Summa 16.

Annus Chriſti 1730. | Provinciæ diviſæ 63. Clementis XII. 1. | Caroli VI. 20. | Cardinal. Barberin. Protector. 12. | Joa. Franc. Ep. 27. | P. Hartmann. Brixin. Gener. 5. | Alexii Conſtant. Prov. 2. |

SS. D. N. Benedictus XIII. Pontifex maximus annum hunc morte ſua cùm omnibus invisâ, ſibi ſoli exoptatiſſimâ funeſtavit, & Eccleſiam viduam in profundum demerſit luctum: cui abſtergendo Eminentiſſimi DD. Electores conclave ingreſſi potioribus ſuffragiis die 12. Julii adhibue-

buerunt Eminentiſſimum D. Cardinalem Laurentium Corſinum, & pro Benedicto die 21. Febr. mortuo reſuſcitarunt Clementem XII.

Conſtantiæ die 20. Aprilis habetur Congregatio RR. Patrum.

In dicta urbe Conſtantia à quibusdam in Capucinos tum adhuc minùs benignis acerba cuditur faba occaſione fontis, qua obtrudi Capucinis voluit ſubſcriptio cujusdam Reversûs inſtituto noſtro minùs congrui, cum comminatione deteriorum quorumcunque in caſu renitentiæ inferendorum. &c. De quo alibi aliquid.

Laborum quoque abyſſum procreavit negotium illud Seelbacenſe; quo agendum erat, ne loci illius Candidati in damnificationem trium conventuum noſtrorum proſperentur.

Hæc moleſtia moleſtiſſimum comitem habuit in cauſa, quâ à nonnemine in fermentum acto fama Religionis, & provinciæ proſcindebatur, protruſis ad hunc finem ſcabioſiſſimis in lucem publicam ſatyris.

Propter hæc & alia Veldkirchii die 15. Julii potiores RR. Patres iterùm convenire, & deliberationes inhibuere oportuit.

B. Fidelis Martyr. copioſo gratiarum imbre plures ad vitam, incolumitatem, & ſolatium recreat. Villingæ honeſta mulier ex partûs difficultate jamjam agonizans adhibito retiolo, quod tactu cranii B. Fidelis ſacratum erat, à partûs, & mortis diſcrimine feliciter expeditur.

Civis ibidem moribundus apoſtemate à facienda confeſſione & ſumendo viatico in afflictionis cumulum impeditus, ſimilis retioli virtute, reſoluto ulcere, & ejecto plurimo phlegmate habilis efficitur ad ſuſcipienda Eccleſiæ Sacramenta: quibus perceptis maximo ſuo ſolatio vita defungitur, in cælis medico ſuo gratias acturus.

In agro Simaringano duo pueri pedibus elumbes votivâ ad cunas B. Fidelis geſtatione ambulandi gratiam obtinent. Duo alii in eadem vicinia ſimilis peregrinationis merito depulſa luminis jacturâ viſum gaudentes recipiunt.

Deum autem beatificè viſuri oculos in mortem clauſerunt

P. Juſtinianus Uberlingan. CC. F. Thaddæus ex Aicken. Laic. P. Raphaël ex Sonthofen. Superior. P. Auguſtinus Oehningan. CC. P. Julius ex Dorrenbüren CC. P. Fidelis Rottenburg. Ex-Provincialis. P. Beda Altkirchens. Guard. P. Prudentius ex Dietenbrunn. CC. P. Martialis ex Sateins. CC. F. Leander Stauffens. Laicus.

Summa 10.

P. Raphaël admodùm Clericus cum quodam P. Concionatore ad ſubſidia ſpiritualia emiſſus, & ab hoc in Eccleſia pro Confeſſionali ſeſſuro propter intenſum frigus in ædium Parochialium hypocauſto remanere juſſus à quadam proſtituti pudoris amicula ad illicita ſollicitatus; & rubore venerem ex horeſcente perfuſus celerrimâ fugâ ad Eccleſiam ſe ſe proripuit pudicitiam ſuam tutaturus, & pro ſervata matri pulchræ dilectionis gratias acturus.

Exinde P. Raphaël in virum ſtudioſſimum evaſit, ut propter inſignia merita, prudentiam, & religionis fervorem in Guardianum, & Superiorem Reſidentiæ Oppenovienſis creatus ſe ubique virum juxta cor Dei, &

à manſuetudine, charitate, & omnia in aliorum ſalutem agendi promptitudine commendabilem, æquè ac venerabilem exhibuerit. In pace, & oſculo Domini invitis tam domeſticis, & exteris ſuaviſſimè obdormivit.

P. Fidelis nominis ſui anteſignanum, B. Fidelem Martyrem, in multis æquavit, in aliquibus ſuperavit, in omnibus ceu ſanctiorem deveneratus eſt. Ad ejusdem namque ſimilitudinem, namque jam in ſæculo juris utriusque Doctor, Sacerdos, illuſtrium juvenum Gubernator, quos ad exteras regiones profectos comitatu, & oculo ſuo curabat, & ad ſuos feliciter reducebat.

Poſt imbibita Theologiæ ſtudia mox ad hæc ſcholaribus noſtris communicanda cathedræ præfectus eſt. Hoc munere abſoluto Guardianum agere juſſus procul ab omni levitate inter ſtrictas regulæ, & conſtitutionum leges & ſe, & ſubditos continere in primis poſt divina curis habuit. In conventu taciturnus, in aliorum mores urbaniſſimè cenſorius, in converſatione modeſtè hilaris, in conſiliis maturus, in refectione temperans, in agendis circumſpectus, regularis diſciplinæ rigidus exactor nullo hominum, etiam Benefactorum reſpectu ab ea vel latum unguem dimoveri ſe paſſus eſt. In definitorium adlectus, majoríque authoritate potitus, hac non niſi ad manutenendum Ordinis decorem uſus eſt, vir alioquin humillimus. Bino triennio provinciam gubernavit; nihílque in hoc officio ſibi magis cordi habuit, quàm ut Religioſis ſuis præter Regulæ cuſtodiam boni exempli ſtudium inculcaret, dicere ſolitus: Benefactoribus noſtris non aliud rependium, quàm preces, & bonum debemus exemplum. Non ſolùm à venerabili vultûs, & barbæ condenſatæ, atque ſeneſcentis decore, & oris ad urbanitatem diſerti elegantia; ſed vel maximè à modeſtiſſima converſatione ſpiritum Seraphicum, & animum Deo occupatum præſeferente magnam ſibi venerationem ubique conciliavit. Itinera ſua, quatuor romana ad generales dietas, unum Viennenſe ad aulam Cæſaream, plurima per provinciam pedes exegit, licèt moleſtiſſima herniâ fractus, ob quam frequenter in via ſubſidere, aut etiam *in nives ſe projicere* debuit, donec bobonium citra humani auxilii admiſſionem, ſeipſo regreſſum copiam gradiendi fecerit. Deficiente eum memoria in Capitulo Veldkirchenſi omnibus ſe officiis abdicavit, & lætitiis ob beatificationis feſtivitatem geſtiens, atque lacrymans, ridénsque ad obvios quosque dixit: neſcio quî me habeam præ gaudio. Wangam exinde pergens in ipſo celebrandi jubilæi ſacerdotalis apparatu obruente eum ſeriâ ægritudine ad cæleſte jubilæum vocatus piiſſimè obiit.

Rudentes, & remos mundi cum armis religioſæ militiæ commutârunt

F. Menradus Marchdorff. Laic. F. Geminianus Friburg. Cler. F. Paſchaſius Ranckvvilan. Cler. F. Venantius Argens. Cler. F. Julius Brigantinus Cler. F. Georgius Weingartens. Cler. F. Carolus Joſephus Weiterding. Cler. F. Demetrius Offenburg. Cler. F. Nazarius Offenburg. Cler. F. Agapytus Wangens. Laic. F. Donatianus Badens. Cler. F. Flavianus Badenſis Cler. F. Bertrandus Friburg. Cler. F. Prothaſius Briſacens. Cler.

Summa 14.

Annus

Annus Chriſti 1731. | Provinciæ diviſæ 64.
Clement. XII. 2. | Caroli VI. 21. | Cardin. Barberin. Protect. 13.
Joa. Franc. Ep. 28. | P. Hartmann. Brixin: Gener. 6. | P. Alexii Conſtant. Prov. 3.

Reverendiſſimus P. Hartmannus Brixinens. Miniſter Generalis provinciam ingreſſus, & ubique maximis honoribus affectus Conſtantiæ Capitulo, ſerie trigeſimo tertio. ad diem 4. Maji conſcripto præſidet : in quo A. R. P. Alexius Conſtant. in Provincialatu confirmatur : Definitores autem nominantur RR. PP. Salomon Villinganus , Anaſtaſius Villinganus. Franc. Antonius Conſtant. Georg. Jacobus Conſtant.

Finitis negotiis Capitularibus Reverendiſſimus P. Generalis cum honorifico provinciæ Comitatu Weiſſenhornium , primum provinciæ ſuæ nativæ , ſeu Tyrolenſis conventum deducitur.

Maximo Eccleſiæ Romanæ Catholicæ luctu, & diſpendio ; nec minori hæreticorum etiam in his partibus tripudio ultra viginti millia longâ ſeductione in transverſùm abeuntium vallicolarum Salisburgenſium in perniciem ſuam emigrant, nec Lutherum, nec Calvinum, nec Zvvinglium docti, docendi tamen ſectam Regionis , in qua quisque panis lucrandi occaſio ſe obtulerit. Horum non pauci per multum Sueviæ tractum in Hollandiam abducti ſunt.

Sereniſſimus Princeps Sigmaringanus ex B. Fidelis Mart. civísque olim ſui beatificatione gaudiis perfuſus oſſeam alterius brachii partem jam diu pretiosè, ſed occultè habitam puriſſimo argento , & pluribus unionibus exornari curavit, feſtivis diebus in ornamentum altaris, devotis autem in venerationis objectum exponendam. Cunæ etiam , quibus B. Fidelis infans utebatur, hactenùs in angulo quodam ſervatæ , in Eccleſiam Sigmaringæ Parochialem producuntur , & ferreâ catenâ ſcamno alligantur.

A. R. D. Loci parochus cuſtodit inſtrumentum ſtipendii à B. Fidele ante religioſam profeſſionem in auxilium pauperum ſuæ cognationis ſtudioſorum conditi, propriáque ejus manu ſcripti ; quod ſub certa invocatoriæ benedictionis formula calamitoſis applicitum varias, ac miras præſtare ſolet ſanationes.

Ita pictoris Sigmaringani filius febri omnem medicinam eludente diu acritérque concuſſus ope B. Fidelis piè in prædicta Eccleſia invocāti inſtantaneè ſanatur.

Eamdem gratiam A. R. D. loci parochus deprædicat ſe accepiſſe, ex tibiarum contractura miſerè claudicans : ſed nominatarum Reliquiarum applicatione prodigiosè erectus.

Pia mulier item Sigmaringana Athritidem frequenter, præſertim poſt puerperia, paſſa impoſitione ſcripturæ ſtipendialis ſupradictæ in præſens , & in futurum hoc morbo liberatur.

Celſiſſimus ac Reverendiſſimus DD. Epiſcopus Curienſis provinciæ donavit integrum B. Fidelis brachium ; quod debitè exornatum ſacello Eccleſiæ

noſtræ Friburgenſis contiguo illatum eſt, tanto augendæ devotionis illicio, quanto miſerorum emolumento.

Illuſtris quidam juvenis ſtudiorum cauſâ ibidem moratus cum copioſo ſanguinis è naribus ſtillicidio, ad plures dies, noctésque protracto, nulláque medicorum arte cohibendo ſpiritum quoque exhalaturus timebatur. Verùm adhibitâ bombyce Reliquiis B. Fidelis attacta profluvium ſanguinis derepentè ſiſtitur, omnibus, etiam Medicis, evidenti id miraculo tribuentibus.

Devota ibidem fæmina primò plures ipſis viginti annis pedem alterum cruciantes dolores ſola linteoli propè altare B. Fidelis benedicti applicatione momento abſterſit, quod nulla ſeu chirurgia, ſeu medicina potuit. Deinde eosdem dolores in caput migrantes eodem ſacro remedio feli ciſſimè fugavit.

Curſum vitæ ſuæ abſolverunt in provinciæ gremio

F. Clemens ex Mumpf. CC. F. Homobonus ex Hohenembs Laicus. P. Ferdinandus Brigantin. Guard. P. Ubaldus Villingan. CC. P. Zeno Dillinganus CC. P. Ferdinandus Veldkirch. CC. P. Abundius Wollmandinganus Guard. P. Franc. Antonius Steiſsling. Cler. P. Coſmas Conſtant. CC. de quo in prædic. qualit. §. 1. litt. C. P. Theophylus Friburg. CC. P. Wenceslaus Uberlinganus Sacerd. P. Franc. Xaverius ex Danheimb. Vic. P. Innocentius Villingan. CC. P. Eugenius Rhenofeld. CC. P. Chriſtophor. Conſtant. CC. P. Fridericus Veldkirch. CC. F. Joſue Riedlingan. Laic. P. Henricus Uberlingan. Guard. *Summa 18.*

P. Clemens religioſa gravitate incedens tota vita eximii Capucini effigiem præſetulit, ad majora applicandus, niſi adverſa valetudo ejusdem humilitati amica obſtitiſſet. Verè in alios clemens ſibi tantò in omnibus rigidior extitit, ſtrigum maſtix, & maleficiorum triumphator paſſim habitus; qui cùm improbo ſtudio naturæ arcana didiciſſet, ſaluberrima amuleta conficere, competentes Exorciſmos adhibere; & ſeu diſſolvendis, ſeu arcendis dæmonum, ſagarúmque *faſcinationibus* opponere ea felicitate novit, ut in ſalutem proximi ſtupenda patraverit. In bona ſenectute bonâ morte quievit.

F. Homobonus vir unus, & ſui nominis ſemper tenax ardentis orationis ſtudium continuo labore reciprocavit, charitatem, & reverentiam erga omnes, præſertim Sacerdotes, exhibuit ſingularem, quemquam offendere, & à quoquam offendi neſcius, ſemper in Domino hilaris, etiam cùm compendiosa, haud tamen improvisa morte ex hac ipſi vita migrandum fuit.

F. Franciſcus Antonius ex Perilluſtri Lib. Baronum de Ebingen familia procreatus in humilem S. P. Franciſci familiam translatus; ſed adverſante Hygiecâ uſus in paucis explevit tempora multa, in novitii fervoris innocentia extinctus.

P. Franc. Xaverius modeſtiſſimi animi Religioſus converſationis inculpatæ merito, & prudentiæ dono ad officia maximè idoneus, ac dignus; ſed ob frequentes corporis infirmitates ea aſſecutus non eſt aſſequi incurius, cùm ſolitariam vitam, & charitatem infirmis, ac moribundis impen-

den-

dendam omnibus Præfecturis, & dignitatibus potiorem habuerit. Friburgi in iisdem ægrotantium obſequiis lethalem ſibi ægritudinem attraxit, quâ conſumptus cum optimi Capucini opinione deceſſit.

Strictam vitæ Seraphicæ rationem ineundam cenſuerunt

F. Martialis Cellens. Cler. F. Colomannus ex Schnirpfling. Cler. F. Thuribius ex Rohrdorff Cler. F. Stephanus Marispurg. Cler. F. Ubaldus Rottvvilan. Cler. F. Angelinus Friburg. Cler. F. Evariſtus Villing. Cler. F. Jacobonus Uberlingan. Cler. F. Leander ex Vaduz Laic. F. Comes Conſtant. Cler. F. Wenceslaus Brigantin. Cler. F. Marcellus ex Kirchdorff. Cler. F. Bernardus Conſtant. Cler. F. Leander Uberlingan. Cler. F. Thaddæus ex Gindelvvang. Laic. F. Ferdinandus Bibracens. Cler.

Summa 16.

Annus Chriſti 1732. | Provinciæ diviſæ 65. Clement. XII. 3. | Caroli VI. 22. | Cardinal. Barberin. 14. Joa. Franc. Ep. 29. | P. Hartmann. Brixin. Gener. 7. | P. Salomon. Villing. Provinc. 1.

Capitulum Provinciale trigeſimum quartum Cellæ Ratholdi ad 5. Septembris Miniſtrum provinciæ dedit A. R. P. Salomonem Villinganum. Definitores, RR. PP. Caſtum Hüffinganum. Theodoſium ex Bonndorff. Anaſtaſium Villinganum. Franc. Anton. Conſtant. Cuſtodes Romanos ad futurum generale capitulum. RR. PP. Maximilianum Wangens. Franc. Antonium Conſtantien.

Opinione belli undequaque erupturi concutitur non ſolùm Italia; ſed Romanum: Imperium, Germania, Suevia, & provincia noſtra, Reginâ Hiſpaniæ filiis ſuis exaltandis, & alieno coriô ditandis ſupra modum intenta omnes Cæſaris curas, & cautelas ſervandæ tranquillitati publicæ adhibitas ſub ſinu, & tunicâ explodente.

Sed neque provinciæ tranquillæ eſſe licuit, causâ Seelbacenſe eam graviter occupante. Licèt verò in cauſa adeò juſta RR. Patres lucrifaciendâ omnem rudentem moverint; prævalente tamen adverſariorum potentiâ contra omnem juris ordinem eâdem causâ cecidimus.

S. Antonius Reſponſorio à Capucinis pro aliorum ſolatio opem poſtulatus, primò: equum cuidam Ruricolæ propè Möſskirchium è ſtabulo eductum, ſed iniquo ſeſſori elapſum ad præſepe ſuum curſu velociſſimo properare fecit. Secundò: honeſtiſſimæ viduæ Möſskirchenſi nonnulla ex argento cochlearia furto ſubtracta anfractu prorsùs inſolito per manum ignotam reſtituit.

B. Fidelis Mart. quemdam epilepsiâ infelicem, & frequenter caſibundum ab ea miſeriâ indemnem dimittit Sigmaringâ, quò is peregrinatum maximis itineribus accurrerat.

Religioſus quispiam Ord. S. Franciſci &c. à gravi herniâ ipſum ad ferenda Religionis onera, & obedientiæ officia juvenem licèt, imparem faciente, voto ad B. Fidelem facto, absque omni alio uſu medicinæ, ſe plenè

nè ab ea calamitate liberum, & ad Ordinis labores expeditum fatetur.

Friburgi puella undennis dolorum acerbitate auditûs gratiâ deſtituitur: ſed B. Martyris interceſſione eâdem redonatur pulſis unà aurium doloribus.

Ibidem optimæ notæ vidua cephalgiâ immaniter tortâ fuſis ad B. Fidelem precibus inſtantaneam cruciatuum remiſſionem altâ voce depræ-dicat.

Superato mortis agone victores, ut in Chriſto ſperamus, ad ſuperos appulſi ſunt

F. Rupertus Riedlingan. Cler. ſtud. P. Hiacynthus Kauffburan. Sacerd. ſtud. F. Joachim Villigan. Laic. P. Bernardus ex Vaduz CC. F. Fauſtinus ex Schvvarzenberg Laic. P. Georgius Hürlinganus Guard. P. Placidus Friburg. Sacerd. P. Venerandus Bizaviens CC. P. Iſaac Friburgens. Conſ. P. Juſtinus ex Sonthofen. Guard. P. Raymundus Conſtant. Guard. P. Marinus Oenipotanus Guard. P. Eliſæus ex Stein. CC. P. Caſimirus Dillingan. Conſ. *Summa* 14.

F. Rupertus Cler. & P. Hiacynthus Sacerd. optimæ indolis, & voluntatis, nec minoris talenti juvenes Philoſophiæ ſtudio Friburgi incumbentes, ab omni pietate commendabiles, inque magnam provinciæ ſpem vocationem ſuæ primò: tum & ſcientiæ inhiantes priùs è vita, quàm è ſcholâ egreſſi ſunt, exemplari morte ambo extincti.

P. Juſtinus vir devotiſſimus ſimul atque laborioſiſſimus trium Provincialium triennalis itinerum ſocius, trina quoque vice Romam vidit. Guardianus plurium Conventuum, omnium ſimul & ſemel eſſe merebatur: adeò enim eo præſide rei familiari, ſimúlque regulari proſpectum fuit, ut viſitatores in ejus gubernio propè non invenirent, quod taxarent, aut emendatum vellent. Ob multam Ordinis experientiam, prudentiam, & Religioſæ vitæ gravitatem plurium, ſed nunquam vincentibus ſuffragiis ad Senatum Definitorialem exoptabatur: verùm deficiente eum memoria & ab altioris, & à Guardianatûs moleſtiâ, ut vir humilis officia vocare conſuevit, liberatus eſt. Tunc pro ſua devotione augenda unicè intentus, & pacificè inter fratres converſatus meditationibus communibus, & privatis, Choro, aliiſque ſpiritualibus exercitiis ſolidiſſimè ſe addixit, & honeſto labore vacuum ab oratione tempus exegit, narrare ſolitus, in quodam conventu (neſcio cujus provinciæ) fuiſſe Patrem Capucinum Energumenum; qui tempore recreationis antejejunialis modeſtæ, licitæque hilaritati ſemper obmurmuravit; quòd nimirum tempus longè utiliùs, quàm hiſce luſibus tranſigi oporteret: at verò uno altero atrum ſpiritum ſilere jubente, & ei exprobrante, quòd non & ipſe in cælo tempus ſibi conceſſum meliùs collocaverit, hic clamore inſolito, & plus naturalis quid præſeferente in hæc verba ſuſpiravit. Fateor, habui & ego tempus in cælo; ſed heu! heu! breviſſimum. Quo dicto omnes internè commoti ad ſuas ſe cellas receperunt. P. Juſtinus ab eo tempore, & caſu magnum tempori pretium ponere didicit, ac incæpit; qui urgente ſenio, & morbo decretorio in nomine Domini (hæc illius uſitatiſſima in omni adverſitate, & emergentium caſuum varietate formula apophtegmatica fuerat, reſignati in Deum animi teſtis) piiſſimè ex tempore ad beatam æternitatem tranſiit.

F. Fau-

F. Fauſtinus etiam à fidelitate erga Deum, & Religionem; ab aſſiduo, laborandi ſtudio, à pietate in Deiparam, charitate in proximum, curâ in rem domeſticam, & veneratione in ſuperiores omnibus ſe commendabilem reddidit. Laboribus exhauſtus, ſenióque confectus placida morte ſoporatus.

Manum ſuam ad Seraphicæ Religionis aratrum applicuerunt

F. Zeno Wangens. Cler. F. Albericus Uberlingan. Cler. F. Innocentius Uberling. Cler. F. Waltherus Offenburgens. Laic. F. Fridericus Weingart. Cler. F. Criſpinianus Oberkirch. Cler. F. Venerandus Wiſenſteig Cler. F. Hiacynthus ex Todmos Cler. F. Henricus ex Vineis. Cler. F. Sidonius Conſtant. Cler. F. Maximilian. Wangens. Cler. F. Caſimirus Dilling. Cler. F. Sabinianus Conſtant. Cler. F. Rupertus Riedling. Cler. F. Eugenius ex Münſterling. Cler. F. Balthaſarus Bonacellens. Cler. P. Joachim Marchdorffens. Laic. F. Iſaias Munderkinganus. Clericus.

Summa 18.

Annus Chriſti 1733. | Provinciæ diviſæ. 66. Clement. XII. 4. | Caroli VI. 23. | Cardinal. Barberin. Protector. 15. Joa. Franc. Ep. 30. | P. Bonaventuræ Ferrarienſ. Gener. 1. | P. Salomon. Villing. Prov. 2.

Sac. Rit. Congregatio, annuente SS. D. N. Clemente XII. litteras Remiſſoriales expedivit, & pro fabricando Proceſſu canonico ſuper tria miracula ex pluribus ſelecta, ac medicorum teſtimoniis comprobata Celſiſſimo ac Reverendiſſimo Epiſcopo Conſtantienſi tanquam judici primario direxit, cum poteſtate ob diſtantiam loci alium ſui vice, & alios judices delegandi. / Agente P. Romualdo Stockacenſe tum à Reverendiſſimo P. Generale patentibus obedientiæ litteris, tum à R. P. Maximiliano Wangenſe Cauſæ poſtulatore ſpeciali mandato Procuræ munito, & conſtituto Procuratore idem Reverendiſſimus D. Epiſcopus in Judices delegavit Reverendiſſimum, & Ampliſſimum Dominum Dominum Udalricum Abbatem ad S. Petrum Ord. S. Bened. & Reverendiſſimos DD. Franciſcum Joſephum Egermayr, præpoſitum &c. &c. Chriſtianum Frick, Joan. Baptiſtam Schneider, Franciſcum Joſephum Merckle Canonicos Eccleſiæ Colleg. in Waldkirch. Reverendiſſimum D. Jo. Jacobum Vicarium &c. Rectorem Eccleſiæ Parochialis Friburg. &c. &c. Fiſcalem Curiæ Epiſcopalis denominavit, poſteà perſonam Promotoris fidei acturum: cui alius in eodem charactere adjunctus eſt Reverendiſſimus D. Jo. Martinus Schill ejusdem Eccleſiæ Colleg. Canonicus.

His ita conſtitutis Proceſſus Friburgi Brisgojæ die 20. April. feliciter inchoat, & Notarium Actuarium agente A. R. D. P. Ambroſio Kappeller Ord. S. Bened. Monaſterii S. Trudperti Capitulari, felicíque propagatus, & feliciſſimè die 20. Junii finitus eſt; præfatis Reverendiſſimis DD. Officialibus non ſolùm indefeſſam huic ſacro labori operam; ſed & multiplicem liberalitatem, devotionis in B. Fidelem, & beneficentiæ in Capuci-

nos teſtem, collocantibus, atque ab illo cæleſtem remunerationem ; ab his verò æternam gratitudinem promeritis.

Dum hæc gererentur RR. Patres provincialis, & Cuſtos provinciæ Romam attigerunt, & ingens ſchismainter Capitulares repererunt, prætendentibus Gallis ſuæ in hanc vicem nationi honorem Generalatûs deberi, cùm ſub ea lege in priori Capitulo Germanis acceſſiſſent. Cùm verò publicæ rerum circumſtantiæ non paterentur Gallum eligi generalem, oculi & animi Capitularium conjecti, & congregati ſunt in ſubjectum, contra cujus electionem nemo quidquam muſſitare audebat. Igitur ad ſcrutinia, præſidente Eminentiſſimo D. Cardinale Protectore, proceſſum fuit, publicato priùs brevi Apoſtolico, quo declarabatur, munus Prædicatoris Sac. Palatii non eſſe incompatibile cum Generalatu; ita tamen, ut tum P. Generalis, tum Definitores Romæ ſubſiſtant, & unà cum P. Procuratore Generali unum Ordinis Tribunal conſtituant, quóque pro negotiis ſuæ nationis invigilaturo ; & uno ex his defuncturo, Definitoribus alium inter ſe, ſed ex gente defuncti, eligere permiſſis. A votorum collectoribus proclamati ſunt, Generalis, Reverendiſſimus P. Bonaventura Ferrariens. Concionator Apoſtolicus. Definitores, RR. PP. Cyrillus a Cubla, Petrus Maria à Lucca, Jordanus Waſſerburgens. Juſtinus Biturricens. Bernardinus à S. Angelo in Vado, Antonius Maria à Palazuolo Procurator Generalis, ad quòd munus etiam noſter R. P. Maximilian. 38. ad Definitoriatum autem 51. 38. 32. 36. 18. votis expetitus fuit.

Reverſis ex itinere Romano P. Provinciale, & P. Cuſtode Congregatio habetur 3. Aug. in conventu Bludentino, tanquam ex Tyroli venientibus proximè obvio. In hac pro Secretario procuratore denominatus eſt P. Floridus ex Eſpeſingen.

Mors Sereniſſimi Regis Poloniæ opportuniſſimi Belli erupturi occaſio fuit. Quòd enim Galliæ Rex ſocerum ſuum Stanislaum Lezcinski Throno illi deſtinâſſet ; Cæſar verò hunc excluſum, aliúmque ſubrogatum vellet, Gallus, Hiſpanus, & Sardus inopinato fœdere coaleſcentes cruentam Belli tragœdiam adornârunt, à qua nec Germania noſtra immunitatem habuit. Et licèt Gallus Romano Imperio de illi arma inferendo ſecuritatem dederit ; tamen facto proteſtationi contrario Imperium in expugnatione Fortalitii Kehlenſis priùs, quàm Cæſarem aggreſſus eſt, inde in Sueviam penetraturus, Eberhardo Ludovico Wirthenbergiæ Duce liberum Gallico exercitui tranſitum non ſolùm permiſſuro, ſed offerente. Verum mors interveniens, & huic vitam, & ejus propoſitum intercluſit, ſuccedente in Ducatum Wirthenbergiæ Sereniſſimo Principe Carolo Alexandro, pari pro Religione Catholica, & domo Auſtriaca fide ſtudioſiſſimus. Ne verò gaudium Catholicæ Religionis ex hoc Principe conceſſum plenum eſſet, ſtatus Lutherano-Provinciales iniquiſſimam illi capitulationem obtruſerunt, & ſub fide Principali ſubſcribendam exhibuerunt; ſecùs non habituro quietum Regimen, & provinciam obedientem.

His foràs geſtis P. Maximilianus noſter Wangenſis à ſummo Pontifice tanquam Commiſſarius Apoſtolicus ad viſitandas utriusque Siciliæ provincias ablegatur. De quo alibi.

Au-

Auxiliante B. Fidele Mart. Maria Zettlerin à diuturno, & incurabili pedum cruciatu, etiam in reliquum corpus graſſari incipiente : puerulus Friburgenſis ex rachitide pecudum in morem reptans : Infans Rottvvilano-Brisgojus ex utero matris fædiſſimum ulcus in capite trahens feliciter curati ſunt, ut in præfato proceſſu hæc eadem tria beneficia juridicè examinata ſunt. Durante eodem proceſſu infans, qui elinguis nutrimentum capere non poterat ; ideóque propediem extinguendus putabatur ; cùm pro lingua apparuerit in ore fruſtillum carnis gutturi penitùs affixum adeóque immobile ; facto à matre voto B. Fidelem peregrinatione ad ejus Friburgi ſacellum, & conducto Miſſæ ſacrificio honorandi, cum maximo ſtupore fruſtillum carnis gutture ſolutum, in expeditam linguam formatum, & ſic potentiam accepit admittendæ nutritionis, ex qua mox in vividum, ſanúmque evaſit.

Sex annis filiola Schmerckingenſis ex voto cunis B. Fidelis impoſita ab athritide ſolvitur, & ambulandi facilitate donatur.

Pia fæmina ex Krauchenvvis ob manûs, & alterius pedis contracturam afflictiſſima devotæ ad cunas B. Fidelis peregrinationis remedio inſtantaneam nervorum relaxationem, liberámque artuum uſuram adipiſcitur.

Feſtuca de cunis B. Fidelis obtenta, & applicata mulieri Sigmaringanæ in ſæviſſima uberum tortura præſentiſſimæ medicinæ fuit.

Alia ex loco Bärenthal manum unam cum digitis aridam, omníque vitali ſuccô interceptam cunis B. Fidelis impoſitam, ſpectante, & ſtupente plurima hominum concione, vegetam, validámque extraxit.

Poſt confectum vitæ curriculum ad ſempiterna abierunt

P. Hubertus Uberlingan. Sacerd. P. Cyrillus Conſtantien. CC. P. Conſtantinus Uberlingan. CC. P. Eraſmus Friburgens. CC. P. Cæleſtinus ex Kuppenheim. CC. F. Mathias Möſskirchens. Laic. P. Simplicius Stauffens. Guard. P. Ambroſius Marchdorffens. CC. F. Longinus Dilling. Laic. de quo in prædic. qual. §. 1. litt. L. P. Lucianus Veldkirch. Conf. F. Franciſcus ex Rieleſingen Laic. F. Matthæus Immenſtadien. Laic. P. Ottmarus ex Höchſt Conf. P. Zacharias Bludent. CC. P. Quirinus Friburgens. CC. P. Florianus Immenſtad. CC. P. Vitus Friburg. CC. F. Anaſtaſius Immenſtad. Cler. Novitius. F. Servatius ex Eppen. Laic. P. Amandus Rottvvilan. CC. F. Albertus Stauffens. Laic. P. Hieronymus Stockac. Guard. F. Daniel Stauffens. Laic. P. Sebaſtianus ex Gözis CC. *Summa* 24.

P. Conſtantinus ipſos triginta annos ex athritide totum corpus afficiente grabatarium egit, nemini tamen, quàm ſibi gravis, cùm omnes ejus, viri alioquin eximii, elegantis, pluriúmque capacis, tenerrima tenerentur compaſſione. Poſtquam ita à Deo ſatis probatus eſſet, ad coronam propinquabat, totos ultimos triginta dies nil cibi, & potûs humani ſumere poterat, ſpiritu in fatum pridem tranſcripto valentior, quem tandem placidiſſimè exhalavit &c.

F. Matthæus Immenſtad. perfectiſſimum S. P. Franciſci exemplar vel facie tenùs præſetulit, utpote macilenta pallida, & fronte nugas dedignante. Dubium fecit, an rigore in proprium corpus ; an verò lenitate in alios eminuerit. Virtutum, quæ bonum Laicum faciunt, impenſus cultor non

alias à fideliſſimo labore ferias admiſit, niſi quas orationi, & meditationi dabat. Novitiis inſtructor datus ſollicito ſtudio eos ad ſui ſimilitudinem effigiare conabatur. Meritis, & annis plenus vitam taciturnam tacita quoque, & tranquilla morte finivit, æternâ memoriâ dignus.

F. Servatius ex ſtrenuo milite eximius Religioſus multas in tyrocinio dæmonis tentationes ſuperandas habuit. Semel de noctu propè cellam ſuam ſtrepitum quaſi ſonnipedis accurrentis, & hinnientis, quo Servatius miles utebatur, audivit. Sed hæc, & alia tentamina prudens Novitius mox ſuo patri magiſtro aperuit. Poſt vota nuncupata omnes in eo virtutes Seraphici fratris eluxerunt. Reverendiſſimo P. Angelico in ſocium, & chirurgum datus plurimas Romam, in Flandriam, Walloniam, Germaniam, Lotharingiam itinerationes confecit, hero ſuo in exemplar omnium bonarum actionum uſus, ejúsque pietatis, mortificationis, humilitatis, patientiæ, & charitatis exempla pro poſſibili ſuo æmulari conatus. Ex peritia chirurgiæ ubique magni habitus, pluribúsque curationibus provinciæ non contemnendos benefactores peperit. Sed cùm aliquando Seggingam vocaretur in auxilium Illuſtriſſimæ cujusdã Canoniſſæ, ipſe in conventu intermedio ægritudine obrutus religioſiſſimũ ſpiritum in manus Domini effudit.

P. Florianus innocentiſſimæ animæ ſpecimina præſetulit, ad omnia indifferens, & vel riſu hilaritatem conſcientiæ ſuæ manifeſtans. Mox poſt ſtudia febri quadam contagioſa correptus ſe ad exitum de hoc mundo volentiſſimum exhibuit. Qui ad ejus obitum præſentes aderant, firmiter crediderunt, & conſtanter aſſeruerunt, illum aliqua B. V. Mariæ epiphania perfruitum fuiſſe; ſic enim ex verbis, & geſtibus, & vultûs hilaritate collegerunt. Rogavit, ut ſibi ad imitationem S. P. Franciſci in pavimentum poſito mori liceret; id quod obtinuit, atque, ut advertebatur, elicito, intensóque in Chriſtum crucifixum amore, & intuitu emiſit ſpiritum.

His ſuccedaneos Evangelii profeſſores ſubnectimus, qui ſunt

F. Georg. Jacobus Conſtant. Cler. F. Franc. Xaverius Conſtant. Cler. F. Martinus ex Löffingen Laic. F. Peregrinus Wangens. Laic. F. Achilles ex Attenhauſen Cler. F. Aurelius Thiengens. Cler. F. Stanislaus Diviti-Augiens. Cler. F. Matthæus ex Gindelvvang. Laic. F. Petronius ex Waltershofen Cler. F. Eraſmus Villingan. Cler. F. Aloyſius Conſtantiens. Cler. F. Marcus Fidelis Wangens. Cler. F. Daniel Uberlinganus Cler. F. Landoldus ex Dorrenbüren Cler. F. Sebaſtianus Marchdorff. Cler. F. Lactantius Wangens. Cler. F. Claudius Möſskirch. Cler. F. Simon Uberlingan. Cler. F. Florianus Wangens. Cler. F. Jo. Evangeliſt. Isnenſis. Cler.

Summa 20.

Annus Chriſti 1734. | Provinciæ diviſæ 67.
Clement. XII. 5. | Caroli VI. 24. | Cardinal. Barberin. Protect. 16.
Joa. Franc. Ep. 31. | P. Bonaventur. Ferrar. Gener. 2. | P. Salomon. Villing. Prov. 3.

Sereniſſimus Princeps Carolus Alexander Belligradô movens Ducatum

VVir-

Wirthenbergiæ acceſſurus Viennæ in Auſtria in Celſiſſimum, ac Reverendiſſimum D. Nuntium Paſſionæum incidit ; quo cum familiariter collocutus eidem animum ſuum explicuit, dixítque, ſe optare duos habiles viros Capucinos, quibus tum in exercitio Religionis, tum rerum Eccleſiaſticarum, ac conſcientiæ ſuæ arbitris uteretur. Quo audito mox ille Sereniſſimi vota ſecundaturus Romam ſcripſit, & probabiliter SS. D. N. Clementi XII. maximam de catholizando Wirthenbergiæ Ducatu ſpem fecit ; ſimul atque duos patres ex provincia Helvetica ceu Miſſionarios Apoſtolicos ad aulam Wirthenbergicam cum ampliſſimis privilegiis, & exemptionibus inſtruendos poſtulavit.

Engæ die 14. Julii inſtituitur Congregatio RR. Patrum.

P. Maximilianus Wangens. Commiſſarius Apoſtolicus ob animos utriusque Siciliæ ab Auſtria jam alienos, & infanti Hiſpano venditos conſultum judicavit à commiſſione ſuperſedere, & Romam repedare.

Arx Philippica à Gallis expugnata metum incuſſit toti patriæ germanicæ de penitiſſima armorum gallicorum inundatione ; quibus tamen Eugenii Principis militaris prudentia, & fortitudo aggerem oppoſuit, aperto Marte cum hoſte congreſſurus, ſic ubi hic ſui copiam feciſſet.

Interim in Italia res ſeveriùs agebatur, & nonnunquam ad manus deventum fuit, utraque parte ſibi victoriam gratulante. Sereniſſimus Princeps Fridericus Ludovicus Catholicus regnantis jam Wirthenbergiæ Ducis frater Germanus in conflectu ad Guaſtallam gloriosè pro Cæſare occubuit.

Eodem hoc anno alius Germanus frater Henricus Fridericus Princeps Wirthenbergiæ in Caſtro Winedenſi, ſed in Lutheri profeſſione diem obiit.

Item Stuttgardiæ piiſſimè in Domino ſub aſſiſtentia Patrum noſtrorum obdormivit Sereniſſimus Princeps Carolus Fridericus Wirthenberg-Ælſianus, jam olim fidem Catholicam amplexus.

Friburgi modeſtiſſima Virgo tertium S. Franciſci Ordinem profeſſa circa ubera grave malum patiens, & ex verecundia illud diutiùs celans in periculum gangrænæ latiùs ſerpturæ conjecta eſt. Tandem ad cæleſtem medicum, cùm humanum appellare pudor vetaret, ad B. Fidelem converſa ejus imploratâ, & prodigiosè opitulata interceſſione integrè ſanatur, abolito penitùs ulcere, & hujus propagandi metu.

Sexennis ibidem puer puerili levitate cum piſis ludens unum majuſculum auri ſuæ intruſit ; quod mox in interiorem meatum ſe abdens nec ab ipſo puero, nec à parentibus erui ampliùs potuit. Sed neque accitus Chirurgus omni arte ſua plura præſtitit, quàm ut illud eliciendi conatu adhuc profundiùs in auris alveolum compegerit, & auricula ad patientis maximos dolores intumuerit. In eo articulo mæſti parentes votivis precibus B. Fidelem in auxilium rogârunt. Et en tibi ! vacante ab omni Chirurgi manu piſum ſe ipſo per meatum prædicto tumore arctatum erumpit, & in extremitatem auriculæ revolutum ſe eximendum præbuit, puero ſanato, parentibus lætis, & Chirurgo miraculum faſsô.

In agro Sigmaringano mulier propè eluſcata ad B. Fidelis cunas peregrinatum ducta ſcripturæ ejusdem B. Martyris impoſitione, omni collyrio

rio efficaciore, plenè illuminata, ſine duce domum repedavit. Alia ab obſtinata febri: puer ex diuturna ægrotatione pedum uſu deſtitutus: alius ruptura fractus, absque omni medicina, ſolo B. Fidele interceſſore uſi, à cunctis malis ſuis immunes evaſerunt. Ruſticus in pago Heudorff, haud procul Stockachio, ſeptuagenario major aquâ intercute altùm inflatus brevi ſuffocandus credebatur. Poſtquam verò pia ejus uxor ad B. Fidelis cunas devotam peregrinationem ſuſcepiſſet, & iis lodicem ſecum allatam intuliſſet, hánceque domum redux ægro ſubſtraviſſet, hic altùm ſoporatus ad omnium ſtuporem aquâ inflante vacuus, ſanúsque evigilavit.

Mortis autem ſopore ſuffocati ſunt, non expergefaciendi ante vocem Archangeli.

P. Ildephonſus Veldkirch Guard. P. Cherubinus ex Schruns. de quo in prædic. qual. §. 1. litt. C. P. Caſtus Hüffingan. Definitor. P. Lucianus Waldishuttan. ſtudios. abſolut. P. Magnus Möſkirch. Guard. P. Stephanus Bludentin. Conſ. P. Bruno Rottvvil. CC. P. Apollonius Uberling. CC. P. Adamus Rhenofeld. Guard. F. David ex Degging. Laic. P. Marquardus Marispurg. CC. de quo in prædic. qual. §. 1. litt. M. F. Chriſtophorus ex Schramberg Laic. P. Henricus ex Dottenhauſen. CC. F. Hortulanus Bludent. Laic. P. Udalricus Veldkirch. CC. P. Pancratius Conſtant. CC. F. Sidonius Conſtant. Cler. P. Samuel Uberlingan. Conf. P. Donatus ex Aſen. CC. F. Chriſtianus ex Schnappach.

Summa 20.

P. Caſtus nominis ſui Ethymologiam expleturus nunquam non modeſtiſſimis, caſtiſſimíſque moribus præditus fuit, pudicitiâ, quæ mentem decoraverat, genasquoque purpurante; & oculorum demiſſione cui ſemper ſtuduerat; innocentiſſimam ejus indolem manifeſtante. Inter doctos facilè doctiſſimus ſcholis Profeſſor non minùs ſpiritualiſſimè, quàm ſagaciſſimè præfuit. R. P. Provincialis per triennium ſocius omnibus conventibus perfectæ religioſitatis exemplo fuit. In Guardianatu, & Definitoriatu ac tandem Vicariatu Provinciali; prius autem in Novitiorum curâ in primis curis habuit, ut omnibus ſpiritum Seraphicum inſpiraret, séque in quot fratribus, ſubditis, diſcipulis, & tyronihus replicaret. Flaveſcente corporis valetudine per litteras ad R.P.Provincialem datas ab omnibus fratribus offenſarum, & defectuum ſuorum veniam: ab ipſo autem P. Provinciale Benedictionem moriendi rogavit, quaſi de morte ſua unde unde præſcius. Invitatis igitur ad agonem ſuum Jeſu, Maria, & Joſeph, ad quos tota vita ſingulari, & tenerrima devotione afficiebatur, & quorum ſanctiſſima nomina vel in ſcriptis ſuis ſcholaſticis primum locum habuerant, innocentiſſimam animam in caſtiſſimo Domini oſculo tradidit in manus Jeſu, Mariæ & Joſeph eo ipſo momento, quo fratres in Choro cantanda Prima occupati ad ea verba pervenerunt: *Pretiosa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus.* Felici omine feliciſſimæ mortis vel à Choro, diſponente Deo, annuntiatæ, de qua nemo vitæ ejus immaculatæ conſcius unquam dubitavit.

In filios Seraphicos formandi officinam Ordinis noſtri ingreſſi ſunt

F. Franc. Saleſius Wangens. Cler. F. Jordanus Marchdorff. Laic. F. Hippoly-

polythus Uberlingan. Cler. F. Iſidorus Bludent. Laic. F. Florinus Lauffenburg. Cler. F. Pirminius ex Augia Divite Cler. F. Lucianus Conſtant. Cler. F. Macarius ex Göfis. Cler. F. Vitalis ex Baltringen Laic. F. Gualbertus Wolfacens. Laic. F. Quirinus Uberlingan. Cler. F. Zacharias Isnenſis Cler. F. Eliſæus Wilerſtad. Cler. F. Humbertus ex Damberg. Cler. F. Celſus Badenſis Cler. F. Humilis Engens. Laic. F. Cherubinus Veldkirch. Cler. F. Feliciſſimus Ettlingan. Cler. F. Ottmarus ex Hornuſſen Cler. F. Angelicus Rhenofeld. Cler. F. Benno Wangens. Cler. *Summa 21.*

Annus Chriſti 1735. | Provinciæ diviſæ 68.
Clement. XII. 6. | Caroli VI. 25., Cardinal. Barberin. Protector. 17.
Joa. Franc. Ep. 32. | P. Bonaventur Ferrar. Gener. 3. | P. Maximiliani Wangenſ. Prov. 1.

Conſtantiæ die 27. Januarii fuit RR. PP. Congregatio.

R.P. Maximilianus Româ in provinciam reverſus Wangæ ſolennitatem Translationis S. Benedicti Martyris, cujus ſacra oſſa illuc miſerat, inſtituit, & in Capitulo trigeſimo quinto Conſtantiæ 2. Septembris eligitur Miniſter Provincialis, cui in Definitione adjunguntur RR. PP. Franciſcus Antonius Conſtant. Anaſtaſius Villingan. Alexander ex Sonthofen. Udalricus Montifontanus.

Die 4. Martii ferè tota urbs Rottenburgenſis ſæviſſimo incendio conflagrat. De quo alibi.

In ipſo Belli in Italia & Germaniâ proſequendi apparatu inter Belligerantes potentias de armiſtitio, pacis prodromo, conventum fuit. Copiæ auxiliatrices ex Ruſſia ad Rhenum uſque Cæſari ſubmiſſæ reditum inſtruunt, & ad Pforzhemium hybernacula figentes opportunum remeandi tempus præſtolantur. Cúmque ſupremus ejus agminis Polemarchus Comes Laſcius Religioni Catholicæ addictus ſit, noſtri patres ex miſſione Wilerſtadienſe ei ibidem pro exercitio Religionis obſequentes ſteterunt.

S. Antonius civi cuipiam Riedlingano crumenam æris ſui integri cuſtodiam, ſed furto ſibi ablatam poſt votum Divo nuncupatum, hujúsque præſtationem, alienæ manûs auxilio ſalvam iterùm remittit.

Circumforaneo mercatori equus mercium venalium, adeóque totius ſubſtantiæ bajulus ſubitò abſtrahitur, atque in manus alienas hoc ſpolio lætas labitur, mærente interim jumenti Domino. At verò ubi hic patres Capucinos Marchdorffenſes pro ſe ad S. Antonium deprecatores adhibuiſſet, apud eorumdem Monaſterium reperit gaudens, ſtupénsque equum ſuum nulla geſtati ponderis parte levatum.

In pulverem reverſi ſunt

F. Colomannus ex Schnürflingen Cler. Stud. P. German Friburg. Conf. P. Fulgentius Conſtant. Guard. P. Conradinus ex Deichelried Conf. P. Martinus Rottenburg. Conf. P. Godefridus ex Oberſtorff Laic. P. Ægidius Hüffingan. CC. P. Peregrinus Waldishuttan. Stud. Sacerd. P. Gregorius ex Sateins Guard. F. Joa. Evangeliſta Isnenſ. Cler. F. Sebaſtianus

Ranckvvilan. Laic. P. Hippolythus Gerſpacens. Conf. P. Vincentius ex Bechterspohl. CC. P. Dominicus ex Hilzingen Guard. P. Marcellianus Gengenbac. CC. P. Hugo Friburgens. CC. P. Bonaventura Friburg. CC.

Summa 17.

Econtra habitu apud nos geſtando amicti ſunt,

F. Alvarus ex Ferenbach Cler. F. Marquardus Weingart. Cler. F. Generoſus Wilerſtadiens. Cler. F. Colomannus Weingartens. Cler. F. Leodegarius Wilerſtadiens. Cler. F. Nicolaus Wangens. Laic. F. Hieronymus Uberlingan. Cler. F. Germanus Conſtant. Cler. F. Onophrius Riedlingan. Laic. F. Franc. Antonius Conſtant. Cler. F. Pancratius Offenburgens. Cler. F. Nicaſius ex Kolbingen Cler. F. Rochus Friburgens. Cler. F. Theodoſius ex Waldſee Cler. F. Conradus Uberlingan. Cler. F. Sidonius ex Gebratshofen Cler. F. Lucas Friburg. Cler. F. Euſebius Friburg. Cler. F. Adelricus ex Niziders Cler. F. Bruno Wangens. Cler. F. Hortulanus ex Gündelvvang. Laic.

Summa 21.

Annus Chriſti 1736. | Provinciæ diviſæ 69. Clement. XII. 7. | Caroli VI. 26. | Cardinal. Barberin. Protect. 18. Joa. Franc. Ep. 33. | P. Bonaventur. Ferrar. Gen. 4. | P. Maximilian. Wangens. Prov. 2.

Auguſtiſſimus Roman. Imperator, & Rex Chriſtianiſſimus, herì adhuc inimici, ſtupente orbe, in ſanciendæ pacis articulos præliminares condicunt.

Sereniſſimus Dux Lotharingiæ, & Baari, Franciſcus Stephanus, cum Auguſtiſſima Archi-Duciſſa Maria Thereſia maritali fœdere copulatur, Ducatibus ſuis in unius articuli ad pacis præliminaria deſiderati complementum exuendus; ſed magno Hetruriæ Ducatu inveſtiendus.

Stockachii die 26. Junii celebratur Congregatio; in qua fit ſupplicatio ad P. Generalem pro remiſſione capituli *intermedii.*

Et de provincia incrementanda, atque impetrando loco Stüehlingano deliberatur.

Auguſtiſſimus Imperator clementiſſimè diſponit in commodiorem Capucinorum Stockacenſium ſuſtentationem aliquod eleemoſynæ augmentum quotannis ex proventibus Landgraviat-Nellenburgicis præberi. Waldishutti nonnemo ex pecuniæ ſuæ jactura pænè deſperabundus, ſed ad fiduciam in S. Antonium animatus hunc precibus per ſe, & Capucinos demereri ſtudet; & impetrat, ut pecuniæ, prodigioſo ſanè modò, ad eum reverſæ ſint, & dejectum erexerint.

Idem rerum perditarum reparator Sereniſſimo Principi hæredi de Fürſtenberg-Möſskirch auream pixidem centum Duggatis æſtimatam, & poſt induſtrium examen jam jam conclamatam ad preces Antonianas à Capucinis ibidem frequentatas feliciter iterùm retulit, nemine divinante, quâ viâ.

In iisdem Möſskirchii confinibus ruſticella bovem ſuum maleficio præſtigiatum, laboribus inutilem, & jam jam mactandum doluit; quem tamen

tamen implorata Divi Antonii auxiliatio præſtigiis, & macello exemptum laboribus, & egentiſſimæ fœminæ ſanum reſtituit.

Similem prodigioſam medicationem in ſalutem mariti ſui miſerè grabatarii alia mulier piæ novenæ in honorem S. Antonii obitæ merito inſtantaneè impetravit.

Honeſta quædam fœmina Marchio-Badenſis, unà cum ſuo marito ſcriptô teſtimonio fidem facit, quòd eam ex partûs anguſtiis morituram B. Fidelis Martyr per ſolam retioli cranio ſacro attacti virtutem ſoſpitaverit, & ſanam ſanæ prolis matrem effecerit: ſed & hanc prolem maſculam ſubin ex gravibus accidentibus omnium opinione extinguendam ſervaverit vivam: denique hunc ipſum puerulum, nomine Fidelis baptizatum, immanibus doloribus in convulſiones delapſum, & vel à medicis deſperatum, ab iterato hoc agone ad vitam vegetaverit, deprædicantibus rerum peritis in his circumſtantiis triplex miraculum.

Ad ſummum Cæſarum, ac totius Germaniæ Auſtriaco-Catholicæ luctum, damnúmque Sereniſſimus Princeps Franciſcus Eugenius Dux Sabaudiæ, iſte chriſtianus ſcipio, tot victoriis, quot præliis in bonum Reipublicæ chriſtianæ, Romani Imperii, & Domûs Auſtriacæ ſuſceptis glorioſus, palmis, annis, & meritis onuſtus humanis rebus morte furtiva eripitur memoriæ poſterorum nunquam eripiendus.

Similem habuêre ſortem, & oppetiêre mortem è ſinu provinciæ in ſinum terræ translati

P. Rochus Waldishuttanus CC. P. Anſelmus Ranckvvilan. CC. F. Severinus Wangens. Cler. Novitius. F. Joannes Engens. Laic. P. Prothaſius Briſacens. Conf. F. Feliciſſimus Ettlinganus Cler. P. Renatus ex Mumpf. CC. P. Marcus Jacobus Biberacens. Ex-Provincialis de quo in prædicam. qual. §. 3. de Commiſſar. P. Cæſarius Veldkirch. CC. P. Rudolphus Conſtant. CC. P. Udalricus Montifontan. Definit. de quo in prædic. qual. §§. 2. & 3. &c. F. Alexius ex Gôzis Laic. P. Feliciſſimus ex Gayenhofen. CC. P. Timotheus Haslacens. CC. P. Zachæus Briſacens. Conf. P. Lucas Villingan. CC. F. Jovita Wilerſtadiens. Laic. P. Oneſimus Friburg. Sacerd. P. Firminus ex Reüthe. CC. *Summa 19.*

Sanctioris vitæ ardore nobis ſe aggregârunt

F. Anſelmus Campidunens. Cler. F. Joa. Evangeliſta Biberacens. Cler. F. Bonaventura Rottvvilan. Cler. F. Franc. Carolus Brigantin. Cler. F. Gereon. Oppenoviens. Laic. F. Linus Wangens. Laic. F. Joſeph. Antonius Marispurg. Cler. F. Gualbertus Friburg. Cler. F. Antonius Fidelis Cler. F. Pacificus Bonacellens. Cler. F. Rudolphus Friburg. Cler. F. Remigius Dillingan. Cler. F. Leonardus Conſtant. Cler. F. Nicolaus Rottvvilan. Cler. F. Adalbertus ex Schonach. Cler. F. Wendelinus ex Bludeſch. Cler. F. Donatus Villingan. Cler. F. Gregorius Brigant. Cler. F. David Engenſis Laic. F. Seraphin Offenburgens. Laic.

Summa 20.

Annus Chriſti 1737. | Provinciæ diviſæ 70.
Clement. XII. 8. | Caroli VI. 27. | Cardinal. Barberin. Protect. 19.
Jo. Franc. Ep. 34. | P. Bonaventur. Ferrar. Gener. 5. | P. Maximilian. Wang. Prov. 3.

Sereniſſimi Principis, ac DD. Caroli Alexandri, Wirthenbergiæ Ducis intempeſtiva mors annum hunc, & magnas ſpes noſtras funeſtavit, de quo alibi &c.

Quod autem hic fatali caſu ſyncopatus præſtare non potuit in ditione ſua; compenſavit in territorio ſuo Sereniſſimus Princeps Joſephus Erneſtus Fürſtenbergo-Stüehlinganus, provinciæ noſtræ gratiam faciens figendi in ipſo oppido Stüehlingen domicilii regularis &c. de quo ſuo loco.

Quod Reverendiſſimus P. Generalis preces priori anno à Reverenda definitione pro capituli intermedii condonatione porrectas refutaverit, ideò de ſtricto ejusdem mandato tale unum celebrandum fuit, in quo, ordine trigeſimo ſexto, Bibracum ad diem 17. Maji coacto A. R. P. Maximilianus in Miniſterio confirmatus: in Definitores lecti ſunt RR. Patres Franc. Antonius Conſtantien. Anaſtaſius Villingan. Salomon Villingan. Reinhardus Rottvvilan.

Patria noſtra fructibus pacis utcunque fruente miles ex bello Italo-Germanico ad Hungaricum vocatur, quod Auguſtiſſimus Imperator in gratiam Ruſſiæ Dominatricis Mahometi infeliciter intulit, & infeliciùs geſſit.

S. Antonius nautis Confluentinis haud procul Waldishutto Embæneticâ viventibus, & ſurſùm adverſo flumine tendentibus, verùm infeliciter naufragatis ſpectatiſſimo fuit auxilio. Cùm enim hi viginti millium florenorum ſeu pecunias, ſeu pretia à mercatore Calvinicola Schaffhuſium transvehenda ſuſcepiſſent, ſcapha rupto fune à ſtridentibus procellis, & torrentis vehementia abripitur, vorticibus involvitur, mergitur, & unà cum mercibus in profundum ſepelitur, nautis vix ægrè ſaltu per ſummam audaciam ſupra eminentes ſcopulos tentato interitum evadentibus. Mærore, ac timore pleni recurrunt ad S. Antonium, & conducto in ejus honorem trino Miſſæ ſacrificio ad regionem naufragii repedant. Et ecce! maximo ſuo ſtupore lætitia mixto inter ſcopulos, & petrarum voragines conſpiciunt involucra mercium, & pecuniarum omnium; quæ, jam incurii ſcaphæ in millè fruſta discerptæ, lætiſſimè extrahunt, Deo, S. Antonio, & Capucinis Waldishutti pro ſe comprecatis gratias innumeras referentes.

Stuttgardiæ theſauri cælati, & divitiarii Ducalis Cuſtos annulum ab inſerto grandiori adamante pretioſiſſimum, cum aliis cymmeliis aureis, & argenteis cuſtodiæ ſuæ evolâſſe deprehendit. Anxius de damno, famæque ſuæ, & vitæ metuens conſcenſo equo velociſſimè ad Capucinos Wilerſtadienſes properat, hósque, licèt ſectator Lutheri enixiſſimè obteſtatur, ut S. Antonium ritu ſuo deprecari vellent. Deferunt hi roganti, qui in ſpem bonam erectus, domúmque reverſus primis oculis in cubili ſuo,

ſuo, haud uſitato rerum perditarum loco, ablata conſpicit, tollit, numerat, & genuina reperta in gazophylacium reponit ; quod ipſe ceu prodigium Capucinis cum multa gratitudinis ſignificatione recenſuit.

Morte vitæ religioſæ conſentaneâ perfuncti ſunt

F. Wolfgangus Wilerſtadien. Laic. P. Balthaſar Rhenofeldens. Guard. F. Morandus Wangens. Laic. F. Romanus Engens. Laic. F. Cleophas Riedlingan. Laic. F. Onophrius Cellens. Laic. P. Bernardinus Villingan. Conf. *Summa 7.*

F. Onophrius à ſpiritu devotionis, laborandi aſſiduitate, & virtutum, quæ Laicum decent, conſectatione optimum ſibi nomen, & omnium amorem provocavit. Ut erat architectonices peritus ; ita compluribus annis inter provinciæ fabricatores numeratus fuit. Tanta autem fidelitate huic obedientiæ ſe impendit, ut nulla habita ratione intenſi caloris, frigoris, famis, ſitis, aliorúmque incommodorum ubique cæterorum operariorum anteſignanus, ſocius, adjutor, & hortator fuerit, cum laborantibus aſciâ, dolabra, cæmento, planula, in lapidicina, in ſylvis, in pentonibus pendulis laboraverit : quapropter ipſo inſpectore nemini otioſum eſſe, nemini rem deſidioſiùs agere licuerit. Plerumque hora noctis ſecunda, aut tertia diſcuſsô ſomno ad venerabile Altaris Sacramentum proſtratus precum ſuarum penſum exſolvit, & orationis ardori fræna laxavit. Unde illi tanta morum compoſitio, & converſationis modeſtia, ut omnibus, etiam ſæcularibus in veneratione eſſet. Viribus laborum improbitate exhauſtus, & vitæ probitate cælo maturus eò, ut piè credimus ad ſempiternam quietem profectus eſt.

Familiam noſtram recentes domeſtici redintegrârunt

F. Fridolinus Seggingan. Cler. F. Sigismundus ex Eſpach. Laic. F. Bonus Mengenſis Laic. F. Aureus Uberlingan. Cler. F. Jovita ex Andelspuech. Laic. F. Firminus ex Schlins. Cler. F. Damaſus Villingan. Cler. F. Demetrius ex Löffingen. Laic. F. Carolus Antonius Bibrac. Cler F. Perfectus Friburgens. Cler. F. Adauctus Landſpergens. Cler. F. Magnus ex Meningen. Cler. F. Pius Wangens. Laic. F. Vincentius Uberlingan. Cler. F. Diethelmus Weingart. Cler. F. Martinus ex Malspüren. Cler. F. Euſtachius ex Waldſee Cler. F. Caſſianus Trimontan. Cler. F. Cleophas Weingartens. Laic. F. Baſilius Wurmlingan. Cler. F. Chryſanthus Immenſtad. Cler. F. Clarus Uberlingan. Laic. F. Leontius Oxenhuſanus Cler. F. Romanus Engens. Laicus. F. Gebhardus Brigantin. Cler. F. Timotheus Dillingan. Cler. *Summa 26.*

Annus Chriſti 1738. | Provinciæ diviſæ. 71. Clement. XII. 9. | Caroli VI. 28. | Cardinal. Ruſpoli Protector. 1.

Joa. Franc. Ep. 35. | P. Bonaventuræ Ferrarienſ. Gener. 6. | P. Salomon. Villing. Prov. 1.

SS. D. N. Clemens XII. Religionis noſtræ Firmamento duas lucidiſſimas ſtellas affixit, & publicæ venerationi expoſuit, cùm P. Joſephum à

Leoniſſa Confeſſorem, & Prædicatorem : & F. Seraphinum à monte Granario Laicum Capucinos ſolenni ritu beatorum faſtis adſcripſerit ; quorum beatificationis triduum concinnâ per provinciæ Conventus feſtivitate celebratur. Moritur Eminentiſſimus DD. Cardinal. Barberini maximo non ſolùm Religionis noſtræ, ſed totius etiam Romæ luctu, cujus elogia, & eximia in Ordinem noſtrum merita Reverendiſſimus P. Generalis in circulari Epiſtola ad omnes provincias, in qua animam defuncti in triplicata ſuffragia commendat, fuſiùs proſecutus eſt, ut habet Bullarium Ordinis R. P. Michaël. Tugiens. To. 1. fol. 156.

Hujus vice Religio à SS. D. N. Clemente XII. Protectorem accipit Eminentiſſimum DD. Cardinalem Bartholomæum Ruſpoli ; cujus protectione, ceu *coronâ inclytâ* Ordo Capucinorum ſe ornatum æquè, ac munitum eſſe tantò æquiùs gloriatur, quò magis Eminentiſſimus hic anteceſſoris ſui zelum, & affectum in Ordinem perfectè æmulaturus videtur.

Ravenspurgi inſtituitur RR. Patrum conventio, & deliberatur de ſumenda poſſeſſione loci Stüehlingani ; ponendo primo lapide, & reliquis præparatoriis faciendis, de quorum omnium ſucceſſu vide ſuo loco.

Brigantii autem die 28. Aug. celebratur Capitulum, provinciæ trigeſimum ſeptimum ; in quo tertia vice A. R. P. Salomon Villinganus Provincialatu oneratur ; cui in partem negotiorum definiendorum adjunguntur RR. PP. Alexander ex Sonthofen. Franc. Antonius Conſtant. Ceorg. Jacobus Conſtant. Anaſtaſius Villingan. Pro futuro Generali Capitulo Cuſtodes denominantur RR. PP. Franc. Antonius Conſtant. & Maximilianus Wangens.

Cùm RR. PP. Helveti miſſionem Aulico-Wirthenbergenſem reſignandam, domúmque remeandum cenſuerint, horum locò tres è provincia noſtra patres, tum ad inſtructionem catecheticam ſereniſſimorum filiorum, & filiæ Principum ; tum ad obſequia Eccleſiaſtica aulæ catholicæ præſtanda conſtituti ſunt ; de quorum functionibus alibi dictum.

In bello Hungarico, Excellentiſſimo D. Comite de Königsegg chriſtiani exercitûs imperium gerente, ſaltem Turcæ prioris anni ſucceſſibus inſolentes, valida ubique repagula expeditionibus ſuis oppoſita invenerunt, aut cum ſtrage hinc inde repreſſi fuerunt. Interim in eorum manus relabitur Nyſſa loci Gubernatore Doxâ pigram defenſionem ſupplicio capitis luente. Orſova pariter à Turcis oppugnata, ſed maximis ſuis impenſis expugnata fuit. Idem fatum Semendria ſubire debuit. Barbari his proceſſibus ferociores irruptionem in caſtra Chriſtianorum ad Semlinum tentant : ſed plurimis ſuorum deſideratis reliqui in fugam conjiciuntur. Alternante martis fortunâ res agitur.

Ex mundi hujus tumultu ad ſempiternam, ut in Domino confidimus, requiem transgreſſi ſunt

F. Benedictus Villingan. Laic. P. Electus Conſtantien. CC. P. Hugolinus Ehinganus CC. F. Lucas ex Buxheimb Laic. P. Modeſtus Bludentinus, CC. P. Joan. Evangeliſta Wangens. CC. P. Engelhardus Engens. Guard. P. Alexander Donavverdanus CC. P. Daniel Bludentinus CC. P. Maximinus ex Bludeſch. CC. F. Waltherus Offenburgens. Laic. F. Maximus ex

Leut-

Leutkirch. Laic. F. Medardus Villingan. Laic. F. Antonius Fidelis Wangens. Cler. P. Caſſianus Conſtantien. CC. P. Baſilius Uberlingan. CC. P. Ratholdus Waldishuttanus CC. *Summa 17.*

F. Benedictus à regulariſſima converſatione omnibus probatus, ſibi ſoli reprobus fuit, cùm ſuimet ipſius odium continuâ auſteritatum, inediarum, & laborum exercitatione teſtatum fecerit, ipſa facie ſua anachoreticâ omnes levitates, & varias jucunditates aſpernatus, cum ſolo Deo in oratione mentali, & vocali, cúmque B. V. M. ſanctísque patronis ſuis, per impenſam ad eos pietatem deliciari ſolitus. Paupertatis ſtrictiſſimam curam geſſit, minima quæque, ne pereant, ad utilitatem aliquam applicare ſtuduit. Novitiis ad normam Ordinis noſtri inſtituendis magiſter, & exemplar datus, ut in omni alio; ſic in hoc officio fideliſſimum Religionis filium ſe exhibuit; laboravítque donec morte vocante: *Veniet benedicti Patris mei*: laborem cum perpetua quiete commutaverit.

F. Antonius Fidelis innocentiſſimis, & Angelicis moribus refulgens altero poſt profeſſionem anno, ſat apud Deum ſenex, quia vitæ immaculatæ juvenis, raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus. Adversâ valetudine affectus; hinc ad medicorum ſuaſionem ad alium locum, & aërem transferendus Stockachium ductus eſt: ubi ſe quidem ad ſomnum compoſuit; ſed haud ampliùs evigilavit, manè inventus exanimis, lævâ pectori admotâ, labellis, & genis roſeo colore rubentibus. Socius, qui eum comitatus eſt Stockachium, aſſerit, ſe concubia nocte in cella ſua jacentem quidem, ſed vigilem advertiſſe inſolitum quemdam fulgorem parietes illuſtrantem, & cuncta reddentem viſibilia; ſe autem huic non attendiſſe, ſed altùm indormiiſſe. Alius pater domeſticus, hoſpitum ſuſceptor, teſtatur, ſe trino ad cellæ ſuæ januam pulſu è ſomnó excitatum fuiſſe, & cellâ egreſſum neminem vidiſſe. Invento autem fratre mortuo judicatum fuit, defuncti ſpiritum aut opem quæſiviſſe, aut ſtatum ſuum haud dubiè felicem manifeſtare voluiſſe.

His cum fænore reſtaurandis ſuccenturiati ſunt novi milites Seraphici F. Bernardinus ex Geisling. Cler. F. Franciſcus Stauffens. Laic. F. Hugolinus Uberlingan. Cler. F. Hugo ex Altnau Cler. F. Narciſſus ex Altorff. Cler. F. Amandus Conſtantiens. Cler. F. Udalricus à S. Trudperto. Cler. F. Anaſtaſius ex Schvvarzenberg Cler. F. Philippus Wangens. Cler. F. Theodulus ex Schellenberg. Cler. F. Alto ex Reütlingen Cler. F. Michaël Angelus ex Kislegg Cler. F. Joan. Baptiſta ex Bildſtein Cler. F. Paulus Conſtant. Cler. F. Primus Brigantinus Cler. F. Marcellianus Villingan. Cler. F. Ægidius Trimontanus Cler. F. Gottlieb Möſskirchens. Laic.

Summa 18.

Annus Chriſti 1739. | Provinciæ diviſæ 72.
Clement. XII. 10. | Caroli VI. 29. | Cardinal. Ruſpoli Protect. 2.
Jo. Franc. Ep. 36. | P. Bonaventur. Ferrar. Gener. 7. | P. Salomon Villingan. Prov. 2.

Menſe Januario ex plaga Meridionali vehementiſſimus Africus ſubitò erumpens, totámque Germaniam pervagatus immenſam arboribus, nemoribus, ædificiis, ac domibus hinc inde ſtragem attulit, hominésque non ſolùm ſummo terrore; ſed plurimis etiam damnis affecit, deteriora illaturus, niſi tandem miſerente, & ventis, ac mari imperante Domino ſedatus eſſet.

Eodem hoc menſe Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus DD. Joa. Franc. Antonius de Sirgenſtein, Cathedral. Eccleſiæ Conſtant. Canonicus, & Cuſtos, Epiſcopus Uthinenſis, Suffraganeus, Vicarius Generalis, Conſilii Eccleſiaſtici Præſes, & Præpoſitus Eccleſiæ Collegiat. ad S. Joann. Conſtantiæ in ipſo hilarioris vitæ apparatu è vita exceſſit.

In Suffraganeatu ei ſubrogatus eſt Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus DD. Carolus Joſephus de Fugger &c. &c. ejusdem Eccleſiæ Cathedral. Canon. & Epiſcopus Domitiopolitan. In Vicariatu Generali Reverendiſſimus, & Ampliſſimus DD. Joa. Michaël Waibell SS. Theologiæ Doct. Eccleſiæ Colleg. ad S. Stephanum ibidem Canonicus, & plurimorum annorum curiæ Officialis &c. cæteris officiis ad alios translatis.

In nonnullis Religioſis, loci Juliomagenſis opportunitate, & amicorum invitatione allectis, domicilii ibidem figendi cupido, licèt jam anno 1656. & 1682. per ſententias Epiſcopales reſtincta, de novo revixit; eatenùs ut ad ejus impulſum Celſiſſimo ac Reverendiſſimo DD. Ordinario noſtro Conſtantienſi pro facultate hujusmodi tabernaculum in dicto Juliomagi ſtruendi ſupplicaverint. Verùm & hac vice per ſententiam prioribus conſonam preces ſuas experti ſunt vacuas.

Möſskirchii die 19. Octobris celebratur RR. Patrum Congregatio.

Circa finem ejusdem menſis tam inſolitus præmaturæ hyemis rigor invaluit, qualem plura retrò ſæcula habuiſſe non meminerunt. Hic cum decreſcente anno incrementa capiens, in ſequentem annum propagandus, atque ad ſummam graduum intenſionem aſcenſurus *ultimum vineis*, arboribus, terræque fructibus excidium minitabatur, denſiſſima nivium copia hoc jam anno frigus augente, ut lacus Venetus congelari, & greſſu pedum transmeabilis fieri cæperit.

Infeliciſſimum Hungariæ Bellum infelicior pax finiit: cujus ſanciendæ una conditio funeſtiſſima fuerat, ut Bellogradum cum omnibus mæniis, muris, & fortalitiis terræ æquetur, Turcísque conſignetur, gemente tota Chriſtianitate antemuralis ſui jacturam, & flebiliter jocante Poëta:

Conciderant bello Carthago, Troja, Saguntus,
Fortia Bellogradi mœnia pace ruunt.

Delphio Apolline ad divinandum tam funeſtæ pacis authorem opus eſt.

Lætior à longinquo nuntius provinciam exhilaravit, dum huic, ſicut & omnibus aliis, per impreſſam relationem Reverendiſſimus P. Generalis ſignificavit, quòd R. P. Bartholomæus à S. Michaële Hiſpanus, Capucinus, Prædicator, & Miſſionarius Apoſtolicus in India Orientali à Barbaris infidelibus ex natione Cuquaros in odium fidei crudeliter occiſus glorioſam Martyrii palmam reportaverit, gratulante triumphum cælo, & pellucidæ ſtellæ radiis illuſtrante, ut RR. PP. Miſſionarii Dominicani ſcripto Romam teſtimonio fidem faciunt. Con-

Conſtantiæ quispiam malè feriatus, Capucinis in Choro, & confeſſionali occupatis, dormitorium Monaſterii clanculò aſcendit, quidquid obvium furaturus, & horologii motu, ac pulſu ad hujus ſpoliationem allectus eſt. Hinc operculô ambitûs reſerato omni celeritate plumbea automati pondera funiculis ſuis ſoluta convaſat, auffert, & ſe inde proripit. Damnum hoc Capucini S. Antonio ſuo conqueſti, hunc uſitato Reſponſorio pro indemnitate ſupplices conveniunt; quo furis conſcientiam adigente factum eſt, ut altero manè pondera ad limen portæ collocata frater janitor invenerit.

Piiſſimè in Domino obdormiverunt in ſalutem ſuam ſemper vigiles:

P. Amatus Veldkirchens. Sacerd. P. Pirminius Möſskirchens. CC. F. Didacus Rottenburgens. Laic. P. Primus Friburgens. CC. P. Jacobus ex Fridenvveiler Conf. P. Alexius Conſtant. Ex-Provincial. de quo in præd. qual. §. 2. de litterat. F. Samuel Riedlingan. Laic. P. Gelaſius Lauffenburg. Guard. P. Angelicus Rhenofeldens. CC. P. Benno Conſtant. Guard.

Summa 10.

P. Benno ardore Seraphico incenſus in Choro, officiis divinis, meditationibus, cathedra, confeſſionali, in Novitiorum inſtructione, fratrum gubernio, converſatione cum ſæcularibus nil niſi ignem ſpirare viſus eſt, in omnibus honorem, Domûs divinæ decorem, animarum ſalutem, paupertatis, totiúsque Regulæ Seraphicæ obſervantiam, mundi ædificationem, & fratrum correctionem zelatus, atque in hunc finem præter exemplum ſuum verba adhortatoria, opportuna, & importuna, quin & pœnitentiarum ſeveritatem adhibuit: & cùm exotica nonnihil correptionum methodo aſſueviſſet, aliorum criminationibus eum nonnunquam vapulare contigit: quibus tamen nil moratus cauſam Dei, & Religionis imperterrito animo curare perrexit. Abſtinentiæ, & mortificationum rigore corpus ſuum adeò ratefecit, ut vivum referret ſcelétum. In uno digitorum pedalium malignitas quædam ſedem fixerat, quæ ſui negligentiâ in extremam calamitatem degeneravit, ut optimus vir dolorum acerbitate vix non extra ſenſus raperetur. Hinc ſe ad regimen impotem videns libenter exauthoratus eſt. Aureſcente eodem cruciatu, & vitæ ſenſim jugulum petente eximia tolerantiæ, & reſignatæ in Dei voluntatem mentis ſpecimina edidit, animámque cæleſtium cupidam ad hanc metam efflavit.

In provinciæ propagationem inſtitutum Seraphicum ſectandum adierunt

F. Juvenalis Conſtant. Cler. F. Benedictus Brigantin. Laic. F. Patiens Stockacens. Laic. F. Maximinus Blumenegg. Cler. F. Albertinus Friburg. Cler. F. Romualdus Friburg. Cler. F. Martinianus Seggingan. Cler. F. Prothaſius Conſtant. Cler. F. Peregrinus Rottenburg. Cler. F. Antonius Albaugiens. Cler. F. Nathan ex Blumenegg. Laic. F. Thomas Aquinas ex Blumenegg. Cler. F. Trudpertus ex Wollamding. Cler. F. Amadæus Oenipotan. Cler. F. Feliciſſimus ex Aigeltingen. Cler. F. Samuel Dillingan. Cler. F. Hubertus Wangenſis Cler. F. Zachæus Rothenſis Cler. F. Emmeranus ex Pfaffenhofen Cler.

Summa 19.

Annus Chriſti 1740. Provinciæ diviſæ 73.
Benedicti XIV. 1. | Caroli VI. 30. | Cardinal. Ruſpoli Protector. 3.
Damian. Hug. Card. Ep. 1. | P. Joſeph. Mariæ ab Interam. Gener. 1. | P. Salomon. Villingan. Prov. 3.

Hic annus à concatenatis triſtibus fatis plurimùm infamis plurium ante hac ſæculorum infamiam ſuperat. Inuſitatæ hyemis inclementia, an intenſione, an duratione rigidior omnem meſſis, vindemiæ, aliorúmque fructuum ſpem penitùs proſtravit.

Die 6. Februarii SS. D. N. Clemens XII. Pont. Max. ad maximam univerſalis Eccleſiæ deſolationem mortalibus relictis ad immortalia tranſiit; cui tandem die 14. Auguſti, poſt multiplicata, & fruſtrata plurima ſcrutinia, conſultationes, & deliberationes, uniente Electorum animos, & conſilia ſpiritu ſancto, Succeſſor obtigit Eminentiſſimus DD. Cardinalis Lambertini, qui ſibi nomen: Benedictus XIV. aſſumpſit.

Interim quoque Capitulum generale feliciter ſucceſſit, quod Præſide Reverendiſſimo P. Bonaventura Ferrarienſe, Ex-Generale, de commiſſione Eminentiſſimi D. Cardin. Protectoris in conclavi exiſtentis, die 10. Junii incæptum ſequentes electiones protulit, ut generalis Miniſter evaderet Reverendiſſimus P. Joſephus Maria ab Interamna, Definitores, RR. PP. Sigismundus à Ferrara, qui & Procurator generalis, Maximilianus Wangens. Juſtinus Bituricenſis. Celidonius à Calaonnia. Benedictus à Maſſafra. Joſephus Maria à Parma.

SS. D. N. Benedictus XIV. Reverendiſſimo P. Bonaventuræ Ferrarienſi in rependium tam plauſibiliter adminiſtratæ cathedræ Apoſtolicæ Archi-Epiſcopatum Ferrarienſem contulit, ac ejus vice in prædicatorem S. Palatii aſſumpſit R. P. Michaëlem Angelum à Regio.

R. P. Provincialis cum P. Cuſtode in provinciam *reverſus* congregationem habet die 24. Julii in loco Wangenſi, capituli ſesquiennalis, à P. Generali condonati locò.

Sereniſſimus DD. Frobenius Ferdinandus S. R. I. Princeps Möſskirch-Fürſtenbergicus deſponſationis ſuæ cum Sereniſſima Conjuge Maria Thereſia, nata Landgravia de Sulz &c. Jubilæum celebraturus; & ſolemnitati huic majorem conciliaturus ſplendorem ipſum Celſiſſimum, ac Reverendiſſimum DD. Joa. Franciſcum Epiſcopum Conſtantienſem &c. &c. invitavit: qui & amiciſſimo ſibi Principi condeſcendens, & Möſskirchium ſe conferens in Eccleſia parochiali pontificaliter veſtitus Jubilarios hoſce ſponſos benedicit, & poſt ſacra in palatium principale revectus, atque auguſtale ingreſſurus in ipſo hujus limine apoplexiâ obrutus corruit die 17. Jun. extrema gaudii luctu immenſo occupante.

Quemadmodùm jam Anno 1721. Eminentiſſimus DD. Hugo Damianus S. R. E. Cardinalis, S. R. I. Princeps, & Comes Schönbornius, & Epiſcopus Spirenſis &c. Coadjutor Conſtantienſis fuerat electus; ſic idem poſt obitum altefati Celſiſſimi noſtri absque electione in Epiſcopatum ſucceſſit.

In

In cumulum harum calamitatum ſupervenit intempeſtiva, atque ſeu naturalis, ſeu violenta mors (Deus, & artifices ſciunt) Auguſtiſſimi Imperatoris Caroli VI. quæ hunc Monarcham die 19. Octobris, poſtremum familiæ Auguſtiſſimæ Habspurgo-Auſtriacæ columen; ſereniſſimis duabus Archi-Duciſſis amantiſſimum patrem; Romano Imperio ſummum caput; Eccleſiæ Romano-Catholicæ advocatum integerrimum, Religionis, & provinciæ noſtræ Protectorem beneficentiſſimum ſuſtulit; terrásque hæreditario-Auſtriacas, & Regna plurium eorum hæreditatem prætendentium prædam fecit. Sereniſſimus Bavariæ Elector gallico fretus auxilio primum ſe omnium hæredem oſtentat, armis jus ſuum proſecuturus. Rex Boruſſiæ, ceu Elector Brandenburgicus, pacem durante inter-Regno per Bullam Auream ſanctè ſervandam violat, & in Ducatum Sileſiæ numeroſum exercitum adducit, eum, utpote antiquo jure ſibi competentem, recuperaturus. Hæc autem initia bellorum, & Auguſtiſſimæ Archi-Duciſſæ Mariæ Thereſiæ, ceu legitimæ dictorum Regnorum, & Ditionum hæredi &c. dolorum augmenta ſunt.

Relictis ſub cultro rebus humanis mortis cultrum fatalem ſenſerunt in vitam beatam vivificandi

F. Gabriel Marispurg. Laic. P. Udalricus Conſtantien. Guard. F. Nicolaus ex Müllhauſen Laic. P. Patritius ex Hauſtätten CC. P. Theodoſius ex Bonndorff. Definitor. F. Firminus ex Schlins Cler. P. Lazarus ex Schvvende. CC. P. Conſtantius Elzacens. Guard. F. Thomas ex Melchingen Laic. F. Fridolinus Wangens. Laic. *Summa* 10.

F. Nicolaus ad miraculum uſque pius, & laborioſus in junioribus annis excentrico caſtitatis tutandæ ſtudio ſemet eviravit, excuſante factum intentionis ſanctitate. A vulnere curatus, & ob exceſſum pœnitentiatus totus in maciem, & vultûs pallorem abiit, conferente huc etiam continuâ quaſi inediâ, vigiliis, flagellationibus, & corporis caſtigationibus communem Ordinis conſuetudinem longè ſuperantibus. Hominum familiaritatem dedignatus cum Deo in oratione, & contemplatione jugiter converſari viſus eſt. In miſſione Oppenovienſe potiori vitæ ſuæ tempore fratribus ab obſequio culinæ, horti, Eccleſiæ, & portæ ſtetit maxima cum charitate, quam præſertim erga pauperes ſingularem exhibuit. Religionis illius homines fratrem hunc ceu ſanctum ſuſpexerunt; qui & multa miraculis proximè vicina patrâſſe dicitur; quorum tamen notitiam ſtudioſa viri humilitas, & fratrum incuria notitiæ noſtræ ſubtraxit. In poſtrema ſenectute nullum admittere voluit Coadjutorem; qui tamen laboribus, & ægritudini ſuccumbens animam optimam ad cæleſtia transmiſit.

P. Patritius in ſæculo iam Sacerdos in Ordine noſtro pacifica, prompta, & exemplari indole omnium in ſe provocavit amorem; qui præter inſignem litteraturam artem quoque pictoriam haud obiter callens multas ad honorem, & devotionem ſanctorum effigies penicillo non infelici exaravit. Vir ad omnes obedientias accinctus ne tum tergiverſabatur, quando præmatura mors eum in funus provinciæ triſtiſſimum efformavit.

P. Theodoſius in primis annis plurium rerum notitiâ, exactâ religioſitate, prudentia, & agendi dexteritate plurimùm ſe Deo, Religioni, & ſu-

perioribus commendavit, & cum incremento ætatis ſui venerationem adauxit, ut compluribus annis miſſionem Buckavienſem cum laude exercuerit, pariter Guardianatum geſſerit; ac denique in Quatrumviratum provinciæ adſcitus ſit. Annis autem, & meritis plenus cum præcipui Religioſi fama vitæ terminum attigit.

P. Conſtantius inter provinciæ Concionatores à feſtivitate ingenii, à conceptuum varietate, proponendi gratiâ, & quoscunque geſtus agendi felicitate paucis conceſsâ admodùm eminuit, ut ubicunque eum prædicare contigit, auditoribus ſui ſemper audiendi deſiderium fecerit.

Cæterùm in Religioſæ vitæ exercitationibus nulli ſecundus gratiâ quoque præſtitit ſublimiorum, æqualium, & inferiorum conſcientias tractandi, & ſuaviſſimè cum omnibus agendi. Aliquoties Quardianus Marthæ ſollicitudinem plus juſto æmulatus inquietioribus haud adæquatè probabatur; hinc officio reſignato ad cathedram ſolam rediit. Semel benè ſanus cubitum concedens haud porrò evigilavit, morte haud dubiè tam felici, quàm veloci expeditus; qui alios ad mortem ſemper vigilare docuit, credendus eſt ſibi ipſi & Doctorem, & diſcipulum docilem extitiſſe.

P. Lazarus ob zelum Apoſtolicum, exorcizandi gratiam, ſolitudinis, & taciturnitatis amorem, optimi exempli curam, regularis diſciplinæ cuſtodiam, perſecutiones, & odia hæreticorum, quibus exagitatus fuit in bonum Religionis Catholicæ æternam poſterorum memoriam, & vitam ſempiternam eſt promeritus; de quo ſparſim in prædicam. paſſionis, & actionis nonnulla in ejus commendationem habentur.

Anguſtam cæli portam ingreſſuri in fratres minores decreverunt

F. Ildephonſus ex Hindelang Cler. F. Capiſtranus ex Günzen Cler. F. Ægidius ex Engertshofen Laic. F. Benevenutus Uberlingan. Laic. F. Agricola Riedlingan. Cler. F. Sigefridus Immenſtadiens. Cler. F. Bonavita Riedlingan. Cler. F. Maternus Wangens. Cler. F. Lazarus ex Neſſelvvang Cler. F. Gorgonius ex Kislegg. Cler. *Summa* 10.

Annus Chriſti 1741. | Provinciæ diviſæ 74. Benedict. XIV. 2. | Caroli VII. 1. | Cardinal. Ruſpoli Protector. 4. Damian. Hug. Ep. 2. | P. Joſeph. Maria Inter. Gen. 2. | P. Franc. Antonii Conſtant. Prov. 1.

Rex Boruſſiæ prætenſionibus ſuis ad quatuor Sileſiæ Principatus inſiſtens, & proſpero armorum ſuorum proceſſu lætus ad totam denique Sileſiam bello occupandam adjicit animum, & exercitum, quidquid reclamet mæſtiſſima Hungariæ Regina, & juſtitia. Bellum tota hyeme propagatur, & agmen Auſtriacum in Sileſia à Pruſſis gravi clade afficitur. Huic ſiniſtro rerum Auſtriacarum ſucceſſui, tanquam opportunæ occaſioni imminens Bavariæ Elector cum copioſo milite, Gallorum copiis aucto & ipſe in campum progreditur, & expugnato Bojodurô in Auſtriam ſuperiorem graſſatur, Lincîa in fidem ſuam jurare coacta, Viennæ quoque occupandæ animum præſefert, minásque intentat; ut adeóque

afflictiſ-

afflictiſſima Hungariæ, & Bohemiæ Regina tot hoſtibus, quot prætenſis bonorum ipſius hæredibus circumdata cum tota ſereniſſima familia, ac inſuper prægnans Poſſonium ſecuritatis causâ ſecedere coacta ſit. Elector Bavariæ mutato conſilio non Viennam; ſed in Bohemiam deflectit, & exercitu Saxonico adjutus Pragam expugnat ejecto præſidio Auſtriaco; hinc ad exemplum regni Metropolis mox alia Bohemiæ loca ſceptrum Bavaricum amplectuntur.

Inter has adverſitates Auguſtiſſima Regina animo maximè heroico, omnibus aliis ſibi fidelibus timore trepidantibus, non trepidavit, & Deo, cauſæque juſtitiâ freta, inque precibus à ſe, & devotis ad cælum fundendis plurimùm confisa nunquam penitùs dejicitur; maximè etiam, quòd cùm ſtatus Hungariæ ponè ſe congregatos allocutione ad marpeſiam cautem flectendam compoſita dignaretur, hi compaſſione ad lacrymas, & devotione ad tutamen Reginæ ſuæ præſtandum commoti ſtrictis enſibus conclamaverint, ſe vitam, & ſanguinem pro ſereniſſima ſua tam inhumaniter preſſa, daturos.

His ita infeliciter geri pergentibus, & nemine non Auſtriacæ Domui, & Nomini ultimum excidium ominante, ad hujus complementum Elector Bavariæ, Gallus, Boruſſus, Saxo, & cæteri violatæ ſecuritatis, quam ad manutenendam ſanctionem Pragmaticam præſtiterant, complices Regna, & ditiones hæreditario-Auſtriacas jam jam inter ſe, ſed inconſulto, & necdum approbante Numine partiti ſunt, Reginâ Hungariæ, ut alii criminabantur, omnibus exuendâ, & ad colum ducendam, quo vitam lucraretur, condemnânda.

Intereà triennali Miniſterio ad exitum ſpectante A. R. P. Provincialis Capitulum, numero trigeſimum octavum, conſcribit Conſtantiæ die 28. Auguſti celebrandum; in quo electi ſunt, in Provincialem: A. R. P. Franciſcus Antonius Conſtantien. in Definitores RR. PP. Reinhardus Rottvvilan. Anaſtaſius Villingan. Georg. Jacobus Conſtantien. Eulogius Wolfacens.

Stuttgardiæ, & ad Caſtrum S. Ludovici aboletur miſſio, Capucinis propudiosè ab ea proſequenda faceſſere juſſis, ut alibi dictum eſt.

Francofurti ab Electoribus congregatis, excluſo voto Bohemico, quod ad Auguſtiſſimam Auſtriæ Archi-Duciſſam, ceu Bohemiæ Reginam ſpectat, in Romanorum Regem electus eſt Sereniſſimus Bavariæ Elector, proteſtante contra electionem, utpote ex non obſervato Bullæ aureæ tenore, invalidam Hungariæ Regina: verùm non obſtante hac proteſtatione peraguntur omnia, quæ ſunt de more hujusmodi electionum: proceditur etiam ad coronationem, & inthroniſationem.

Pro meliori, certiori, atque ſtabiliori coronâ agonizati, ut ſperare fas, eâ per exantlatum mortis agonem potiti ſunt

P. Symphorianus Weingartens. CC. P. Frobenius Hüffinganus CC. P. Stanislaus ex Sateins Guard. P. Seraphinus Uberlingan. Guard. P. Honorius ex Mittelberg. CC. P. Beatus Bludentinus CC. P. Willhelmus Lauffenburg. CC. P. Achilles ex Landegg Guard. F. Ægidius ex Fiſchen Laic. F. Martinus ex Avv. Laic. *Summa 10.*

Hic ultimus plurimis aliis, non ſolùm hujus, ſed præcedentium annorum fratribus innocentiâ vitæ, integritate morum, vocaliter, & mentaliter orandi aſſiduitate, mortificationum, jejuniorum, & flagellationum rigore, corporis ſeu nutriendi, ſeu veſtiendi incuriâ, paupertatis altiſſimæ, ſimplicitatis columbinæ, & humilitatis profundæ cultu, laborandi, præſertim compluribus annis in textrinâ fidelitate devotioni juncta, pacis, concordiæ, ſilentii, & cellæ amore, otii, mundi, murmurationum, detractionum, & inutilium confabulationum fugâ; & verbo, omnium aliarum virtutum, quibus ornatum eſſe convenit fratrem minorem Laicum, ſplendore, ſeu conatu anteponendus, ut vel rigidiſſimus aliorum cenſor in eo culpando in aqua ſe ſcribere deprehendiſſet. Eo igitur per tacitam mortem abrepto nemo fuit, qui non caneret: *Martinus hic pauper, & modicus cœlum dives ingreſſus eſt.*

Pro eadem cæli corona decertaturi Ordinis noſtri ſtadiodromum ingreſſi ſunt

F. Liebhardus Raſtadiens. Cler. F. Albertus Conſtantien. Laic. F. Rembertus Munderkingan. Cler. F. Auxentius Wilerſtadiens. Cler. F. Ludovicus Ettlingan. Cler. F. Beatus ex Enasreithe Cler. F. Columbus Zvvifaldens. Cler. F. Symphorianus ex Fiſcherbihl. Cler. F. Modeſtus Rottvvilan. Cler.

Summa 9.

Annus Chriſti 1742. | Provinciæ diviſæ 75.
Benedict. XIV. 3. Caroli VII. 2. | Cardinal. Ruffo Protector. 1.
Damian. Hug. Ep. 3. | P. Joſeph. Mar. ab Interam. Gener. 3. | P. Franc. Anton. Conſt. Prov. 2.

Eminentiſſimus DD. Cardinalis Bartholomæus Ruſpoli præmaturâ morte ſua, qua nuper abreptus eſt, Religionem noſtram quàm maximè afflixit; qui tamen beneficentiæ magnitudine integrum Protectorii ſæculum explevit. Huic in eodem officio, & protectrice Ordinis noſtri cura ſubrogatus eſt Eminentiſſimus DD. Cardinalis Ruffo.

Omnibus inter ſpem, & metum ſeu deteriorum, ſeu meliorum exſpectatione ſuſpenſis, & pro diverſitate affectuum alia, & alia exoptantibus cum ſtupore omnimoda rerum metamorphoſis percrebeſcit; cùm Regina Hungariæ, Deo, ut præfatum fuit, nixa, &, quatenùs perhibetur, devotiſſimo ingenio Chriſtum in expeditionum ſuarum Archiſtrategum adhibitura cunctis quotquot eam debellatum concurrerunt, hoc Chronographico, quaſi clarigatione, exprobravit:

CrVCIfIXVs DVX MeVs. Adeò enim inimicorum

rum proſperitate, & comminationibus territa non fuit, ut potius ad has fruſtrandas ipſa hyemis intemperie agmen ex milite Auſtriaco, Hungaris, & remotiſſimis populis in auxilium Reginæ accurrentibus conflatum in campum emiſerit, & gubernium ferente Excellentiſſimo, & ſtrenuiſſimo heröe Comite Kevenhillero, Linciam, quamvis à decem Gallorum, & Bavarorum millibus defenſam ad deditionem coëgerit; Bojodurum recuperaverit, in cor Bavariæ penetraverit, ad Schardingam hoſtem aperto marte aggreſſa fuderit, plura loca, ac ipſum quoque Monachium occupaverit, ex cauſis verò iterùm deſeruerit; iteratò tamen ejecto præſidio Bavaro in fidem receperit. In Bohemia à milite Auſtriaco cui Sereniſſimus Princeps Carolus Lotharingus mandata dederat, & Boruſſo, cui Rex ipſe præerat, propè Czaslavium ad manus deventum fuit, & utrinque acerrimè certatum, ut Reginæ honor, & emolumentum victoriæ, & Regi Boruſſiæ honor campi absque emolumento permanſerit, lugente honorem hunc Rege, tam cruenta ſuorum ſtrage comparatum: paulò poſt aliquot Gallorum millia, in hoſtem ſuos ducente Principe Lobkovvizio, trucidata, caſtris, & impedimentis, pretioſáque ſuppellectili exuta, & in fugam conjecta fuerunt. Rex Boruſſiæ exinde deſerto fœdere Gallo-Bavaro hoſtem exutus amicum induit, & pacem cum Regina ſanxit; Rege Poloniæ nuper inimico pariter Reginæ reconciliato. Pragæ recuperandæ admovetur exercitus; quamquam ea expeditio lentiùs procederet, &, ut parceretur militi, civi, & urbi, conſilia ab oppugnanda ad obſidendam verterentur, tamen Regina ipſa in publicas gratiarum actiones ad Deum pro felici armorum ſuorum progreſſu erumpit, & easdem reddendas terris ſuis Auſtriacis indicit. Fortalitium Briſacenſe, cum omnibus propugnaculis, aggeribus terrenis, foſſis muratis, & caſtrenſibus, pomœriis, & cuniculis, quà latè hæc omnia porrigebantur, ex ordine Auſtiſſimæ Reginæ demolita, deſtructa, ſolo æquata, & antiquata, commeatus omnis cum tota rei militaris ſuppellectili, tormentis, munitionibus cum præſidiario milite extractus, Friburgum translatum, & Gubernium militare penitùs abrogatum fuit cum inexplicabili civitatis luctu, & damno, nec exiguo conventûs ibi noſtri detrimento.

Stockachii die 7. Auguſti habetur RR. PP. Congregatio

Fabrica Stüehlingana ob nervi penuriam exiguos habet progreſſus: Eccleſia tamen omnibus numeris perficitur.

Perilluſtris, ac Generoſus D. Jo. Adamus L. B. de, & in Bodmann &c. Equeſtris nobilitatis in Cantone, Hegeu, Allgäu, & Bodenſeè &c. Director, ad provinciæ noſtræ luctum, damnúmque non dedolendum die 20. Octob. clandeſtina, ſed pia morte abripitur; cui, tanquam munificentiſſimo benefactori, à provincia tota conſuetis ſuffragiis parentatur.

Die 26. Decemb. Præſidium Gallo-Pragenſe furtivo egreſſu, Duce Bell-Islio abiit, erupit, evaſit, & Egram confugit, multis centenis fugientium frigoris acerbitate, itineris difficultate, & Huſarorum inſequentium acinace interceptis.

Praga iterùm ad fidem Auſtriacam redit, inquiſitioni ſubjectis, qui contra eam egiſſe inſimulabantur.

Fidei Deo, & Regulæ, ſervatæ præmium acceſſuri è noſtris ad Patres abierunt

F. Sylvanus ex Nidervvangen Laic. P. Alexander ex Sonthofen Defin. De quo in prædic. qual. §. 2. de litter. P. Carolus Joſephus Veldkirch. CC. P. Aurelius Lauſtenburg. Guard. F. Georgius Wilerſtadiens. Laic. P. Sylvanus ex Weiller CC. F. Juniperus ex Bonacella Laic. P. Gebhardus Villingan. CC. P. Marianus Conſtant. CC. F. Pelagius Conſtantien. Laic. P. Ildephonſus ex Waldhauſen Guard. & Novit. Magiſter. P. Franciſcus Veldkirch. CC. P. Remigius Villinganus Guard.

Summa 13.

In horum ſupplementum in Capucinos attonderi deſiderârunt, & impetrârunt

F. Liebhardus Raſtadienſis Cler. F. Placidus Offenburg. Cler. F. Frobenius Villingan. Cler. F. Willhelmus ex Margrethenhauſen. Cler. F. Juniperus Rhenofeld. Laic. F. Diſmas Lauffenburg. Laic. F. Michaël Conſtant. Cler. F. Honorius Brigantin. Cler. F. Andreas Marchthallens. Cler. F. Siardus ex Stafflang. Cler.

Summa 10.

Annus Chriſti 1743. | Provinciæ diviſæ 76. Benedict. XIV. 4. | Caroli VII. 3. | Cardinal. Ruffi. Protector. 2. | Caſimir. Anton. Ep. 1. | P. Joſeph Mar. ab Interam. Gen. 4. | P. Franc. Ant. Conſtant. Prov. 3.

Theatrum hujus temporis aliiſque rerum ſcenis adeò varium, & novitatibus fæcundum eſt, ut omnes ferè homines, etiam religioſi, mundíque incuriam profeſſi attentos ſe ſpectatores & auditores exhibeant.

Poſt Gallorum Pragâ egreſſum omnia in Bohemia iterùm in antiquum reducuntur ſtatum.

Egræ recuperandæ incumbitur; quæ denique à Gallis captivis ceditur. In Bavariam potior Auſtriacus exercitus immigrat, & poſt plures velitationes ac minuta prælia, expugnatáque loca Bavarus ad Braunavium inſigni clade afficitur: poſteà quoque die 27. Junii Dux Noallius Pragmaticum, ut vocant, exercitum, cui Angliæ Rex præerat, aggreſſus pariter gloriosè profligatur. Hæc victoria Palatinatum, Bavariam, & Sueviam omnem Gallis evacuat; qui amore pacis à Rege ſuo trans Rhenum redire juſſi dicuntur. Congregatur in Brisgoja totum agmen Auſtriacum, & tranſitus Rheni, atque irruptio in Alſatiam, ſed fruſtraneo conamine,

mine, tentatur. Cæſar Francofurto Monachium regreditur; ſed periculi admonitus Auguſtam Vindelicorum ſecedit. Inde, ut ajunt, à Noallio ad ſpectaculum meditatæ, ſed fruſtratæ victoriæ invitatus Francofurtum revertitur.

In Italia Hiſpani cum Sardo, & Auſtriaco milite congreſſi ab initio hujus anni magno cæſorum, deſerentium, & captivorum numero minuuntur, in ſtatum Eccleſiaſticum ſtativa ſua transferre coacti.

Noſtri provinciæ majores Conſtantiæ die 19. congregantur vice Capituli à P. Generale remiſſi, ſub iisdem diebus accurrit nuntius, ſignificans, quòd Eminentiſſimus DD. Damianus Hugo S. R. E. Cardinalis, S. R. I. Princeps, & Comes de Schönborn, Epiſcopus Conſtantiens. & Spirens. &c. &c. Bruchſalæ in palatio ſuo piiſſimè in Domino obdormiverit, & in Wagheusliano Capucinorum templo ſepulturâ donatus ſit.

Convocantur igitur Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi DD. Capitulares Eccleſiæ Cathedralis Conſtantienſis Canonici, qui poſt aliqua ſcrutinia in Epiſcopum elegerunt Reverendiſſimum & Illuſtriſſimum DD. Caſimirum Antonium ex Lib. Baronibus de Siggingen, Eccleſiarum Metropolitanæ Moguntinæ Canonicum &c. &c. & Conſtantienſis Cathedralis Canonicum; ac Præpoſitum.

Uberlingæ etiam congreſſi ſunt Illuſtriſſimi DD. Equeſtris Ordinis viri primæ nobilitatis in Cantone Hegojæ, Allgojæ, & ad lacum Acronium, ibíque in Directorem elegerunt Illuſtriſſimum ac Generoſum DD. Joſephum L. B. de Beroldingen &c. &c.

SS. D. N. Benedictus XIV. volens Religionem noſtram Capucinorum humiliter magnificare, decretum edidit, quo dictæ Religioni noſtræ in perpetuum aſſeritur honor Cathedræ in Sacello Pontificio &c. utrùm hujus Succeſſores decreto hoc ligari ſe permiſſuri ſint, tempus docebit.

Ad magnam terrarum, & ſubditorum Suevo-Auſtriacorum vaſtationem, atque enervationem copioſus miles Auſtriacus in hyberna ibidem, & hinc inde collocatur, non ſolùm opiparè nutriendus; ſed & ſingulis diebus aliquibus denariis, tanquam in acceptati hoſpitii, victúsque regratiamen donandus; ubi præſertim Officiales bellici ad exſugendas hominum vires ingenioſi Rebuspublicis, Urbibus, Communitatibus, pagis, villis, & familiis dominio Auſtriaco obnoxiis ultimum excidium allaturi videntur.

Quaſi talium calamitatum pertæſi, & Benefactorum adeò preſſorum miſeratione afflicti plures hoc anno, quàm unquam aliàs per religioſam mortem ad lætiora, ut ſperamus, religioſæ vitæ præmia avolârunt.

P. Vitalis Oenipontan. CC. P. Ignatius Conſtantiens. Sacerdos. P. Irenæus Rottvvilan. Sacerdos. F. Severinus ex Duelbach Laicus. P. Eduardus Weiſſenhornens. CC. P. Marinus Weiſſenaugiens. CC. P. Pius Rottvvilan. Guard. de quo in Prædicam. Qualit. §. 2. de litterat. F. Henricus ex Röttenberg Laicus. F. Erneſtus ex Frickthall Laic.

P. Agricola ex Blumenegg. CC. F. Maſſæus Bludentin. Laicus. F. Didacus Bibrac. Laicus. P. Gaudentius ex Neuburg. CC. P. Leopoldus Friburgens. CC. P. Humbertus Gengenbacens. CC. P. Januarius Conſtantiens. Miſſionarius Caſtrenſis. P. Nicephorus Uberlingan. CC. F. Nazarius ex Vandanz Laicus. P. Fabritius Wurmlingens. CC. F. Marcus Auguſtan. Laicus. P. Venuſtus Günzburgens. CC. F. Jovita ex Andelspuech Laicus. P. Joan. Nepomucen. Landſpergens. CC. P. Adamus Friburg. CC. P. Conſtantius ex Ettenheimb. CC. P. Leo Dillinganus Conf.

Summia 26.

P. Januarius zeloſiſſimus Religioſus metu, ne ob ejus merita ad Ordinis officia trahendus eſſet, ad miſſiones exercendas perpetuo agebatur ſpiritu, qui requiem non habebat, donec aliquâ potiretur. Ut capax evaderet, in Lotharingiam miſſus eſt ad idioma gallicum addiſcendum. Emergente autem quadam miſſione Caſtrenſi in Italia pro milite Germano-Sabaudo, illuc cum neceſſaria obedientia, & inſtructione dirigitur, & gaudens ſe confert. Verùm quòd valetudo ejus firma ſatis non eſſet, laborum magnitudini, & climatis italici adverſitati ſuccubuit, piâ morte miſſionem in alterum orbem aggreſſus.

F. Marcus modeſtiſſimæ converſationis Laicus, quòd artem chirurgicam inſigniter calleret, plurimis afflictis, præſertim indigentibus, conſilio, remedióque fuit. In Italiam, & Neapolim cum R. P. Maximiliano Wangenſe, Commiſſario Apoſtolico &c. profectus, ubique devotionis, humilitatis, & magnæ religioſitatis exempla ſparſit; quibus & in provincia, & conventibus, qui ei habitandi obtigerunt, refulſit, & eximium ſibi nomen, & æſtimationem comparavit, in aliorum officia ſemper promptus; in iis autem, quæ Deum ſpectant, ardentiſſimus, certante *in ipſo* paupertatis ſollicitudine cum profusa erga pauperes charitate. In his igitur religioſis exercitationibus & vitam tranſegit, & mortem provinciæ votis maturiorem ſubiit.

P. Joan. Nepomucenus optimæ voluntatis juvenis poſt exacta ſeveriora ſtudia in ipſo apoſtolationis acceſſu, è qua accedente inſigni morum probitate, & obſervandorum obſervantia, non contemnendi, fructus proditurі ſperabantur, phtyſi corripitur, & hac omnem remediationem ſuperante ſenſim miſerè grabatarius efficitur, quotidie moriens, & vel vivens inter funera computandus.

Igitur omnibus, quæ ad eum ſoſpitandum adhibebantur, in vanum ſuccedentibus, in roborando ſpiritu continuus fuit, & ſedulus, crebróque poſt corporis ſui diſſolutionem ſuſpiravit, ut ſaniore inter Beatos climate frui poſſet. Morte jam jam approximante & ipſe Chriſto devotiſſima SS. Sacramentorum uſurpatione, & ferventiſſimis virtutum

tutum actibus approximare ſtuduit ; in cujus denique amplexum , & oſculum in Crucifixi amplexu , & ſanctorum vulnerum oſculo transivit.

Ex hac jam ſuccincta Chronologiâ manifeſtum evadit , quòd provincia noſtra quoad ſubſtantiam , quantitatem , & qualitatem , & reliquas categorias , inter varios afflictionum caſus , in fratrum ſtrage , quotannis à morte illata , per continuam aliorum geneſin , ſemper erecta , propagata , præmemoratis ſex columnis ſuſtentata , & roborata ſteterit ; ubi prætereà calculum fratrum à diviſione uſque huc mortuorum : & è regione alium quolibet anno profeſſorum adjicimus ; ex quo , in meditationis argumentum , elucet , quòd generatio prætereat , & generatio adveniat ; ſempérque alii aliique ſucceſſores locorum , officiorum , dignitatum , & nominum hæreditate anteceſſores æternent , aut certè compenſent numero , adæquent merita , & Religionis ſucceſſionem proſequantur.

Ab anno igitur 1668.
Uſque ad annum 1740. excluſivè
Mortui ſunt 831. - - - Profeſſi ſunt 1076.

Inſuper advertendum eſt primò , quòd in hac ſuperficiali chronologia plurimis defunctis adjectum ſit prædicatum , ſeu officium , v. g. Provincialis , Definitoris , Guardiani , Novitiorum Magiſtri &c. &c. non quòd omnes in actuali ea qualitate obierint ; ſed prædicta munia aliquando geſſerint , atque adminiſtraverint.

Secundò. Quòd omnes omninò fratres ſancta , beata , felici morte defunctos , cælis receptos &c. &c. eſſe dixerimus , id ad normam proteſtationis noſtræ ab initio hujus operis poſitæ , in eo ſenſu intelligi volumus , quo de mortuis non niſi benè præſumere , dicere , & ſperare humanitùs debemus , atque ſolemus ; cæterà judiciorum divinorum ignorantiam fatentes , eorúmque abyſſum adarantes procul ab aſſerenda aliqua certitudine recedimus. Nec tamen

Tertiò eorum fratrum noſtrorum virtuti , famæ , aut merito quidquam derogatum eſto , quorum ſpecialis commendatio , præter ſolius nominis recenſitionem , in hac Chronologia facta non eſt ; cùm eorum , quorum talis deprædicatio aſſumpta eſt , tantùm ſelectiora , notiora , & certiora elogiis celebranda duxerimus , cæteris , quorum geſta tam explorata non habuimus , in ea æſtimatione , quam promeriti ſunt , permanentibus. Inde autem

Quartò elucet calami noſtri impartialitas , quâ nullam dignitatum , nationum , officiorum , & aliorum externorum reſpectuum rationem habuimus , cùm promiſcuè ſuperiores , inferiores , Prædicatores , Confeſſarios , Sacerdotes , Studioſos , Clericos , & Laicos pro nota meritorum prærogativa encomiis ſuis exornaverimus , atque intra limites præmemoratæ proteſtationis noſtræ , commendatos voluerimis.

Nil ergò ſupereſt ampliùs, quin audacter aſſeramus, quòd Provincia noſtra quoad ſitum ſuum prædicamentalem erecta ſteterit, ſtet, & in futurum cum clementiſſimo Numinis auxilio ſtatura ſit: quô hoc prædicamentum, totúmque opus noſtrum concludimus.



Locus.

	Locus.	Prima Poſſeſſio	S. Crucis Erectio.	Templi Conſecratio	Annua Dedicatio.	Patrocinium.	Sigillum.	Devaſtatio.
1.	Rhenotel-denſis Primus.	In Menſe Octobri 1596.	Dominica prima Adventus 1596.	Die 25. Octobris. 1598.	Dominica poſt Feſtum S. Lucæ Ev.	Feſtum SS. Trinitatis.	Coronatio B. V. Mariæ.	Menſe Septembri 1634. à Suecis exuſtus.
	Rhenotel-denſis Secundus	O.	Die 1. Aprilis 1655.	Die 4. Octobris 1657.	Dominica Poſt octavam S. P. Franc.	Idem.	Idem.	
2.	Friburgen-ſis. Primus.	In Menſe Octobri 1599.	In Menſe Martio. 1600.	In Menſe Septembri 1601.	Dominica ante Feſtum S. Matthæi Ev.	Feſtum Immacul. Conceptionis B. V. Mariæ.	B. V. Maria Sole veſtita.	Die 11. Februarii 1680. à Gallis deſtru-ctus.
	Friburgen-ſis. Secundus.	O.	Die 10. Octobris 1680.	Die 12. Maji 1699.	Dominica III. poſt Paſcha.	Idem.	Idem.	
3.	Veldkir-chenſis.	Menſe Septembri 1601.	Die 5. Februarii 1602.	Die 30. Novembris 1605.	Dominica poſt Feſtum S. Martini Epiſc.	Feſtum Præſentationis B. V. M.	Præſenta-tio B. V. M.	
4.	Conſtan-tienſis. Primus	Menſe Decembri 1602.	Die 3. Januarii 1603.	Die 19. Septembris 1604.	Dominica IV. Septem-bris.	Feſtum S. Jacobi Apoſt.	S. Jacobus Apoſt.	Die 10. Februarii 1647. à Civibus ſolo æ-quatus.
	Conſtan-tienſis Secundus.	O.	Die 19. Martii 1649.	Die 4. Octobris 1649.	Eadem.	Idem.	Idem.	Menſe Octobri 1694. à Fratribus deſtru-ctus, & delertus.
	Conſtan-tienſis Tertius.	O.	Die 4. Decembris 1694.		Eadem.	Idem.	Idem	
5.	Biberacen-ſis Primus.	Die 21. Aprilis 1616.	Die 17. Septembris 1615.	Die 3. Maji 1618.	Dominica II. poſt Paſcha.	Feſtum S. Leonardi die 6. Nov.	S. P. Franciſcus Pa-triarcha.	Menſe Julio 1632. à Lutheranis deje-ctus.
	Biberacen-ſis. Secundus.	O.	O.	Die 24. Septembris 1661.	Dominica poſt Feſtum S. Bartholom.	Idem.	Idem.	
6.	Uberlinga-nus. Primus.	Menſe Octobri 1618.	Menſe Aprili 1619.	Die 8. Septembris 1621.	Dominica poſt Nativit. B. V. M.	Feſtum Præſentationis B. V. M.	S. P. Franciſcus SS. Stigmata reci-piens.	Menſe Majo 1634. à Ci-vibus exuſtus.
	Uberlinga-nus. Secundus.	O.	O.	Die 29. Aprilis 1640.	Eadem.	Idem.	Idem.	1643. à Gallis flammis everſus.
	Uberlinga-nus Tertius.	O.	Die 23. Auguſti. 1654.	Die 27. Octobris 1658.	Dominica ante Feſtum SS. Simon. & Judæ Apoſt.	Idem.	Idem	
7.	Engenſis.	Menſe Octobri 1618.	Menſe Octobri 1618.	Die 20. Auguſti 1623.	Dominica poſt Feſtum Viſitationis B. V. M.	Feſtum Annuntiationis B. V. M.	Annuntiatio B. V. Mariæ.	
8.	Rottenbur-genſis.	Menſe Octobri 1622.	Menſe Octobri 1622.	Die 4. Maji 1625.	Dominica V. poſt Paſcha.	Feſtum Aſſumptionis B. V. M.	S. Maria ab Angelis cir-cumdata.	

	Locus.	Prima Poſſeſſio.	S. Crucis Erectio.	Templi Conſecratio.	Annua Dedicatio.	Patrocinium.	Sigillum.	Devaſtatio.
9.	Cellenſis Primus.	Menſe Octobri 1622.	Menſe Octobri 1622.	Die 3. Octobris 1627.	Dominica poſt octavam S. P. Franc.	Feſtum S. Georgii Mart.	S. Georgius Martyr. cum Dracone	1632. à Wirthenbergenſibus dirutus.
	Cellenſis Secundus.	O.	O.	Die 26. Septembris 1660.	Eadem	Idem	Idem.	
10.	Rottvvilanus Primus.	Menſe Septembri 1623.	Die 2. Julii 1627.	Nunquam Conſecratum.	O.	Feſtum Aſſumptionis B. V. M.	S. Maria ab Angelis elevata.	1632. à Wirthenbergenſibus devaſtatus.
	Rottvvilanus Secundus.	O.	Die 25. Maji 1636.	Die 19. Septembris 1655.	Dominica Poſt Feſtum S. Matthæi Ap. Ev.	Idem	Idem	
11.	Briſacenſis.	Verno Tempore 1625.	Æſtivo Tempore 1625.	Die 28. Octobris 1627.	Dominica poſt Feſtum S. Galli.	Feſtum Purification. B. V. M.	SS. Gervaſius & Prothaſius. M. M.	
12.	Ravenſpurgenſis Primus.	Initio Novembris 1626.	Die 5. Octobris 1626.	Die 17. Maji 1630.	Dominic. poſt Octavam SS. Petri & Pauli Apoſt.	Feſtum S. P. Franciſci.	SS. Stigmata S. P. Franciſci.	Menſe Auguſt. 1649. à Lutheranis dirutus.
	Ravenſpurgenſis Secundus.	O.	Menſe Auguſto 1660.	Die 21. Junii. 1661.	Dominica poſt Octavam S. P. Franc.	Idem	Idem	
13.	Haslacenſis.	Menſe Aprili 1630.	Die 11. Novembr. 1631.	Die 4. Septembris 1661.	Dominica I. Septembris.	Feſtum S. Chriſtophori M.	S. Chriſtophorus M.	
14.	Marchio Badenſis Primus.	Menſe Majo 1631.	Die 28. Maji. 1631.	Die 4. Auguſti 1641.	Die 2. Auguſti	Feſtum S. Birgittæ vid.	S. Birgitta ante Crucifixum flectens.	Die 25. Octob. 1689. à Gallis combuſtus.
	Marchio Badenſis Secundus.	O.	O.		Dominica III. poſt Pentecoſt.	Idem	Idem	
15.	Brigantinus	Menſe Septembri 1635.	Tempore Verno 1636.	Die 8. Octobris 1639.	Dominica poſt Feſtum S. Galli.	Feſtum S. Antonii de Pad.	S. Antonius Paduan.	
16.	Offenburgenſis.	Die 20. Octobris 1637.	Die 23. Aprilis 1640.	Die 12. Maji 1647.	Dominica III. poſt Paſcha.	Feſtum S. Matthiæ Apoſt.	S. Matthias Apoſt.	
17.	Wilerſtadienſis.	Menſe Septembri 1640.	Menſe Septembri 1640.	Die 6. Octobris 1715.	Dominica poſt Feſtum S. P. Franc.	Feſtum S. Felicis Capuc.	S. Felix à Cantalitio.	
18.	Wangenſis.	Die 26. Septembris 1641.	Die 28. Septembris 1641.	Die 17. Octobris 1655.	Dominica ante Feſtum S. Lucæ Ev.	Feſtum SS. Angelorũ Cuſtodum	S. Angelus Cuſtos.	
19.	Riedlinganus.	Menſe Martio 1644.	Die 18. Octobris 1645.	Die 30. Aprilis 1656.	Dominica III. poſt Paſcha.	Feſtum S. Sebaſtiani Mart.	S. Sebaſtianus Mart.	
20.	Bludentinus Primus.	Menſe Octobri 1645.	Die 8. Octobris 1645.	Nondum conſecratum.	Nulla	Nullum.	S. Maria Auxiliatrix.	Die 1. Mart. incendio conſumptus.

	Locus.	Prima Poſſeſſio.	S. Crucis Erectio.	Templi Conſecratio	Annua Dedicatio.	Patrocinium.	Sigillum.	Devaſtatio.
	Bludentinus Secundus.	O.	O.	Die 28. Auguſti 1651.	Dominica poſt Feſtum S. Bartholomæi Apoſt.	Feſtum Viſitationis B. V. M.	Idem.	
21.	Immenſtadienſis Primus.	Die 7. Maji 1646.	O.	O.	O.	O.	O.	1647. Juſſu R. P. Generalis iterum deſertus.
	Immenſtadienſis Secundus.	Die 3. Novembris 1650.	Die 18. Maji 1652.	Die 21. Octobris 1655.	Dominica poſt Feſtum S. Lucæ Ev.	Feſtum S. Joſephi.	S. Joſephus.	
22.	Lauffenburgenſis.	Die 3. Novembris 1650.	Die 14. Junii 1654.	Die 4. Aprilis 1660.	Dominica II. poſt Paſcha.	Feſtum Nativitatis S. Joan. Bapt.	S. Joann. Bapt. Chriſtum Baptizans.	
23.	Waldishuttanus.	Die 15. Novembris 1650.	Die 14. Junii 1654.	Die 7. Septembris 1659.	Dominica ante Feſtum Nativitat. B. V. M.	Feſtum S. Antoni de Pad.	S. Antonius Paduan.	
24.	Marchdorffenſis.	Menſe Majo 1652.	Die 4. Octobris 1653.	Fuerat jam anteà conſecratum.	Dominica poſt Feſtum S. M. Magdal.	Feſtum Immacul. Conceptionis B. V. Mariæ.	Jeſus Maria Joſeph.	
25.	Villinganus.	Initio Novembris 1655.	Die 16. Auguſti 1654.	Die 29. Junii 1664.	Dominica poſt Feſtum SS. Petri & Pauli Apoſt.	Feſtum S. Wendelini die 21. Octob.	S. Wendelinus Paſtor Animalium.	
26.	Bezavienſis.	Die 6. Novembris 1656.	Die 30. Auguſti 1655.	Die 22. Octobris 1656.	Dominica poſt Feſtum S. Lucæ. Ev.	Feſtum Inventionis S Crucis.	Chriſtus Crucifixus S. Maria & S. Joannes.	
27.	Möſskirchenſis.	Die 1. Auguſti 1659.	Die 4. Octobris 1661.	Die 21. Septembris 1665.	Dominica Poſt octavam S. P. Franc.	Feſtum S. P. Franciſci.	S. P. Franciſcus crucem manu gerens.	
28.	Oppenovienſis.	Circa finem Auguſti 1668.	Die 2. Septembris 1668.		Dominica ante Feſtum S. Bartholom.	Feſtum S. Joannis Evangeliſt.		
29.	Neoſtadienſis.	Die 6. Junii 1670.	Die 19. Septembris 1670.	Die 15. Octobris 1695.	Dominica II. Octobris.	Feſtum S. Antonii de Pad.	S. Antonius Paduan.	
30.	Mahlbergenſis Primus.	Menſe Octobri 1672.	Die 23. Octobris 1672.	Nondum.	Nulla.	Nullum.	S. Leopoldus Marchio.	Circa finem Septemb. 1677. à Gallis combuſtus.
	Mahlbergenſis Secundus.	O.	O.	Die 12. Octobris 1683.	Dominica poſt Feſtum S. Lucæ Ev.	Feſtum S. Leopoldi die 15. Nov.	Idem.	
31.	Stauffenſis.	Menſe Junio 1683.	Die 16. Septembris 1683.	Die 9. Junii 1699.	Dominica II. poſt Paſcha.	Feſtum Aſſumptionis B. V. M.	Aſſumptio B. V. Mariæ.	
32.	Argenſis.	Die 24. Maji 1694.	Die 8. Martii 1696.	Die 8. Octobris 1699.	Dominica Poſt octavam S. P. Franc.	Feſtum S. Antonii de Pad.	S. Antonius Paduan.	

	Locus.	Prima Poſſeſſio	S. Crucis Erectio.	Templi Conſecratio	Annua Dedicatio.	Patrocinium.	Sigillum.	Devaſtatio
33.	Oberkir-chenſis.	Die 21. Octobris 1696.	Die 27. Maji 1697.	Die 26. Auguſti 1737.	Dominica poſt Feſtum S. Bartholo-mæi Apoſt.	Feſtum S. Joſephi.	S. Joſephus.	
34.	Stocka-cenſis.	Die 2. Februarii 1719.	Die 1. Junii 1723.	Die 12. Octobris 1723.	Dominica ante Feſtum S. Lucæ. Ev.	Feſtum Michaëlis Ar-changeli	S. Michaël Ar-changelus.	
35.	Stûchlin-ganus.	Die 29. Septembris 1737.	Die 1. Junii 1738.				S. Maria Laure-taria.	

Habes jam, benigne Lector, univerſam Provinciæ Anter. Auſtriæ fratrum minorum S. P. Franc. Capucinorum Hiſtoriam, ad cujus integritatem nil porrò deſiderari poſſe arbitramur, niſi fortè altiora ſcriptionis argumenta, quæ attentionem, admirationem, atque adeò approbationem tuam mereantur. Sed enim ſatis alta, ſatis excelſa, ſatisque probari digna fuerint, ſi fratrem minorum Capucinum, cui hæc deſtinata ſunt, inter ſphæram profeſſionis ſuæ erudiant, ad bonorum ſequelam trahant, à deviatione coërceant, atque ad ſectandam vocationem ſuam perſuadeant; utpote qui præter Dei altiſſimi, B. V. Mariæ, Seraphici P. noſtri Franciſci, S. Antonii Paduani, B. Fidelis Martyris, omniúmque cælitum honorem, & gloriam potiſſimus Hiſtoriæ hujus ſcopus fuit, & eſt, atque

FINIS.

INDEX

Omnium rerum notabilium.

NB. Primus numerus denotat folium, alter numerus Romanus, ſi adſit, numerum in margine.

A.

AbAch Reverendiſſ. D. Joſephus Vic. Gen. 513.
P. Abundius Friburg. Guard. ſcientia, & pietate præſtans. 554.
P. Achilles Neoburg. à S. Achille conſervatur. 252. I.
F. Adamus Cellenſ. Laicus devotiſſimus. 253. II.
P. Adjutus Montifontanus N. M. & G. 253. III.
Aitrachenſis locus non acceptatur. 403. XVI.
P. Albertus ex Bludeſch G. pacis, & charitatis cultor. 598.
P. Alexander à S. Vincentio Definitor Confeſſarius Sereniſſimi Möſskirch. 319. I.
P. Alexius Conſtant. Provincialis edidit cæremoniale Provinciæ. 320. II.
P. Alexius Spirenſ. Miſſion. zeloſiſſim. 254. IV.
P. Aloyſius Conſt. Guard. verè ſpiritualis. 569.
P. Aloyſius Veldkirch. Provincialis vir zeloſiſſimus. 255. V.
P. Ambroſius Allſtettenſis Definitor eximiæ virtutis. 255. VI.
Andreas ab Auſtria Card. Epiſc. Conſt. 8. VII. & idem conſenſit in fabricam Frib. 107. III.
P. Andreas Mengens. ſup. 256. VII.
P Angelicus Wolfac. Vic. Gen. 256 VIII. & 337. V. & VII.
Anniverſaria per provinciam & ſtatæ Miſſæ pro Benefactoribus. 16. XVII.
P. Antoninus Rhenofeld. Definitor vir magnæ contemplationis. 575.
P. Antonius à Cœnobio Provincialis promovet fabricam Conſtant. 94. IV.
P. Antonius ex Malterdingen. 258. IX.
S. Antonii Paduani Patrocinium. 470. 471. 475. & 476. & 478. 479. 483. 488. 491. in ſitu provinciæ per omnes annos.
P Antonius ex Illuſtri famil. Rockenbach. 448.
P. Apollinaris Sigmaring. Def. viſione S. Fidelis germani ſui recreatus. 258. X.
F. Arbogaſtus Wangenſ. Laic. 418. XIII.
P. Archangelus Schmirinenſ. Cler. mirabiliter vocatus ad S. Religionem. 259. XI.
Argenſe Monaſterium. 51. I.
Arnan Dominicus Hupertus du Saix campi Mareſchallus. 502.
P. Auguſtinus à Tiſſana Miniſter Generalis in Provincia Hyemat. 548.
Auſtriaca Domus familiæ Stockacenſis fundatrix. 204. VII.

B.

Badenſe Monaſterium. 56. I.
Balbach Guidobaldus de Caſtell Benefactor Hoſpital. Stüehlingan. 212. VIII.
Balthaſarus ex Blumenegg Sac. 260. II.
Barberini Franciſcus Card. & Protect. Ordinis clementiſſimus. 624.
P. Beatus ex Müllhauſen Guard. ſingularis cultor B. V. M. 572.
Beatificatio BB. Joſephi à Leoniſſa, & Seraphini à monte gran. 623.
Benedictus XIII. P. M. ſanctè moritur. 606.
P. Benedictus Conſt. mortis diem prædicit. 260. II.
P. Benedictus ex Vaduz Conc. veri Religioſi Exemplar. 261. III.
P. Benedictus Leodig. Commiſſ. General. obſiſtit diviſioni Provinciæ. 24. III.
Benefactorum Elenchus totius Provinciæ. 9. X. & ſeq.
P. Benno Conſtant. Guard. verus Religioſ. 627.
Bernardinus ab Aretio præſidet ut Miniſter Generalis Capitulo Brigant. 524.
P. Bernardus Conſtant. Guard. 261. V.
P. Bernardus Donavvertanus Guard. 261. IV.
Bernſtein Philip. Albert. Archi-Commendator. Altshuſanus Patronus ſingularis. 11. XI.
Bezavienſe Monaſterium. 61.
Bibracenſe Monaſterium. 69. 415. X.
Bludentinum Monaſterium. 64.
Bluemin Barbara inſignis Benefactrix ad fabr. Rottvvilan. 189. IV.
Bodmann LL. BB. de & in Bodmann, & Eſpeſingen inſignes Benefactores Stockach. 204. VII.
Bodmann Joan. Adamus L. B. inſignis Benefactor. 633.
Bodmann Joannes L. B. fabricam Uberlingan. promovet. 217. V.
P. Bonagratia Bludentin. Conc. patientiæ Exemplar. 589.
P. Bonagratia Habſenſis Definitor vir religioſiſſimus diem extremum prædicit. 262. VI. item. 320. III.
Brigantinum Monaſterium. 77. I. & 415. X.
Briſacenſe Monaſterium. 82. I.
P. Bruno Friburg. inſignis Prædicator. 263. VII.
Buchovienſe Collegium à duobus Capucinis poſtea non ampliùs viſis conſervatur. 179. VII.

C.

Capucini ſunt legitimi S. P. Franciſci filii. 450. I. & ſeqq.
Cardinalis Farnerius Protector Ordanbaganiſta contra diviſionem. 26. VI.
Cardinalis de Haſſia Promotor diviſionis. 31. IX.
Carlsruehenſis locus rejicitur. 404. XVII.
P. Carolus Maria Miniſter Generalis à Macerata præſidet Capit. Waldishuttano. 507.
Carolus VI. Imperator Protector provinciæ munificentiſſimus. 629.
P. Caſimirus Ettlinganus Cler. poſt funera incorruptus. 264. I.
P. Caſparus Rhenofeld. vir miræ patientiæ. 533.
P. Caſparus Uberling. Conc. miræ auſteritatis, & paupertatis Religioſus. 264. II.
P. Caſtus Hyffinganus Definit. eximiæ pietatis, & ſcientiæ. 618.
P. Caſtus Veldkir. Guard. plurimæ virtutis. 565.
Caſus extraordinarius paſtoris acatholici. 358. XVI.
Cellenſe Monaſterium. 86. I.

Charitatis Victimæ

In ſervitiis Infirmorum excubuêre.

P. Alexius Spirenſis. 368. IV.
P. Andreas Mengenſis. 369. V.
P. Fridericus ex Wolmendingen. 368. IV.
P. Jovita Rottenburg. 368. IV.
P. Nicolaus Conſtantienſis. 368. IV.
P. Renatus Lauffenburgenſis. 370. VII.
P. Richardus Conſtantienſis. 369. V.
P. Pius Veldkirchenſis. 368. IV.
P. Petrus Vienenſis. G 367. III.
P. Apollinaris Sigmaringanus. 368. IV.
P. Conſtantinus ex Schinen. C. 368. V.
P. Theodorus Salemitanus. 368. V.
P. Sylverius Uberlinganus. 368. V.
P. Conradus Friburg. 368. V.
P. Marcellinus Cellenſ. 369. V.
P. Elias Friburgenſ. 369. V.
P. Engelhardus Wangenſ. 369. V.
F. Nicolaus Conſtant. Laicus. 369. VI.
F. Gerardus Uberlinganus. 369. VI.
F. Hortulanus Lauffenburg. 369. VI.
P. Raymundus ex Altenſtatt. 369. VII.
P. Joan. Evangel. Lauffenburg. 369. VII.
F. Joannes Conſtant. 370. VII.
P. Bernardus ex Kiechelſperg. 370. VIII.
P. Chriſtianus Conſtant. 370. VIII.
P. Matthæus Veldkirch. 370. VIII.
P. Marcellianus Uberling. 370. VIII.
F. Wendelinus Rottenburg. Laic. 370. VIII.
P. Concordius ex Trochtelfingen. 370. VIII.
P. Proſper Bludentinus. 370. VIII.
P. Gratianus Veldkirch. 370. VIII.
P. Adrianus Bludentinus. 370. VIII.
P. Adalricus Veldkirch. 370. VIII.
P. Pancratius Conſtant. 370. VIII.
P. Samuel Uberling. Conſ. 370. VIII.
F. Sydonius Conſt. Cler. 370. VIII.
F. Colomanus ex Schnürffling. Cler. 370. VIII.
P. Veneſtus Gynzburg. 370. VIII.
P. Adamus Friburg. 370. VIII.
P. Conſtantius ex Ettenheim. 370. VIII.
P. Victorinus Veldkirch. 539.
P. Cherbinus ex Schruns multùm auſterus, & ſolitarius Cleſin. 265. III.
P. Chriſtianus Lauffen. Guard. 412. VIII.
F. Chriſtoph. Stadienſis Laic. ſtupendo modo in ordinem redactus. 265. IV.
Leonardus Parochus Blud. promotor conventus Bludentini 66. III.
Collegia Buchov. Lindav. & Segging. beneficia. 12. XII.
P. Columbanus Rottenburg. Provincialis potens opere, & ſermone. 266. V.
Confeſſarii actiones. 362. I. & ſeq.
Caſus mirabiles. 364. III. & IV.
P. Conradus Bellfortis Lector Philoſophiæ problematæ Author. 320. IV.
Conſtantienſe Monaſterium. 91. I.
F. Conſtantinus à Schina Cler. 411. VI.
P. Conſtantinus Friburg. Guard. vir relig. 498.
P. Conſtantinus ex Högſt Guard. vir relig. 548.
P. Conſtantinus Uberling. ſpeculum patientiæ. 615.
P. Conſtantius Elzachens. opere, & ſermone potens. 630.
P. Cornelius Lauffenburg Sacerd. 268. VI.
P. Coſmas Conſtant. Concionator. 268. VII.
P. Coſmas Lauffenburg. mortis gladio eximitur. 412. VII.
Crucifixi imago Riedlingæ ſudore diffluit. 177. V.
Cuſtodia Conſtant. continet conventus 12. & 3. reſidentias. 430. III.
Cuſtodia Friburg. continet conventus 12. & 1. reſidentiam. 431. III.
Cuſtodia Wang. continet conventus. 8. 431. V.

D.

Damianus Hugo Card. & Epiſcop. Conſtantienſis. 628.
Danubius fluvius. 175. II.
Deüring Nicolaus de Illmenſëe &c. Benefactor Conventus Ravenſpurg. 167. X.
Deuring Prænob. familia Brigantii benefactrix 80. V.
P. Diethelmus Conſtant. Guard. 269. I.

P. Do-

P. Donatus ex Aſen Concionator ſcriptor vitæ S. Ottiliæ Virginis. 321. V.
Durlac. Marchio ad orthodoxam fidem reverſus ſanctè obiit. 57. II.
Dunckelſpila, & Gamundia recuſantur. 404. XVII.

E.

P. Eberhardus ex Ludeſch Guard. vir rectus, & ſimplex. 599.
P. Electus Conſtant. Concionator. 321. VII.
P. Electus Lauffenburg. Miſſionarius. 321. VI. & 351. I.
P Eliſæus Altshuſanus Guard. zeloſus, & cultor inſignis B. V. M. 553.
P. Elzearius Friburg. Guard. Definit. poſt mortem incorruptus. 269. I.
P. Elzearius Rottenburg. Confeſſarius vir exemplaris. 578.
Engenſe Monaſterium. 101. I. item. 416. XI.
P. Erneſtus Friburg. Concionator. 270. II.
Eſchlingberg Barbara de &c. nata de Reutlinger ad fabricam Uberlingan. tertiò ædificandam legatrix. 219. VII.
Eſſendorffenſes Equites fundatores hoſpitalis Bibrac. 69. I.
Ettenhemienſis locus. 400. XII.
Ettingen Illuſtriſſimus Comes de &c. Archiſtategus auxilio ſuo ampliorem reddidit Eccleſiam Neoſtadienſ. 144. VIII.
Ettingenſis locus. 403. XVI.
Eugenius Princeps Sabaudiæ tot victoriis, quot prælliis glorioſus. 621.
P. Euſtachius Frauenfeld. Concionator edidit regale Sacerdotium. 321.
Eytrach locus propè Wurzach recuſatur. 403. XVI.
Exorciſtarum actiones. 372. I.
Actio Riedlingana. 373. III.
Haslacenſis. 374. IV.
Ravenspurgenſis. 374. IV.
Rhenofeldenſis. 374. IV.
Lauffenburgenſis. 375. V.

F.

S. Felix ſanat moribundum. 571. 574.
P. Felix Wolffacenſ. 376. VI.
Ferdinandus II. Imperator authoritate ſua promovet fabricam Ravenspurgenſ. 162. V. & ſeq.
Ferdinandi III. juſſu Capucinorum Monaſterium Ravenspurgenſe dirutum iisdem reſtituitur. 166. X.
F. Fidelis Celleſ. Cler. ex LL. BB. de Roſt. 371. II.
P. Fidelis Rottenburg. Provinc. ſpectatæ ſanctimoniæ. 608.
P. Fidelis Sigmaringanus ſanctus. 271. I. & 321. VIII.
Ejus Beatificatio. 604.
Patrocinium. 481. 488. 491. 494. 495. 503. 505. 584.
Beneficia ferè per ſingulos annos
P. Fidelis Veldkirch. Definitor vir magnæ auſteritatis. 521.
P. Florinus ex Oberſtorff. Guard. & Definitor inſignis cultor B. V. 272. III. & 509.
P. Florinus ex Stein Definitor. 585.
S. Franciſci habitus infirmum ſanat. 488. 491. 504. 506.
Ejus ſacra ſtigmata. 483. 543. 555.
P. Franciſcus Anton. de Hochberg humilitate, & pietate inſignis. 533.
P. Franc. Carolus de Neve Definitor multis virtutibus clarus. 569.
P. Franc. Chriſtoph. Möſskirch. Miſſionarius. 351. I.
Franc. Joan. Epiſcopus Conſtant. fundat conventum Marckdorffenſem. 131. II. III.
Franc. Joan. de Prasperg Epiſcopus Conſtantienſis nobis affectiſsimus. 9. IX.
Conſecravit Eccleſiam Bezavienſem. 63. V.
P. Franc. Joſephus ex LL. BB. de Rodt Definitor varia edidit opera. 322. IX.
Franc. Maria Cardinalis, & prædicator Apoſtolicus. 563.
P. Franciſcus Xaverius ex Thannheim vir pius, & zeloſus. 610.
Friburgenſe Monaſterium. 105. I. & 418. XIII.
Fridericus Borromæus Nuntius Lucernenſis obſiſtit diviſioni Provinciæ. 23. II. & ſeq.
Fridericus ab Hund Princeps Heiterhemenſis efflagitat ad ſe PP. Capucinos. 11. XI.
P. Fridericus ex Neckershauſen Guard. ex perillustri familia de Liechtenſtein. 272. V.
P. Fridericus de Hallvveill humilitate, & pietate præſtans. 536.
P. Fridericus ex Neckershauſen de Liechtenſtein abdicato canonicatu Cathedral. Eccleſiæ Conſt humilis Capuc. 273. VI.
P. Fridericus ex Wolmendingen Guard. poſt mortem repertus incorruptus. 272. IV.
P. Fridolinus Friburg. Guard. inſignis cultor B. V. M. 273. VII.
P. Frobenius Delemontanus. 585.
Fugger Jacobus de &c. Præpoſit. Conſt. conventum Conſtantienſem fundat. 94. VI.
Idem ſupplicat comiti Pappenhemio acatholico pro admittendis Engam Capucinis, & impetrat. 102. III.
Fürſtenbergia Sereniſſima domus 5. locorum fundatrix. 13. XIV.
Fürſtenbergius Ferdinandus Proſper Comes pro noſtris Orator. 208.
Fürſtenbergius Sereniſſimus Princeps Joſephus de fundat hoſpitium Stüehlinganum. 299. V. vide litt. M. Fürſtenbergius.
Fürſtenbergius Max. Franciſcus Landgravius fundat monaſterium Neoſtadienſe. 141. IV.
Fürſtenberg Maximil. Comes de &c. conventus Haslacenſis inſignis benefactor. 115. VI. & 208. III.

Fürſtenbergica domus glorioſa duobus beatis Cunone, & Conrado Cardinale. 135. II.
Fürſtenberg Fridericus Rudolphus Comes de &c. Haslacenſem conventum fundat. 112. II. & III.

G.

Gaiſt Ferdinandus Conradus de &c. ſuffragan. Conſtant. 588.
P. Gallus de Gall Guardianus dignus. 513.
P. Gaudentius Lauffenburgenſis in miſſione Rhætiæ ſucceſſor. S. Fidelis. 274. I. & 449.
P. Gebhardus Conſt. Definitor auſteritatis, & rigoris tenax. 564.
P. Generoſus Ruremundanus Definitor Linquiſta, & extaticus. 274. II.
P. Georgius Conſtant. vir multæ patientiæ. 275. IV.
P. Georgius Uberlingan. Guard. cultor eximius B. V. 275. III.
Gerolzeggenſis Dynaſtia. 353. IV.

H.

Habitûs noſtri forma legitima. 443. I.
Haigerlochenſis locus non acceptatus. 403. XVII.
Haiterhemenſis locus aliis ceditur. 397. IX.
Hallvveill Hartmannus de &c. Commendator in Beuggen fabricam Rhenofeldenſ. plurimùm promovet. 169. II. & III.
Hallvveill Joan. Georg. de &c. Epiſcopus Conſtant. reſtitit accerrimè fabricæ Conſtantienſ. tandem ejus promotor. 94. IV.
Hamerer Leonardus Præpoſitus ad S. Stephanum hortum ſuum Legat PP. Capucinis. 99. VII.
Hannau. M. Magdalena Comitiſſa de &c. ad fidem converſa, & illuſtriſſimo fundatori conventus Haslacenſis nupta plena bonorum operum obiit. 115. V. ad finem.
Harſt Eucharius illuſtriſſimus de &c. & Borenau inſignis Benefactor conventus Offenburgenſis. 150. IV.
Haslacenſe Monaſterium. III. & 418. XIII.
P. Henricus Bibrac. Novit. Mag. Guard. 276. II.
F. Herculanus ex Waldpurg. Cler. tenerrimus cultor B. V. 276. I.
Hettinger Conradus Conſul. Bibrac. promotor Conventus. 70. II.
P. Hieronymus Friburg. Guard. Defin. 277. III.
P. Hyppolithus Friburg. Guard. poſt mortem glorioſius. 410. V.
Horbenſis locus. 396. VIII.
Hodimannus Joan. J. U. D. zeloſus catholicus Bibraci. 70. II.
Homburg Conradus de &c. trucidat Conſtantiæ Epiſcopum Joannem quartum Conſtantienſem. 130. I.
Homburg Margaritha de &c. nata Braiten-Landenburg 15. Waldishutti inſignis Benefactrix. 233. III. item XVI.
Hück de &c. Patribus Aream pro Conventu Rottenburg. donat. 183. IV.
P. Humbertus Gengenbac. Definitor Domino & hominibus charus. 595.

I.

Jacobus Fugger Epiſcopus Conſtantienſis noſter Benefactor, & Promotor maximus. 8. VIII.
F. Jacobus ex Reihenvvir Laic. patientia, & charitate inſignis Calvinicolam ad fidem convertit. 356. XI.
P. Januarius Conſt. Miſſionarius. 636.
P. Januarius ex Wurmblingen Guard. paupertatis eximius cultor. 277. I.
P. Januarius Guard. Brigant. præpotens apud Generalem Suecum Wrangelicum. 81. VII. & VIII.
P. Jeremias Friburgenſ. ſingulariter devotus B. V. M. 278. II.
P. Ignatius ex Sauldorff G. terrifici caſus vates, & ſpectator. 278. III.
P. Ignatius Rhenofeld. Miſſionar. 323. X.
Immenſtadienſe monaſterium. 116. I.
P. Innocentius Wolfacenſ. Guard. veri Religioſi Exemplar. 565.
P. Joan. Bapt. Conſtant. cultu B. V. M. celebris. 282. VI.
P. Joan. Bapt. Polonus Definitor miræ auſteritatis, ſanctitatis, & miraculorum gloria inſignis. 282. VI.
P. Joannes Bezavienſis Guard. operarius zeloſus. 598.
P. Joan. Chryſoſt. illuſtri Schenckorum de Caſtell proſapia progenitus miræ ſanctitatis, & miraculorum gratia inſignis. 285. VIII.
Idem edidit Exercitia ſpiritualia. 324. XI.
P. Joan. Evan. ex LL. BB. de Bodmann. 288. IX.
P. Joannes ex Grienvvangen ſocius S. Fidelis Mart. 408. III.
F. Joannes ex Horn illuſtri Schenckiorum proſapia oriundus abdicato cathedr. Eccleſ. Conſtanrienſ. Canonicatu ter à Deo in S. Ordinem vocatus pientiſſimè obiit. 279. IV.
Joannes de Wolffegg Epiſcopus Conſtantienſis dilaudat labores noſtros. 8. VIII.
Joannes Franc. Schenck de Stauffenberg Epiſcopus Conſtant. Provinciæ noſter maximus Protector. 546. & 628.
Joannis Franciſci ex LL. BB. de Schönau Epiſc. Baſileenſis cor in noſtra Eccleſia Waldishutti quieſcit. 236. VIII.
Joannes Ulmenſis Definitor mirè in Ordinem vocatus, & apparitione B. V. M. recreatus. 280. V.
Joſephus I. Imperator. 561.
F. Joſephus Bezavienſ. miræ auſterit. & magnæ virtutis. 553.
P. Joſephus Engenſ. Guard. vir magnæ patientiæ. 289. X.

F. Jo-

F. Joſephus ex Wötterdingen Laic. 476.
P. Joſephus Maria de Bernhauſen Guard. multæ orationis. 58.
F. Jovita Brigantinus Laic. ſimplex, & rectus. 290. XII.
P. Jovita Rottenburg. ſac. mortis horam prædicit. 290. XI.
P. Iſaias Ehinganus Definitor, litterâ, & ſpiritu inſignis. 527.
P. Juſtinus ex Sunthofen Guard. vir magni Exempli. 612.

K.

Kônigsegg Comes de &c. fundator conventûs Immenſtadiens. 117. II.
Ejus prima conjux illuſtriſſima Carolina Ludovica Landgravia de Sulz promovit fabricam inſigni Legato. 121. VII.
Kuon P. R. D. Jacobus Parochus Rottvvilanus plurimùm promovet fabricam Rottvvilanam. 188. IV.

L.

Lauffenburgenſe Monaſterium. 121. I.
Laubheimenſis locus recuſatus. 401. XIV.
P. Laurentius Marispurg. Miſſionarius auſteritate & patientia celebris. 291. I.
P. Laurentius ex Schnuffis Concionator varia vulgavit opuſcula. 324. XII.
P. Lazarus ex Schvvendi Miſſionarius zeloſus. 382. XII.
Lenzin D. Barbara D. Georgii Neſer Arhigramatæi conjux legatum reliquit pro conſtruendo Monaſterio Capucinorum. 161. III.
F. Leonardus Wang. Laic. 291. II.
Leopoldus Archidux Auſtriæ fundator Conventûs Briſac. 83. II.
Leopoldus Imperator provinciam Anter. Auſtriacam vocari voluit, eámque in ſuam recepit protectionem. 47. VI. item 547.
Lindavienſis hæreticus à B. V. M. vocatur ad fidem orthod. 357. XIV.
Lindavium. 386. I.
F. Longinus Dilinganus Laic. inſignis patientiæ. 291. III.
F. Ludovicus ex perilluſtri familia de Pfird prognatus ex humilitate ad inſtar S. P. Franciſci exempl. presbyteratum recuſat. 292. IV.
P. Ludovicus Sarto. 405. II.
P. Lucianus Montifontanus Provincial. edidit opera ſelectiſſima. 325. XIII. item 336. III.
P. Lucius Veldkirchenſis inſignis Lector annales noſtros ab anno 1704. uſque 1718. congeſſit. 327. XIV.

M.

P. Magnus Stauffenſ. Concionator. 293. I.
Mahlbergenſe monaſterium. 125. I. & 418. XIII
Major Augienſ. Abbas Placidus promotor Conventûs Brigant. 79. IV.
P. Marcellianus ex Seêg nov. mag. Guard. magnæ auſteritatis. 293. II.
Marchdorffenſe monaſterium. 130. I.
Marchiobadenſis Sereniſſima Domus 2. Monaſteriorum fundatrix. 13. XIV.
Marchiobadenſis Wilhelmus Princeps una cum conjuge ſua Maria Franciſca nata Landgravia de Fürſtenberg fundat conventum Mahlbergenſem. 127. III.
Marchiobadenſis Sereniſſimus Princeps Ludovicus. 552.
Marchionatus Badenſis. 353. V.
Marchiobadenſis Monachus effectus ſanctè obiit, item alius Bernardus. 353. V.
Marchiones Badenſes fundant Monaſterium Badenſe. 59. V.
Marchionum Badenſium deſcriptio. 56. I. & ſeq.
P. Marcus ex Wolffegg Concionator vir religioſiſſimus. 294. III.
P. Marcus de Aviano Miſſionarius. 495. 496. 500. & 535.
P. Marcus Jacobus Bibrac. Provincialis Commiſſ. 338. VIII.
P. Marcus Jacobus Cellenſ. ex Baronibus de Schönau Provincialis. 480. 511.
F. Marcus Auguſtus Laic. humilis, & charitativus. 636.
P. Marquardus Marispurg. Concionator vir auſterus. 294. IV.
Marquardus Rudolphus Epiſcopus Conſtantienſis. 9. IX. 343. V. 546.
P. Martialis ex Santeins patientiæ admirabilis. 295. VI.
P. Martialis ex Santeins Miſſionar. 418. XII.
P. Martinus Conſtant. Concionator. 295. V.
P. Martinus Friburg. Guard. vir magnæ auſteritatis. 574.
F. Martinus ex Au Laic. laborioſus, & devotus. 631.
F. Matthæus ex Wilbad Laic. 296. VII.
P. Mathias Aug. bis Provincialis vir magnæ perfectionis, & ſanctitatis. 296. VIII.
Idem Commiſſarius. 334. I. & II.
P. Maximilianus Wangenſis Provincialis Definitor Commiſſarius Generalis. 340. XI.
P. Maximilianus ex Kislegg Miſſionar. 353. IV.
Miſſionarii in Rhætia. P. Alexius Spirenſis. P. Pius Veldkirch. P. Achilles Neoburg. P. Dionyſius Friburg. P. Anſelmus Brigant. P. Gaudentius Lauffenburg. &c. 353. III.
Miſſio in Brechtall. 354. VII. & 357. XIII. Gerolzeggenſis, & Marchiobadenſis. 353. IV. & V. Wilerſtadenſis. 354. VIII. Openovien. 353. VI. Mahlbergenſ. 353. VI. Miſſio Stuttgartenſis. 358. XV.
Möſskirchenſe Monaſterium. 134. I.
Fürſtenbergius Landgravius Möſskirch. Uratislaus gratioſiſſimè effectus. 135. III.

Fürſtenbergius Franc. Chriſtophorus Landgravius Mößkirchenſis cum ſereniſſima conjuge Maria Thereſia de Aremberg fundat conventum Mößkirchenſem. 137. V.
Montecuculi Comes de &c. Haslachii. 592.
Montecuculi Franc. Comes de &c. Marchiobadæ ſepultus. 592.
Montfortii Comites quâ ſint origine nati. 51. I.
Montfortii glorioſi Heroës. 52. II. & ſeq.
Mundbrodt à Spieglberg Jodocus, & ejus conjux Margaritha à Schvvarzach illiberi bona ſua legant pro conventu Capucinor. 99. VIII.

N.

Neoburgenſis locus incineratur. 398. X. & 413. IX.
Neoſtadienſe Monaſterium. 139. I.
Niccarus fluvius. 180. I.
P. Nicolaus Conſtant. Conc. peſtiferis inſerviendo charitatis victima. 369.
P. Nicolaus Conſtant. Conf. religioſus magnæ patientiæ. 300. I. & 556.
F. Nicolaus ex Millhauſen Laic. verè pius. 619.

O.

Oberkirchenſe Monaſterium. 144. I.
Ochsenhuſanus Abbas Joannes primum lapidem ponit Bibraci. 72. V.
Offenburgenſe Monaſterium. 148. I.
F. Onophrius Conſtant. Laic. inſignis cultor B. V. M. 300. I.
F. Onophrius Cellenſis Laic. labore, & pietate eximius. 623.
Operariorum actiones. 366. I.
Oppenovienſe hoſpitium. 154. I.

P.

P. Pacificus Rottenburg. operarius zeloſus. 547.
P. Pancratius Conſtant. ſup. magnæ perfect. 545.
P. Pancratius Engenſis Definitor regularis obſervantiæ zeloſiſſimus. 301. I.
Pappenheimb Maximil. Comes Luther. annuit in PP. Capucinorum inductionem Engæ. 101. II.
Item fabricam promovit. 103. IV.
Paſtor Caſtrenſis Suecus cum plus 80. militibus Friburgi à noſtris ad veram fidem convertitur. 356. XII.
P. Paulus Conſtant. Guard. opere, & ſermone potens. 541.
P. Paulus de Schröckenſtein vir religioſiſ. 507.
P. Pelagius Stauffenſ. Provincialis multarum virtutum exemplar. 302. II.
P. Perfectus Conſtant. Provincialis re, & nomine perfectus. 303. III. & 328. XV.
Peſtis 6. millia Friburgi. 1633. abſumpſit. 101. IV.
Pflaumern Henricus de &c. Benefact. & Promotor fabricæ Bibracenſis. 74. VII.
Pforzhemium. 386. II.
P. Philippus ex equeſtri ſang. de Liebenfels. 519.
P. Philippus Wilanus Guard. vir rectus, & ſimplex. 575.
Pirrhinus Baroniſſa Legato promovet fabricam Rottvvilan. 191. VII.
Piſtorius Chriſtophorus Canon. Cathedral. Baſileenſ. cum agnata ſua promovet fabricam Baadenſem. 58. III. & IV.
P. Pius Rottvvil. Concionator. 328. XVI.
P. Pius Veldkirch. Miſſionarius. 400. IX.
P. Placidus Friburg. præcipuus Promotor diviſionis Provinciæ, multis virtutibus clarus. 306. IV.
Plaiſter Joannes Oppenovienſ. hoſpitii, & promovendæ religionis zeloſus patronus. 156. III. & V.
Plarer de Wartenſée Chriſtoph Epiſcopus Baſileenſis ad acceptandum conventum Rhenofeldenſem hortator. 170. III.
Privilegia miſſionis. 343. V.
Prasperg Jacobus, & Albertus ejus filius promotores, & benefactores fabricæ Ravenſpurgenſis. 161. IV. & ſeq.
Proceſſus Canonicus ſuper tribus miraculis Friburgi habitus. 613.
Provincia Ant. Auſt. Quid. 3.
Provinciæ Benefactores. 7. IV. & ſeq.
Provinciæ diviſionis neceſſitas. 19. I. Difficultas. 23. I.
Succeſſus, & ſeries & decretum diviſionis. 31. I. & ſeq.
Bonitas. 42. I. & ſeq.
Provincia Commiſſaria. 334.
Litterata. 317.
Miſſionaria. 341. I.
Provinciæ Paſſio. 383. I.
Provinciæ Paſſio quoad perſonas. 405. I.
Quoad tranquilitatem. 419. I. & ſeq.
Provinciæ derivatio. 429. I.
Provinciæ diviſio. 428.
Provinciæ duratio. 433. I. & ſeq.
Provinciæ habitus. 441.
Provinciæ ſitus. 464. ubi vel locatio. 424. I. & ſeq.
Provinciæ quantitas. 50.
Qualitas. 250.
Actio. 349.

R.

Raitmau Wernerus de &c. fundandi conventus Bibrac. Author. 71. III.
Rhamſchvvaig Udalricus de &c. eximius fautor Capucin. 65. II.
P. Raphael Friburg. Miſſionar. zeloſus. 507.
P. Raphael Marckdorff. Concionator magnæ ſcientiæ vir. 308. I.
P. Raphael ex Sonthofen ſup. verus Religioſus. 607.
Ravenſpurgenſ. Conventûs facta à civibus acathol. demolitio. 166. X.

Ravenſpurgense Monaſterium. 159. I.
Reiſchach Wernerus de &c. promovet fabricam Engenſem. 103. IV.
Relatio quid. 18.
P. Renatus Lauffenburg. Guard. inſignis cultor B. V. M. 308. II.
Rhenofeldenſe Monaſterium. 168. I.
Rhēofeldæ caſus veritatem fidei aſtruit. 171. IV.
Rhenus fluvius. 223. III.
P. Richardus Conſtant. ſac. vir religioſ. 309. III.
Riedlinganum Monaſterium. 174. I.
Roggenbach Hartmannus de &c. ipſus ſignum ſalutationis Angelicæ noſtrâ campanula Friburgi dat in ſignum victoriæ contra Suecos reportatæ. 108. V.
Roll Franciſcus Ludov. de &c. cum perilluſtri ſua poſteritate in Capucinos ſummè benefi-cus, & in promovenda fabrica Waldishuttana ſedulus. 236. VII.
Roll D. Joſephus Antonius de &c. Canon. Cathed. Friſing. adauxit inſigniter Bibliothecam PP. Capucin. Waldishutti. 236. VII.
Romanus Abbas ad S. Trudpertum tabr. Stauffenſem plurimùm promovet. 195. VI.
P. Romanus verus Iſraëlita. 595.
P. Romualdus Stockac. hujus operis compilator. 328.
Rottenburgenſe Monaſterium. 180. I.
Rottvvilanum Monaſterium. 186. I.
Rudolphus Horbens. ſuperior. 310. IV.
P. Rudolphus ex illuſtri familia de Neüsheim. 500.
Rudolphi Udalricus Conſul. Bludentinus reſtitutor Conventus Bludentini igne devaſtati. 69. VI.
P. Rupertus Cellenſ. Guard. exemplum patientiæ. 556.
Rupertus de Bodmann Celſiſſimus Princeps Campid. 602.
Ruphole Bartholomæus Cardinalis Protector, & Benefactor inſignis. 631.
Ruſticus ex Algoja in Alſatiam incognito ductore deportatus. 253. III.

S.

P. Salomon Villinganus quater Provincialis Commiſſarius. 339. X.
F. Salomon ex Schruns Cler. cultu B. V. M. celebris. 311. I.
Sartorius Sebaſtianus Lauffenburg. Epiſc. Neoſtadienſ. in Auſtria Aulæ Præfectus Bibliothecam Lauffenburgenſ. inſtruit. 125. VI.
Scapularis virtus. 374. IV.
Schaden familia de &c. Conventûs Bibrac. inſignis Benefact. 71. V. & IV.
Schauenburg Franc. Comes de &c. Capuc. ſingularis Patronus. 193. II. & ſeq.
Schaz Michaël de Liebenfeld pro Capucinis Riedlingam introducendis perorat. 176. IV.
Schliengenſis locus non acceptatur. 400. XI.
Schönau Maria Agnes de &c. Capuc. inſignis benefactrix. 236. VII.
Schueler Jac. Parochus Riedlinganam fabricam affectivè, & effectivè promovet. 176. IV.
Schvvendienſis locus recuſatur. 400. XIII.
Sen Fridol. Parochus in Hochſaâl Bibliothecam Lauffenburgenſem adauxit. 125. VI.
P. Serenus Rottvvilanus Concionator. 380. IX.
F. Servatius ex Eppen Laic. vir humilis, & exemplaris. 616.
PP. Servitæ. 517.
P. Severinus ex Liberegg Concionator horam mortis prædicit. 311. II.
Sigismundus Franc. Archidux Auſtriæ contra prætenſam quorumdam Conventuum Auſtriacorum Helvetiæ incorporationem proteſtatur. 27. VII.
P. Sigismundus Rottenburg. Provincial. Commiſſarius. 336. IV.
Sigmaringanus locus oblatus offertur. 393. IV.
P. Simon Uberling. ſcripſit in caput quartum 1. Reg. 329. XVII.
Sirgenſtein Franc. Joan. Anton. Suffraganeus, & Vic. Gener. de provincia optimè meritus. 626.
P. Sixtus ex Weiller Guard. vir patientiſ. 312. III.
Sorethanus Abbas Martinus aſſiſtit primum lapidem ponenti Bibraci. 72. V.
Spindler Joan. And. Prædican. Luther. cum ſuis orthodoxam fidem Wilæ amplectitur. 355. IX.
P. Stanislaus ex Wueteſchingen Guard. Definitor eximiæ ſanctitatis, & miraculorum gloriâ inſignis. 312. IV.
Statua B. V. M. in Eccleſia noſtra Friburgi miraculoſa. 525.
Stauffenſe Monaſterium. 191. I. & 418. XIII.
P. Stephanus à Cæſena Commiſſar. Generalis pro diviſione Provinciæ. 29. IX.
Stockacenſis familia. 197. I.
Stüehlingana familia. 205. I.
Stuettgartenſis locus. 392. III.
Subſtantiæ Analogia, Ecphraſis, & definitio ſubſtantiæ. 2. 3. & ſeq.
Suevorum mons in agro Campidun. 402. XV.

T.

P. Theobaldus Conſtant. Conſ. 329. XVIII.
P. Theobaldus Weiſſenhorn. 373. II.
P. Theodoſius ex Bürs Provincialis veri Religioſi, & Superioris vivum Exemplar. 315. I. & 330. XIX. & 338. VII.
P. Theodoſius ex Bonndorff. Definitor. 619.
P. Thiberius à foro Thiberii Definitor varia opera concionatoria vulgavit. 330. XX.
P. Tiburtius Conſtant. Concionator. 330. XXI.
P. Tobias Stauffenſ. Guard. Religioſus conſummatus. 599.
Trochtelfinganus locus non acceptatur. 394. VI.

V.

Uberlinganum Monaſterium. 212. I.
Uberlinga à Gallis incinerata. 214. II.
Udalricus de Federpichl Epiſcop. Curienſ. 602:
P. Udalricus Montiſontanus Definitor Commiſſarius. 331. XXII. & 339. IX.
Veldkirchenſis fabricæ Promotores D. Nicolaus Capit. D. de Fortenbach. & alii. 225. VI.
Veldkirchenſe Monaſterium. 221. I.
P. Victorianus Ehinganus Guard. vir ſanctæ converſationis. 551.
P. Victor ex Ludeſch Conf. vir perfectus. 571.
P. Victorinus Veldkirchenſis Miſſionarius multarum virtutum vir. 539.
Villinganum Monaſterium. 226. I.
Ulm Ludovicus ab &c. Dominus in Mittelbibrach fundandi Conventus Bibrac. Author. 71. III.
Unger Jacobus Amannus in Hagnau inſigni Legato fabr. Uberlingan. promovet. 215. III.
Unzin Eliſabetha nata de Beſſerer ſecundi, & tertii Monaſterii Larga benefactrix. 219. VII.
P. Uratislaus Wolfacenſis Definitor Novit. mag. Guard. vir religioſiſſimus. 316. I.

W.

Wagner Jacobus pro fabrica donat aream. 240. IV.
Waldishuttanum Monaſterium. 232. I.
Waldner Joan. Promotor Monaſterii Bezavienſis. 62. III.
Wangenſe Monaſterium. 238. I.
Welsperg. Carol. Guidobaldus de &c. inſignis Promotor & Benefactor Stockachii. 204. VII.
P. Wernerus Friburg. Guard. 587.
Wilerſtadienſe ſeu Wilanum Monaſterium. 242. I. & 416. XII.
Wilæ tres convertuntur fremente diabolo. 355. IX.
P. Wilhelmus Badenſis Guard. venerabilis. 593.
P. Wilibaldus Friburg. Lector varia edidit opuſcula. 331. XXIII.
Wiſenſteigenſis locus non acceptatur. 395. VII.
Wolfegg Henricus de &c. Conventûs Ravenſpurgenſis Promotor. 161. IV. & ſeq.
Wolfegg Maxim. Wilibaldus de &c. ſtrenuè defendit Conſtantiam. 97. VI.
Wrangelius Generalis Suecus Capucinis multùm addictus. 81. VII. item 240. V.

O. A. M. D. G.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google